IACOBI ZABARELLAE PATAUINI IN LIBROS ARISTOTELIS...

Giacomo Zabarella




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 F

IACOBI ZABARELLAE PATAVINI

IN LIBROS ARISTOTELIS PHYSICORVM COMMENTARII.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI.





CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS,
Apud Franciscum Bolzetam, & Io. Antonium & Iacobũ de Franciscis.
M D C I.



ILLVSTRISSIMO
BENEDICTO GEORGIO
SENATORI VENETO,
Iulius Zabarella S. P. D.



ATEOR sanè inuitum me, ac planè repugnantem Librum hunc in lucem edere. Cur enim linguarum verbera non extimescam, cum paterni nominis, ac dignitatis penè immemor informem hunc fœtum, quem, si pater meus viueret, clam esset expositurus, ipse palam omnibus aspiciendum, atque inspiciendum proponam? Veruntamen hoc vt mihi crimen ignoscatur, non oro tantum, verum etiam exoro: quippe amicorum preces cogunt me, non impellunt, & vt cæteris hac in re satisfaciam, ipse mihi nulla possum ratione satisfacere. Illum ergo, quando supprimi non potest, euulgo: Tibique Vir Illustrissime, iustis de causis consecro; non enim me latet quantopere parentem meum viuum dilexeris; quàm sæpe illum magna cum animi tui voluptate, ac doctrinæ fructu in hac florentissima Academia, disciplinarum omnium altrice, philosophicis de rebus disserentem audieris. Noui præterea quantum ille te Discipulo, cuius egregia semper extitit ad virtutem indoles, gloriaretur. Omnino vterque vestrum ad hanc felicitatem natus erat, vt neque Doctorem tu illo amantiorem, neque Discipulum te ille gratiorem nancisceretur. Vt igitur si mortuum consulam, atque interrogem quid velit, sic tibi Commentarios hosce tanquam ex eius auctoritate & voluntate trado, sacroque. Porrò nemo te melius inuidorum, qui sibi ex aliena infamia gloriolam quæritant, calumnijs occurret: nemo facilius inanes obtrectatorum nubeculas clarissima auctoritate, ac doctrinæ luce dissoluet. Itaque munus, si

minus te dignum, at tibi multis nominibus debitum volens, libensque suscipe; sicque habeto, me non modo paternarum opum, verum paterni etiam erga te obsequij, atque obseruantiæ hæredem esse. Vale. Patauij, III. Id. Nouembris M D C.

IVLIVS ZABARELLA
LECTORI.






Vid ni, oculate Lector, multa in hoc Libro siue rerum siue verborum ornamenta desideras, quem Pater meus inchoauit, sed inchoauit duntaxat, non absoluit. Vtinam diuturnior homini vita contigisset ad expoliendum opus ac perficiendum; Commentarios quanto doctiores, atque elegantiores haberemus? Scio nihil esse tam pulchrum, quod inuidis non displiceat, quorum est ludus, immo delitiæ doctissimum quemque vellicari, itaque multo magis ipse verebar, & nunc etiam vereri debeo, ne rudem hunc, planeq; degenerem fœtum, simul ac in lucem prodierit, obtrectatorum rabies canino dente discerpat. Equidem libenter illum suppreßissem, si mihi supprimere licuisset, facultas desinit, non voluntas. Omnino flagitantibus amicis obtemperandum fuit, nam vt semper persuaderi extremæ dementiæ, ita nunquam persuaderi immanis duritiæ est. Tuum erit Lector consilium nostrum æqui boniq; facere, & si quid peccatum fuerit, humanum te erga nos, non seuerum Iudicem exhibere.



Antequam Librum legas, errata prius corrigito, quædam enim insunt, ex quibus fortasse aliqua oriri posset obscuritas: quemadmodum autem corrigenda sint, in calce Operis habebis.

IACOBI ZABARELLAE PATAVINI COMMENTARIA IN PHYSICORVM LIBROS ARISTOTELIS.



Liber Primus.



VPLEX horum octo Librorum inscriptio fuisse videtur. Primo enim hi octo libri inscripti sunt φυσικῆς ἀκροάσεως, idest de naturali auscultatione, quæ communis totius huius voluminis inscriptio est; Secundo videntur etiam fuisse inscripti περὶ ἀρχῶν καὶ περὶ κινήσεως, idest de principijs, ac de motu; & vtraque inscriptio videtur antiqua, cum de vtraque Græci interpretes mentionem faciant: Nos vtramque considerare debemus; sed prius notandum est, quòd librorum inscriptiones, vt considerat etiam Vicomercatus in præfatione sua in primum librum Meteororum, ex varijs rebus sumi solent, & in libero Authoris arbitrio videntur esse constitutæ, vt non magis à subiecto libri, quàm aliunde inscriptionem alicui libro dari cuilibet authori permittatur. Quandoque enim sumitur inscriptio libri ab aliquo interlocutore vt apud Platonem freqnentissimè: cum enim omnes ferè libros suos Plato per dialogum scripserit, multos ab aliqua persona interloquenre nominauit, sicuti Gorgiam, Theætetum, Protagoram, Menonem, & alios. Quandoque ab occasione interloquendi, vt conuiuium, quia post conuiuium cęperunt de amore disputare. Quandoque etiam authores ad occultandam intentionem suam vtuntur inscriptionibus ab eorum proposito remotis, vt Phædrus apud Platonem, non solùm Phædrus, verumetiam de Pulchro inscribitur, cum tamen re vera sit de arte Rhetorica, quamuis enim Gorgiam appellet Plato etiam de Rhetorica, eam tamen non docet Plato in Gorgia, sed in Phædro, licet de Rhetorica non Phædrum, sed Gorgiam inscripserit. In Gorgia enim ostendit solum, quod sophista ille Gorgias artem Rhetoricam nesciebat, ipsam tamen artem ibi non docet, sed in Phædro, quem tamen non inscripsit de Rhetorica, sed de Pulchro, vt suam intentionem occultaret; nam oratio artificiosa, & apta ad persuadendum pulchra quidem dici potest, sed pulchritudo est vox æquiuoca, alia enim est pulchritudo in oratione, alia in humano corpore, alia in aliquo pulchro colore, alia in veste, alia in alijs rebus, quas pulchras appellamus, quare inscribit Plato eum librum à re considerata, quam tamen nomine nimis communi, & æquiuoco significare voluit. Quandoque inscribuntur libri ab ordine, quem cum alijs libris habent, vt in logica libros Analyticos Aristoteles inscripsit alios priores, alios posteriores, quia

illi præcedunt, hi vero subsequuntur: similis est inscriptio diuinæ ipsius philosophiæ, quam Aristoteles inscripsit μετὰ τὰ φυσικά quasi post naturalem scientiam ad eam accedendum esse nos moneat, quæ vere inscriptio valde distat à propria eius scientiæ natura, cum nullo modo eam exprimat. Quandoque inscribuntur libri ab vtilitate, quam alijs libris præstant, vt libellus Porphyrij: vocatur εἰσαγωγή, idest introductio ad logicos scilicet Aristotelis libros. Ad hoc membrum reducuntur illæ inscriptiones, quæ sumuntur a nomine ipsius disciplinæ, vt de arte rhetorica, de arte poetica. Nomen enim disciplinæ indicat rem consideratam in ea disciplina. Sed hoc tantum videtur in artibus euenire & alijs disciplinis, quæ non sunt contemplatiuæ. Quandoque à subiecto propriè accepto, vt liber de Cœlo, Cœlum enim ibi habet locum subiecti. Quandoque ab intentione authoris, non à subiecto, intentionem enim iam diximus esse de principijs, vel passionibus ipsius subiecti; ideo si ab aliqua proprij subiecti passione, vel principio liber inscribatur, erit inscriptio non à subiecto libri, sed ab intentione authoris: talis est inscriptio libri de generatione, & interitu, generatio enim, & interitus non habent in eo libro locum subiecti, sed vt passiones subiecti quæruntur, id autem est illud naturale corpus, cui primo hæc accidentia conueniunt: similis est inscriptio libri de motu animalium, & omnium aliorum librorum, qui parui naturales appellantur, omnes enim à passionibus proprij subiecti inscribuntur; liber autem de anima à principio subiecti, non à subiecto inscribitur, quia subiectum est corpus animatum, anima vero vt eius formale principium ibi consideratur, non vt subiectum: quandoque inscribuntur libri non à re considerata, sed à loco rei consideratæ, vt libri Meteorologici; nam μετέωρον significat sublime, suspensum, quia igitur ea, quæ ibi tractantur, fiunt, si non omnia, saltem quam plurima in sublimi loco, ideo Aristoteles eos libros inscripsit Meteorologicos. Quandoque inscribuntur libri à modo doctrinæ, & tractationis, quemadmodum illi, qui vocantur ab Aristotele capite vltimo primi libri de moribus ἐξωτερικοὶ λόγοι, idest extrarij sermones, quia populariter, & sine aliqua demonstratione scribuntur, & ad vulgum, non ad philosophos; qui quidem libri nunc non extant. Aristoteles tamen in dicto loco testatur se de anima esse locutum populariter, & pingui Minerua. Hos etiam significare videtur in textu 54. primi libri de anima vocans eos τοὺς ἐν κοινῷ λεγομένους λόγους. Aliqui etiam libri mixtam habent inscriptionem; vt libri de historia animalium; nam ratione illius dictionis [animalium] dicuntur inscribi à re considerata; ratione vero illius dictionis [historia] inscribuntur à modo doctrinæ; significat enim modum tractationis leuem, & rudem, & sine causarum cognitione, sed per solam rei enarrationem, vt faciunt, qui historiam scribunt. Huiusmodi est hæc inscriptio, quam in præsentia consideramus [de naturali auscultatione] nam ratione illius dictionis [naturali] sumpta est inscriptio à re considerata, & à subiecto libri, quod diximus esse corpus naturale, quatenus naturale in sua maxima communitate; ratione vero illius dictionis [auscultatione] sumpta est inscriptio à doctrinæ modo, significat enim Aristoteles doctrinæ modum scientialem cum causarum cognitione quasi scribendi genus ἀκροαματικόν contraposuit Aristoteles illi alteri, quod vocauerat ἐξωτερικόν, vt scientialem, & exquisitam doctrinam vulgari, & rudi traditioni; vnde patet, quod non soli physici libri sunt auscultatorij, sed alijs omnibus, & naturalibus, & metaphysicis libris ea appellatio conuenit; ideo Aristoteles non absolute [de auscultatione] dixit, sed adiecit [naturali] vt propriam huius libri inscriptionem faceret; quamuis enim alij omnes huius scientiæ libri possint vocari naturales, tamen propriè loquendo hi soli sunt de omni corpore naturali absolutè considerato, quatenus naturale est, & de natura ipsa, vt natura est, alij vero non naturam absolutè, sed naturam talem particulariter considerant: hi ergo soli sunt de physica auscultatione, quatenus physica est. Cur autem

tem auſcultatorios libros vocauerit Ariſtoteles ſcientiales, & exquiſitos, duæ rationes afferuntur, vna eſt Simplicij, quam Vicomercatus ſequitur, quòd vocentur auſcultatorij, quia ſcripti ſunt ad eos, qui has eaſdem res ex eo prius in ſchola auſcultauerant, & eius auditores fuerant, qui non niſi philoſophi eſſe poterant, cum quibus ſcientialiter non populariter agendum erat: ideo volens Ariſtoteles ſignificare ſcientialem, & exquiſitam tractationem, dicit de [auſcultatione] ideſt de illis rebus, quas diſcipuli, & auditores eius prius in ſcola auſcultauerant: hi ergo auſcultatorij vocantur, quia ad philoſophos, & auditores ſcripti ſunt, illi vero extrarij quia ad extraneos, & ad vulgum. Alij vero dicunt hos libros eſſe vocatos auſcultatorios ad differentiam modi ſcribendi per dialogum, quo vtebatur Plato. Is enim non eſt modus auſcultatorius, cum non ſupponat auditorem ſemper auſcultantem, ſed colloquentem, interrogantem, & reſpondentem. Mihi tamen prior ratio magis ſatiſfacit, quia veriſimilius eſt Ariſtotelem hos libros vocaſſe auſcultatorios ad differentiam aliorum librorum, quos ipſemet ſcripſerat, quàm ad differentiam librorum ſcriptorum ab alijs. Adde, quòd prior ratio communior eſt, & ſecundam ſub ſe complectitur, quare eſt ſufficientior, ſub modo enim ſcribendi extero, & populari videtur contineri modus ſcribendi per dialogum; quia quamuis poſſimus etiam per dialogum demonſtratiue ſcribere, videtur tamen rationes probabiles, & communes eſſe conuenientiores dialogo, quàm demonſtratiuas, quia in collationibus vtendum eſt communibus rationibus, vt facilioribus; quare tractatio per dialogum videtur ſapere ἐξωτερικὸν λόγον appellantur ergo auſcultatorij ad differentiam omnium librorum, qui populariter ſcripti ſunt, ſiue id ſit per dialogum, ſiue quouis alio modo.

De altera vero inſcriptione mentionem hic faciunt Simplicius, & Ioannes Grammaticus, & ante eos Porphyrius, & Adraſtus. Dicunt enim hos libros eſſe vocatos quandoque de principijs, quandoque etiam de motu; ſed diligentius hanc inſcriptionem conſiderantes voluerunt etiam hos octo libros in duas partes diuidere, quarum vna de principijs eſſet, altera verò de motu; in hac tamen diuiſione non conſenſerunt, nam Adraſtus, & Simplicius in eam ſententiam inclinare videntur, quod quinque priores ſint de principijs, tres poſteriores de motu; inquit enim Simplicius, Adraſtum dixiſſe hos libros trifariam fuiſſe inſcriptos, aliqui enim eos vocabant libros de principijs, aliqui de naturali auſcultatione, aliqui vero quinque priores de principijs, tres poſtremos de motu; quarum ſententiarum nullam refert ab Adraſto fuiſſe refutatam, nullam ipſe Simplicius refutat; quare videntur ambo eas omnes acceptaſſe. Porphyrius vero, & Ioannes Grammaticus videntur voluiſſe, quod quatuor priores eſſent de principijs, quatuor vero poſteriores de motu, & ſi enim tertius liber eſt de motu, & de infinito, quartus de loco, vacuo, & tempore, quintus iterum de motu; quæ omnes ſunt paſſiones naturales non principia; attamen eos Philoſophos mouit ad dicendum eos libros eſſe de principijs, quia de motu, & alijs dictis affectionibus non propter ſe ibi tractatur, ſed propter naturam, quæ eſt principium motus; quare tota illa tractatio eſt de principijs, quia propter principia fit. In quam ſententiam aliqui quoque poſteriores Philoſophi deuenerunt, ducti verbis Ariſtotelis in principio tertij libri male intellectis, vbi Ariſtoteles videtur dicere, ſe acturum de motu propter naturam, & vt definitio naturæ intelligatur; poſtremi autem libri cum apud hos ſint de motu propter ſe, non amplius propter principia, ideo de motu non de principijs appellantur. Philoſophi autem recentiores alij dictā græcorum ſententiam ſequuntur; alij putant primum tantum, & ſecundum eſſe libros de principijs, ſex vero reliquos de motu; alij etiam dicunt primum, ſecundum, & octauum eſſe de principijs, quinque intermedios de motu: octauum enim librum, vt de primo motore tractantem, voluerunt libris de principijs annumerare. Hanc difficultatem ego fuſe examinaui in principio octaui phyſicorum, is enim videtur conue-


nientior locus, in quo consideremus, quid in singulo horum octo librorum Aristoteles agat, ideò nunc rem paucis perstringam, totam disputationem ad eum locum remittens. Tribus propositionibus eo in loco totam sententiam meam exposui, quarum prima est, quòd si est facienda diuisio horum octo librorum in libros de principijs, & libros de motu, primus, ac secundus soli de principijs sunt, sex autem reliqui de motu; quod enim à græcis dicitur de tertio, & quarto, aut etiam de quinto libro; quòd tota eorum tractatio est propter principia, vanum est; nam tractatio, quę de motu habetur in tertio, est propter se, non propter definitionem naturæ: quod hoc vno argumento firmare satis sit in præsentia: ibi est principalis tractatio de aliqua re, & propter se ipsam, vbi ea res definitur, sed definitio motus non alibi traditur ab Aristotele in his libris, quàm in principio tertij physicorum, vbi ex professo per diuisionem, & magno apparatu verborum hanc definitionem inquirit, & tradit; ergo de motu agitur propter se, non propter naturam. Similiter dicamus de quarto physicorum, vbi de loco, & de tempore agitur propter se, vt sunt accidentia corporis naturalis, quia ibi traduntur eorum definitiones, neque alibi tractat de loco ac de tempore Aristoteles, quàm in eo quarto libro, erant tamen alicubi tractanda hæc accidentia corporis naturalis propter se ipsa; imò Aristoteles ipse in textu secundo tertij physicorum dicit, se de motu, & alijs dictis accidentibus agere velle, quia sunt accidentia communissima omnibus rebus naturalibus. Quòd vero alij dicunt octauum esse de principijs, id vanissimum est, quia est merè de motu liber ille; nulla enim alia est Aristotelis intentio in octauo physicorum, quam loqui de æternitate motus; de primo autem motore loquitur ibi secundariò propter æternum motum, quia passio non potest cognossi nisi cognoscatur per suam proximam, & æquatam causam: si igitur id tractatur, cuius gratia tractatur, tractatio est appellanda de æterno motu, non de æterno motore; neque debemus existimare eum librum ideo de principijs esse, quia sit de causa æterni motus; de principijs enim aliqui horum librorum vocantur, quia sunt de principijs subiecti, ex quibus corpus naturale constat, non de principijs passionum cum enim duo primi libri dicantur de principijs, reliqui de accidentibus, vtrumque debemus intelligere, cum respectu, & relatione ad ipsorum subiectum, vel de principijs, & passionibus corporis naturalis, & quamuis sex illi postremi libri non tantum de motu sint, verum etiam de alijs accidentibus corporis naturalis, vt loco, vacuo, tempore, tamen omnes possunt de motu appellari à maiori parte, quia maxima pars eorum sex librorum est de motu. Secunda propositio est; quamuis duo tantum sint de principijs, & sex tantum de motu, tamen potest totum volumen horum octo librorum indifferenter vocari de principijs & totum etiam de motu, & vtrumque rationabiliter, nam possumus totum à parte nominare, quando fit illa appellatio vel à maiori parte, vel à parte principali; possunt ergo hi omnes libri coniunctim accepti de principijs vocari, eos nominando a parte principali; quamuis minori, nam principalior est sermo de principijs, quàm de accidentibus, quia a principiorum cognitione omnia pendent; possunt item omnes appellari de motu a maiori parte, quia maxima in his libris tractatio est de motu, & huius loquendi modi frequens apud omnes est vsus, vt totum a parte nominetur, vel maiore vel principali: quod etiam facit hic ex omnium expositorum consensu, vel saltem plurimorum, nam dicunt sex esse de motu, vel quinque, si octauum excipiamus, illi tamen non sunt toti de motu cum cōtineant etiam tractatus de infinito, de loco, de vacuo, de tempore; tamen a parte maxima vocantur omnes de motu; hęc sententia non est mea, fuit antiqua Gręcorum expositorum; si enim legamus Simplicium hoc in loco, ipse refert Adrastum dixisse, quod hi libri physicorum ab alijs tribus modis sunt appellati; aliqui enim eos vocabant de principijs, aut quòd aliqui eos omnes nominabant de principijs; aliqui verò de naturali auscultatione; aliqui

demùm

demum quinque priores de principijs, reliquos de motu; Ioannes autem Grammaticus hic dicit, quod sæpe Aristoteles totum hoc volumen physicorum vocauit de motu; vnde colligimus vana esse omnia argumenta, quæ desumuntur ex verbis Aristotelis alibi, quando citat aliquem horum librorum dicens, vt in libris de principijs vel in libris de motu, quandoque enim citat aliquem, qui est absque dubio de motu, tamen citat tanquam de principijs, quia non particulariter citat tertium, vel quartum librum, sed totum volumen simul sumptum, vt fusius declarauimus in principio octaui libri physicorum. Tertia conclusio est quamuis aliqui horum librorum dicantur de principijs, vel omnes de motu, non propterea sequitur hanc esse horum librorum inscriptionem: non enim omne, per quod aliquis liber significatur, est libri inscriptio, sed ea solùm, quæ libro supra ponitur, vt nomen proprium, sicuti homini nuper nato nomen imponimus ad libitum: Aristoteles autem consueuit in aliquo libro citare alium suum librum, & eum vocare vel ab inscriptione, quam illi libro dederat, vel etiam a re ibi considerata. Nam ab inscriptione, vt librum priorum Analyticorum, quandoque citat dicens, vt in Analyticis dictum est; quandoque dicit, vt in libro de syllogismo, non tamen sequitur, quod hæc sit altera eorum librorum inscriptio, de syllogismo, modo enim declaret Aristoteles, quem librum citet; non curat tamen potius appellare a proprio eius libri nomine, vel ab inscriptione, quam a re ibi considerata: Vnam igitur esse puto huius libri inscriptionem, quæ est φυσικῆς ἀκροάσεως, quòd autem in principio primi libri Meteororum Aristoteles dicat se hic egisse de primis causis naturæ, & de omni motu naturali, recenset rem consideratam, non propterea dat aliam huic libro inscriptionem, licet fortasse ex eo loco hic error irrepserit, vt multi putauerint Aristotelem hoc quoque modo hos libros inscripsisse; idem dico de alijs locis, in quibus hos libros citans dicit, eos de principijs esse, vel de motu: Inscriptio enim alicuius libri debet esse vniuersalis non partialis, hi autem libri neque omnes de principijs sunt, neque omnes de motu,

Caput Primum.

„ Quoniam cognoscere, ac scire contingit circa omnes methodos, quarũ Textus primus.
„ sunt principia, aut causæ elementa, ex horum cognitione, tunc enim
„ putamus cognoscere vnumquodque, cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa; manifestum
„ est, quod, & ea, quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de natura est, primum determinare tentandum.



NTER omnes conuenit Aristotelem huic libro apposuisse proœmium breue quidem, & mole paruum, sed doctrina, & difficultate maximum; quinque namque breuibus textibus continetur, sed adeo obscurum, & opinionum varietate perturbatum, vt vix apud Aristotelem alius locus magis controuersus inueniatur. Procemium vocari ea ratione certum est, quoniam Aristoteles in eo dociles facit auditores; sed quomodo dociles faciat, non omnes consentiunt; debet enim docilis auditor fieri, quando Author in principio scientiæ admonet, quibus de rebus sit loquuturus, vel quo ordine vsurus, vel etiam qua methodo, ac doctrinæ via sit processurus ad rerum ignoratarum cognitionem adipiscendam; propterea aliqui putarunt Aristotelem hic loqui

de sola doctrinæ via, qua est vsurus in hoc tantùm primo libro ad principiorum latentium cognitionem; alij non modò viam hanc, verum etiam ordinem, quem Aristoteles est seruaturus in hac de principijs tractatione. Qui omnes in hoc consentiunt, quòd hoc proœmium ad ea tantum pertineat, quæ in primo physicorum tractanda sunt, ad alios autem libros non extendatur; alij contra non modò huius libri, verum etiam totius naturalis philosophiæ proœmium esse dicunt, quorum ego sententiam sequor. Credo enim hæc omnia in hoc proœmio ab Aristotele proponi intentionem suam in tota naturali philosophia; viam doctrinæ, qua in tota scientia vti vult; ordinem doctrinæ, quo omnes huius scientiæ libros dispositurus est; intentionem suam in primo physicorum, quæ est agere de primis principijs; nec non viam doctrinæ, qua est vsurus in horum principiorum inuestigatione. Sed vt pateat quomodo, & vbi Aristoteles hæc omnia faciat, declarandum est quid sit via doctrinæ, & ordo doctrinæ. Via est processus à noto ad ignotum per discursum syllogisticum, vbi enim est necessaria illatio huius ex hoc per aliquod logicum instrumentum, ea vocatur methodus, seu via doctrinæ; ideo sub via doctrinæ continentur omnes species demonstrationis, vt ait Auerroes, & errant, qui putant viam esse demonstrationem à posteriori, demonstrationem autem à priori esse ordinem doctrinæ, vtraque enim est via, quia per formam syllogismi à principijs notis ducit nos per necessarium processum ad cognitionem conclusionis ignotæ: est tamen inter eas hæc differentia, quòd demonstratio propter quid est primò intenta ab artifice, & potest via principalis appellari, tota enim artificis demonstratiui intentio est, cognoscere effectus per causas suas: demonstratio autem à posteriori, quæ vocatur, quia est via doctrinæ secundaria non principalis, quia secundariò artifex eam intendit, quoniam si primo loco causas notas haberet, sperneret hanc secundam viam, & altera tantum principali vteretur, at quoniam ob nostram imbecillitatem contingit, quandoque vt causæ nobis offerantur ignotæ, & ab ignotis non est progrediendum; cogimur secundam hanc viam adinuenire, qua prius ex effectis inueniamus causas, à quibus postea ad effectus regrediamur; quare secundaria via semper in alteram primariam dirigitur, & demonstratio propter quid est semper causa finalis demonstrationis quia. Ordo vero non est syllogismus, neque processus illatiuus vnius rei ex alia, sed solùm est dispositio conueniens omnium partium scientiæ, vt si dicamus, prius agendum esse de corpore naturali in communi, postea de speciebus, & inter has prius de cælo agendum esse, postea de elementis, postea de mixtis, patet autem hic nullam fieri illationem à corpore naturali ad cœlum, vel à cœlo ad elementa, sed solùm ordinatè hæc omnia disponi. His intellectis dico Aristotelem in textu primo proponere nobis nõ modo intentionem suam in his libris, verum etiam intentionem vniuersalem in tota naturali philosophia, nec non viam doctrinæ principalem, qua in tota naturali scientia vti vult, in secundo autem, & tertio textu proponit viam doctrinæ secundariam, qua vsurus est pro inuentione principiorum; in quarto demùm, & quinto loquitur de ordine doctrinæ, quo totam hanc scientiam est dispositurus; quorum omnium qualis sit continuatio in hoc proœmio inter legendum considerabimus; id solum animaduertendum est, quod si vera est hæc expositio nostra, vt eam veram esse puto, Aristoteles sufficientissimum proœmium fecit, non solùm huic secundo, verum etiam toti naturali philosophiæ; omnia enim proponit, quæ in proœmio ad auditorem faciendum docilem proponi poterant, & magnam sententiarum molem summo cum artificio, & admirabili breuitate complexus est. Vt igitur videamus, quomodo Aristoteles in primo contextu illa tria proponat, quæ diximus, exponenda est prius breuiter, & leuiter tota huius textus sententia. Vult Aristoteles hanc conclusionem colligere, quod agendum est de principijs scientiæ de natura, in qua conclusione apparet propria eius intentio in hoc libro, eam colligit formãdo prius syllogismum quendam,

dam, deinde quandam consequentiam, in qua formatione apparet etiam eius intentio vniuersalis in tota scientia,& via doctrinæ, qua principaliter vti vult; syllogismus, vt ego puto, ita formatur, in omni disciplina habente principia, vel causas,vel elementa,scientia fit ex cognitione principiorum, aut causarum, aut elemẽtorum:at naturalis disciplina habet principia,aut causas,aut elementa ipsarum naturalium rerum,ergo in scientia naturali est habenda scientia naturalium rerum ex cognitione principiorum,causarum, aut elementorum; huius syllogismi maior tantum in textu ponitur,& probatio maioris; minor non ponitur,neque conclusio,sed ponitur cõsequens,quod ex ipsa conclusione deducitur,& consequentia talis est;in scientia naturali est habenda cognitio rerũ naturalium per sua principia, ergo de principijs rerum naturalium agere tentandum est; hæc est tota huius textus sententia, quem in tres partes diuidere possumus, in prima ponitur maior syllogismi, in secunda probatio maioris,in tertia consequens ex conclusione illarum.Aliqui tamen putant vnico syllogismo hanc Aristotelis deductionẽ absolui posse,hoc pacto,quicũque vult cognoscere aliquam scientiam,quæ habeat principia,vel causas, vel elementa, debet eam cognoscere ex cognitione principiorũ,causarum,vel elementorum; at nos volumus cognoscere naturalem scientiam,quæ habet principia,vel causas, vel elementa,ergo debemus agere de principijs scientiæ naturalis: hæc deductio si admittatur,nihil absurdi sequitur, quia sensus idem est, & differentia est solùm in verbis, dico tamen, quòd hac ratione non accipitur maior Aristotelis eo modo, quo re vera profertur, sed aliquantùm immutata, licet mutatio non variet sensum; ideò si volumus eam sumere eo penitus modo, quo ab Aristotele profertur, ratio non potest formari, nisi vt nos eam formauimus:notandum est etiam quòd medius terminus in eo syllogismo nõ est sumẽdus,vt multi sumũt,res ipsæ,sed ipsa scientia, seu methodus,quia Aristoteles non dicit, in omnibus rebus quarũ sunt principia, sed dicit circa omnes methodos.In hac Aristotelis argumẽtatione,quòd ponatur intentio in his libris,quæ est agere de principijs scientię naturalis,manifestũ est,& à nemine vnquam negatum, id enim apparet in vltimo illo consequente,quod in tertia textus parte ponitur; sed quòd ad eius consequentis deductionem Aristoteles proponat etiam viam doctrinæ principalem,qua Aristoteles in tota scientia vti vult,id patet in conclusione syllogismi, quam Aristoteles omisit, nos tamen addere debemus,quando enim concludit, quod in scientia naturali sunt cognoscendæ res naturales per sua principia, cui dubium, quòd proponit se vsurum demonstratione propter quid, vt per principiorum cognitionem acquiramus perfectam scientiam rerum naturalium?& hanc veritatem Græci interpretes non ignorarunt,vt patet legentibus hic Themistium, Simplicium, & Ioannem Grammaticum, qui non solùm mentionem faciunt demonstrationis à posteriori, de qua Aristoteles in secundo textu loquetur,sed etiam demonstrationis à priori, quam Aristoteles in primo textu proponit; ideo errauerunt alij, qui existimarunt Aristotelem in textu primo nihil aliud proponere, quàm intentionem suam in libris physicorum, quæ est agere de principijs; cum tamen Aristoteles manifestè huius intentionis causam afferens, proponat viam illam doctrinæ primariam, quæ est demonstratio à priori; ratio enim, cur velimus hic agere de principijs, nulla alia est, quam quia intendimus acquirere perfectam scientiam rerum naturalium, quæ alio modo non acquiritur, quàm demonstrando à priori effectus naturales per sua principia. Dico præterea non modo hæc duo ab Aristotele proponi, sed etiam tertium, quod est intentio vniuersalis totius scientiæ, hæc enim, quæ nam alia est, quàm perfecta scientia rerum naturalium? nam duplex est intentio in scientia, vt iam diximus, vna cognoscendi ipsa principia corporis naturalis, altera cognoscendi accidentia eiusdem, vtramque autem complectimur simul, dum dicimus, intentionem esse perfectè scire effectus naturales, hoc enim

non

non fit, nisi ex cognitione principiorum transeundo ad scientiam accidentium naturalium, quæ ab ijs principijs producuntur. Iam habemus sententiam totius textus in vniuersali, nunc ad singularium partium exquisitiorem explicationem accedamus, & primò ad propositionem maiorem, quæ in principio huius textus ponitur, in qua est primo perpendenda illa particula, [Quoniam] quæ hic duas vires habet, primo enim refertur ad sequentia, videlicet ad sequentem conclusionem, seu ad illam dictionem [Manifestum,] quæ ponetur mox in principio ipsius consequentis, quod ex conclusione deducetur; quoniam enim vera est hæc maior, manifestum, quod est agendum de principijs; alteram vim habet, qua ad præcedentia refertur; videtur enim Aristoteles ita hanc propositionem proferre, vt aliunde acceptam, quasi dicat, quoniam. alibi declaratum est; re vera enim hæc propositio est ipsa definitio ipsius scire, quam hic Aristoteles ex primo libro posteriorum desumit, sensus enim huius maioris est, quoniam dictum est alibi, quod res habens causam non scitur, nisi ex cognitione causæ; est tamen aliqua differentia inter definitionem scire, & hanc maiorem, nam in primo posteriorum definitur scientia, quæ est vnius conclusionis tantum per vnicam demonstrationem collecta: hæc autem maior profertur de tota aliqua scientia, vt de tota geometria, vel de tota scientia naturali. dicit enim Aristoteles quod in omni facultate habente principia scientia fit ex cognitione principiorum, sed eadem est ratio de vno aliquo particulari quesito, ac de scientia aliqua totali; sicuti enim conclusio habens causam nō scitur, nisi per illam causam demōstretur, ita tota scientia cognoscitur ex cognitione suorum principiorum, scientia enim aliqua totalis nihil est aliud, quam aggregatum multarum demonstrationum de eodem subiecto factarum. Est etiam notandum, quod hic locum habet regula illa ab Auerroe posita in primo physicorum textu trigesimoquinto, octauo physicorum textu septuagesimo, septimo Metaphysicorum textu secundo, & in epitomis Metaphysices tractatu secundo capitulo primo, vbi Auerroes dicit illa, quæ tractantur in logica vsitantur in scientijs duobus modis, vnus est quando in scientijs exequimur regulas logicas, & ijs vtimur, vt cum demonstramus ex proprijs rei principijs, qui quidem est frequentissimus vsus logicæ, & maxime principalis; alter modus est, quando propositiones declaratę in logica sumuntur in aliqua scientia, vt propositiones maximæ, & manifestè veræ, sumuntur enim, vt declarantur in logica, quod quidem hìc Aristoteles facit; nam sumit hìc ex logica definitionem scire ad declarandam intentionem suam in his libris, & alia quæ diximus; tales autem propositiones (inquit Auerroes) quando sumuntur in aliqua scientia non appropriantur illi scientiæ, sed alijs quoque sunt communes, quia logica est facultas communis, & commune omnium scientiarum instrumentum; idcirco maior hæc est communissima, vt in eius declaratione melius patebit, neque id iniuria, cum sit propositio logica; adhuc melius hoc declaratur ab Auerroe in primo posteriorum tex. 88. vbi dicit multa esse genera propositionum communium, quibus scientiæ vtuntur, inter quas nominat has propositiones logicas, quæ cum accipiantur in scientijs sunt propositiones maximæ, quibus plena adhibetur fides. Sed aduersus inquit Auerroes, quod tales propositiones non sumuntur in scientijs ad demonstrandas proprias passiones earum scientiarum, quoniam Aristoteles iam docuit esse demonstrandum vnumquodque ex proprijs principijs suis, non ex communibus, sed sumuntur ad aliquid declarandum circa ordinem, & viam, quam in ea sciētia tenere oporteat; quia docere methodos, quibus scientiæ vtuntur, est proprium munus Logici; volens igitur Aristoteles hìc ostendere, quòd ad cognitionem rerum naturalium oportet demonstratiua methodo procedere, quæ quidem innititur cognitioni principiorum, & causarum rei, id probat ex definitione scire, quoniam scientia est cognitio rei per causam suam. In expositione eorum verborum [cognoscere, & scire] controuersia est inter expositores,

poſitores, nam ſanctus Thomas, qui in ſuo codice loco horum verborum habuit [intelligere & ſcire] traxit illud [intelligere] ad cognitionem illam, quæ per definitionem habetur [ſcire] vero ad eam quæ per demonſtrationem; ductus propria harum vocum ſignificatione, nam definitione proprie dicitur intelligi, & eius cognitio intellectio; per demonſtrationem vero propriè dicimur ſcire, ſenſus ergo eſt, quoniam & definitiua, & demonſtratiua cognitio acquiritur ex cognitione cauſarum, quod quidem clarum videtur, quandoquidem tã demonſtratio, quàm definitio ex cauſis fit: quam ſententiam aliqui ſequentes dicunt, quòd hoc modo propoſitio Ariſtotelis ſufficientiſſima eſt, cùm omnia complectatur, quæ in ſcientia conſiderantur; ſcientia enim in duobus verſatur in cognitione proprij ſubiecti per definitionem, & in cognitione paſſionum eius per demonſtrationem. Ego multis de cauſis hanc expoſitionem admittere non poſſum, primo quidem, quia verbis græcis conſona non eſt, quæ ſunt τὸ εἰδέναι καὶ τὸ ἐπίστασθαι: at verum eſt quod verbum εἰδέναι non ſignificat cognitionem definitionis, neque intellectionem, ſed cognitionem communiter ſumptam, ideo vtendum eſt [cognoſcere] vt noſtri codices habent, non [intelligere,] vt Sanctus Thomas ipſe legebat, qui quidem recte dicit, quòd intelligere ſignificat proprie cognitionem definitionis, ſed illud ſignificatur a græcis per verbum [νοεῖν] non per verbum [εἰδέναι] quod hoc in loco habemus. Præterea ſi hęc maior eſt definitio ſcire ad hunc locum ex primo libro poſteriorum tranſlata, vt ipſe, & alij multi confitentur; ergo hìc retinet eundem ſenſum, nec alium hìc habere poteſt, quem in logica non habuerat, at in primo poſteriorum Ariſtoteles tradita definitione ſcire, mox ſe ipſum declarans ait, ſe illud ſcire definiuiſſe, quod eſt per demonſtrationem cognoſcere. Præterea non ne Ariſtoteles affert hìc maiorẽ hanc vt notam, & alibi declaratam? Hoc negari non poteſt, àt vbinam in logica docuit Ariſtoteles, quòd definitio ſubiecti conſtituatur ex cauſis? certe nullibi, quia id declarare eſt ſolius Metaphyſici munus, non logici; in libris autem poſteriorum quandocumque Ariſtoteles loquitur de præcognitione ſubiecti quid ſit, ſemper intelligit definitionem nominalem, vel ſcientiam realem definitionem ſubintellexit, tamen an fiat ex cauſis, nec ne, ne verbum quidem vnquam dixit; ſed id tractat abundè in ſeptimo, & octauo diuinorum; non poteſt igitur hìc vt notiſſimum ſumere, quod definitio ſubiecti ex cauſis fiat. Modus etiam loquendi, quo hic Ariſtoteles vtitur, ſignificat non contineri in hac maiore cognitionem per definitionem; inquit enim Ariſtoteles [ex horum cognitione] ideſt principiorum, quæ verba diſcurſum ſignificant a cauſis ad effectus, àt in definitione nullus ineſt diſcurſus. Propterea ego cum alijs puto, hanc maiorem de ſola demonſtratiua ſcientia eſſe intelligenda, cum præſertim hic Ariſtoteles loquatur de via doctrinæ principali, quæ eſt demonſtratio ſeruans naturæ ordinem a cauſis ad effectus, iuxta quem ordinem definitio ſubiecti eſt primum ſcientiæ principium, quod ſecūdum naturam eſt notum; quare cognitio ipſius definitionis ſubiecti eſt potius numeranda inter principia, quàm inter cognitionem, & ſcientiam, quæ acquiritur ex ipſorum principiorum cognitione. reliqui cùm de ſola demonſtratiua ſcientia hæc verba intelligant, tamen ſunt bipartiti, nã Ioannes Grammaticus, & Simplicius dicunt hæc duo verba [cognoſcere, & ſcire] hìc ſumi vt æqualia, ac idem ſignificantia, videlicet ſcientiam perfectam, idque comprobant tum Ariſtotelis, tum Platonis teſtimonio, qui ſæpe vſi ſunt eo verbo εἰδέναι pro ἐπίστασθαι quod eſt perfecte ſcire, vt patet in hoc ipſo textu, nam in probatione maioris Ariſtoteles vtitur verbo γινώσκειν pro ſcientia perfecta, cum tamen ſit eiuſdem ſignificationis cum verbo εἰδέναι: vtrunque enim ſolet etiam communiter accipi pro quacunque cognitione, ſed hic ſumuntur ſolùm pro ſcientia perfecta. Ex altera parte Alexander referente Simplicio, & Auerroes dicunt hæc duo verba hoc in loco non idem ſignificare, ſed [cognoſcere] eſſe communius, quàm [ſcire] & ſignificare

ficare quamcumque cognitionem tam perfectam, quàm imperfectam, prætereà adiectum esse ab Aristotele verbum [scire] ad contrahendum verbum cognoscere, sicuti si diceremus animal, quod est homo, ita hic cognoscere, quod est perfecte scire: at secundum Simplicium non erit adiectum verbum [scire] ad contrahendum, sed ad idem significantius exprimendum. Auerroes vtitur pro sua opinione eo argumento, quod nomina idem significantia non vsitantur in doctrina demonstratiua. Ego leuissimam puto esse controuersiam hanc, siquidem in eo solum est constituta, an verbum [cognoscere] significet per se ipsum scientiam perfectam, an quia à verbo [scire] contrahatur quòd enim Aristoteles solam scientiam perfectam significet his verbis, non discrepant, quare vana lis esse videtur. Si tamen sententiam meam proferre debeo, mihi magis placet Auerrois, & Alexandri sententia quicquid enim de Platone dicatur, id tamen certum est Aristotelem nunquam vsum esse solo verbo εἰδέναι ad significandam perfectam scientiam, quæ est per causam, sed scientiam communiter dictam, & leuem; cum igitur nunc in Aristotele versemur non possumus dicere, quòd verbum εἰδέναι ex se ipso hic significare possit perfectam scientiam, sicuti verbum moueri numquam ex propria vi significabit ambulare, nisi ab aliqua alia voce contrahatur: dico igitur, quod verbum [cognoscere] hic re vera significat perfectam scientiam, sed non ex se ipso hanc vim habet, sed quia per verbum [scire] contrahitur, quamuis enim proferens verbum [cognoscere] Aristoteles, non intellexerit nisi scientiam perfectam, tamen respiciens amplitudinem vocis, quæ aliam quoque cognitionem poterat significare, adiecit [scire,] vt per hanc declarationem intelligerent alij, quomodo verbum [cognoscere] acceptum fuerit: possem enim ego proferens animal intelligere hominem, sed audiens non respiciet hominem, nisi ego me ipsum declarans dixero, idest homo, & tunc idem factum est animal, quod homo: nec propterea moueor argumento Auerrois, quod apud me nullius roboris est, multis enim in locis Aristoteles vsus est nominibus idem significantibus, vt apertius & efficacius loqueretur; ad rationem Simplicij ex secunda parte huius textus desumptam dico, satis fuisse Aristoteli semel in maiore per verbum [scire] significasse se de perfecta scientia loqui, ideo cum iam fuerit contractum per verbum [scire] verbum [cognoscere,] vt omnes intelligere potuerunt Aristotelem loqui de sola perfecta scientia, non fuit opus, vt iterum contraheretur. Ex dictis patet hæc duo verba esse intelligenda in sensu coniuncto, non in sensu diuiso, ijs enim est sensus verborum, si coniunctio illa [&] sumatur pro idest [cognoscere] idest [scire] seu quod idem est [cognoscere] quod est [scire] non autem & [cognoscere] separatim acceptum & [scire] perfectum; qua in re aliqui errauerunt dicentes, quod [cognoscere] hic sumitur communius quàm [scire] & quòd verba hæc sunt vera in sensu diuiso, vt propositio Aristotelis vera sit tum in scientijs contemplatiuis, in quibus habet locum scientia perfecta, tum in actiuis, & artibus omnibus, in quibus non habet locum scientia perfecta; sed cognitio communius dicta; vt sensus Aristotelis sit, quòd tam cognitio communiter dicta, quàm scientia perfecta acquiritur ex cognitione principiorum. Quæ expositio admittenda non est, primò quia communius antepositum minus communi affirmatiue in sensu diuiso facit nugationem, non sic in sensu coniuncto, quia posterius est declaratiuum prioris. deinde, quia falsum esset Aristotelis dictum, quòd omnis cognitio communiter accepta acquiratur ex cognitione causarum; datur enim cognitio aliqua rudis, quæ est sine vlla causæ cognitione; ostendemus etiam paulò inferius, quòd hæc maior non est vera, nisi de solis scientijs contemplatiuis; quare expositio illa, vt vana reijciatur. Propterea ego maxime probo expositionem Auerrois eorum sequentium verborum [circa omnes methodos,] quæ etiam fuit Alexandri referente hìc Simplicio, qui [methodos] hic intellexerunt solas scientias contemplatiuas; hæc namque vocantur me-

thodi,

thodi, id est viæ, quia à certis notis principijs procedunt ad conclusiones ignotas, qui quidem processus vocari potest via quædam intellectualis à noto ad ignotum; hac ratione artes quoque posse methodos vocari non inficior, quia & ipsæ methodo aliqua in docendo vtuntur; dico tamen hìc Aristotelem eas non intelligere, quia de ijs tantum loquitur, quarum finis est scire, quæ sunt solæ contemplatiuę, qua de re infra loquemur exactius, & errorem Vicomercati hac in re Auerroem reprehendentis demonstrabimus. Est autem aduertendum pro horum verborum recta constructione, quòd omnia quæ declarauimus verba ad subiectum huius maioris pertinuerunt, non ad prędicatum, imo & illa sequentia [quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa] illa enim verba [cognoscere, & scire] græcè articulum habent, qui numquam apponitur predicato, sed semper subiecto, hæc igitur omnia sunt subiectum huius propositionis maioris [quoniam ipsum cognoscere & ipsum scire circa omnes scientias quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa] illa vero verba [contingit ex horum cognitione] sunt ipsum prædicatum. Sed in expositione illarum trium dictionum [principia, aut causæ, aut elementa] est maxima controuersia inter expositores; quamuis enim manifestum sit sensum rudem horum verborum esse hunc, circa omnes scientias quæ habent aliqua principia; tamen dubitarunt, cur Aristoteles his tribus vocabulis vti voluerit, cum præsertim particula disiunctiua [aut] repetita declaret Aristotelem non posse per has tres voces eamdem rem significare. Omnes antiquiores interpretes græci, & latini Auerroes in eo conueniunt, quod Aristoteles his tribus vocabulis significauerit omnia quatuor genera causarum, ad declarandum quòd vel omnes causas habeat aliqua scientia, vel aliquas, vel etiam vnam, non requiritur ibi perfecta cognitio, nisi ex cognitione causę, vel causarum, quas illa scientia habet; & propterea Aristoteles disiunctione vsus est, quia non quælibet scientia omnes causas considerat; Mathematicus enim per solam formam demõstrat, diuinus vtitur tribus causis forma, fine, efficiente; abstrahit enim à materia: naturalis verò demonstrat per omnia quatuor genera causarum. dissentiunt autem in declarando, quomodo per singulum horum trium vocabulorum singulũ causæ genus significetur; nã Alexander, & Eudemus referẽte Simplicio, exponebant per [principia] causam efficientẽ, quam Aristoteles vocare solet principium motus; per [causas] finalem, & formalem; finis enim proprio nomine vocatur causa, cum sit id cuius gratia, & causa causarum appellari soleat; forma vero est idem cum fine, in naturalibus. per [elementa] materiam: elementum enim proprie significat causam internam, ex qua res fit: fit autem quodlibet ex sua materia, quare propriè materia dicitur elementum, quam Alexandri expositionem sequitur Sanctus Thomas. Auerroes verò, & cum eo Albertus, conueniunt cum Alexandro, sed in quarta discrepant, conueniunt enim quòd causa efficiens hic dicatur principium; finis autem dicatur causa; materia verò appelletur elementum, sed causam formalem vult Auerroes simul cum materia per nomen elementi significari, motus fortasse argumento Simplicij, qui contra Alexandrum dicit, quòd causa interna, ex qua res fiat, non minus dicitur forma, quàm materia: compositum enim constat ex materia, & forma, quare si materia dicitur hac ratione elementum, non minus forma debet elementi nomine significari, propterea non rectè Auerroes suam opinionem dicit etiam Alexandri fuisse, quia discrepat ab eo in causa formali, vt dictum est. Simplicius postquam longo sermone Alexandrum, & Eudemum, ac etiam Porphyrium impugnauit, propriam affert expositionem, & vult [principia] hic significare communiter omnia quatuor genera causarum; [causas] verò sumi pro duobus tantum externis fine, & efficiente; deinde [elementa] accipi pro duobus internis materia, & forma, quæ propriè elementa dicuntur, vt Aristoteles prius proferat vocem communem significantem omnes quatuor causas: deinde, vt apertius

tius

tius eas declaret, diuidat nomen principij in causas, & Elementa, idest in externas, & internas, & sensus sit iste, in omnibus scientijs habentibus principia scilicet causas, vel elementa: quam appellationem dicit ipse conuenientissimam esse, quoniam proprie loquendo solæ causæ externæ merentur appellari causæ; internæ verò non, quia cum in ipsa re sint, non videntur ab ea differre, vnde Plato noluit eas vocare causas, sed concausas, quod idem considerans hìc Aristoteles maluit eas appellare elemēta, quàm causas. Ioannes Grammaticus duas affert expositiones, quarum posterior differre non videtur ab ea, quam diximus Simplicij; altera verò est, quòd nomen principij, & nomen causæ videlicet indifferenter pro efficiente, & fine, vt vtrolibet nomine vtrumque genus causæ significetur; elementum verò pro causis internis sumatur materia, & forma. Hæ sunt expositiones omnium antiquorum expositorum, quæ a posterioribus philosophis impugnantur, & meritò, quia non est mens Aristotelis hìc significare quatuor genera causarum, & propterea vanæ sunt, & ab hoc loco maximè alienæ omnes illæ considerationes, an mathematicus in sola causa formali versetur, an metaphysicus in tribus tantum, naturalis verò in omnibus, quæ omnes sunt methaphysicæ quæstiones, & ad hunc locum minimè pertinentes.

Adest primò contra eas omnes expositiones instantia efficacissima ex Aristotele in textu primo quarti, & octaui metaphysicorum, vbi dicit diuinam scientiam inuestigare principia, causas, & elementa entis, prout ens est; si ergo hæc tria vocabula significant omnia quatuor genera causarum, sequitur diuinum philosophum considerare omnes causas, cùm tamen dicant diuinam considerare tres tantum causas, quia non considerat materiam. Præterea in primo textu sexti metaphysicorum Aristoteles de mathematicis eandem sententiam profert, dicit enim mathematicus considerare principia, & causas, & elementa; ergo sequetur mathematicum cognoscere omnes quatuor causas, cùm tamen dicant non cōsiderari a mathematico aliam causam, quā solam formalem; in omnibus enim dictis locis Aristoteles his tribus vocibus vtitur, cū cōiunctione, quòd significaret omnes quatuor causas simul & a diuino, & a mathematico considerari: cum igitur Aristoteles in tot alijs locis vsus sit simul his tribus vocabulis, nec tamen per ea potuerit significare omnes quatuor causas, similiter neque hìc. Præterea argumentor contra eas omnes expositiones, non recedens a præsenti loco. Aristoteles in tertia parte huius textus concludit esse agendum de principijs scientiæ naturalis, ergo si in præmissis nomine principij Aristoteles intellexit causam efficientem, concludit agendum esse de causa efficiente, nam eadem debet esse significatio vocum in conclusione, quæ fuit in pręmissis; consequens autem falsum est apud omnes illos; Aristoteles enim concludit esse agendum de principijs internis naturalium rerum, non de externis: quare si esset vera illa expositio, deberet concludere agendum esse de elementis, non de principijs. Præterea ostendo, quod ex illa maiore ita intellecta Aristoteles nihil ad propositum concludere potest; certum enim est, quod subiectum maioris est medius terminus in sylogismo, & est, omnes scientiæ quæ habent principia, vel causas, vel elementa; hunc eundem medium terminū opus est in minore propositione prædicare de scientia naturali, ergo erit minor, quòd scientia naturalis habet principia, vel causas, vel elementa, ergo nulla alia conclusio sequetur, nisi cum hac eadem disiunctione, & consequenter colligetur consequens, quod agendum est de principijs, vel de causis, vel de elementis, idest, vel de causa efficiente, vel de finali, vel de formali, vel de materiali rerum naturalium, res enim naturales habent omnia quatuor genera causarum, vt Aristoteles in secundo libro docebit, hæc tamen non est intentio Aristotelis hìc, qui solum colligere vult agendum esse de internis principijs constituentibus naturalia corpora; quam conclusionem determinatam ad principia sola interna Aristoteles non potest colligere ex illa maiore indeterminata, in qua sumuntur cum disiunctione omnes quatuor causæ, idem

se, idem sequetur, si in minore accipiantur illa tria vocabula cum coniunctione; si enim sit minor, quòd scientia naturalis habet, & principia, & causas, & elementa adhuc conclusio erit, quod de his omnibus est agendum, quod tamen non vult Aristoteles, sed de internis tantùm, & hæc debuit in conclusione vocare elementa, sicuti prius, non autem principia. Sunt etiam, qui ita argumentantur, si admitteretur illa expositio, quòd Aristoteles significaret diuersa causarum genera, oporteret quod liber membrum illius disiunctiuè verificari, & dari vnam aliquam scientiam, quæ tantum consideret causam efficientem: aliam, quæ tantum causam finalem, & sic consequenter; non tamen dantur eiusmodi scientiæ. Ego autem puto hoc argumentum nullius roboris esse, illi enim responderent non esse mentem Aristotelis, quòd singulum membrum exquisitè verificetur; sed id solum velle significare, quòd non omnis scientia considerat omnes quatuor causas, qui vniuersalis sensus satis est ad verificandum maiorem Aristotelis. Alpharabius referente Aegidio intelligebat hęc verba de principijs cognitionis, quæ sunt principia complexa, non de principijs rei; dicebat enim Aristotelem per [principia] hìc significare principia communia, idest dignitates, quæ actu demonstrationem non ingrediuntur; per [causas] principia proxima, & præmissas, quæ actu in demonstratione sumuntur; per [elementa] terminos: à qua expositione non videtur recedere Aegidius. Zimara quoque dixit, Aristotelem hìc non loqui de causis, ac principijs incomplexis, sed de principijs complexis, quæ sunt principia cognitionis. Quę expositio admitti non debet, quia ex tali maiore non posset Aristoteles aliud colligere, quam de principijs complexis agendum esse, hoc tamen est falsum, quia Aristoteles de ijs agendum proponit, de quibus in textu sexto agere incipit, & de quibus in toto hoc primo libro tractabit, sed tractabit de principijs incomplexis rerum naturalium; ergo hic de ijsdem proponit. Præterea Aristoteles in secundo, ac tertio textu dicit hæc principia esse nobis ignota, & ad eorum cognitionem esse procedendum à notioribus nobis; ergo non possunt esse principia cognitionis, hæc enim occulta esse non possunt, cùm sint principia cognitionis; propterea nunquam aliquis artifex de his agendum proponit, agit enim de occultis, & ea inuestigat, quæ verò sunt per se nota, ea supponit, sicuti Aristoteles hìc supponit entia naturalia esse multa, res naturales aut omnes, aut quasdam moueri, ex nihilo nihil fieri, neque hæc dicimus tractare. Esset etiam nugatio in ea maiore, si de principijs cognitionis intelligeretur, sensus enim esset; in omni scientia, habente principia cognitionis, cognitio fit, & scientia ex cognitione principiorum cognitionis; at quis hoc ignorat? perinde est ac si dicamus omnis homo est homo; sed sententia Aristotelis est, quòd vbi sunt aliqua prima principia rerum, quæ considerantur, cognitio perfecta fit ex eorum principiorum cognitione, omnia enim principia rei sunt etiam principia cognitionis, sed non è conuerso; ideo Aristoteles medium terminum sumens (ipsa principia rei) vult concludere, quòd eadem debent etiã esse principia cognitionis rerum naturaliũ. Quidã recentiores philosophi nouam inuenerunt harum vocum significationem hoc in loco; dixerunt enim Aristotelẽ per hæc tria vocabula non intelligere diuersa principiorũ genera, sed eadẽ principia rerum naturaliũ mox ab Aristotele consideranda, quæ quidem tribus diuersis respectibus vocantur & principia, & causę, & elementa; vocantur enim principia, quatenus res ab ijs pendent in fieri; vocantur elementa, prout ex eis res componuntur in facto esse; vocantur causæ, quatenus sunt causæ passionum in eo composito. Vult igitur significare Aristoteles opus esse, vt cognoscamus hæc principia, tamen vt principia sunt, quod ipse præstabit in primo libro physicorum, tamen vt sunt elementa componentia corpus naturale iam factum, quod præstabit in principio secundi libri tractans de eisdem principijs, quatenus appellantur nomine naturæ; tamen etiam vt sunt causæ, quod præstabit in sermone de causis in secundo libro, &

B sic

sic significat sufficientem tractationem de his principijs. Hæc expositio est quidem ingeniosa, sed multas instātias patitur: quia si vera esset Aristoteles debuisset hìc prius dicere elementa, quam causas, quod tamen non facit. Nā prior est consideratio principiorum, quatenus compositum constat ex eis, quàm prout sunt causæ passionū. Præterea manifestum est Aristotelem nō distinguere tractationem horum principiorum, prout ex eis res fiunt, a tractatione eorundem, prout ex eis res constant: in hoc enim primo physicorum inuestigat principia, ex quibus res fiunt, & constant, vt ipsemet testatur in textu 65. huius primi libri; quòd etiam tractatio de natura in secundo libro sit de his principijs, quatenus sunt elementa, ex quibus res constant, falsissime dicitur, dicuntur enim natura, quatenus ad passiones referuntur potius, quàm vt ad ipsum cōpositum, natura enim est causa motus; quare vt sunt natura, conuenit eis potius nomen causæ, quàm nomen elementi. Non recte etiam dicitur, quòd tractatio de causis in secundo libro sit de his, vt sunt causæ passionum, tractat enim ibi Aristoteles non solùm de eisdem internis principijs, de quibus in primo libro egerat, sed etiā de causis externis, neque nominat causas magis vt causas passionum, quàm ipsius cōpositi, imo causa materialis, & causa formalis, dicuntur materia, & forma respectu compositi, non respectu accidentium: præterea ostendemus nos cùm ad eum locum peruenerimus, quòd tractatio de causis, quæ in secundo libro habetur, est tractatio logica, ex qua nullam adhùc cognoscimus causam rerum naturalium, quæ huic primo textu respondeat; ibi enim Aristoteles docet, quòd in hac scientia sunt quærendę omnes quatuor causæ, sed nondum aliquam causam inquirit. Sed ad id refellendum, quòd Aristoteles de his principijs agat in primo libro, vt principia sunt, in secundo vero libro, prout sunt causæ, & elementa, satis est cōsiderare Aristotelis locutionem, qui in primo libro de ijs tractans vocat ea indistinctè & principia, & causas, & elementa, vt patet in textu 7. 48. 56. 57. 65. huius primi libri; quare in hoc primo libro tractantur vt principia, & vt causæ, & vt elementa. Franciscus Vicomercatus mihi videtur hunc locum optime declarasse, exponam igitur eius opinionem, quam magna ex parte sequor: ipse duas affert huius loci interpretationes, Primo est quòd singulum horum trium vocabulorum significet illa omnia, quæ significare potest, quid autem significare possint hæ tres voces legere possumus apud Aristotelem quinto metaphysices capite primo, secundo, ac tertio, in primo enim capite enumerat omnes significationes huius vocis principium; in secundo enumerat omnes significationes huius vocis causa; in tertio demum omnes huius vocis elementum acceptiones exponit: ibi docet quòd principium est communius causa, & causa est communior elemento, elementum enim non significat nisi duas internas causas materiam, & formam, causa tam internas quàm externas; principium vero non modò omnes quatuor causas significat, sed alia quoque multa, quæ non sunt causæ. Dicimus enim principium viæ, principium lineæ, quæ tamen non sunt causæ, punctum enim non est causa lineæ: dignitates sunt principia cognitionis, at non sunt causæ rei, quare omne elementum est causa, & principium, non è conuerso, & omnis causa est principium, non è conuerso, possumus itaque primo hæc tria vocabula ita intelligere, vt singulum eorum in tota sua amplitudine maneat, & verborum sensus est, in omni scientia habente vel quoduis principij genus, vel tale solùm principium, quod sit causa; vel tale, quod sit elementum; quam expositionem videntur alij quidam recentiores philosophi viri eruditi sequi. Eam tamen ego satis probare non possum, quia si ea sit Aristotelis sententia, vt hæc tria vocabula accipiantur in sensu disiuncto, hæc maior ita est ampla, vt Aristoteles non possit id, quod vult ex ea colligere, cùm enim naturalis scientia habeat & elementa, & causas alia, quæ elementa non sunt, ac etiam principia, quæ non sunt causæ, hac ratione indifferenter colligetur de his omnibus esse agendum, cum tamen hæc

non

non sit Aristotelis mens, qui de principijs tantùm internis agendum concludit: quæ etiam principia vocat, cùm secundum eam expositionem essent vocanda elementa, quare cum in conclusione principium non sumatur in sua tota amplitudine, similiter neque in maiore propositione ita potest esse acceptum. Præterea secundum hanc expositionem comprehenduntur in ea maiore omnes pœnitus scientiæ, & artes, & quæ principia tantùm cognitionis habent, quod tamen confutauimus; imò hi quoque, qui ita interpretantur, confutauerunt eorum sententiam, qui dicebant hæc verba intelligi de solis principijs cognitionis, tamen secundum eam expositioné comprehendunt etiam illas disciplinas, quę sola habent principia cognitionis. Præterea si esset vera hæc expositio, Aristoteles debuisset prius dicere elementa, quàm causas, & prius causas, quàm principia, quia nomine principij reliqua omnia continentur. Alteram igitur Vicomercati expositionem ego toto animo amplectendam puto, quod hæc tria vocabula idem penitus significent, quod elementum, accipiuntur enim in sensu coniuncto, & dictio postrema [elementa] alias duas contrahat, vt nihil aliud significét quàm internas causas, quæ propriè elementa dicuntur; nec difficultatem facere debet particula disiunctiua [aut] quoniam hoc in loco non res disiungit, sed locutionem tãtummodo, vt sensus sit in omni methodo habente aliqua prima, ac simplicissima, ex quibus alia cõstent, siue ea nominentur principia, siue causæ, siue eleměta, tota cognitio fit ex eorũ primorum cognitione; neque sine ratione vsus Aristoteles hoc loquẽdi modo, ne aliqua oriretur lis de horũ primorũ appellatione: hęc enim interna principia appellari ab antiquis solebãt nomine principij, ipsi autem Aristoteli maxime placuit nomen eleměti, vt patet in textu 48. huius primi libri, vbi dicit [elemẽta, & ab eis vocata principia] Plato verò materiam, & formã cõcausas appellabat; Aristoteles igitur, qui non vult hoc in loco de nominatione disputare, dixit, aut principia appellantur, aut causę, aut elementa! non vno nomine, quia satis est mihi, quòd ex eorum cognitione omnis aliorũ cognitio pendet; quæ sẽtẽtia maxime cõfirmatur ex lectione totius huius primi libri, in quo cùm Aristoteles exequatur eã tractationẽ de principijs, quam hìc proposuerat, tamen nõ alia principia tractat, quã sola interna, & ea in toto primo libro vocat indistinctè & principia, & causas, & elementa; ergo eadẽ interna principia hìc tractãda proponit, & eadẽ intelligit per hæc tria vocabula, sicuti in toto primo libro ijsdẽ tribus vocabulis vtens nõ intellexit alia principia, quã interna; Nõ possumus enim firmius argumentũ habere de Aristotelis intẽtione in his verbis quàm sumptum ab eius executione, certũ enim est, id nũc proponi, quod postea Aristoteles exequetur; nec satis est, si quis dicat Aristotelem velle quidẽ cõcludere agẽdũ esse de internis principijs, tamen rationi consonũ esse, vt maiore vtatur vniuersali, quę omnia principiorũ genera cõplectatur, hoc enim dici nõ potest, quia ex maiore indistinctè omnia principia sumẽte nõ potest distincta cõclusio colligi de internis tantum principijs, sed indistincta colligetur de omnibus; oportet igitur maiorem de internis tantùm principijs intelligi si de his tãtùm esse agendũ vult Aristoteles demonstrare: patet etiam in conclusione Aristotelem principia appellare ea, quæ proprie elementa erant appellanda, nimirum principia interna; quare manifestum est quòd in hoc primo tex. sumit nomen principij, prout est idẽ, quod causa, & vtrũque, prout est idem, quod elementũ. Verùm huic expositioni aliqui bifariã obijciũt, primò sumũt argumẽtũ ex confirmatione maioris sequente, vbi Aristoteles his eisdẽ vocabulis vtitur cum coniunctione tamen, si igitur ibi idem significat sequitur, quòd illa coniunctio non coniungit nisi vocabula, quod videtur absurdum; secundò quia hæc maior debet esse cõmunis saltem omnibus scientijs contemplatiuis, quod tamen non erit secundũ nostrã expositionẽ, quia scientię mathematicæ versantur in rebus simplicibus, quę nullã habent cõpositionẽ, sunt enim simplices formę sine materia, in eis ergo falsũ erit, quòd habeant aliqua prima principia simplicia, ex quibus alia cõponantur; quare vt maior

etiam mathematicas contineat extendenda est ad aliud quoque principij genus,prę ter causas internas, componentes. Ad primum argumentum respondeo quod mihi maiorem difficultatem fecit disiunctio quæ est in maiore quàm coniunctio,quę est in probatione maioris, ideo miror , quòd ex ea potius coniunctione , quam ex disiunctione argumentari voluerint;neutra tamē nobis officit, nam disiunctio illa in maiore ponitur propter diuersas horum principiorum nominationes,de quibus nō vult Aristoteles disputare:cōiunctio vero in probatione maioris nō sumitur vt cōiunctio,sed vt declaratiua dictio,vt mox ostendemus.Ad secundū possumus dicere quòd si in mathematicis nō sunt illa vera elementa quæ sunt in naturalibus, sunt tamen proportione quadā;si enim non est ibi materia sensibilis,est tamen intelligibilis,partes enim sūt materia totius,& ex lineis modo quodam dicimus angulos,ac figuras cōstitui,& omnium figurarum materia est ipsa superficies, cui adiecta forma , quę illius figuræ definitione exprimitur,fit compositum quoddam ex materia,& forma sine vlla materia sensibili;imo si etiā demus,quòd Mathematicus considerat solā causam formalē,adhùc illa forma potest vocari elementum,quia est essentia ipsa interna rerū mathematicarū , propterea Aristoteles in principio sexti metaphysicorū dixit,in mathematicis esse principia,causas,& elementa,quibus verbis nō potuit diuersas cauass significare, sed eandem videlicet solā earum rerū essentiam a materia sensibili abstractam,& definitione significatam;hæc enim & principium,& causa,& elementū dicitur totius mathematicæ sciētię dico præterea ad argumētum,quòd nō tenemur defendere maiorē hanc omnibus sciētijs contemplatiuis communem esse,quamuis in solis contemplatiuis vera sit,non enim dicit Aristoteles omnes scientias habere prima aliqua principia componētia,quæ elementa dicuntur,sed solùm dicit cōfusè,quòd in omni scientia , quæ huiusmodi principia habent,cognitio aliorum pēdet ex principiorū cognitione, an verò omnes scientiæ hæc habeant,Aristoteles nō dicit hìc,neque est a nobis cōsiderādum.Notandum est etiam quòd cum in aliqua scientia possint cōsiderari varij principiorum gradus,alia enim prima,& remota sunt,alia propinqua,vel etiam proxima, maior hæc Aristotelis nō potest intelligi nisi de primis,ac remotissimis sciētiæ principijs,quod duplici argumento ostēditur;Primò,quia propositum Aristotelis est cōcludere agēdum de primis principijs,de alijs non loquitur hìc;ergo non debuit assumere maiorem hanc nisi de primis. Pręterea principia nō prima nō possunt dici totius sciētiæ principia,sed alicuius partis tātùm,vt in rebus naturalibus anima est principiū solùm animalium,nō omnium rerum naturalium,Aristoteles autē hìc loquitur de principijs totius scientiæ;quare non potest alia quam prima intelligere,cùm pręsertim nō debeant vocari elementa,nisi prima principia,vt mox in probatione maioris ostēdemus; sunt igitur hęc verba intelligēda de primis tātū principijs neque ijs omnibus,sed internis solùm,nō enim de omnibus principijs,a quibus res pendent,hìc loquitur Aristoteles,sed de internis,& primis solùm,quæ quidem optimè,& valde propriè nomine elementi significantur.Considerādus manet ille loquendi modus,quando Aristoteles ait[quarū sunt principia,aut causæ,aut elemēta.]quæ verba vel sunt adiecta ab Aristotele vt limitantia,& contrahentia illam dictionem [methodos] vel vt quædam proprietas insequens omnes methodos.Simplicius hūc secundum sensum accipit,& dixit Aristotelem per[methodos] significasse scientias tātùm contēplatiuas,idque ait etiam ab Alexandro dictum esse,postea Aristotelem adiecisse illa verba[quarum sunt principia, &c.] vt proprietatem conuertibilem cum scientijs contemplatiuis,vt sensus sit, in omnibus scientijs,quarum quidem omnium proprium est,vt habeant principia,causas,aut elementa.Ego verò id puto à Simplicio rectè dictum esse,quòd Aristoteles loquatur solùm de contemplatiuis , sed quod alia verba addantur vt quædam proprietas conuertibilis cum ipsis contemplatius scientijs,hoc mihi non probatur,cùm enim hìc simus in ipso initio naturalis philosophiæ,ideo & hanc sciētiam,&

alias

alias contemplatiuas; earumque naturas hactenus ignoremus, non est opportunus locus, in quo Aristoteles ita asseueranter hanc sententiam proferat, quòd omnes scientiæ contemplatiuæ habeant principia, aut causas, aut elementa: ideo dato, quòd ea sit omnium contemplatiuarum proprietas, non est credendum, quòd Aristoteles id hoc in loco significare voluerit. Melius est igitur, vt cum alijs dicamus, hæc verba vt limitantia ab Aristotele poni, licet quomodo limitantia sint, adhùc clarum non sit, nam Ioãnes Grammaticus dicit hæc verba apponi ab Aristotele ad excludẽdam Dialecticam, quæ per omnia vagatur, & per omnes sciẽtias de omnibus disputat, nec habet vlla propria principia. Carpitur Ioãnes Grammaticus a quibusdam recẽtioribus, qui dicũt falsum esse Ioannis dictum de Dialectica, quia Aristoteles eã docet, ac tradit in libris Topicorum per propria eius facultatis principia; quare ars illa nõ omnino proprijs principijs caret. Sed meo iudicio ambo errant, posteriores quidem, quia Ioannes non loquitur de Dialectica docente, quæ octo libris Topicorum continetur, sed de ea, quæ in vsu est posita, de qua est verum Ioannis dictum, quòd nulla habet propria principia. Ioannes autem & ipse errat, quia non debuit particulariter contrahere verba Aristotelis ad solius Dialecticæ exclusionem, cùm Aristoteles significare velit, potius exclusionem vniuersalem methodorum, quæ non habeant principia, causas, vel elementa, quæcumque, & quorumcunque illæ sint. Ego enim mox ostendam, quòd hęc verba contrahunt, & limitant maiorem Aristotelis ad solas contemplatiuas, & excludit actiuas, & factiuas omnes. Auerroes etiam ipse intelligit verba illa vt cõtractiua illius dictionis [methodos] sed contractionẽ talẽ esse dicit, vt partes quædam excludantur, qua scilicet Aristoteles excludat quasdam partes scientiarum speculatiuarum, [methodos] enim ipse exponebat solas speculatiuas, sed quia in his est aliqua pars, quæ non habet aliqua principia, nempe illa pars, in qua prima principia tractantur, quorum alia principia non dãtur; ideo dicit ab Aristotele addictum esse [quorum sunt principia] ad exclusionem illius partis. Sed Auerroes quoque errauit, primò quia non est verum quòd illa dictio [methodos] solas amplectatur contemplatiuas, ipsa enim per se potest & actiuas, & factiuas significare; omnes enim possunt dici methodi, quoniam methodo aliqua traduntur, sed postea per hęc verba [quorum sunt principia] contrahitur ad solas speculatiuas, vt nunc ostendã. deinde non opus erat excludere partialem aliquam tractationẽ, quia clarum erat Aristotelem loqui de sola scientia totali, & eam methodum appellare; quare nihil addẽdum erat ad exclusionem alicuius partis, cum præsertim nemo ignoret primorũ principiorum non dari alia priora principia. Ego puto, quòd licet verba illa Aristotelis sint limitantia, & excludentia aliquid, tum limitatio, & exclusio sit accipienda modo quodam confuso, & vniuersali sine aliqua alicuius methodi expressione, quæ his verbis dicatur exclusa; quia an omnes methodi habeant principia, ac elementa, an aliquę non habeant, non est in præsentia curandum, quia Aristoteles hìc non vult id considerari, sed dicit, quòd in omnibus, quæ habeãt principia, contingit scientia ex principiorum cognitione, an vero sint omnes eiusmodi, an non omnes, ipse non considerat; quia satis habetur, quòd scientia naturalis sit eiusmodi, vt ipse sumit postea in propositione minore. Intelligantur ergo confusè excludi omnes, quæ talia principia non habeant, nõ considerando an excludantur aliquæ, nec ne, & quęnam excludantur, hæc enim est Aristotelis mens in præsenti loco. Sed quamuis hęc sit Aristotelis mens, nõ possum tamen me cõtinere, quin ostendam hìc errorem Vicomercati, & aliorum multorum posteriorum (est enim error fermè communis) qui hoc in loco Auerroem reprehẽdũt & cum eo Alexãdrum, ac Simplicium, quòd dixerint hãc maiorem Aristotelis nõ esse communem artibus factiuis, sed solas amplecti contemplatiuas: Ego verò ostendam Auerrois, ac Græcorum sentẽtiam veram esse, quia quamuis dictione illa, methodi, omnes artes, & scientiæ cõtineantur; tamen sequentia illa verba [quorum sunt principia]

pia] cōtrahūnt methodos ad solas contemplatiuas, & omnes alias excludūt; suppono in primis fundamentum ex ore aduersariorū; nam & Vicomercatus, & alij recentiores philosophi vnanimes confutarunt opinionem Zimaræ, qui dicebat Aristotelem per principia, causas, & elementa non intelligere principia rei, sed principia cognitionis tantùm; ipsi verò ostenderunt Aristotelem intelligere principia & essendi, & cognoscendi simul, quemadmodum etiam ego supra demonstraui; ostendi enim Aristotelem quodammodo argumētum facere à re ad cognitionem, & significare, quòd vbi sunt aliqua prima principia essendi omnia in aliqua scientia, eadem etiam debent esse principia cognoscendi: hoc igitur nunc ex eorum omnium consensu suppono, quòd Aristoteles loquitur de principijs rei, & ostendo, quòd qui hoc dicunt, contrahunt manifestè hanc maiorem ad solas scientias contemplatiuas; nam sensus huius maioris est hic; in omni scientia, in qua sint aliqua prima principia, ac elementa, ex quibus reliqua componantur, cognitio fit ex illorum primorum cognitione; at ego dico hoc de artibus esse falsum, quia vt Aristoteles docet septimo metaphysicorum vigesimo tertio, & septimo Ethicorum octauo, omnes artes traduntur, & docentur ordine resolutiuo, quod est à notione finis, quem ordinem Aristoteles ibi manifestissime declarat; sumit enim artem ædificatoriam, & in ea considerat duos ordines contrarios, vnum resolutiuum artis docentis, alterum compositiuum artis operantis, & efficientis; ars enim edificatoria docens incipit ab vltimo fine, idest à domo præcognita, quæ in illa arte est maximè omnium composita, ab hac transit ad inuentionem partium minus compositarum vt parietum; fundamentorum, pauimentorum, tegminis, ab his transit ad inuentionem partium simpliciorum, donec perueniatur ad simplicissimas, quæ sunt lateres, lapides, cementa, ligna; hæc enim sunt simplicissima elementa in ea arte, ex quibus alia omnia componuntur; & sunt vltima in cognitione; ab his vltimò cognitis sumit initium ars operans, & ordine cōpositiuo transit ad cōpositas, & terminatur in domo, quæ maxime omniū est cōposita; vnde notat ibi Aristoteles, quòd à primo ad vltimū domus domū facit, domus mentalis domū materialē: ergo falsum est in arte, quòd vbi sunt aliqua simplicissima elementa, ex quibus alia componantur, ex horum cognitione alia cognoscantur, imo cognitio horum elemētorum acquiritur vltima, & ex cognitione compositorum; nec possumus hìc respicere artem operantem, Aristoteles enim de hac non loquitur hìc, sed de sola cognitione, dicit enim, quòd in omni methodo, in qua sint aliqua prima principia, & elementa, ex quibus alia constant, cognoscere, & scire fit ex elementorū cognitione: quod quidem ego iam ostendi in artibus falsum esse; quare sensus maioris erit hìc, in omni methodo, quæ pro fine habeat scire, & in qua sint aliqua prima aliorum elementa, scire non fit, nisi ex illorum elementorum cognitione: nulla autem methodus haberet pro fine scire, nisi solæ scientiæ contemplatiue, quibus solis conuenit ordo compositiuus, quem hìc significat Aristoteles, qui incipit a primis principijs, ac simplicissimis elementis, & ad res magis compositas transit. Nō possumus ergo hìc intelligere principia essendi, quin excludamus artes omnes. Notat etiam idem Vicomercatus, quòd Aristoteles in hac maiore comprehendit eas tantum facultates, quę à priori per causam demonstrantur, & dicuntur propter quid, cùm dicat cognoscere, ac scire fieri ex principiorū cognitione: hoc autē dicendo artes excludimus, in quibus nō habet locum vera demonstratio propter quid, neque scire propter quid, vt Aristoteles docet in sexto libro Ethicorum, & in primo posteriorū vbi Aristoteles docet, quòd demonstratio, ac scientia est, solùm rerum æternarum, necessariarum, sed artes non versantur in rebus æternis sed contingentibus, quæ a nobis fieri, & non fieri possunt; ideo Aristoteles in sexto Ethicorum distinguit habitū scientiæ ab habitu artis, & ab habitu prudentiæ. quare non debet sub habitu scientiæ habitus artis includi. Illud verbū [contingit] hìc non significat illud contingens, quod opponitur necessario, quia falsum

falsum esset Aristotelis dictum, nimirum quòd ex cognitione principiorum sit contingens scire, cùm potius sit necessarium: sed est modus quidam talis loquendi, vt nil aliud significet verbum hoc, quàm fit, seu prouenit scire ex principiorum cognitione.

„ [Tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque]. His verbis cōfirmat Aristoteles maiorem illam, vnde patet, quòd illa maior fuit definitio ipsius scire data ab Aristotele in primo posteriorum, cum Aristoteles & hìc, & ibi eandē subiungat ipsius confirmationem ex communi hominum consensu, quę quidem est leuis confirmatio, & conueniens [vt ait Suessanus] rei per se notæ: quod enim scientia perfecta rei pendeat ex principiorum cognitione [inquit Aristoteles] id euidentissimum est signum, quòd nos omnes tunc aliquam rem cognoscere arbitramur, quando eius principia cognouerimus. Hæc autem non est probatio rei vt ignotæ, sed est potius declaratio ex communi hominum existimatione, quòd res sit per se nota, & in confuso apud omnes. Sed in horum verborum declaratione est adhùc magna disceptatio inter expositores; nam illi, qui in maiore putabant quatuor genera causarum ab Aristotele fuisse significat- -bus illis vocabulis [principia, causas, & elementa] nunc vidētes eadem tria repetit- turbantur, & dubitant, an in eodē sensu hìc ab Aristotele accipiantur, an in alio quàm in ipsa maiore fuerint accepta. Sanctus Thomas dicit hæc verba eundem sensum seruare, quem in maiore habuerunt. Simplicius quoque primò hanc sententiam sequitur, quòd hæc vocabula eundem sensum retineant, sed postea rei difficultate coactus dicit, posse etiam in alium sensum hæc verba trahi, & diuersum ab eo, quem in maiore habuerunt, & incidit in sententiam, quæ etiam Auerrois fuit, quam mox considerabo. Prius enim ne confusionem faciam, confutandam esse puto eam sententiam, quòd eodem modo hæc verba hìc sumātur, quo prius, & significent omnia quatuor genera causarum; certum est enim, quòd modus loquendi Aristotelis non patitur hanc expositionem, quia Aristoteles dicit [causas primas & principia prima, & vsque ad elementa] quare significat ordinem in causis, vt à causis, & principijs ad elementa progrediamur. Si igitur principium significabat causam agentem; causa vero finalem, & formalem; elementum autem materialem, vel etiam formalem simul cum materiali, debent hi omnes rationem aliquam adducere huius ordinis, & cur ab externis causis ordiendum sit, & terminandum in causis internis. nemo tamen vllam attulit rationem nisi solus Sanctus Thomas, qui sequens in his vocabulis expositionem Alexandri, & per [elementa] intelligens causam materialem: dicit, quod materia inter causas est vltima in cognitione, idque hìc conatur ostendere, vt rectè ab Aristotele dictum sit, quòd tunc putamus cognoscere aliquam rem, quando cognoscimus omnia quatuor genera causarum incipiendo ab alijs, & terminando ad elementa, idest ad materiam: Quæ S. Thomæ sententia & circa eam ab ipso hìc considerata ad propositum non pertinent, & facit in Aristotele manifestam esse contradictionem. Ad propositum non facit, quia in maiore non est facta vlla mentio de ordine inter causas, quare extra rem erit, si sumatur in declaratione maioris, sic enim probatio non pertinebit ad id cuius est probatio, imo neque omnino ad præsentem locum potest pertinere hæc consideratio ordinis, qui sit inter diuersa genera causarum. Erit etiam in Aristotele contradictio, si Aristoteles hìc dicat causam materialem, vel materialem, & formalem simul sumptas vltimas esse in cognitione, cum postea ipse incipiens tractationem de principijs rerum naturalium incipiat à materia, & forma; ergo significabit materiam esse cognitione prima non vltima. Quicquid igitur sit de ordine causarum inter se, quem nolo hìc considerare, quia ad rem non pertinet, certum est hanc expositionem admitti non posse, qua dicitur significari hìc quatuor genera causarum per hæc tria vocabula. Auerroes putauit hæc tria vocabula hìc alium sensum habere, non eum; quem in maiore habuerunt; cognouit enim, quòd exponendo in maiore quatuor genera causarum

sarum

sarum non possumus postea in probatione maioris persistere in eadem expositione propter processum, quem innuit Aristoteles ab vna causa ad aliam, dum dicit [vsque ad elementa.] ideo dixit, quòd Aristoteles per [causas primas] intellexit materiam, & formam primas, & remotissimas: per [principia prima] finalem, & efficientem, primas, ac remotissimas, deinde per [elementa] omnes quatuor causas, sed proximas, & proprias cuique rei, vt sensus sit; tunc arbitramur cognoscere vnumquodque, quando cognoscimus omnes causas rei tam internas, quam externas incipiendo à primis, & remotissimis, & descendendo per medias, donec perueniamus ad proximas, & vltimas, quæ dicuntur elementa; vt ab efficiente primo, vsque ad efficiens proximum, à materia prima vsque ad materiam proximam, & sic de alijs. Vnde Auerroes hoc documentum colligit, quòd ad habendam perfectam cuiusque rei cognitionem oportet cognoscere omnes eius causas, & propinquas, & remotas. Etiam excellentissimus Ianua hanc Auerrois expositionem sequens colligebat hinc, quòd subiectum totius philosophiæ naturalis est corpus mixtum ex elementis, tale enim subiectum statui debet, quod habeat principia remota, & media, & proxima, vt his verbis significat Aristoteles: at si sumamus corpus naturale in communi, nulla erunt principia in hac scientia, quæ sint ei remota: quod si sumamus corpus mixtum habet hæc omnia genera principiorum, quemadmodum aliàs declarauimus, dum loqueremur de subiecto totius naturalis philosophiæ: hoc enim Ianuæ argumentum exposuimus, & ad hunc locum solutionem eius remisimus. Dico igitur argumentum inualidum esse, quia innititur falso fundamento, quòd hæc sit vera expositio horum verborum, imò nulla ratione hæc expositio admitti debet, quamuis data etiam expositione Auerrois adhùc nihil valeat argumentum Ianuæ, sed hoc postea ostendam, dùm expendam documentum dictum Auerrois post totius primi contextus declarationem. quòd autem ea expositio Auerrois non recta sit, patet primò ex consideratione illius vocis [Elementum]. Aristoteles enim quinto Metaphysicorum capite tertio declarat omnes huius vocis significationes, quibus omnibus dicit hanc esse veram conditionem, quòd elementum sit primum, & simplex, & irresolubile in alia, & quòd in ipsa re insit: quare de ratione elementi est, quòd sit internum, & quòd sit primum; ergo errat Auerroes in duobus, Primò dum vult, quòd nomine elementi hìc significentur etiam causæ externæ, quod repugnat Aristoteli, & propriæ huius vocis significationi; Secundò dùm vult causas proximas hìc nomine elementi significari, quod similiter & Aristoteli aduersatur, & ipsius vocis significationi; quia nihil potest vocari elementum, nisi quod in eo genere sit primum: Grammaticus non vocat dictiones elementa orationis, neque syllabas elementa dictionum, sed solas litteras, quæ in nihil aliud resolui possunt, & sunt absolutè primæ, has namque elementa vocat orationis, quare similiter in scientia naturali non possunt vocari elementa, nisi prima materia, & forma, quæ in hoc primo physicorum considerantur, quę ex nullis alijs prioribus, aut simplicioribus constant, sed sunt simplicissimæ: at materia proxima, cum sit ex alia materia, & alijs elementis composita, non potest vocari elementum. Confirmatur etiam ipsiusmet Auerrois testimonio in alijs locis, scilicet in tertio libro de cœlo commento trigesimo primo, & quarto de cœlo commento trigesimo septimo, & secundo de generatione commento sexto vbi, Auerroes testatur, quòd quatuor corpora simplicia, quæ solent ab omnibus vocari elementa, vocantur impropriè elementa, quia ex alijs prioribus componuntur, videlicet materia prima, & forma: ideò materia prima, & forma sunt digniores nomine elementi, quoniam in nulla alia priora resolui possunt, & sunt absolutè elementa: at simplicia corpora non sunt absolutè elementa, sed solùm inter corpora; ideò rectius vocantur elementa secundùm quid, elementa, cum ea dictione, corporea: sunt enim elementa, quia in nulla alia corpora simpliciora resolui possunt,

sunt, ideò simplicissima non absolutè, sed inter corpora solùm. Hæc cùm dictis in locis sententia Auerrois fuerit, miror quomodo suimet oblitus hìc dicat elementa significare causas vltimas, & proximas; sic enim oporteret non solùm quatuor simplicia corpora vocare elementa, sed etiam partes animalium organicas, quæ sunt materia proxima animalium, quo nihil absurdius est in Aristotelis doctrina. Præterea hæc expositio Auerrois, etiam si admitteretur, tamen ad propositum non pertineret, quia neque præcedentibus; neque subsequentibus verbis cohæret; non præcedentibus, quia hæc est probatio maioris iam declaratæ, cuius maioris sensus fuit, hic: in omni scientia habente principia omnis cognitio prouenit ex cognitione principiorum: sed ad huius probationem, quid nam pertinet, quod dicamus scientiam perfectam tunc haberi, quando cognouerimus omnes causas rei, & remotas,& proximas? certe nihil; quia maior fuit intelligenda de solis primis principijs; hæc enim totius scientiæ principia dicuntur, sicuti ibi ostensum est; quare ad eius probationem non pertinet considerare seriem causarum à remotis vsque ad proximas, sed satis est probare de primis, & remotis causis. Ratione etiam sequentium verborum hæc expositio non est conueniens; quia Aristoteles id tantum concludere vult, esse agendum de primis principijs, ergo nihil oportuit dici de proximis, quorum consideratio ad hunc librum non pertinet: Præterea, si hic Aristoteles per [causas primas] intelligit primas internas, materiam, & formam, de quibus re vera loqui vult in hoc libro, & per [principia prima] primas causas externas, ergo debuit postea concludere agendum de causis, tamen concludit de principijs agendum, quod quidem significaret agendum de externis causis, quæ non est intentio Aristotelis. Præterea si Aristoteles hìc distingueret principia, & causas ab elementis, vt remotas à proximis: ergo cùm de primis, ac de remotis tantùm agere velit in hoc libro, non debuit vnquam in ea tractatione vti nomine elementi, sed semper loqui de principijs, & causis, quæ non videntur elementa; tamen passim in hoc primo libro loquens de primis principijs ea vocat elementa, vt patet in textu tertio, & in septimo, & in multis alijs, quos supra commemorauimus, in quibus sumens nomen elemẽti pro primis ea confundit cum principijs. Patet igitur Auerrois expositionem defendi non posse, quæ etiam aliquo modo Simplicij, & Ioannis Grammatici fuit; quia & ipsi in hanc quoque sententiam venerunt, quòd Aristoteles hìc intelligat processum à causis primis, & remotis quas indistinctè primas causas, & prima principia appellet, ad proximas, quas vocet elementa, ducti modo loquendi ipsius Aristotelis, qui hoc significare videbatur. Verùm Ioannes Grammaticus, postquam eam interpretationem attulerat, videns reuera eam dictionem [elementum] non posse significare causas proximas, alteram excogitauit expositionem, quæ etiam Vicomercato placuit, alteri illi pœnitus contrariam, videlicet vt per [principia prima] & [causas primas] intelligamus proximas causas, per [elementa] verò remotas, & primas, quæ reuera est propria significatio eius vocis, elementum; causa enim prima duobus modis intelligi potest, vel prima comparatione secundarum, & sic significat causam remotam, quomodo hìc non sumitur causa prima; vel prima comparatione effectus, & sic significat causam proximam effectui, & immediatam ad differentiam remotarum; quomodo sumitur ab Aristotele passim in primo posteriorum; cum enim dicit in textu nono, decimo, tertio decimo, demonstrationem constare ex principijs primis, intelligit proximis, seipsum enim declarat, quòd prima principia intelligit propria, immediata, & indemonstrabilia, & in textu nonagesimoquinto dicit demonstrationem propter quid fieri per primam causam intelligens proximam, ad differentiam remotæ, quæ non est prima: similiter hoc in loco principia prima, & causas primas intelligit proximas, elementa verò remotas causas, secundum quam interpretationem verba non habent sensum valde diuersum ab expositione Auerrois, imo eundem,

dem, ordine tamen conuerso; vtraque enim expositio significat, quòd perfecta cognitio tunc habetur, quando omnes causas cognoscimus tam propinquas, quàm remotas; sed Auerroes dicit has omnes causas ordine compositiuo; incipit enim à primis, & ad proximas terminat; hæc vero altera expositio dicit easdem omnes ordine resolutiuo; sensus enim est, quòd tunc perfectè rem cognoscimus, quando non solùm proximas, & immediatas causas cognoscimus, sed peruenimus etiam ad cognitionem remotissimarum, quæ dicuntur elementa. Quam expositionem ego similiter puto non esse accipiendam, tum quia ad propositum huius loci non pertinet consideratio causarum proximarum, sed solùm remotissimarum, & credendum omnino est, hæc tria vocabula idem significare in probatione maioris, quod in maiore significarunt; non enim rationem Auerrois admitto, qui dicit Aristotelem modicam curam habuisse de nominibus, cùm potius diligentissimus vbique fuerit in obseruatione propriarum vocum, & nouas quandoque fingere maluerit, quàm improprijs vti; tùm etiam quia si per principia prima hic proxima intelligeremus, sequeretur quòd Aristoteles statim de principijs agendum esse proponens significaret agendum de proximis, quod tamen est manifestè falsum; vel si remota intelligit, incident in æquiuocationem; quem errorem non semel, sed multoties isti tribuunt Aristoteli in hoc primo textu, cùm alio modo dicant accipi nomen principij in maiore, alio in probatione maioris, alio denique in conclusione; dicit enim Vicomercatus in maiore Aristotelem per ea tria vocabula indifferenter significasse omnes causas tam remotas, quam proximas; deinde in probatione maioris nomine principij causas tantum proximas significasse, denique in consequente significasse nomine principij causas tantum primas, & remotas, de quibus agere vult, in hoc libro quæ inconstantia & æquiuocatio non est Aristoteli ascribenda. His omnibus expositionibus reiectis, ego puto accipiendam esse alteram, quam Vicomercatus affert expositionem, cui toto animo adhæreo quòd Aristoteles per hæc tria vocabula idem significet, videlicet sola prima & remotissima principia quæ & prima principia & primas causas & elementa appellet; & ideo particula [&] in his verbis repetita non sit coniunctiua sed declaratiua & pro idest vt sensus verborum sit tunc enim putamus cognoscere vnamquamque rem quando cognouerimus causas eius primas idest principia prima idest cum vsque ad elementa peruenerimus; propterea dictio illa [vsque] non notat ordinem a causis & principijs ad elementa, sed potius a causis proximis quæ hic non nominantur quia ad propositum non faciunt ad supremas & remotas non quòd Aristoteles hunc ordinem seruandum esse dicat a causis proximis ad remotas, sed solùm vt necessitatem causarum remotarum significet & insufficientiam propinquarum sine remotis, quasi dicat, tunc arbitramur nos cognoscere aliquam rem quando non solùm proximas eius causas cognoscimus sed etiam peruenerimus ad primas causas & principia prima quæ elementa dicuntur sine quorum cognitione non putamus nos aliquam rem cognoscere etiam si alias proximas causas teneamus. Hæc expositio est & præcedentibus & sequentibus verbis maximè accommodata & intentioni Aristotelis mirifice consentanea; si enim ad præcedentia verba hæc verba referantur sunt eius optima probatio & conuenientissima. Maior enim illa non poterat intelligi nisi de principijs primis, hæc enim sola possunt appellari totius scientiæ principia. quòd igitur ex cognitione primorum principiorum habeatur cognitio aliorum omnium in eadem scientia conuenienter probat his verbis Aristoteles ex communi consensu quia omnes tunc putamus nos cognoscere vnamquamque rem, quando non modò proximas causas, sed etiam primas & remotas teneamus; credimus ergo omnes quòd ex primorum principiorum cognitione omnis aliorum cognitio pendeat; notandum autem est quòd licet hæc probatio sit in communi consensu tamen sapit vim inductionis, quia Aristoteles probat illam maiorem

quæ

quæ de tota aliqua ſcientia proferebatur per exiſtimationem omnium circa vnumquodque particulare quęſitum. dictio enim illa [vnumquodque] ſignificat ſingulam rem quæ nobis cognoſcenda proponatur, & probatio eſt huiuſmodi, dùm ſingulum particulare ſcibile conſideramus, eius cognitio haberi non poteſt, dùm ignorantur prima eius principia, quæ elementa dicuntur, & hoc omnes exiſtimamus, ergo tota ſcientiæ vniuerſæ cognitio pendet ex cognitione primorum principiorum, quæ aliorum elementa ſunt: & ſic ratio eſt a partibus ſcientiæ ad totam, quia nihil aliud eſt tota ipſa ſcientia quam aggregatum multorum particularium theorematum: ſi igitur cuiuſque horum cognitio ex primis principijs pendet, ſequitur quòd totius ſcientiæ cognitio ex primorum principiorum cognitione pendeat. Ex his ſoluere facillime poſſumus dubium quod occurrere poterat, ſi enim hæc tria vocabula omnia idem ſignificant, & in eodem penitus ſenſu accipiuntur in probatione maioris, & in maiore ipſa, vt omnis ratio iubere videtur, quare Ariſtoteles in probatione maioris addit illam dictionem prima dum dicit [cauſas primas & principia prima] at maiorem ſine ea dictione protulit Ariſtoteles? hoc enim fortaſſe videtur ſignificare quòd non in eadem acceptione hìc & ibi proferuntur. Dicimus autem huius rationem eſſe, quia in maiore Ariſtoteles comparabat ipſa principia cum vniuerſa methodo cum totali ſcientia, ideò ſuperuacaneum fuit principia appellare prima, imò nugatio fuiſſet, quia principia totius ſcientiæ non niſi prima eſſe poſſunt, nec dantur alia principia totius ſcientiæ, quæ prima non ſint; in probatione autem maioris cùm Ariſtoteles non totam ſcientiam collectim accipiat, ſed ad vnumquodque particulare ſcibile deſcendat coactus eſt exprimere prima principia & cauſas primas, quia vnumquodque ſcibile poteſt habere cauſas & proximas & remotas. Verùm Ariſtoteles, qui de proximis hìc non loquitur, ſed de primis & remotis, ideò adijcere debuit prima; ob eandem rationem non adiecit elementis dictionem prima, non enim dixit vſque ad prima elementa, ſed ad elementa ſimpliciter, quia Ariſtoteles accuratiſſime ſemper obſeruat vocum proprietatem, nihil vult improprium proferre, nihil nugatorium, ac ſuperfluum elementum non poteſt eſſe niſi primum vt declarauimus, & de ratione elementi eſt ſemper vt ſit primum, ideò nugatio fuiſſet ſi dixiſſet elementa prima: non ſic principium & cauſa, principia enim dantur prima & non prima, & ſic cauſæ dantur & remotæ & proximæ. Patet igitur quòd ſi hanc ſecundam propoſitionem cum prima conferamus, hęc eſt conueniens illius probatio & eodem modo ſumuntur hæ tres voces in maiore & probatione ipſius maioris, nec poſſunt in maiore ſignificaſſe alia principia quàm prima & interna, quæ dicuntur elementa, quoniam Ariſtotelès in probatione maioris id expreſſe dicit. Si etiam ad ſequentia verba hæc verba referamus optimè cohærent. nam ſequentibus verbis Ariſtoteles concludit eſſe agendum de primis principijs, ergo omnia prius dicta debent ad ſola prima principia interna pertinere. & propterea cùm Ariſtoteles oſtenderit neceſſariam eſſe primorum principiorum cognitionem ad aliorum omnium, imò ad totius ſcientiæ cognitionem, iure infert de his primis principijs eſſe primò agendum. Poſita & confirmata propoſitione maiore ſequebatur vt Ariſtoteles minorem ſubiungeret, quam tamen omiſit, & ſimul concluſionem, ſed de minore Græci dubitant, Simplicius, & Ioannes Grammaticus, cur omiſſa fuerit ab Ariſtotele. poſuit enim maiorem, quæ eſt axioma notiſſimum, & eam voluit confirmare, ergo magis debebat ponere minorem, quę magis dubia erat, & eam quoque confirmare. Tamen tantùm abeſt vt minorem probet vt eam etiam penitus omiſerit; dubium augent ipſi teſtimonio Theophraſti, qui in principio ſuæ naturalis philoſophiæ hunc ſyllogiſmum poſuit, & probauit minorem ſic, res naturales ſunt corpora, ergo compoſita, conſequentiam probabat, quia corpora omnia conſtant ex materia & forma, ſi igitur ex materia & forma conſtant; manifeſtum eſt quod habent principia. quam

Theo-

Theophrasti demonstrationem possumus exquisitionem legere apud Simplicium, & Ioannem Grammaticum hoc in loco. Porphyrius verò dicebat hanc minorem dimitti ab Aristotele vt notam, vel saltem suppositam, quia a naturali philosopho probari non potest quòd res naturales habeant principia, sed solus diuinus philosophus id facere potest. Simplicius autem proferens sententiam suam dicit, quòd Aristoteles hanc minorem dimittit vt postea probandam in hoc primo libro physicorum, probabit enim corpora constare ex materia & forma. neque est inconueniens ait Simplicius quòd naturalis probet sua principia, quia potest eorum existentiam probare, sed non essentiam, & quid sint, id enim est munus diuini philosophi; quam Simplicij sententiam & Vicomercatus & alij multi recentiores sequuntur. Sed pace horum dicam non est recta eorum sententia, quia si concederetur Aristoteles committeret petitionem principij & circularem ostensionem hìc enim syllogismum facit, quo probat esse agendum de primis principijs, postea hoc argumento ductus aggreditur tractationem de ipsis principijs. in qua tractatione si probat minorem presentis syllogismi, ergo hìc sumitur minor ignota, ergo & conclusio quæ ex ea infertur est ignota, ergo non bene probatur esse agendum de principijs, & sic nulla ratio adhùc cogit vt incipiat agere de principijs, nisi supponat eam minorem, quam postea demonstrabit sequens vim præsentis syllogismi; quare tractatio de principijs vim habet ex hoc syllogismo, quem Aristoteles hìc format, & hic syllogismus nullam habet vim nisi ab illa sequente tractatione de principijs, sed causa huius erroris fuit æquiuocatio, in quam omnes inciderunt. Nam aliud est res naturales habere aliqua principia, aliud est ea principia esse hæc potius quam illa; quòd enim res naturales haberent principia omnes antiqui naturales concesserunt vt notam, neque de hac altercabantur, sed tota eorum disceptatio erat quęnam essent ea principia. Alij enim ponebant corpora indiuisibilia omnium principia; Alij similiaria infinita; Alij quatuor elementa; Alij aliqua ex eis; Alij medium aliquod inter elementa. Aristoteles autem probat nulla horum esse statuenda prima rerum naturalium principia, sed duo prima contraria, & primam materiam. Hoc probabit Aristoteles quod apud antiquos erat maxime dubium & controuersum, non probat hanc propositionem res naturales habere principia. Hæc enim ab omnibus erat concessa naturalibus philosophis. Ideò optima est Porphyrij sententia quòd Aristoteles hanc maiorem vt notam sumat, neque eam probare possit. probaret enim principium quoddam cognitionis, & complexum, quod supponendum erat a naturali philosopho, quod ex ipsomet Aristotele colligimus, qui in textu octauo huius libri considerans sententiam Parmenidis & Melissi, qui dicebant vnum tantum esse ens, inquit eam non posse confutari a philosopho naturali, quia contra negantes principia non est in scientia disputandum. Est autem principium huius scientiæ hoc quòd dentur aliqua principia, quod quidem illi negabant ponentes vnum ens, quia si vnum est ens, nullum datur principium, quoniam vox principium est relatiua ad principiatum; ergo si vnum sit ens non est principium, ergo vult Aristoteles nos non disputare contra negantes dari naturalium rerum principia, quia hoc debet esse principium positum in hac scientia. Similiter in principio sexti textus dicet [necesse est autem aut vnum esse principium aut plura] supponit enim aliqua esse principia. Nititur & querit an plura sint, an vnum. Propterea neque Theophrastus reprehensione vacat, qui hìc tentauit eam minorem demonstrare, nam si eius probationem expendamus, videbimus eam esse inefficacem, probat enim quòd res naturales constent ex materia & forma ex eo quòd sunt corpora, quæ tamen consequentia est prorsus inualida, quia ex vi huius medij termini non potest inferri, ergo est compositum, cùm detur corpus simplex & non constans ex materia & forma, vt cœlum; imo stando in his corporibus inferioribus antiqui philosophi negassent corpora omnia ex materia & forma constare,

quia

quia secundum Empedoclem elementa erant simplicia non constantia ex alijs principijs; non possumus igitur probare hìc corpora constare ex materia & forma, quia Aristoteles ipse in hoc libro per mediam transmutationem id longo sermone probabit, sine quo medio nihil aliud habemus quo probemus corpora ex materia & forma constare; tentauit igitur Theophrastus demonstrare propositionem per se notam ex alia ignota, quia res naturales habere principia est omnibus notum. At corpora constare ex materia & forma est ignotum, neque potest demonstrari sine discursu, quem faciet Aristoteles in hoc primo in libro physicorum. Dicamus ergo minorem esse omissam vt quæ per se nota erat, & naturali philosopho non poterat demonstrari.

[Manifestum quòd & ea quæ sunt circa principia scientiæ quæ de natura est primum determinare tentandum].

Hæc est tertia particula huius contextus in qua Aristoteles loco conclusionis omissæ affert consequens ex ea deductum. erat enim conclusio talis, ergo in scientia naturali sunt cognoscendæ res naturales ex cognitione principiorum suorum. Ex hac infertur tale consequens, ergo manifestum est esse primò tractandum de principijs scientiæ naturalis, in quo Aristoteles profert intentionem suam in hoc libro, quæ est agere de primis principijs scientiæ naturalis non enim alia principia potest intelligere quam prima, quia de primis mox loqui incipiet in textu sexto, non de alijs, & quia vocat principia scientiæ de natura, at nulla alia possunt totius scientiæ principia appellari nisi quæ penitus prima sint. Quod cum hoc consequens ab Aristotele ex dictis deducatur, non potuit in præcedentibus alia principia intelligere quàm prima, aliter non potuisset determinatè colligere de primis agendum; preterea certum est quod nomen principij hìc non potest habere totam illam amplam significationem, quæ ei potest competere, quia Aristoteles non proponit agendum de omni genere naturalium principiorum, sed solùm de primis principijs internis, quæ proprie elementa appellantur. De his enim tantùm agere incipiet in textu sexto, & de his in toto hoc primo libro aget, non de alijs, ergo nomen principij habet hìc significationem contrariam, & significat idem quòd elemētum, ergo etiam in præcedentibus eodem modo acceptum fuit; si enim communius acceptum fuisset; Aristoteles non debuisset colligere agendum de principijs, sed de elementis. De solis enim elementis aget. Dicit Aristoteles [primùm] idest in primis ante omnia. Cùm enim sine primorum principiorum cognitione nihil aliud in scientia cognosci possit, necesse est de ijs primo loco agere. Notandum autem est Aristotelem non dicere tractanda esse principia, sed [ea quæ sunt circa principia] quòd enim dentur principia prima rerum naturalium hoc Aristoteles non inquiret, quia vt notum & ab omnibus concessum supponitur, sed alias questiones de principijs explicandas proponit, quas significat dum dicit [ea quæ sunt circa principia] idest theoremata attinentia ad ipsa principia, vt eorum conditiones, numerum, & habitudinem inter se, & alia eiusmodi. Zimara hoc in loco perpendebat modum loquendi Aristotelis, qui significat Aristotelem loquuturum esse de principijs cognitionis, non de principijs essendi, nam dicit agendum esse de principijs [scientiæ de natura] at principia scientiæ appellantur, quæ sunt principia cognitionis; principia vero essendi dicuntur principia rerum ipsarum non principia scientiæ. Aliqui posteriores euitare volentes argumētum hoc Zimaræ inuenerunt nouam horum verborum constitutionem, quam dixerunt esse græcis verbis consentaneam: nam in codice græco hæc verba alio ordine leguntur quàm in latino, ita enim græcè leguntur [manifestum quod & scientiæ de natura tentandum est primum determinare quæ circa principia] est igitur separata illa dictio [scientiæ] ab illa dictione [principia] quare non dicit Aristoteles principia scientiæ, sed dicit quod scientiæ de natura officium est determinare ea

quæ ad principia pertinent. Quæ tamen constructio neque verbis græcis conueniens est, neque vllo modo admittenda: quoniam dictio illa [πειρατέον] non potest nisi cum datiuo casu construi,& alia omnia eiusmodi nomina verbalia apud græcos & apud latinos:dicimus enim mihi tentandum est,non mei in genitiuo, ideo si dictio illa [scientiæ] cum illa particula [tentandum] construenda esset,deberet esse datiui casus , cùm tamen sit casus genitiui [τῆς περὶ φύσεως ἐπιστήμης] quare non est sensus neque constructio congrua ipsius scientiæ tentandum est ; & sic nulla remanet alia constructio quàm vt casus ille genitiuus construatur cum ea dictione [principia] & dicamus, principia scientiæ, quæ de natura est. Si etiam sensum ipsum consideremus,non erat conueniens vt Aristoteles diceret esse agendum de principijs non exprimendo cuiusnam scientiæ, erat enim sensus nimis amplus quòd scientia naturalis debeat tractare de principijs. Non enim de omnibus principijs,quia non de mathematicis, & aliarum scientiarum principijs hìc agendum est,ideò exprimere oportuit principia scientiæ de natura . Neque vt ad eam vanam constructionem fugiamus ratio Zimaræ nos cogit, quæ friuola est, & facilè soluitur . Omnia enim principia essendi sunt etiam cognoscendi principia, non tamen e conuerso , quia non omne principium cognitionis est principium etiam rei. Aristoteles igitur hìc dicens [principia scientiæ de natura] intellexit illa principia cognitionis, quæ simul sunt etiam principia essendi, non de principijs illis loquitur, quæ sunt tantùm cognitionis principia, nec sequitur ex appellatione principiorum scientiæ, quæ eadem non possint simul esse principia rei & cognitionis .

Solent hoc in loco a multis considerari quædam dicta Auerrois in commento primo, quæ reuera cùm supponant expositionem Auerrois in hoc primo contextu, quæ tota est falsa, aliena sunt a præsenti consideratione , & iure omitti possent ; tamen ne videamur fugere velle quasdam difficultates,& quia non omnino inutilis est quarundam sententiarum Auerrois consideratio , constitui aliqua Auerrois dicta breuiter expendere.Primò videtur in Auerroe esse quædam contradictio,quia dixerat in suo proœmio quòd cum in singulo genere causæ dentur quatuor prima videlicet prima materia,prima forma,primum efficiens,vltimus finis:duo ex his primis considerantur a naturali videlicet prima materia & primum efficiens ; duo vero a diuino nempe prima forma & vltimus finis ; hìc tamen videtur dicere quòd naturalis consideret etiam vltimum finem. Exponens enim illa verba in secunda particula textus [prima principia] dicit Aristotelem intelligere causas primas,& remotissimas externas, videlicet, primum efficiens , & vltimum finem ; quare dat Philosopho naturali cognitionem etiam vltimi finis.Soluunt aliqui hanc contradictionem dicentes Auerroem non de eodem vltimo fine loqui in proœmio, & hìc ; Nam in proœmio loquitur de vltimo fine absolutè accepto, qui Deus est, & hunc dicit à solo diuino considerari ; hìc verò loquitur de vltimo fine in genere, idest , in scientia naturali , datur enim quidam vltimus finis inter omnes fines naturales , aut vnus , aut plures , licèt non sit absolutè vltimus . Hęc responsio secundum se vera est, nam certum est considerari a Philosopho naturali causam finalem, & inter fines rerum naturalium,dantur alij priores, alij posteriores ; tamen non tollit contradictionem , quæ in verbis Auerrois est. Auerroes enim clarè loquitur, & dicit , Se intelligere vltimum finem absolutè, non tantùm in genere,cùm dicat vltimum finem omnium rerum,hic enim non est alius, quàm Deus . Propterea ego puto meliorem esse aliorum responsionem, qui dicunt Auerroem reuera loqui de absolutè vltimo fine , sed non loqui de cognitione tantùm in scientia naturali, immo de scientia absolutè perfecta loquitur ibi Auerroes . Dùm enim stamus in scientia naturali, habemus scientiam in genere perfectam, sed non simpliciter perfectam, causis enim naturalibus dantur aliæ priores causæ, quæ non cognoscuntur a Philosopho naturali, quare scientia simpliciter

perfecta

perfecta est, quæ non solùm attingit causas primas in scientia naturali, verùm etiam ascendit ad illas absolutè primas, quæ à diuino Philosopho considerantur, vt ait Aristoteles in proœmio Metaphisicorum, & primo Posteriorum septuagesimo. Quòd autem hìc Auerroes non loquatur de scientia naturali, sed absolutè hoc proferat, manifestum est, quia est in expositione illorum verborum, [tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque] quæ in confirmationem illius maioris sunt prolata ab Aristotele, & consequenter sunt communia etiam, alijs scientijs, non propria scientię naturalis; maior enim communis allata fuit, quòd in omni scientia habente principia, cognitio fit ex principiorum cognitione, probatio etiam maioris communissima est, nam tàm in naturalibus quàm in alijs etiam scientijs tunc putamus quamlibet rem cognoscere, quando prima eius rei principia cognouerimus; hoc significauit particula [&] ab Aristotele posita in illo vltimo consequente quando dicit [manifestum quod & scientiæ, quæ de natura est] cum enim prius dixisset, quòd in omnibus scientijs ita arbitramur, subdit quòd in naturali scientia debemus auspicari à tractatione de primis principijs. Hoc etiam significant verba Auerrois quando dicit, quòd hæc est communis omnium sententia, in qua etiam Sophistæ conueniunt; quare dictum Auerrois est absolutè prolatum, non limitatum in naturalibus. Sed videntur huic expositioni aduersari alia Auerrois verba in eadem parte, nam exponens paulò ante illa alia verba [causas primas] contenta in eadem confirmatione maioris, dicit causas primas ibi significare causas duas internas primas, & remotissimas, videlicèt primam materiam, & primam formam rerum naturalium. Ergo cum Auerroes non sumat ibi primam formam absolutè, quæ est Deus, sed loquatur limitatè in rebus naturalibus; Similiter in expositione illorum verborum [principia prima] debemus dicere quòd loquatur limitatè in rebus naturalibus non de scientia absolutè perfecta. Ad hoc dico quòd Auerroes semper loquitur absolutè non limitatè in rebus naturalibus tantùm; sed quando loquitur de causa formali, & de serie causarum formalium remotarum, & propinquarum, non potest sub ea consideratione omnis forma contineri, sed illa solùm quia est altera pars compositi, & in re est, loquitur enim de materia, & forma, quæ sunt causæ internæ, cuiusmodi forma non est Deus, neque vlla forma separata; Dum enim dicimus quòd in causa formali oportet nos procedere à prima forma vsque ad vltimam, non possumus intelligere Deum primam formam, quia non est eodem modo forma, quo aliæ formæ componentes, & internæ rebus compositis, stando igitur in causa formali interna, & componente certum est, quod prima forma inter tales formas non supergreditur naturalem philosophiam, sed inter naturales limites continetur. Auerroes igitur hìc dicens primam formam rerum naturalium, non ita loquitur, quia limitatè consideret formam in naturalibus, sed quia contingit, vt quæ prima forma absolutè dicitur inter formas componentes sit etiam forma naturalis, & prima inter naturales. Solet etiam considerari, quomodo verum sit dictum Auerrois in Commentario, quòd Mathematicus considerat solam causam formalem; Metaphysicus verò formam, finem, & efficientem, sed non materiam; Quæ quidem consideratio quòd ab hoc loco alienissima sit iam prius diximus; tamen & nos aliorum vestigia sequentes pauca quædam de hac redicemus: De Mathematico non videtur esse difficultas, abstrahit enim quantitates à materia sensibili, & consequenter abstrahit eas ab omnibus suis causis præter formam; quantitates enim prout sunt termini, & passiones corporum naturalium habent propriam causam efficientem, à qua emanant, & diriguntur ad certum finem, vt Sphærica figura cœli insequitur naturam eius corporis, vt causam efficientem per emanationem, & ordinantur ad certum finem, vt ad motum circularem, vel ad maiorem capacitatem Vniuersi, vel ad aliud simile; sed vt abstrahuntur à materia sensibili abstrahuntur simul ab omni respectu, quem habent, & ad causam efficien-

tem, & ad finalem, & remanent veluti puræ formæ cognoscendæ à mathematico, qui simplicem earum essentiam contemplatur; Dicitur autem demonstrare per formam, non quidem per eam, quæ est altera pars compositi, sed per formam pro quiditate acceptam, dat enim earum rerum definitiones, quæ nihil continent, nisi puram essentiam internam sine vlla consideratione, vel materiæ, in qua sunt, vel causarum, à quibus pendent; propterea Aristoteles in primo textu sexti Metaphysicorum dicens in Mathematicis esse principia, & causas, & elementa, per hæc tria vocabula non potuit diuersa causarum genera significare, sed vnam, & eandem, videlicet formam, & essentiam rei, quæ per definitionem exprimitur, & habet rationem causæ. De Metaphysico autem magis dubium est, quomodo tria tantùm causarum genera consideret, cum videatur etiam materiam considerare; ad quod, vel cum quibusdam doctis, ac eruditis Viris dicendum est, quòd Metaphysicus dicitur abstrahere à materia ratione subiecti sui adæquati, quod est ens, vt ens est, cùm enim ens communissimè sumptum sit abstractum a suppositis non habet causam materialem, abstrahitur enim indifferenter à materialibus, & ab immaterialibus, ideo non conuenit ei materia, cùm non omne ens habeat materiam, & cùm nomine entis contineantur etiam immaterialia; Vel dicendum, quòd diuinus dicitur a materia abstrahere ratione subiecti principalis, quæ sunt substantiæ separatæ, in quibus nullum habet locum materia, habent tamen locum aliæ tres causæ, nam Deus est causa efficiens, & finalis, & formalis omnium rerum, vnde vocatur, & prima forma, & primùm efficiens, & vltimus finis.

In eodem loco ponit Auerroes quædam alia verba, in quorum interpretatione multum Auerroistæ elaborarunt, illa enim [causas primas] Auerroes habuit in suo Codice [causas simplices] & dicit Aristotelem per causas simplices intelligere primam materiam & vltimam formam rerum naturalium, hæ namque dicuntur simplices, quia solæ sunt simplices, quecunque enim sunt præter primam materiam, & vltimam formam sunt materiæ compositæ, & formæ compositæ. Dictum hoc Auerrois de materia clarum est, sola enim materia, quæ prima est, simplex est, & omnes secundæ sunt compositæ ex materia & forma; sed de forma dubium est, quænam sit hæc forma vltima & quomodo alię omnes præter eam dicantur compositæ. Ioannes Bacco in secundo Quolib. quæstione nona, locum hunc Auerrois declarans, dicit Auerroem per vltimam formam intelligere Deum, quæ expositio accipienda non est; Primò, quia Deus non vocatur vltima forma, sed prima; Deinde quia Auerroes hìc loquitur de causis internis, quæ in re sunt, quas contradistinguit ab externis significatis ab Aristotele per illa verba [prima principia] at Deus licèt appelletur forma, tamen non dicitur forma interna rerum naturalium, quarè hæc expositio non est ad Auerrois mentem. Quidam recentiores exponunt per vltimam formam, formam in genere, & in communi acceptam, nam aliæ omnes sunt veluti species huius communis, & dicuntur compositæ, quia omnis species est composita, ex potentia, & actu, videlicèt ex genere, & differentia, & genus respectu speciei habet potentialem naturam, ideò genus quà genus est, simplex est, & potentiale solùm, species verò quà species, composita est; Omnes igitur formæ particulares sub forma in communi continentur, & dicuntur compositæ, ipsa verò est simplex. Mouentur autem hoc argumento, quia Auerroes hoc dicens notat ordinem in singulo genere causæ à prima, & remota, ad propinquam, & proximam, & vult vt ab ea forma incipiamus, quam ipse vocat vltimam, idest remotam, ergo illam intelligit esse formam vltimam, à qua reuera Aristoteles incipit: at Aristoteles incipit a tractatione de forma in communi in hoc primo Physicorum, deinde in alijs libris naturalibus loquitur particulatim de singulis formis, ergo hæc vltima forma est forma in communi; quòd autem forma de qua in hoc primo libro agit Aristoteles, & quam inter

prima

prima principia numerabit sit forma in communi, vt notum supponunt, & reuera negari non potest; Hæc sententia vanissima est, & ab Auerrois mente maximè remota, quia certum est Auerroem loqui de ordine formarum sumptarum secundum esse earum reale, non secundum rationem, vt in ipso composito possimus considerare formam simplicem, realiter in eo existentem etiam absque nostra intellectione, at forma in communi nihil est reale præter formas realiter existentes; Præterea id, quod isti dicunt de specie, quod est composita ex potentia, & actu, verum est de specie contenta sub genere vniuoco, non sub æquiuoco, vel analogo, quod nihil est nisi pura vox; non enim aliqua ei natura correspondet præter naturam speciei, ideò species non dicitur composita; nomen autem formæ est nomen analogum, vniuocum esse non potest, quòd si dicant etiam species generis analogi habere talem compositionem, ego pariter dicam Deum compositum esse ex potentia, & actu, quatenus continetur sub genere entis generis analogi, quod quidem esset fatuè dictum. Præterea etiam ipsa forma in communi accepta habet supra se aliud genus, vt subiectum vel ens, quare etiam forma in communi erit composita ex potentia, & actu. Præterea hæc forma in communi accepta quomodo dicetur vltima? certum est quod neque secundum realem compositionem, neque secundum realem resolutionem potest vltima, vel prima vocari, res enim non resoluuntur in formam imaginariam sed realem, & natura componens res incipit a forma reali, ergo secundum realem ordinem non potest vocari prima, neque vltima; At secundum ordinem considerationis potest quidem vocari prima, quia ab ea incipit tractationem Aristoteles, ac vltima vocari nullo modo potest; Auerroes tamen vltimam formam vocat hoc in loco. Ergo non potest intelligere formam in communi; si etiam legamus Auerroem in toto hoc primò libro Physicorum, in quo Aristoteles tractat de forma in communi, nunquam Auerroes eam vocat primam nequè vltimam, sed absolutè formam; materiam tamen vocat primam, quia est vna numero, verè prima secundum viam compositionis realis; ita etiam loquitur Auerroes tertio de cœlo trigesimoprimo, vbi dicit in libris Physicorum fuisse actum de primis elementis omnium corporum naturalium, quæ sunt materia prima, & forma; materiam quidem primam vocat, formam verò neque primam, nequè vltimam appellare vult, quia in communi eam accipit; hic igitur cum dicat vltimam formam, non potest intelligere formam in communi sumptam. Marcus Antonius Zimara voluit hæc verba Auerrois interpretari, & excogitauit nouum quendam sensum, vt videre possumus in eius Tabula sub litera Q. & sub litera C. in ijs verbis [causæ simplices existentes in re sunt primæ non compositæ] vbi reiectis aliorum expositionibus, & inter eas reiecta etiam opinione Burlei, quam mox recensebimus, dixit Auerroem per materiam primam intellexisse eam, quæ secundum compositionem prima est, & similiter per formam vltimam illam, quæ secundum compositionem est vltima, cuiusmodi est omnis forma specifica, quam solent alij vocare vltimatam, quæ in nullam perfectionem formam dirigitur, vt forma propria equi, vel hominis; nam materia prima dicitur simplex, quia est solùm materia, cum nullam formam includat; materia verò secunda non est simplex quia est composita ex materia, & forma, sic etiam forma vltima est solùm forma, & ita est simplex ad differentiam aliarum formarum præcedentium, quæ in illam ordinantur, earum enim singula est simul forma & materia, est forma respectu materiæ, habet autem locum materiæ respectu formæ nobilioris, in quam ordinatur, vt anima sensitiua est forma respectu materiæ ab ea informatæ, sed habet locum materiæ respectu formæ propriæ hominis, vel equi, quia habet potentiam ad ens, patet igitur solam primā materiam & vltimā formam esse simplices, alias autem intermedias esse compositas, quia quælibet illarum est simul materia, & forma. Hęc fuit sententia Zimaræ, non quam aliqui ei attribuunt.

Alij enim dicunt Zimaram intellexisse per vltimam formã mixti. Alij etiam dixerunt ipsum intellexisse formam hominis quorum neutrum verum est, si enim Zimaram in dictis locis legamus, videbimus eum exposuisse per formam vltimam formam specificam & vltimatam, quæ non dirigitur amplius in aliam formam. Quæquidem Zimaræ sententia & si secundum se admitti potest, tamen non est ad mentem Auerrois hic, immò repugnat Auerroi, nam Auerroes hæc dicens est in expositione eorum verborum, [causas primas] quę in suo Codice habuit [causas simplices] & exposuit causas internas, & remotas, ad differentiam earundem proximarum, quæ significantur postea nomine elementi in eis verbis [vsque ad elementa] vt verba hæc notent processum a causis remotis ad proximas. Si igitur expositio Zimaræ admittatur, sequitur quòd secundum Auerroem idem significabitur per causas primas, & per elementa, nam forma specifica, & vltima in compositione vocatur elementum, quia est causa formalis proxima, & propria, quomodo ergo potest Auerroes etiam per [causas primas] eandem proximam formam significare? Certe non potest, sed significat causã formalem remotam. Vidit hanc instantiam Zimara in dicto loco sub littera C. & concessit argumentum demonstrare contra suam expositionem, ideò ea reiecta incidit postea in sententiam Burlæi, quam in eodem loco confutauerat, quòd Auerroes hic per vltimam formã intelligat formã elementi. In qua sententia plurimi conueniunt, & ego quoque puto mentem Auerrois fuisse, dùm enim consideramus ordinem inter formas reales, quæ extra animam reperiuntur in rebus, verum est quòd secundũ ordinem compositionis prima forma est forma elementi, est enim prima quæ materiæ primæ adueniat secundum ordinem naturæ, & omnes aliæ formæ præsupponunt eam, ipsa verò non presupponit alias, quam etiam sententiam apud Auerroem legimus in tertio de Cęlo Cõmentario decimo septimo in vltimis verbis vbi dicit quòd prima forma quæ adueniat materiæ, est grauitas, & leuitas, per hæc significare volens formas Elementorum; hic tamen vocat Auerroes formam elementi vltimam, quia illa eadem quæ compositione est prima, resolutione est vltima. Sed quęret aliquis, cur Auerroes maluit respicere resolutionem vocando vltimã, quàm respicere compositionem vocando primam? Ratio huius est, ne de Deo loqui videretur, quẽ solet sæpe appellare primam formam, vt igitur significaret se loqui de illa prima forma rerum naturalium quæ est interna pars compositi, & in compositione est prima non autem de illa, quæ secundùm perfectionem prima dicitur, vocauit vltimam in resolutione, quæ appellatio non potest competere Deo, quia per resolutionem cõpositi non terminamus ad Deum, sed ad primam formam inter formas naturales, quæ est forma elementi. Quo autem modo sola forma elementi sit simplex, & aliæ omnes sint compositæ facile est ostendere, forma enim elementi vocatur simplex quia non supponit in eadem materia aliam formam priorem, omnes autem aliæ formæ mixtorum dicuntur compositæ, quia supponunt aliam formam ante se in eadem materia, supponunt enim saltem formas elementorum, sicuti etiam materia dicitur composita quæ supponit priorem materiam, prima verò, quæ nullam priorem materiam supponit: Est tamen inter formam, & materiam aliqua differentia, materia enim cõposita ita supponit priorẽ materiam vt ex ea etiã constet, at forma dicitur cõposita solùm, quia priorẽ formã in illa materia supponit, non quia constet ex ea internè; hoc enim modo omnis forma est simplex. Quam formarum cõpositionẽ etiam tetigit Auerroes in primo Posteirorũ Commentario Trigesimo, dùm differentiã proximã vocat differentiam, remotam verò vocat partem differentię, vt seipsum interpretatur in Epitomè logica in cap. de demonstratione in principio: Formam igitur proximam vocat compositam ex forma remota, quam eius partem appellat, non quidem internam partem, sed suppositam; Vult igitur significare Auerroes, quòd in cognitione perfecta cuiusque rei oportet cognoscere, omnes gradus eius a prima vsque ad proximam,

mam, & omnes etiam formas, quæ in re sunt, incipiendo a prima, vsque ad vltimam; prima autem est forma elementi, vltima verò est forma specifica. Sed aduersus hęc est instantia, quam facit Zimara in dicto loco, nam Auerroes hìc per causas primas significat materiam, & formas remotas, & simplices, per elementa verò materiam, & formam proprias, & proximas, & cùm dicat esse procedendum a causis primis vsque ad elementa, non debent in idem hæc duo coincidere, vt idem sint causa prima, & elementum, sed semper debent esse distincta, quia non debemus procedere ab eodem ad idem. Quid igitur dicemus de cognitione simplicium corporum? Nam eorum materia est simul prima causa, & elementum, quia proxima, & eorum forma est simul prima causa, quia forma elementi est forma prima, vt dictum est, & est etiam elementum, quia est proxima, & propria forma illius compositi, vt ignis, vel aquę. Vt hanc instantiam soluat Zimara conatur ostendere, quòd forma corporis simplicis dicitur diuersis rationibus, & prima causa, & vltima causa, idest, elementum; sed ego facilius responderem, quòd dictum Aristotelis iuxta expositionem Auerrois est intelligendum de illis, quæ simul habent, & remotas causas, & proximas, in ijs enim est procedendum a primis causis vsque ad elementa, sed in illis non habet locum processus hìc, quæ non habeant causas remotas internas, sed hæc vnicam habent materiam, & vnicam formam, quæ tùm ipsis sint proximæ causæ, tùm respectu aliorum sunt causæ remotæ, ideò cùm in rei cognitione satis sint cognoscere omnes eas causas, quas res habet, certum est quòd in habentibus causas tantùm proximas componentes, non est opus cognoscere remotas si nullæ sunt. Soluendum est argumentum illorum recentiorum, qui ostendere volebant Auerroem per vltimam formam intelligere formā in communi, quod sumebatur ex tractatione de forma, in primo Physicorum, in quo Aristoteles tractat de forma in communi; Ad hoc respondeo, quod aliud est in formis considerare ordinem rationis, aliud est considerare ordinem realem, quem habent in rebus sine nostra consideratione. Aristoteles quidem tractans de formis naturalibus seruauit ordinem rationis prius agens de forma in communi, deinde de forma elementi, deinde de forma mixti, & sic consequenter. Auerroes autem hìc non considerat ordinem rationis, sed satis habet ad propositum declarandum considerare eum ordinem, quem habent formæ reales, quæ realiter existunt in composito; prima enim forma realis, secundum ordinem realem est forma elementi inter omnes quæ sint in composito, tamen tractatio rationalis requisiuit, vt priùs Aristoteles loqueretur de forma in communi sumpta, quàm de singula reali forma loqui inciperet; aliud ergo respicit Aristoteles, dùm tractat de formis aliud Auerroes in huius loci interpretatione; nam Auerroes id respicit, vt omnes causę rei cognoscantur, inter has non numeratur forma in communi, vt quæ sit causa diuersa a formis singulis, quæ in re sunt, est enim nomen formæ analogum, cui nulla natura respondet preter naturas singularum formarum; Aristoteles autem in tractatione sua naturali non modò illud respexit vt omnes formas naturales consideraret, verùm etiam omnibus modis, quibus erant considerandæ ad plenam earum intelligentiam, prius enim debuit eas in communi considerare, postea particulariter ideò aduertendum est quòd quæ dicuntur ab Aristotele de forma in communi in hoc primo libro Physicorum, ea non verificantur nisi de singulis formis speciatim, videlicet de formis elementorum & mixtorum, quia illi nomini, forma, statim respondent singulæ formæ, non vna forma communis, forma enim non est principium naturale, quia sit communis, sed quia est forma.

Præterea cùm Auerroes in Commentario dicat quòd in re perfectè cognoscenda necesse est cognoscere omnes eius causas incipiendo a primis, ac remotissimis, & perueniendo vsque ad proximas. Quærunt hìc multi, an ad perfectam rei cognitionem requiratur cognitio omnium causarum; quemadmodum Aristoteles significa-

rouidetur. Falſum primo aſpectu videtur Auerrois dictum tàm in ſubſtantijs, quàm
in accidentibus, nam ſubſtantia compoſita cognoſcitur perfectè per ſuam definitio-
nem vt homo per animal rationale, in qua definitione non cognoſcitur aliqua cau-
ſa extrinſeca, ſed materia, & forma ſolùm, cùm tamen cauſas extrinſecas homo ha-
beat; ſol enim, & homo hominem generant, ergo ad perfectam hominis cognitio-
nem non requiruntur omnia genera cauſarum. Præterea in eiuſdem hominis defini-
tionem non ſumuntur genera remota, neque differentiæ remotæ, quæ ſunt vel ma-
teriæ remota, vel formæ remotæ, ergo non eſt neceſſarium ad perfectam hominis co-
gnitionem cognoſcere omnes cauſas tàm propinquas, quàm remotas, cum propin-
quæ ſufficiant. Idem probatur in accidentium cognitione, nam accidentis per-
fecta cognitio habetur quando cognoſcitur propter quid, ergo ex vnius cauſæ co-
gnitione habemus perfectam ſcientiam accidentis, ergo non requiruntur omnes
quatuor cauſæ. Similiter non requiruntur cauſæ remotæ, quia ſola proxima cau-
ſa dat perfectam ſcientiam propter quid, vt Ariſtoteles clarè oſtendit primo Po-
ſteriorum, capit. ſecundo, & textu eiuſdem nonageſimo quinto. In hac difficul-
tate cùm multa dicantur ab alijs, quibus ego non poſſum acquieſcere ſi ea vellem in
medio afferre, & confutare, multùm temporis eſſet inutiliter conſumendum, quòd
facere non debemus, præſertim hac in re, quam ego alienam eſſe puto a præſenti cō-
ſideratione; propterea relictis omnibus aliorum opinionibus dicam ſolùm quid ego
ſentiam. In primis nè in ambiguo laboremus, notandæ ſunt duæ diſtinctiones. Vna
eſt quòd quando dicimus ad perfectam rei cognitionem requiri, vel non requiri co-
gnitionem omnium cauſarum omnes cauſas poſſumus dupliciter intelligere, vel o-
mnino omnes, ideſt omnia quatuor genera cauſarum, vel ſtando in eodem cauſæ ge-
nere intelligimus omnes, & propinquas, & remotas. Altera eſt, ſcientia perfecta
poteſt intelligi dupliciter, vel enim eſt abſolutè perfecta, vel perfecta in genere, ideſt
in aliqua ſcientia determinata. Eſt etiam notandum circa ipſam rem ſcibilem, cuius
ſcientiam per cauſas quærimus, quòd ea vna accipienda eſt, non plures ſimul, nam
multi in hac quæſtione proponunt hominem, exempli gratia, cognoſcendum per
ſuas cauſas, & dicentes hominem non ſolùm ipſam hominis ſubſtantiam ample-
ctuntur, ſed etiam omnia accidentia, quæ in homine ſunt, vnde in huius quæſtio-
nis diſſolutione perturbantur, quia res multiplex eſt, aliud eſt homo, aliud eſt
ipſius hominis paſſio, ideò aliæ ſunt huius cauſæ, aliæ illius, alia enim eſt ipſius Lu-
næ cauſa, alia eſt cauſa Eccliplis in Luna. Nos igitur hæc omnia a ſe inuicem diſtin-
guendo debemus vnam rem ſeorſum proponere, & eius cauſas conſiderare, vt ſub-
ſtantiam ipſam hominis ſeorſum, ſeorſum riſibilitatem, ſeorſum Lunam, ſeorſum
Eccliplim, ſic enim facilius eſt veritatem inueſtigare. His iactis fundamentis duas pro
pono concluſiones declarandas, in quibus tota mea ſententia conſiſtit; Prima eſt,
ad habendam perfectam ſimpliciter rei cognitionem ſunt cognoſcendæ ſimpliciter
omnes cauſæ, quas ea res habet tam propinquas, quàm remotas, in omnibus gene
ribus cauſarum, quæ ea res habet; Secunda eſt ad habendam rei cognitionem per-
fectam, in genere tantùm, oportet cognoſcere omnes cauſas, quas in eo genere ea
res habet, ideſt omnia genera cauſarum, quæ illi rei competunt, in illa ſcientia &
tam propinquas, quàm remotas cauſas, quæ illius ſcientiæ limites non egrediantur.
Quam totam veritatem declarando non aliundè argumentum ſumam, quàm ex eo
vno fundamento, quod pro oppoſita ſententia acceptum fuit, videlicèt a definitione.
oſtendam enim quod ad perfectam rei definitionem ſiue ſubſtantię, ſiue accidentis ne
ceſſe eſt cognoſcere omnes rei cauſas, vnde cùm perfecta cuiuſque rei in definitione
perfecta conſiſtat ſiue de ſubſtantiarum ſiue de accidentium cognitione loquamur, ſe
quitur ad perfectam rei cognitionem opus eſſe cognoſcere omnes eius rei cauſas.
Oſtendamus hoc prius in ſubſtantia, deinde etiam in accidentibus; certum eſt ſub-
ſtantiam

ſtantiam compoſitam non definiri per alias cauſas, quàm per materiam, & formam, vel enim in definitione hominis habet locum materiæ, vel formæ genericæ cum materia; eſt enim compoſitum ipſum vel ex materia, & forma, deinde rationale habet locum propriæ formæ; vel igitur concedendum eſt non omnes cauſas requiri ad hominis definitionem, vel hominem non habere alias cauſas, quàm materiam & formã; Probo hominem non habere externas cauſas, eas omnes conſiderando, quæ hominis cauſæ externæ eſſe exiſtimentur; ſi qua eſt cauſa efficiens hominis, ea eſt vel alter homo, vel ſemen eius, vel Sol, vel Cœlum, vel ſimile aliquid: horum tamen nullum eſt cauſa efficiens hominis, nam efficiens nulla alia ratione dicitur efficiens, quàm quia efficit, ergo tunc eſt efficiens, quando efficit: ſed homine exiſtente actu, pater nihil in eo facit, ergo non efficit ipſum, neque eſt eius efficiens, imò ſi quid efficit pater, efficit antequàm ſit ipſe filius & cùm primùm filius incipit eſſe, ceſſat tota efficientia patris, ergo tantum abeſt vt pater efficiat filium, vt potius filius cùm primùm eſt, tollat totam efficientiam patris, neque filius eo tempore eſſe poſſit, quãdo pater appellatur cauſa. Et reuera ſi conſideremus a quo nam habeat homo vt ſit, a forma tãtũ, & ſi materia id habet, quod facile ita probatur, ab ijs tãtũ habet homo, vt ſit homo; quibus poſitis, alijſque omnibus deſtructis homo eſt, ſed dũ ponimus hãc ſingularẽ formã in hac materia ſeruari, etiãſi pater ſupponatur corruptus, & corruptus Sol, ac vniuerſum Cœlum, quid enim de patre dicimus, de Sole quoque dicimus, qui non agit, niſi vtens altero homine vt inſtrumento; ergo à nullo habet homo vt ſit; niſi a ſua forma & materia; ſi enim eſſet poſſibile vt hæc forma, & materia ſeruaretur corrupto vniuerſo mundo, hìc homo eſſet, non eſt igitur cauſa hominis, a qua homo dum eſt, nullatenus pendet, quod idem de omni alia ſubſtantia compoſita intelligatur, nam vt ſit, non pendet ab alia cauſa, quàm a ſua materia, & a ſua forma. Sed cur Ariſtoteles dicit Sol & homo generant hominem? certè ſi Sol, & homo agunt, ſunt cauſæ efficientes generationis, non ſubſtantiæ ipſius hominis geniti, aliud enim eſt generatio, quæ eſt accidens quoddam, aliud eſt homo; ſi generationis cognitio quæratur, cognoſcenda erunt hæc omnia, vt cauſæ eius efficientes, hoc ſignificat vbique Ariſtoteles, quando de cauſis loquitur, cauſam enim efficientem vocat ſemper principium motus, & cauſam vnde motus; effectus enim ab ea productus non eſt niſi motus, & tranſmutatio ipſa; Sic etiam cùm dicit Sol & homo hominem generant, ſignificat Solem, & hominem eſſe cauſas generationis hominis, non ipſius hominis iam exiſtentis; & quamdiù motus ille durat, tàmdiù dicuntur cauſę, ceſſante autẽ motu, ceſſat tota eorũ cauſatio; ſolemus autẽ has etiã hominis cauſas appellare, quia homo non eſſet, niſi prius eſſet genitus, quare cauſæ generationis hominis, materię hominis quoque dici poſſe, cum tamen impropria ſit ea locutio, hominem en im ipſum nõ cauſant, neque faciunt eſſe hominem ſed ſolùm accidens quoddam hominis ſinè quo homo non eſſet; propterea dicimus vnum & ſimplex ſcibile ſumendum eſſe, cuius cauſæ conſiderentur, vt ſola hominis ſubſtantia abſtracta per intellectum ab alijs omnibus, quæ circa hominem contingunt; vel ſolam hominis generationem, vel hanc ſenſibilitatem, hoc enim quoque ab ipſo Ariſtotele obſeruatum videmus, qui tradere volens animalium cognitionem incipit ab ipſa animalium ſubſtantia, & prius materiam animalium conſiderauit in libris de partibus animalium; deinde formam in libris de anima, ſubſtantia enim ipſa animalium nullas habet alias cauſas præter has duas, deinde in formis naturalibus conſiderat, ſeparatim diuerſas animalium paſſiones, inter quos libros ſunt etiam libri de generatione animalium, in quibus tractatur abundè de cauſis efficientibus generationis animalium; has enim Ariſtoteles non ipſis animalibus vt cauſas tribuit, ſed huic generationi animalium. Videbimus etiam in hoc primo libro Phyſicorum quòd materia, & forma ſunt principia per ſe corporum naturalium, quia remanent vt partes

ipſorum;

ipsorum; priuatio verò est principium per se generationis, sed principium per accidens rei genitæ, quia in re genita non manet; vnde fit vt etiam rei genitæ tribuatur priuatio vt causa, quia res illa non esset, nisi prius genita esset, id tamen est per accidens; Hinc igitur est, quòd in definitione substantiæ compositæ non sumitur causa efficiens. Idem dicendum est de causa finali, duplex enim potest assignari hominis finis, vnus est finis generationis hominis, alter hominis geniti; finis generationis hominis est ipsa forma hominis, quę est causa generationis vt finis, hominis verò vt forma, ideò dici solet quòd in naturalibus causa finalis, & formalis in idem coincidunt; finis enim hominis geniti, est præstantissima operatio hominis, vt fœlicitas: sed hæc reuera non potest dici causa finalis hominis cùm sit potius accidens ipsum consequens, sed potius dicitur causa finalis omnium operationum hominis; omnia enim operatur homo, vt sit fęlix, sed non est homo vt sit felix, est enim homo per se, primo vt sit homo, vt hac quoque specie Mundus ornetur. consequitur enim humanam naturam hæc & illa operatio, & inter has illa dicitur finis aliarum, quia est omnium præstantissima. Sed dicere aliquis posset, si substantiæ compositæ non habent aliam finalem causam, saltem habent Deum, qui dicitur finis omnium rerum; ergo in omnium definitione oportebit ponere Deum; quia si eum non concedimus in doctrina Aristotelis non posse vocari causam effectricem substantiarum, saltem erit earum causa vt finis, hoc enim negato nullus alius modus remanet, quo dicamus Deum esse omnium rerum causam. Ad hoc dico quòd stando in Aristotelis philosophia Deus non est rerum finis vt aliæ causæ finales, nam causa finalis rei eatenus dicitur causa finalis quatenus mouet vt acquirenda, forma enim est causa finalis generationis vt in materia requiratur; fœlicitas dicitur hominis finis, seu finis omnium operationum humanarum, vt ab homine acquiratur, Deus autem non sic, eum enim res non acquirere volunt, sed ei assimilari, quælibet enim species est imago certi gradus perfectionis diuinæ, ideò forma est finis generationis, quia per acquisitionem formæ res fit Deo similis, dùm acquirit actum aliquem. Propterea Deus est causa finalis, prout per illam formam repræsentatur non vt quiddam diuersum ab ea, quod acquirendum proponatur, ipsa enim forma ibi loco Dei acquiritur, quare Deus est finis, quia forma est finis; res autem genita quęrit per medias suas operationes sibi seruare propriam perfectionem vt similior Deo sit, perfectior enim est forma operans, quàm ociosa, & quantò perfectior tantò similior Deo, quamuis igitur Deus sit finis tam substantiæ existentis, quam operantis, tamen in definitione non est sumendus, quia satis est sumere formam, quæ est gradus quidam perfectionis diuinæ, cum non sit Deus finis vt acquirendus in re, nisi prout forma est finis acquirendus tanquàm aliquid perfectionis diuinæ, vnde patet quod quando Deus dicitur aliarum rerum causa, id quodammodo eminentiore intelligendum est, sicuti omnia alia quæ Deo attribuimus, ei conueniunt modo eminentiore quàm alijs rebus, quare dicitur etiam causare non eo modo, quo aliæ causæ causant, sed longè eminentiore. Possumus præterea dicere quòd omnis substantia composita est de consideratione philosophi naturalis, quando igitur tradenda est eius definitio, quæ quidem a solo naturali tradi potest, in ea sunt sumendæ illæ causæ, quæ intra limites naturales continentur, quare materia sola, ac forma talem definitionem ingredientur; Deus verò dato quòd numeretur inter eius causas, tamen in definitione accipiendus non est, quia supergreditur naturalem considerationem, præsertim ea ratione, qua dicitur esse omnium rerum causa finalis: nos autem dicimus quòd ad habendam rei cognitionem in genere perfectam, satis est cognoscere omnes causas, quę ab ea scientia possunt considerari, quòd si loquamur de perfecta simpliciter rerum cognitione, eam non per solam naturalem considerationem habetur, sed etiam per Metaphysicam, vbi consideratur ens

omnes

omne, quatenus ens est, & Deus vt causa omnium entium cognoscitur, sub qua consideratione cadunt omnia naturalia corpora, quatenus participant rationem entis, ideo perfectam tunc habemus eorum cognitionem, quando non solùm vt talia corpora cognoscuntur, verum etiam ea ratione, qua entia sunt; nec propterea dico ex naturalibus, & supernaturalibus causis esse constituendum vnam perfectam definitionem hominis, vel equi, quia non datur hoc aggregatum, hic Hermaphroditus, sed dico quòd homo, vel equus tunc perfectè erit cognitus, quando aliquis, & naturalem philosophiam, & diuinam apprehenderit, ab vna enim erit cognitus sub ratione particulari qua tale corpus, ab altera verò sub ratione vniuersali qua ens est, vbi cognoscuntur illæ causæ transcendentes, si enim in definitione hominis, vel equi poneremus Deum, Hermaphroditum faceremus, quia rei naturali vt naturalis est attribueremus causas transcendentes, quæ ei non conueniunt, nisi quatenus est super naturalis, idest, quatenus ens, non quatenus homo, vel equus. Ex his patet, quòd nulla alia causa præter materiam, & formam remanet, quam accipiamus in definitione substantiæ compositæ, quia hæc substantia non habet in naturali philosophia alias causas; super est vt videamus an requiratur cognitio materiæ, & formæ, tàm propinquarum, quàm remotarum, cùm enim remotę in definitione non sumantur, fortasse alicui videretur has non requiri ad habendam perfectam rei cognitionem; requiruntur tamen, quia cùm definio hominem per animal rationale, habeo per hanc definitionem cognitionem hominis distinctam, sic autem etiam partes definitionis distinctè cognosco, eas enim si ignoro non possum per eas hominem distinctè cognoscere; cùm igitur animal in definitione tamquàm materia sumatur, quod materiam priorem habet (ex materia enim, & forma constat) necesse est animalis quoque essentiam distinctè cognoscam per suas causas componentes. Et similiter si in animalis definitione aliquod genus sumatur constans ex materia & forma, oportet materiam illam & formam cognoscere, donec perueniatur ad materiam primam, quæ simplex est, & formam primam inter naturales. Hac ratione est cognoscendum animal in definitione hominis acceptum, oportet enim vt omnes eius essentiales partes prius cognouerim, per quas omnes hominem definio, quia licèt omnes non exprimantur, satis est exprimere animal, in quo omnes continentur, & cognoscere quòd in animali contineantur; patet igitur quòd ad habendam cognitionem perfectam substantiæ compositæ per suam definitionem, necesse est cognoscere omnes causas, & materiales, & formales, & propinquas, & remotas, non dico necesse esse exprimere omnes in definitione, satis enim est solas proximas exprimere, sed necesse esse vt sint prius cognitæ, quia hæc definitionis assignatio, eas notas supponit, quia sine earum cognitione inutiliter definitio adducitur, simul ergo stat, quòd in definitione perfecta non sumantur omnes causæ remotæ, & quòd ad definitionem requiratur earum omnium cognitio. Est præterea hìc summopere animaduertendum id quod declarauimus, dùm loqueremur de proprio subiecto, in his physicis libris, quòd quando dicimus perfectam alicuius rei cognitionem, vt hominis, postulare vt cognoscantur omnes causæ hominis propinquæ, & remotæ, hoc non ita est intelligendum, vt remotas hominis causas tribuamus homini, nam causa remota (vt ait Auerroes primo Posteriorum sexagesimo quinto,) numeratur inter ea, quę sunt per accidens, cum igitur necessarium sit primo loco, cognoscere materiam primam, nam hæc quoque in homine inest, non tamen oportet eam vt hominis materiam considerare, sed corporis naturalis, sub quo etiam homo comprehenditur. Deinde cum materiam secundam, idest, quatuor elementa consideremus, quæ quidem in homine reperiuntur, ea considerare oportet, vt materiam corporis mixti, sub quo continetur homo, sed non vt hominis, hoc idem de formis dico, vt cuique tribuamus id, quod primò ei conuenit, & nunquàm remotam causam attribuamus

ei,

ei, cui est remota; sed alicui communiori, cui est propria & proxima, inquit enim Auerroes in decimo quæsito logico quòd nulla est causa remota respectu alicuius effectus, quæ non sit causa proxima respectu communioris effectus, & ideò causa remota nunquam consideratur vt rem ota, sed semper vt proxima. Cum igitur dicimus, quòd definitio hominis supponit esse prius nota omnia superiora genera, ac differentias remotiores, id sano modo accipiendum est, vt eorum singulum non vt hominis materia, vel forma sit cognitum, sed alterius communioris, vel hominis quidem, non tamen accepti, vt homo est, sed sub conceptu communiore. Vnde facile est colligere, vanum fuisse argumentum quod Marcus Antonius Ianua ex hoc primo textu desumebat ad probandum, quod corpus naturale mixtum sit subiectum adæquatum in tota naturali Philosophia, ipse enim perpendebat illa verba [tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa] quæ ipse ita interpretabatur; tunc singulam rem cognoscimus, quando cognoscimus omnes eius causas, incipiendo a remotissimis, quę dicuntur principia, & transeundo per medias quæ dicuntur causæ, donec perueniamus ad proximas, quæ dicuntur eleméta; vnde colligebat quòd subiectũ Philosophię naturalis tale esse debet, quòd habeat causas primas, & medias, & vltimas, cuiusmodi est corpus mixtum, vt in prælectionibus declarauimus. Quòd argumentum nullius roboris esse iam ostendi in eorũ verborum interpretatione, quia innititur falsa expositione eorum verborum; falsa enim est ibi Auerrois expositio, hæc autem adhùc falsior, quia differt aliquantum ab ea, quam Auerroes posuit, nam Auerroes per principia prima exposuit causas remotas externas, per causas primas causas remotas internas; Ianua verò per principia prima causas remotas efficientem, & materialem; per causas primas causas secundarias efficientem & materialem, quam expositionem verba ipsa non admittunt, cùm enim Aristoteles dicat [causas primas] non possumus intelligere secundas. Præterea Aristoteles non dicit progrediendum esse a principijs ad causas, a causis ad elementa, sed a principijs primis, & causis primis ad elementa, quare multo apparentior est expositio Auerrois, hæc autem, quam Ianua inuenit, neque veritatem vllam, neque apparentiam habet: dico tamen nunc quòd etiam admissa hac expositione argumentum nullum potest colligi pro corpore mixto, imò ex ea ego oppositum colligam, dum enim dicit quòd corpus mixtum habet principia remota, dicit ea esse principia proxima cuiusdam communioris corpore mixto, non enim alio modo possunt esse remota quàm quia alicui communiori sint propinqua, ergo illud communius erit subiectum, nõ corpus mixtum. Si enim hæc principia remota considerarentur ab Aristotele vt principia corporis mixti, esset consideratio accidentalis, vt nos in prælectionibus abundè demonstrauimus; vnde patet quòd cum Ianua dicat subiectum adæquatum scientiæ habere debere principia & remota, & propinqua, in hoc dicto implicat contradictionem, habens enim principia remota non potest esse subiectum adæquatum, & de hoc satis; iam reuertamur vnde sumus digressi.

Delarauimus, quomodo in cognitione substantiæ perfecta necesse sit omnes causas cognoscere, nunc idem in accidentium cognitione demonstremus. Accidentium quoque perfecta cognitio, vt aliàs in libro Posteriorum ostendimus in definitione perfecta consistit, quæ non potest constitui, nisi ex potissima demonstratione extrahatur, vt Aristoteles ipse docet in secundo libro Posteriorum; propterea demonstrationem ipsam consideremus, res enim in definitione erit manifesta, cum demonstratio, & definitio accidentis re non distinguantur. Sciendum primò quòd accidentia non habent propriè loquendo causas internas materiam & formam, sed modo quodam, materia enim accidentis nulla est alia, quàm subiectum, & est materia externa, in qua est, non interna, ex qua fiat, hæc materia in demonstratione necessariò reperitur,

ritur, non tamen vt medius terminus, sed vt minor extremitas de qua fit demonstratio. Formam etiam, seu causam formalem passio non habet, quia omne accidens est forma quædam, quæ potius dici debet forma causata quàm forma causa; significat enim quidditatem ipsam accidentis, quæ ab externa causa pendet, sicuti Aristoteles docet in secundo Posteriorum textu nono antiquo. Solet hæc forma seu quidditas significari per definitionem illam quidditatiuam, quæ ab Aristotele secundo Posteriorum textibus octauo, nono, decimo, antiquis vocatur definitio nominalis data per genus ipsius passionis contractum, sicuti cùm dicimus risibilitatem esse quamdam naturalem potentiam ad ridendum, & Ecclipsim esse priuationem quamdam luminis; Hęc forma, hæc definitio vt in secundo Posteriorum demonstrauimus cum Auerroe, in demonstratione locum habet maioris extremi: vult enim ibi Auerroes quòd parum referat an maius extremum ponamus ipsum passionis nomen, an eius definitionem quidditatiuam, quæ idem significat quod nomen, & vocatur ab Auerroe declaratio nominis, seu oratio declarans quid significat nomen, hæc enim debet ante definitionem præcognosci; vt Aristoteles in primo libro Posteriorum docuerat; restat igitur vt medius terminus non possit esse nisi causa extrinseca, videlicet efficiens, vel finis, vt clarè docet Auerroes in secundo Posteriorum. Immò est Aristotelis sententia in secundo Posteriorum textu nono, quòd passio non possit habere aliam causam, quàm externam; in quibusdam enim nulla est causa finalis vt in Ecclipsi, ideo in talibus medium est causa efficiens; in habentibus autem causam finalem necessarium est eam in medio termino sumere, & tunc vel simul efficientem cum finali accipimus, nempe talem causam efficientem, vt motum, & tractum a tali fine, vel solam finalem causam in medio ponimus supponendo efficientem vt notam, immò quandoque etiam efficientem simul cum subiecto in minore extremo complectimur, vt aliàs declarauimus in secundo libro Posteriorum in cap. de causis. Ex his autem patet quòd in demonstratione passionis omnes eius causæ continentur; idest, omnia causarum genera, quæ ea passio habet, materia, forma, & efficiens, & in quibusdam etiam finis, quare finem habent. Si igitur demonstratio in definitionem illam præstantissimam transmutatur, quę re ipsa a demonstratione non differt, certum est in definitione passionis contineri omnia genera causarum, quæ illa passio habet, licèt causæ passionis propriè appellentur illæ, quæ medij termini locum obtinent, quia materiam, & formam propriè sumptas, accidentia non habent. De causis autem remotis idem dicamus, quod de substantiarum definitione dictum est, sed fusius a nobis est declaratum in secundo Posteriorum textu octauo. Omnes enim causæ remotæ virtute quadam in proxima causa continentur; quæ cùm ab eis pendeat tam in esse, quàm in cognosci, eas & supponit, & notas supponit, vana enim fuisset acceptio causæ proximæ, si remotiores causæ ignorarentur, quæ ipsius causæ sunt, respectus enim causæ remotæ ad proximam est vt causæ ad effectum; quare remotis causis ignoratis, etiam proxima causa ignoraretur, & sic medio vteremur ignoto. Necesse est igitur vt in causa proxima includantur omnes remotæ, quæ earum omnium virtute munita tradit perfectam passionis cognitionem. Patet igitur quòd simul stabit quòd in demonstratione & cognitione accidentis solæ proximæ causæ exprimantur, tamen perfecta scientia passionis per demonstrationem seu definitionem non habeatur sine cognitione omnium causarum & remotarum & propinquarum; Idque verum est in omnibus generibus causarum; si enim de efficiente, & fine loquamur, necesse est notum supponi finem remotiorem, vel efficientem remotiorem, ab his enim pendet finis proximus, & proximus efficiens; si verò de genere passionis loquamur, quod eius formam, idest, essentiam declarat, necesse est illud quoque cognitum esse, & intelligi quod eius nomen significet, quod non potest fieri sine cognitione generis illius, & sic omnia genera erunt cognoscenda, quorum conside-

ratio habeat locum in illa scientia; supremo enim ignorato, omnia inferiora ignorari necesse est. Si tandem de accidentis materia idest, de subiecto loquamur, idem dicendum est; si enim homo sit subiectum proximum risibilitatis, animal erit subiectum remotum, corpus vero adhuc remotius, quæ omnia supponuntur nota, vt de subiecto homine præcognitio habeatur, quid nomen significet. Præterea communiora in scientijs semper anteponuntur, ideò numquàm quęruntur de homine propriæ passiones, quin prius fuerint tractatæ passiones generum superiorum, quare omnia superiora supponuntur nota, quæ remotioris materiæ locum habebunt. Ad argumenta in principio adducta in oppositum, dico ad primum, quòd licet in definitione substantiæ compositæ non accipiatur nisi proxima materia, & proxima forma, tamen necessario supponuntur notæ omnes materiæ, & formæ remotiores, secus enim illa definitio inutiliter afferretur, neque intelligi posset. Ad secundum dico quòd quæstio propter quid est vnius causæ quæstio, quia reliquæ supponuntur notæ; cùm enim dico, propter quid ambulas? causam quæro finalem, efficientem enim iam cognosco, est enim anima, subiectum similiter, est homo ipse, propterea verum non est quod aliqui putant, videlicet quòd in talibus sufficiat vna tantum causa ad perfectam rei cognitionem, quamuis enim vna quæratur, & vna respondeat, & satisfaciat quæsito, hoc tamen est, quia aliæ supponuntur notæ, quare requiritur cognitio omnium causarum. Similiter in demonstrationibus, quando enim subiectum passionis cognoscimus, & nomen intelligimus, quærimus propter quid, quia eam causam quærimus, quam ignoramus, & est efficiens, vel finis; quando autem etiam inhærentiam passionis in subiecto ignoramus, quærimus an insit, & demonstrantes per causam inueniemus quòd in eo subiecto inest, & propter quam causam inest; forma vero, id est, definitio quidditatiua debet esse præcognita; quare facta demonstratione habemus perfectam scientiam, quia omnes causas cognoscimus, partim per demonstrationem, partim ante demonstrationem. Cum autem Aristoteles dicat vnius rei vnam esse causam, intelligit eam, quæ est medius terminus in demonstratione, quæ dicitur causa, propter quam res est, quod etiam in substantia composita videmus euenire, sola enim forma est causa adæquata compositi, ab ea enim habet an sit, nec tamen propterea materiam excludimus, & alias remotiores formas, hæ nãque omnes a forma proxima suponũtur, quia non causaret forma sine materia, & sine communioribus, & remotioribus formis.

Textus Secundus.

Innata autem est ex notioribus via, & manifestioribus ad manifestiora natura, & notiora; non enim sunt eadem, & nobis nota, & simpliciter. Qua propter necesse est ad hunc modum procedere, ex immanifestioribus quidem natura, nobis autem manifestioribus ad manifestiora natura, & notiora.



QVID in hoc secundo, & tertio textu agat Aristoteles non conuenit inter expositores. Alij enim dicũt eum loqui velle de via doctrinæ, qua vti vult ad principiorum cognitionem adipiscendam. Alij verò de ordine, quem est seruaturus in tractatione de principijs; Nos hac de re in presentia non disputabimus, sed facilioris doctrinæ gratia supponemus veram esse eorum sententiam, qui dicunt Aristotelem de Via doctrinæ loqui, qua est vsurus ad principiorum inuentionem, & iuxta hanc sententiam interpretabimur

mur hunc secundum contextum; postea declarato textu tertio, ostendemus eos aberrasse qui dixerunt Aristotelem in his duobus textibus, de ordine loqui. In hoc igitur secundo Aristoteles docet qua via est vsurus pro cognitione principiorum, quam viam esse dicit, vt à notioribus nobis tentemus peruenire ad principiorum latentium cognitionem, quæ autem sint hæc notiora nobis, id in tertio Textu audiemus, nunc satis sit si hoc intelligamus, Aristotelem in secundo textu concludere procedẽdum esse ex notioribus nobis ad principiorum cognitionem, quæ autem, & qualis sit via hæc, in textu tertio declarabit, hìc enim iam confusè proponit, ibi exactius eam declarabit. Textus hìc potest in tres partes diuidi. In prima assumit quandam propositionem, in qua apparet continuatio huius secundi textus cum primo; In secunda ponit dictum quoddam pertinens ad declarationem illius propositionis, & simul ad solutionem tacitæ cuiusdam obiectionis; In tertia infert consequens ex illa assumpta propositione, in quo confusè continetur via doctrinæ ad inuentionem principiorum. Quod ad primam partem attinet, cùm Aristoteles in vltimis verbis primi textus, conclusisset tentandum primò esse de principijs agere, statim vidit aliquem obijcere posse, quòd ista prima principia sunt ignota, quare non videtur posse rerũ naturalium scientiam acquiri, cùm ea sit habenda ex cognitione principiorum, & hęc sint ignota, non enim ab ignotis est progrediendum; ideò Aristoteles statim in secundo textu subdit innatam esse nobis ipsam viam, nempè vt a notioribus nobis progrediamur ad principia cognoscenda, quæ sunt nobis ignota, naturę autem nota, prima enim principia sunt nota naturæ, nobis autem ignota, quare ad eorum cognitionem habendam oportet nos procedere ab aliquibus notis; Significatur igitur his continuatio cum primo textu talis, de primis principijs agendum primò est, quoniam autem sunt ignota, innata est nobis ipsa via ad principia, quæ est vt a notioribus nobis ea inuestigemus, hanc autem continuandi vim habet articulus Græcus ἡ ὁδὸς idest via ipsa ad principia; Notandum est autem hanc esse viam doctrinæ diuersam ab illa, quam Aristoteles in textu primo significauit in tota hac scientia seruandam esse, nam illa fuit via doctrinæ principalis, hæc autem secundaria, quia si principia primo loco nota haberemus, ab ijs statim ad causata progrederemur, à priori, quæ est via principalis, neque oporteret vti altera via a posteriori pro principiorum inuestigatione, sed quoniam propter nostram imperfectionem contingit vt principia ignoremus, ideò cogimur ad secundariam viam confugere, qua prius principia ex principiatis cognoscimus, vt mox à principijs inuentis regrediamur ad principiatum. Ideò Aristoteles manifestissimè hìc regressum ponit, & multi sunt, qui hoc in loco eum nõ vidẽt, & eum audent negare. Sed hìc antequam vlterius progrediamur duo sunt nobis declaranda pro huius totius textus intelligentia; vnum est quænam sint ea, quæ nobis nota sunt, & quænam sint naturæ nota, alterum autem quomodo natura dicatur cognoscere, dum dicimus aliqua esse naturæ nota. Quod ad primum attinet, aliqui dixerunt, causas, & principia esse naturæ nota, effecta verò, & principia esse nobis nota; quare etiam è conuerso causata sunt ignota naturæ, causæ autem ignotæ nobis, quæ sententia mihi non probatur, quia hoc modo ratio cognoscendi nostra opponeretur rationi cognoscendi naturæ, dum diceremus nota nobis esse causata vt causata, naturę verò causas, vt causas, quare hæc duo nunquam possent coincidere in eodem, vt videlicet aliqua eadem res esset simul nobis, & naturæ nota, quod tamen nobis quandoque euenit, vt in Mathematicis, vbi statim occurrunt nota ipsa prima principia, quæ simul sunt etiam naturæ nota, quare melius est si dicamus primo nobis notum esse sensatum quatenus sensatum, naturæ vero causam vt causa est vt ratio nostræ cognitionis sit quidem diuersa à ratione cognitionis naturæ, sed non illi opposita, vnde fit vt quandoque coincidere possint, quamuis enim vt plurimùm contingat vt effecta sint sensata, causæ verò insensibiles, tamen contingere aliquan-

do potest vt idem simul sit, & causa & sensata, vt in Mathematicis prima principia sunt primo naturæ nota, quia principia prima sunt, & nobis, quia sensata; quare è contrario erit nobis ignotum insensibile, quatenus insensibile; naturæ verò effectum, quatenus effectum. Sed hoc magis intelligetur, si declarauerimus quomodo natura dicatur cognoscere, hoc enim fortasse alicui dubium videbitur, cùm natura nihil cognoscat. Aliqui dixerunt causas dici notas naturæ, quia si natura cognosceret, prius cognosceret causas quàm effecta, quia facit causata ex suis causis. Cuius sententiæ videtur fuisse Auerroes in Commentario tertio, licet non ita clarè hoc dicatur ab Auerroe, vt multi putant, Auerroes enim hanc reddit rationem, causæ sunt notæ apud naturam, quia natura facit composita ex causis; deinde subdit non tamquàm rationem, sed tamquam consequens: ideò si natura cognosceret, prius causas cognosceret, quare ad harum sensum trahi possunt Auerrois verba. Sed quicquid sit de Auerroe hæc sententia non est accipienda, quia ad dubium nihil dicit, quando enim satisfacimus alicui difficultati vtentes aliqua conditione impossibili, tunc difficultas integra manet, sicuti faciunt hi dicentes, quòd causæ sunt notæ naturæ, quia si natura cognosceret, prius cognosceret causas, quàm causata; at ego dicam, conditio illa est impossibilis, quia nunquam natura cognoscit, ergo nunquàm causæ notæ erunt naturæ, quomodo ergo hìc Aristoteles dicit quòd principia sunt naturę nota, si natura nil potest cognoscere? Thomas hoc in loco huic difficultati optimè satisfacit, & eum plurimi sequuntur, qui dicit Aristotelem hìc non dicere causas esse notas naturæ, quia natura cognoscat, sed quia secundum propriam naturam sunt ex se cognoscibiles; propterea videtur illa dictio Græca φύσει non in datiuo casu, sed in ablatiuo esse vertenda in latinum, vt dicamus causas esse notas natura, non naturæ, quod ipse quoque Aristoteles significat sequentibus verbis, dùm eam dictionem, natura, mutabit in eam, [simpliciter] vt sensus sit, quòd causæ si non ad nostrum cognoscendi modum referantur, sed simpliciter, & secundum propriam naturam considerentur, habent rationem noti, effectus verò sunt secundum suam naturam ignoti, idest, dum secundum seipsam consideramus & causæ, & effectus naturam. Causa ex se est cognoscibilis, quia sicut ab alio non pendet quatenus est causa, ita ex alio non habet vt cognoscatur, quia vt res se habet ad esse, ita ad cognosci; effectus verò quatenus effectus, habet rationem rei ignotę secundùm naturam suam, quia sicuti secundùm esse pendet ab alio, item & secundùm cognosci, ex causa enim habet vt cognoscatur, sicuti ab ea habet vt sit, dùm igitur res consideramus secundùm suas naturas, causæ sunt sua natura notæ, effectus verò sua natura ignoti, & dùm res ipsas nostris viribus accommodamus, sępè contingit vt res contrario modo se habent, quamuis enim causa secundùm suam naturam sit magis nota, quàm effectus, cùm tamen contingat vt causa sit insensibilis, effectus verò sensibilis, nos primo loco effectum cognoscimus, causam verò ignoramus. Notandum autem quòd cùm Aristoteles dicit notiora nobis vel natura, hoc non debet intelligi secundum intentionem cognitionis, sed secundum ordinem temporis, videlicet quòd nobis confusæ cognitione prius occurrunt effectus sensibiles, at secundùm naturam rerum deberent prius occurrere causæ, quàm effectus, quia causæ sunt ex se cognoscibiles, at effectus cognoscuntur perfectè ex cognitione causarum. Aliqui sunt qui dicunt, quòd sicuti illa dictio φύσει est intelligenda in ablatiuo casu, ita etiam illa dictio nobis, vt sensus sit secundùm naturam, & secundùm nos. Quæ sententia mihi non probatur, quia locutio illa esset incongrua, & inusitata, nunquàm enim dicimus nobis, idest, secundùm nostram naturam, dicimus tamen, natura, & suapte natura. Notandum est etiam in hac propositione Aristotelis quòd dum dicit innatam esse in nobis viam hanc, vt a notioribus nobis progrediamur ad notiora natura, debeamus intelligere viam hanc esse nobis insitam, & rationalem non ratione termini ad quem, sed

ſed ratione termini a quo, prout ponuntur ab ipſo Ariſtotele in textu hi duo termini, eſt enim nobis inſitum & naturale, vt procedamus a notioribus nobis, quatenus notiora nobis ſunt, ſed non ad nota natura, quatenus ſint nota natura, vel ignota; hoc enim non conſideramus, ſed potius quatenus ſunt ignota nobis, hi enim ſunt duo termini, ratione quorum eſt hæc via nobis rationalis à notis nobis, & ad ignota nobis; Ariſtoteles autem dicit ad nota natura, non quia ſemper hoc ita ſe habeat, cum poſſit euenire vt procedamus ſimul a notis nobis,& natura, ad ſimul ignota nobis & natura, vt in Mathematicis contingit, ſed hoc dicit ſtando in propoſito de primis principijs naturalibus, quæ ſunt nota natura & ignota nobis, ad hæc enim nobis occulta, & natura nota dicit innatam eſſe nobis viam à notis nobis, quaſi dicat, ad hæc principia inueſtiganda viam in promptu habemus, quia eſt nobis inſita ſecundum naturam. Quomodo autem ſit nobis innata hæc via, facilè eſt demonſtrare, nihil enim nobis eſt magis naturale, quàm ratio ipſa & intellectus, eo enim homines ſumus, ipſi autem intellectui rerum cognitionem appetenti eſt naturale & eſſentiale, vt à notis ad ignota progrediatur; proprium enim intellectus noſtri eſt ratiocinari & diſcurrere; diſcurſus autem tendit ad ignota, & incipit à notis, ſecùs enim eſſet inutilis, eſt igitur hæc via nobis naturaliter inſita, quia intellectus eſt natura noſtra. [non, enim eadem ſunt, & nobis nota, & ſimpliciter] Subdit hæc verba Ariſtoteles ad maiorem declarationem dictę propoſitionis, & ad tollendum vnicam obiectionem, cùm enim dixerit, quòd innnata eſt nobis via à notis nobis ad nota natura, credere aliquis potuiſſet hoc non rectè dictum fuiſſe, cùm dicendum potius videatur omnem noſtram cognitionem eſſe conformem naturæ rerum, & omne notum ſecundum naturam eſſe etiam nobis notum. dicit Ariſtoteles hoc non eſſe verum, quia non eadem ſunt nobis nota, & natura, ſed quæ ſunt natura nota, ſunt ignota nobis, ideò rectè dixit a notis nobis eſſe procedendum ad nota natura; hæc autem verba ſunt redditio cauſæ præcedentium verborum cùm remotione obiectionis. Sed horum verborum ſenſus obſcurus eſt, & multis negotium faceſſit, nam certum eſt Ariſtotelem loqui de prima noſtra naturali cognitione, quando ſumus in ſtatu imperfectionis, & ignorantiæ conſtituti, tunc enim nobis primo nota ſunt ſenſata, vt ſupra dictum eſt, quando enim ad ſtatum perfectionis, & ſcientiæ peruenimus, ſententia hæc Ariſtotelis eſſet manifeſtè falſa, tunc enim cauſas cognoſcimus, & ex cauſis procedimus ad cognitionem effectuum, quare procedimus a notis, & natura, & nobis ſimul ad ignota, & natura, & nobis ſimul. Attamen conſiderando primum noſtrum imperfectionis ſtatum, de quo reuera Ariſtoteles loquitur, hæc propoſitio vera non videtur, nam in ſcientijs Mathematicis eſt falſum, quòd non ſint eadem primò nota nobis, & natura, nobis enim primo nota occurrunt principia prima, quia ſunt ſenſata, & eadem ſunt primò nota natura, quia principia, quod in hoc Commentario clarè dicitur ab Auerroe, quòd ſi quis dicat Ariſtotelem non loqui de Mathematicis ſed de naturalibus tantùm, adhùc fieri poteſt inſtantia ex Auerroe in Commentario præſenti, vbi dicit quòd, etiam in ſcientia naturali quandoque contingit quamuis rarò, vt cauſæ ſint ſenſatæ, & ſic primo nobis & natura notæ, ergo etiam in naturalibus poſſunt eadem eſſe primo nobis nota, & natura, quod tamen Ariſtoteles negat. Sed hæ inſtantiæ facile ſoluuntur, ſi bene expendatur modus loquendi Ariſtotelis in his verbis, ſignificat enim negationem non vniuerſalem, ſed particularem, quia cum dicit [non eadem] perinde eſt ac ſi dicat non omnia nota natura eſſe, etiam nobis nota, quare non dicit Ariſtoteles nunquàm euenire poſſe, ſed dicit quòd non ſemper euenit, vt eadem ſint nota natura, & nobis, & hoc ſufficit ad declarationem primæ propoſitionis. Quòd enim procedamus a notis nobis ad nota natura, id fit, quoniam non ſemper, quæ ſunt nota natura, ſunt nobis primò nota, ſicuti euenit hìc de primis principijs, quæ tractanda propoſuimus: quòd

D 3 ſi quis



si quis dicat, non debent sumi in scientijs propositiones particulares, quia nullam sciẽtiam faciunt; dicendum est cum Auerroe in Epitomè primi libri priorum in cap. de prima figura, quòd syllogismi, & propositiones particulares vsitantur etiam in scientijs contemplatiuis, non tamen ad construendum aliquid, & sciendum; sed ad destruendum, & infringendum, infringimùs enim vniuersalem negatiuam per particularem affirmatiuam oppositam; & vniuersalem affirmatiuam per particularem negatiuam vt hìc Aristoteles facit, vult enim infringere hanc vniuersalem affirmatiuam; omne nobis notum est natura notum, quare scopum in scientijs est semper ipsum vniuersale, vel comprobandũ vel reprobandum. Possemus etiam dicere, quòd respiciendo non res ipsas cognitas, sed rationem cognitionis, & nostræ, & naturæ, potest hæc negatio Aristotelis sumi vt vniuersalis, quamuis enim contingat eandem rẽ occurrere primò nobis, & natura notam, tamen non eadem ratione dicitur vnà natura, & nobis nota; est enim nota natura, quia est causa, est nota nobis, quia sensata; erit ergo sensus; nunquàm contingit, vt ratio cognoscendi nostra sit eadem cum ratione cognoscendi secundum naturam, sed prior responsio est melior, & tutior, & ad Aristotelem magis accommodata. [Qua propter necesse est ad hunc modum procedere]. In hac tertia particula textus Aristoteles infert consequens ex dictis in prima, & consequentia talis est, innata est nobis ipsa via, qua ex notis nobis procedamus ad principia, quæ sunt nobis ignota, & nota natura, ergo necesse est per hanc viam procedere, & ex notis nobis tendere ad principia ignota, nota autem secundum naturam. Multi hìc contra Auerroem notant, quòd non est verum quod in primo Commentario dixit, nomina idem significantia non esse in scientijs vsitata, hìc enim Aristoteles vtitur vocibus idem significantibus cùm dicat, [manifestiora, & notiora] quod facit ad maiorem expressionem & efficacciam. Dictio illa [necesse] significat necessitatem ex suppositione nostræ imperfectionis, & ignorantiæ, quia secundùm intentionem principalem artificis non esset necessarium hac via vti, quia nota natura essent etiam nobis nota, sed supposito, quòd principia ignoremus, & ab ijs est incipiendum, nec possumus procedere ab ignotis, necessarium est vti via doctrinæ secundaria, qua principia inueniamus: hoc autem consequens ab Aristotele his verbis illatum sumetur in sequenti textu, vt probatio maioris syllogismi, quem facit Aristoteles ad melius declarandam, & distinctius hanc viam doctrinæ, quam nunc confusè solùm, & leuiter attigimus.

Textus Tertius.

Sunt autem primùm nobis dilucida, & manifesta confusa magis; posterius autẽ ex his nota fiunt elementa, & principia ijs, qui diuidunt hæc.

PRAETERMISSIS aliorum sententijs, quas in principio quarti textus considerabimus, & refellemus, propositum Aristotelis est in tertio textu declarare hanc doctrinę viam, qua vti vult ad principiorum cognitionem, quia in textu secundo ipsam leuiter solùm adumbrauit, id autem facit sumendo consequens in fine secundi textus illatum vt maiorem syllogismi, cui nunc addit minorem, & conclusionem, in qua declarat manifestè quænam sit hæc doctrinæ via, & est expositio, quam sequuntur Themistius, Simplicius, & Auerroes; est autem syllogismus Aristotelis talis: A notioribus nobis est procedendum ad cognoscendum principia nobis ignota, & natura nota, sed magis confusa sunt, notiora nobis, ergo a magis confusis est procedendum, ad cognitionem

gnitionem

gnitionem principiorum; minor ponitur in principio huius textus, conclusio verò ibi [posterius autem] Vel si ea verba non sunt ipsa conclusio, sunt saltem declaratio minoris, vnde facile fit nobis conclusionem ipsam colligere. Hæc est sententia rudis huius contextus, cuius plena intelligentia consistit in declaratione eius vocis [confusa] hac enim intellecta, totus textus est manifestus; confusum hìc videtur significare totum aliquid, quod ex multis partibus constet, quæ cùm simul iunctæ, & confusæ sint, totum illud vocatur confusum; totum autem & partes tribus modis accipi potest, quare triplex etiam dabitur confusum, vt ex Auerroe in commentario quinto colligimus, vbi declarat tres modos totius compositionis ex partibus. Prima est compositio logica generis ex suis speciebus, de qua loquebatur Porphyrius in cap. de specie, dicens genus esse totum, species verò partes, & quia hæ partes in toto non actu, sed potestate continentur, ideò vocatur totum potentiale, siue totum prædicabile, siue totum commune. Secunda est compositio speciei ex partibus suis essentialibus genere, ac differentia, qua ratione species vocatur totum, genus verò, & differentia sunt eius partes, & vocatur totum definibile, partes vero essentiales, de qua compositione loquebatur Porphyrius in cap. de differentia, dùm dixit speciem ex genere & differentia constare tàmquàm ex materia, & forma. Tertia est compositio totius ex partibus secundùm quantitatem, quæ vocari solent partes integrantes, vtcùm dicimus hominem totum constare ex capite, brachijs, pectore, ventre, cruribus, & alijs membris, quæ quidem est maximè propria, & euidens acceptio totius, & partium. Inter hæc tria tota est hæc differentia, quòd primum, & secundum ab intellectu cognoscuntur, tertium verò à sensu; propterea maximè in promptu, & propria est tertia illa significatio, est tamen inter illa tria hæc conuenientia, vt ait Auerroes, quòd totum quomodocunque acceptum nobis notius est, quàm partes, sensus enim prius totum ipsum quantitatiuum considerat vt totam domum, totam mulierem, quàm ad singulorum partium distinctam considerationem se conuertat; ita & intellectus prius cognoscit totum prædicabile, vel totum definibile, quàm partes eius. Si enim genus consideretur, vt totum potentiale, omnes species continens, est prius notum, quàm species; quod si consideretur species vt totum definibile; & genus vt eius pars essentialis, prius cognoscitur species, quàm genus. Cùm igitur omne totum vt ex partibus suis conflatum dicatur confusum, controuersia est, quid nam Aristoteles hìc per [confusa] intelligat, cum de omni confuso verum videatur, quod est nobis notius, idest prius notum; quid dicant alij postea considerabo, nunc dico accipiendam esse sententiam, in qua Themistius, Simplicius, & Auerroes conuenerunt, quòd Aristoteles intelligat per confusum totum secundo modo acceptum, idest totum definibile, quod est ipsum compositum respectu partium essentialium, quæ sunt illa interna principia, & elementa, de quibus Aristoteles in hoc libro agendum esse proponit; hìc enim Aristoteles loquitur de via doctrinæ, qua illa prima principia interna, & elementa inueniuntur, hæc non potest esse alia, quàm a posteriori, ab effectibus, quæ dicitur demonstratio quia, ab effectibus namquè vt notioribus nobis principia ignota inueniemus, ipsum autem compositum comparatur principijs internis componentibus vt effectus causæ. Dicit igitur Aristoteles à compositis, quæ sunt quædam confusa, & nobis nota, quia sunt sensata, esse procedendum à posteriori ad cognitionem principiorum, quæ sunt nobis ignota, quia non sunt sensibilia. In verbis est notanda illa particula [primùm] quę significat Aristotelem superiùs per notiora significasse ordinem temporis, non intensionem cognitionis, cùm hic eam dictionem [notiora] mutet in hæc verba [primùm nota] quasi seipsum declarans, cui dictioni [primùm] respondet illa particula [posteriùs] prius enim tempore cognoscimus effectus, ipsa composita, posterius verò ex his ducimur ad causarum cognitionem. Possumus autem in his quoquè

verbis


verbis notare Aristotelem vti vocibus idem significantibus, cùm dicat [nota, & manifesta] inter quæ nulla potest assignari differentia; verba autem illa, [posterius autem ex his] conclusionem syllogismi continere videntur, quamuis enim Aristoteles dicat [autem] non, ergo, tamen certum est, quod sensus conclusionis in his verbis continetur, est enim conclusio, ergo ex his confusis, idest, compositis procedendum est ad cognitionem principiorum, & elementorum; vel possumus dicere hæc verba pertinere ad declarationem minoris, vt omnium sensus sit, at confusa magis sunt nobis notiora, idest primùm nota, principia verò & elementa posteriùs ex his nota nobis fiunt, conclusio postea manifesta est, quam nos addere oportet, ergo à compositis est procedendum, ad acquirendum principiorum, ac elementorum cognitionem, quæ est via doctrinæ secundaria, & demonstratio quia, à latinis appellata. Notanda sunt illa verba [ex his nota fiunt] quæ significant Aristotelem de via doctrinæ loqui, non de ordine, est enim proprium viæ notum facere vnum ex alio, quod non potest fieri nisi per syllogismum, at ordo nihil notificat, non facit notam vnam rem ex alia re, sed solum res considerandas disponit vnam post aliam. cùm verò dicat Aristoteles, quòd ex his nota fiunt nobis principia, significat hanc viam nullam aliam esse, quàm à posteriori, cùm quæsitum & terminus, ad quem sint ipsa principia; terminus autem à quo, & medius terminus sint ipsa composita, & causata, quod est proprium demonstrationis à posteriori. Idem significat Aristoteles dùm dicit diuidentibus hæc, idest resoluentibus hæc confusa, hæc composita in suas partes essentiales componentes, quasi dicat, vtentibus demonstratione à posteriori, quæ quidem est resolutio quædam a nostro intellectu facta, vt alias in libro Posteriorum docuimus, procedere enim per demonstrationem hanc, ab effectu ad causam nihil aliud est, quàm resolutione vti, & causatum in suam causam, vel causas resoluere; debemus etiam hìc animaduertere illas duas voces, [principium & elementa] quæ absque dubio hìc ponuntur vt idem significantes; significant enim prima principia interna, quæ inueniuntur ex dissolutione compositi in partes componentes. Vt enim hæc prima principia inueniamus, vult Aristoteles vt diuidamus mente compositum in partes suas essentiales, per quam mentalem diuisionem non inuenimus nisi ea, quæ in composito inerant, hoc igitur maximè confirmat expositionem nostram in primo contextu, vbi diximus tria illa vocabula, principia, causas, & elementa, idem significasse, videlicèt prima principia interna, hìc enim Aristoteles non potest alia significare, ergo & ibi. Patet etiam quòd hìc tribuit nomen elementi primis, & remotissimis causis, de quibus acturus est, non vltimis, & proximis, vt ibi aliqui volebant. Est autem animaduertendum quòd cùm vox principium sit amplior ea voce elementum, melius est anteponere eam dictionem principia, & legere [principia & elementa] vt vox communior per alteram contrahatur, sicuti factum est etiam in primo contextu, & sicuti hìc quoque legimus in Codice Græco, est enim error in Latino codice, dum prius legitur elementa, quàm principia. Hæc est vera expositio huius textus, vt ego puto, secundum quam patet syllogismum formatum ab Aristotele ad declarandam viam doctrinæ secundariam iam fuisse conclusum, & absolutum in his duobus contextibus secundo & tertio, sed non extendi etiam ad quartum vt aliqui existimarunt, de quorum sententia in principio quarti textus loquemur. Contra hanc expositionem vt ab Auerroe adductam insurgunt aliqui dicentes, non posse Aristotelem per confusa intelligere composita, sed eorum accidentia esse intelligenda, quoniam ad inuentionem materiæ primæ nō procedit Aristoteles a compositis notioribus, sed ex accidentibus, ex ipsa trasmutatione; accidentia enim sunt nobis notiora, quàm substantia composita, cùm sint magis sensata, ipsa enim per seipsa sensibilia sunt, substantia verò non per se, sed per accidentia, vt docet Aristoteles in secundo libro de Anima. Qui hæc dicunt neque

logicam

logicam callent, neque Auerroem intelligunt; ignorant enim quomodo formetur demonstratio ab effectu, qui quidem est communis multorum error, cùm ex duobus tantùm terminis hanc demonstrationem forment, dicentes, est hic effectus, ergo est hæc eius causa, quæ erat ignota, tamen certum est omnem syllogismum confici ex tribus terminis, sed de hac demonstratione ab effectu, quomodo ex tribus terminis formetur, & quinam ij sint, docet clarè Aristoteles in primo Posteriorum textu trigesimo sexto antiquo, Vnum enim terminum ponit causam ipsam quæsitam, quæ est maior extremitas. Alium verò ipsum effectum notum, qui est medius terminus. Tertium demùm subiectum de quo tàm causa, quàm effectus inest, & est minor extremitas, quòd autem per eam demonstrationem ostendere volumus, non est quòd illa sit illius effectus causa, neque quòd causa illa sit, sed quòd illa in eo subiecto insit, nondum considerando an sit causa, nec ne; assumimus enim in propositione maiore quòd necessario illa causa est cum illo effectu, non tamen vt causa, neque vt effectus, deinde in minore accipimus, quòd in eo subiecto ille effectus inest. Ex his concludimus in eodem subiecto, causam illam inesse, certum est autem quòd in omni demonstratione nihil aliud quæritur, quam maior extremitas, subiectum autem debet esse præcognitum, similiter medius terminus, ergo in demonstratione illa qua ab effectu noto quærimus causam ignotam, necesse est præcognoscere duos terminos, videlicet medium, & minus extremum, vt demonstremus maiorem extremitatem, idest, ipsa prima principia. Aristoteles igitur non potuit ex sola trasmutatione inuenire materiam primam, sed hæc cùm sit medius terminus, requirit etiam subiectum demonstrationis, quod præcognoscatur, id autem est corpus ipsum naturale, compositũ, in quo videmus transmutationem inesse, & quia vbi trasmutatio est, ibi necessariò est materia aliqua subiecta, ideo concludimus in corpore naturali inesse materiam primam necessariò. Aristoteles igitur sicuti in inuenienda materia non processit ex sola transmutatione, sed ex transmutatione in corpore naturali cõposito, ita hic per confusa, non sola composita intelligit, sed composita insignita suis accidentibus, ex his enim notioribus nobis principia sunt inuenienda; quare nõ negamus Aristotelem accipere composita simul cum accidentibus, ita enim reuera dicuntur sensata, & nobis nota, sed non potest intelligere accidentia sola, vt hi existimarunt, quia quando dicit in textu [diuidentibus hæc] idest hæc confusa non potest intelligere, nisi quòd composita diuidantur, accidentia enim diuidi non possunt in partes componentes, cùm simplicia sint, & eis non conuenit habere elementa; Aristoteles autem vult vt composita diuidamus in sua elementa componentia, ea autem diuidimus beneficio accidentium suorum, quare hic Philosophus vult, vt à confusis ad elementa pocedamus, idest composita resoluamus in partes componentes per accidentia media. Hæc eadem Auerrois sententia fuit, qui dicit in commentario Tertio, [possibile est ex rebus compositis idest consequentibus earum cognoscere causas] consequentia autem sunt accidentia, quasi dicat, ex compositis cum suis accidentibus. Sed clarius in Commentario Quinto loquitur Auerroes, dum dicit [ex compositis procedimus ad cognitionem causarum mediantibus accidentibus, quæ sunt in eis]. Significat ergo ex vtriusque cognitione inueniri principia, videlicet compositi, vt subiecti, & accidentium vt termini medij.

Textus Quartus.

Qua propter ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet. Totum enim secundum sensum notius est, vniuersale autem totum quoddam est; multa enim comprehendit, vt partes, vniuersale.



Extvs hic quartus obscurissimus est, & multis dubijs, & controuersijs plenus, dubitant enim, & controuersantur, quid Aristoteles intelligat per vniuersalia, & singularia; dubitant quem processum his verbis denotet, an viam doctrinæ, an ordinem doctrinæ; dubitant demùm propter illam dictionem, [qua propter] quomodo Aristoteles colligat ex dictis conclusionem hanc. Ioannes Grammaticus, & S. Thomas in hoc vno consentiunt, quòd hæc verba sint conclusio syllogismi formati ab Aristotele in textu secundo, & tertio, qui nullam aliam conclusionem habuerit, quàm hanc, quæ his verbis infertur, cùm enim Aristoteles idem hic intelligat per vniuersalia, quod prius per confusa, talem putant fieri syllogismum. Oportet procedere à notioribus nobis ad ignota, sed magis confusa, idest vniuersalia sunt notiora nobis, ergo ab vniuersalibus in singularia oportet procedere: & sic maior syllogismi est in textu secundo; deinde minor in tertio; tandem conclusio in quarto. Sed in reliquis discrepant Ioannes Grammaticus, & S. Thomas, nam Ioannes per [confusa] & [vniuersalia] intellexit particularia vaga, per [singularia] verò signata; & dixit Aristotelem significare ordinem procedendi in hoc primo Physicorum in tractatione de principijs, hæc enim cùm distinctè sint cognoscenda vocantur hoc modo ab Aristotele singularia signata, vt autem confusè cognita, vocantur confusa & vniuersalia, idest, particularia vaga; quoniam igitur particulare vagum est nobis notius, quàm signatum, prius enim cognoscimus hunc esse aliquem hominem, quàm Petrum Pauli Filium, ideò Aristoteles prius tractabit hæc principia vt particularia vaga, proponens de eis quasdam quæstiones confusas, vt nobis faciliores; deinde transibit ad eorundem cognitionem distinctam tradendam, prout sunt singularia signata, qui quidem ordo est a notioribus nobis, & maximè nobis conueniens & naturalis. Hæc expositio absurdissima omnium est, in qua etiam ipse Ioannes non perseuerauit, quamuis in præsenti loco hanc solam in medium afferat, & sequatur. Primò namque ipsa principia non possunt appellari singularia signata, nam materia prima est vna quidem numero, sed tamen non positiuè, sed priuatiuè vt in processu declarabimus; singulare autem signatum dicitur, quod modo quodam possit digito ostendi, & significari, quod de materia non euenit, quæ est maximè latens, & abscondita. Sed admittendo hæc de materia, de forma certè admitti non potest; forma enim ab Aristotele numeranda inter principia, non est forma vna singularis, sed in genere, & communissimè accepta. Præterea particulare vagum non dicitur propriè confusum, cum nullas partes contineat, & sit vnicum indiuiduum, sed potius nostra cognitio illius dicitur confusa, quare significatur potius res confusè cognita, quàm res confusa. Aristoteles autem secundùm expositionem Ioannis debet intelligere verè confusum, quod partes habeat, cùm dicat in hoc textu quarto, quòd vniuersale multa continet vt partes; & Ioannes velit idem significari in textu tertio per confusum, quod in quarto per vniuersale; nunquam eam inuenimus alibi, quòd Aristoteles particularia vaga vocauerit vniuersalia. Præterea non considerantur in scientijs contemplatiuis particularia, vt particularia, neque vt singularia, quia horum vt talium nulla scientia haberi potest; quare expositio hæc vt vana omittatur. S. Thomas autem non vult Aristotelem hoc syllogismo significare processum seruandum in primo tantùm Physicorum in tractatione principiorum, sed in tota naturali Philosophia, vultque non denotari viam doctrinæ, sed ordinem seruandum in tota naturali scientia, ideò non admittit sententiam Auerrois in secundo, & tertio textu quòd ibi sermo fiat de via doctrinæ, sed omnia ad ordinem pertinere vult, quem dicit esse à magis vniuersalibus in prædicando ad minus vniuersalia, ideò confusum ipsum intellexit totum prædicabile seù potentiale, quod Aristoteles postea in textu quarto vocat mutato nomine vniuersale, & hunc syllogismum facit. A notioribus nobis est pro-

progrediendum, at magis confusa, idest, vniuersalia sunt notiora nobis, ergo ab vniuersalibus ad singularia procedere oportet. Declarans autem D. Thomas ordinem hunc dicit eum seruandum esse inter principia, vt prius de communioribus principijs tractetur, quàm de minus communibus. Et quia Aristoteles dixit in textu progrediendum esse ab his confusis vt notis nobis, ad notiora naturę, vidit S. Thomas declarandum esse quomodo minus communia dicantur notiora naturæ, ideò dixit rem esse tantò notiorem secundùm naturam suam, quantò est maioris entitatis, ita enim est cognoscibilis vti est ens, ac maiorem entitatem habet homo, quam animal, propterea homo est secundùm naturam notior, animal verò vt magis confusum est notius nobis. Videtur autem Diuus Thomas hanc considerationem accepisse ex Aristotele in secundo de partibus animalium capitulo primo; ex eo enim loco possumus colligere, quod prius natura potest accipi duobus modis, vel enim dicitur prius, seu notius secundùm naturam operantem, vel secundùm intentionem naturæ; secundùm operationem naturæ, & via generationis naturæ dicimus prima principia esse notiora, & priora secundum naturam, sed secundùm intentionem naturæ vltimum causatum est prius; prima autem principia vltimum locum tenent in intentione naturæ, sicuti ædificanti priores sunt lapides domo secundùm ordinem operationis, sed prior est domus lapidibus secundùm ordinem intentionis; quem secundùm modum prioris secundùm naturam videtur hìc Diuus Thomas accepisse. Expositio hæc tot habet contra se instantias vt admitti non possit; primò enim, si hic ordo à communioribus ad minus communia intelligatur inter principia vt ipse vult, non erit à notioribus nobis, quia principia prima respectu secundorum, sunt magis communia in causando, non in prædicando, nam materia prima non est genus elementorum & secundæ materiæ, neque de ea prædicatur, ideò nõ est nobis notior elementis, imò multo ignotior nobis, & secũdùm naturã notior, nec potest vocari magis confusa, cùm nullo modo secundam materiã cõtineat vt partẽ. Pręterea secũdùm expositionem D. Thomę Aristoteles notaret ordinẽ a primis principijs vsque ad proxima & vltima, aut etiam ad vltima causata; tamen in textu tertio legimus oppositum, Aristoteles enim dicit, quòd ex his confusis fiunt nobis nota principia, & elementa, quibus verbis non potest significare alia principia quàm prima quæ vocantur elementa, de quibus etiam in primo textu agendum proposuit; ergo Aristoteles facit ipsa prima principia terminum ad quem in hoc processu, non terminum a quo, vt D. Thomas exponit. Præterea perpendimus nos superius modum illum loquendi in textu tertio [ex his nota fient & c.] significat enim viam non ordinem, quia ordo non notificat, sed viæ id proprium est, quæ igitur ibi dicuntur ad ordinem non pertinent, sed ad viam. Alij igitur melius dixerunt, qui putarunt in secundo, & tertio textu absolutum fuisse eum syllogismum, quo concludebatur via doctrinæ, qua essent inuestiganda principia; hanc autem conclusionem, quam in principio quarti textus ponit Aristoteles diuersam esse conclusionem a conclusione illius syllogismi, quæ in textu tertio illata fuit; tamen quisnam sit sensus huius conclusionis, & quomodo colligatur ex dictis non est clarum. Suessanus propriam affert expositionem, cuius se inuentorem profitetur, & dicit. Postquam Aristoteles in textu tertio dixit, qua via procedere debeamus ad cognitionem principiorum, nunc loquitur de via, qua procedere debeamus ad cognitionem effectuum, & dicit viam talem esse debere vt à primis, & communissimis principijs, & supremis causis progrediamur ad singularia, idest ad particulares effectus, quare his verbis notabit Aristoteles viam doctrinæ a priori, qua ipsos quoque effectus cognoscamus, & est demonstratio propter quid. Sed valde inepta est hæc Suessani expositio: hæc enim demonstratio, quæ ab ipso hìc excogitatur, non est demonstratio propter quid, quia demonstratio propter quid, fit ex proxima causa, non ex remota; imò ostendimus nos in prælectionibus, quòd hæc scientia so-

phistica

phistca & accidentalis esset, si causas remotas & vniuersales applicaremus effectibus particularibus. Præterea via doctrinæ principalis, qua cognoscamus effectus naturales, & est demonstratio propter quid, tacta fuit ab Aristotele in primo contextu, nec fuit opus eam iterum proponi in quarto, quare hæc sententia dimittatur. Simplicius existimauit Aristotelem in textu secundo, & tertio locutum esse de via doctrinæ ad inuenienda principia, quæ est demonstratio ab effectis; hìc autem loqui de ordine, quem est seruaturus in hac principiorum inuestigatione ratione termini medij, prius vtetur medijs vniuersalioribus, deinde magis particularibus ac distinctis, quibus certa cognitio ipsorum principiorum habeatur; quare his verbis Aristoteles declarat ordinem seruandum inter medios terminos, quibus principia sunt inuestiganda in hoc primo Physicorum. A qua Simplicij sententia parùm discrepat sententia Alexandri; quam maxima pars recentiorum Philosophorum sequuntur. Voluit enim Alexander Aristotelem hìc loqui de ordine, quem est seruaturus in hac tractatione de principijs in primo libro Physicorum. Cum enim exposuerit Aristoteles viam, qua est vsurus pro inuentione principiorum; consonum rationi est, vt ordinem quoque declaret, quem in hac tractatione seruaturus est, ideò dicit ordinem seruandũ esse ab vniuersalibus ad singularia, idest a quęstionibus communioribus, & confusioribus ad distinctiores, & particulariores, quare vniuersalia, & particularia vocat hìc Aristoteles non principia ipsa, sed Theoremata de ipsis principijs examinanda. Reuera enim Aristoteles hunc ordinem in ijs Theorematibus seruabit; nam quærens numerum principiorum prius quæret an sit vnum, aut plura, & ostendet quòd plura, quæ est cognitio valdè vniuersalis, & confusa; possunt enim esse tàm finita, quàm infinita, deinde transibit ad Theoremata magis particularia & distincta, ostendet nim, quod non possunt esse infinita, sed sunt finita; quod adhùc est vniuersale Theorema, cùm quantuscunque possit assignari eorum numerus, tandem particularem eorum numernm determinabit, ostendens ea esse solùm via; hìc igitur est processus ab vniuersalibus ad particularia; Quæ Alexandri expositio ab expositione Simplicij in eo differt, quoniam Alexander ordinem hũc ab vniuersalibus ad particularia intelligit ex parte quæsitorum, Simplicius autem ex parte mediorum, quibus illa quæsita demonstranda sunt, vt videlicèt Aristoteles prius vtatur effectis communioribus, postea magis particularibus. Sed leuis est differentia, quia vnum non est fine altero, & ad demonstrandum quæsitum vniuersalius opus est accipere etiam medium vniuersalius; Est etiam quædam discrepantia inter illos recentiores, qui Alexandri sententiam sequuntur, cùm enim sint in ipsa re concordes, sunt tamen discordes in appellatione, plurimi enim ordinem hunc a quæstionibus communioribus ad minus communes, volunt reuera ordinem esse appellandum, aliqui tamen sunt, qui volunt viam esse, non ordinem, vt Aristoteles tàm in secundo, ac tertio textu, quàm in quarto loquatur de via doctrinæ, quæ tamen duplex sit; altera de qua in textu tertio locutus est, quæ est vt ab effectis inuestigentur principia; altera verò quam tangit hìc, quæ est a quæstionibus communioribus transeamus, ad particulares. communiores enim vt notiores viam faciunt cognitioni principiorum distinctiori. Vtuntur hi pro se hoc argumento, quòd Aristoteles ex eodem fundamento colligit hìc hanc nouam conclusionem, ex quo etiam in secundo, & tertio demonstrauit vtendum esse altera illa via a compositis ad principia, ex eo enim quòd a notioribus nobis est progrediendum Aristoteles vtrumque colligit, tùm quòd procedendum est a compositis ad principia, tùm etiam quòd a quæstionibus vniuersalibus ad particulares, ergo vtraque debet solùm via appellari non ordo, quia proprium est viæ progredi a notioribus nobis, nec potest ordini attribui, qui non nisi ex natura rerum considerandarum sumendus est, non ex notioribus nobis. Ego tamen puto, quod admissa expositione Alexandri illa non possit vocari via, sed ordo, quia non est processus illatiuus,

tiuus, sed solùm dispositiuus, cùm ex quęstione vniuersali non inferatur alia particularis. Eorum autem argumentum friuolum est, vt in sequentibus ostendemus. Hāc Alexandri expositionem, quamuis ego nunquam secutus sim, non tamen eam ita absurdam esse existimo, vt verbis Aristotelis accommodari non possit; nam aptare quidem potest verbis Aristotelis, & Aristoteles in hoc primo libro videtur procedere a quæstionibus confusis de ipsis principijs ad distinctiores. Sed multo probabilior mihi videtur expositio Auerrois, qui putauit Aristotelem his verbis proponere ordinem doctrinæ seruandum in tota naturali philosophia, non in libris tantùm Physicorum. Nam in prælectionibus diximus libros naturales ita ab Aristotele fuisse dispositos, vt prius de rebus communioribus tractet, quàm de minus communibus: prius enim in libris Physicorum agit de corpore naturali in communi, postea de speciebus eius in alijs libris: & priùs de Mixto in commune, quàm de speciebus eius, vt vltima considerata sint species specialissimæ, quas hìc Aristoteles intelligit, per [singularia]. Dicit enim Auerroes Aristotelem non posse intelligere ipsa indiuidua, de his enim nulla consideratio in scientijs habere potest, sed vltimas species, vel illas, quas sunt quasi vltimæ speciei: hoc autem dicit, quoniam sunt multæ vltimæ species, quarum nullam habemus cognitionem, nisi quatenus sub aliquo proximo genere continentur, ... quatenus aues sunt, vel quatenus pisces, tunc enim illud sub alternum genus se habet vt species vltima, quæ est vltimum cognitum, dùm species specialissima ignoratur. Significat ergo Aristoteles ordinem seruandum esse, in tota scientia a tractatione rerum communiorum ad minus communes in prædicando, videlicèt a genere ad species. Hanc Auerrois sententiam vt Alexandri expositioni anteponam, id me mouet, quòd ordo in tractandis quæstionibus de principijs mihi videtur esse res adeò friuola & leuis, vt non mereatur ab Aristotele proponi in hoc vniuersæ scientiæ exordio; Ordo autem quem in tota scientia naturali, quem Auerroes exponit, est res maximè principalis in hac scientia, & quæ ipsi Aristoteli maximè cordi fuit, & de qua pluribus in locis nos admonet, vt videlicèt res communiores prius tractemus, quàm res minus communes; quare valde verisimile est, Aristotelem hanc eandem rem nos admonere hoc in loco, in quo maximè fuit opportuna hæc admonitio; nullus enim est alius locus, in quo magis conueniat id facere, quàm in principio totius scientię, in quo alia multa proponuntur ab Aristotele, tum ad hos Physicos libros, tum ad totam scientiam spectantia. Est etiam multo verisimilius, quòd Aristoteles per [vniuersalia,] & [singularia] res ipsas intelligat, quàm quæstiones, vel Theoremata, nunquam enim alibi inuenimus Aristotelem de tali ordine inter quęstiones aliquid dixisse, sed de ordine inter res consideratas seruando ab vniuersalibus ad particularia locutus est Aristoteles in plurimis alijs locis, in primo libro priorum, in principio primæ figuræ dicit se prius esse locuturum de syllogismo, quam de demonstratione, quia syllogismus est vniuersalior; In primo etiam Physicorum textu quinquagesimo septimo Aristoteles dicit esse in nobis secundū naturam, vt communia prius dicamus deinde propria speculemur. Idem dicit in tertio libro Physicorum textu secundo. Similiter in fine primi cap. primi libri Meteorum dicit Aristoteles, se locuturum de animalibus, & communiter, & singulatim, sed apertissimè hunc ordinem proponit Aristoteles in primo libro de partibus animalium cap. primo, vbi quęrit Aristoteles an debeat incipere a singulis speciebus animalis considerandis, an potius a tractatione eorum, quæ communia omnibus sunt, & determinat quod a communioribus est exordiendum, vtens ea ratione, quam tetigit Auerroes in procemio huius libri, videlicèt ne eadem res sæpius in scientia repetatur, multa enim omnibus animalibus, insunt, quæ melius est semel de toto communi considerare, quàm de singulis speciebus eadem repetere. In his omnibus locis loquitur Aristoteles de hoc processu a rebus communioribus ad minus comunes: non de processu a confusionibus quæstioni-

bus, ergo est credendum eandem esse Aristotelis mentem in præsenti loco. Contra hanc Auerrois expositionem multæ afferuntur instantiæ ab ijs, qui Alexandrum sequuntur, quas antequam consideremus videndum est, quomodo hæc noua conclusio ex dictis colligatur, qua in re non est discrepantia inter Auerroem, & eos, qui Alexandrum sequuntur præter paucos. Declarat optimè hanc declarationem Auerroes in Commentario præsenti, qui dicit Aristotelem hìc accommodare ad ordinẽ doctrinæ concludendum eammet rationem, quam in secundo, & tertio de Via formauit, ratio enim illa facta fuit de sola via: tamen Auerroes hìc imaginatur repetitam eandem rationem de ordine doctrinæ eadem enim ratione, qua ostensum est viã ad principia esse debere a compositis ad simplicia, quia compositum, cùm sit quoddam totũ, & confusum, est notius nobis, & à notioribus est progrediendum. Eadem, inquam, probatur, quòd in ordine doctrinæ progrediendum est ab vniuersalibus ad singularia: nam in ordine doctrinæ debemus progredi à notioribus nobis, at magis vniuersalia cùm sint quædam confusa, sunt notiora particularibus. Ergo in ordine doctrinæ est procedẽdum ab vniuersalibus ad singularia. Non vult autem Auerroes, quod maior huius syllogismi sit illa, quæ est posita in textu secundo; illa enim fuit prolata solùm de via, & similiter minor in textu tertio posita non pertinuit nisi ad viã, sed vult quòd Aristoteles proportione quadam accomodet easdem præmissas etiam ad ordinem nempe in alio sensu acceptas. Quòd enim de sola via fuerint prolatæ manifestum est; quia in textu secundo Aristoteles protulit eam maiorem de via ad principia cùm expresse nominauerit viam, & dixerit esse ad nota naturæ, idest, ad principia, quod quidem de ordine dicere non possumus. Minor quoque posita in textu tertio, ponitur contraria ad viam: nam confusum non potest ibi accipi in communi ad totum compositum, & ad totum commune, quia Aristoteles ibi dicebat ab his confusis esse progrediendum ad cognoscenda principia, & elementa, quare non potest accipi ibi cõfusum, nisi propriè pro composito; sed Aristoteles nunc accipiens aliã significationem ipsius cõfusi, accõmodat eandẽ rationẽ ad probandũ quòd in ordine doctrinę procedere debemus ab vniuersalibus ad singularia, quia etiã vniuersale est totũ quiddã, & cõfusũ, & proinde notius nobis, vt in quæstione postea demõstrabimus. Hãc rationis declarationẽ sequitur Vicomercatus, & maxima pars eorũ, qui verba hęc cum Alexandro exponunt, videlicèt vt ratio facta ab Aristotele de sola via, hìc per quandam similitudinem transferatur etiam ad ordinem seruandum in disponendis quæstionibus ad principia attinentibus. Propterea falsam esse puto quorundam Alexandræorum sententiam, qui putantes processum hunc in quæstionibus ad principia spectantibus esse viam, non ordinem appellandum, dixerunt etiam quòd Aristoteles ex ijsdem præmissis infert duas diuersas quæstiones de duabus diuersis vijs seruandis in principiorum tractatione, vna à compositis ad simplicia, altera a quæstionibus vniuersalibus ad particulares: ideò volunt maiorem in textu secundo poni ab Aristotele ex professo communem vtrique viæ, cùm dixit, à notioribus nobis est progrediendum; similiter minorem in tertio textu communem sumi, & confusum, ibi significat quoddam commune ad totum compositum, & ad totum prædicabile. Quam sententiam diximus non conuenire verbis Aristotelis, qui tàm maiorem, quàm minorem accepit peculiariter ad probandum de via ad principia, quæ est ex compositis; nam si fateremur confusum in textu tertio accipi commune ad vtranque, ergo Aristoteles in eodem tertio nihil certi potest concludere de illa via prima, quia si confusum ibi significat tàm compositum, quàm totum commune, conclusio indifferens colligitur, quòd ad principia, & elementa cognoscenda progredi oportet ex confusis, idest, vel ex compositis, vel ex communioribus. Certum est igitur quòd si in illa prima conclusione confusum debuit determinatè pro composito sumi, necesse est eodem modo acceptum esse in propositione minore, quia minor extre-

mitas debet in eodem sensu sumi in conclusione, & in minore, nisi ratio sit æquiuoca, & in quatuor terminis. Et reuera non possumus vti ijsdem duabus præmissis ad probandas duas diuersas conclusiones æqualiter, nisi illæ præmissæ sint ambiguæ ad duos sensus, & sumantur prius determinatè ad vnum sensum, postea determinatè ad alterum, vt æquiuocatio euitetur. Syllogismus igitur formatus in secundo, & tertio textu, non respicit nisi viam, deinde Aristoteles sumens in alio sensu easdem præmissas, eadem ratione accommodat etiam ordine; qua de re non discrepat Auerroes a maiori parte eorum, qui Alexandrum sequuntur, inter quos est Vicomercatus. Modò consideremus instantias, quas contra Auerrois expositionem Alexandrei adducunt, suntque potissimùm duæ. Primùm dicunt, si intelligamus ordinem doctrinæ in tota scientia ab vniuersalibus ad particularia vt Auerroes exponit, sequetur eum non esse à notioribus nobis; consequens est falsum, & contra ipsummet Auerroem, qui vult esse procedendum ab vniuersalibus, vt à notioribus nobis, consequentia probatur, quia principia vniuersalia respectu principiorum minus vniuersalium non sunt vniuersalia in prædicando, sed in causando, vniuersale autem in causando non est nobis notius, immò ignotissimum: hoc eodem argumento nos supra vsi sumus contra Diuum Thomam, ideò facilè ipsum soluemus; dicimus enim sententiam Auerrois esse, quòd hic ordo à magis communibus ad minus communia consideretur non in principijs, sed in subiectis, quorum principia sunt, si enim de principijs Auerroes loqueretur, sententia falsa esset, vt nos contra Diuum Thomam diximus & argumentum hoc demonstraret, sed si hunc ordinem in subiectis intelligamus, argumentum nihil valet; subiectum enim est radix totius scientiæ, à qua pendet ipsa scientia, & ab eo sumit ordinationem; cum enim agendum de naturalibus corporibus; incipiendum fuit à communissimo omnium genere corpore naturali, deinde transeundum ad species ipsius ordinatim, qui quidem est ordo ab vniuersalibus in prædicando, & ita à notioribus nobis. Hunc ordinem consequitur quidem vt à principijs naturalibus in causando transeatur ad minus vniuersalia in causando, sed ab hoc ordine principiorum non sumitur ratio ordinandi libros ipsius scientiæ, sumitur enim ab ordine subiectorum, vt à re principali, à qua pendet tota scientia, & totus ordo, qui in principijs seruatur; subiecto enim communi constituto sequitur vt eius principia communia consideretur, quæ sunt postea vniuersalia in causando, respectu principiorum subiecti minus communis. Hoc idem voluit Auerroes hic, certum est enim quòd Auerroes hic vniuersalia intelligit in prædicando, non in causando; hoc enim apertissimum est legentibus verba Auerrois in commentatio vbi dicit, [quantò vniuersale fuerit communius; tantò magis continebit] ac vniuersale in causando non continet aliquid, reuera enim commune est in prædicando; sed apertè hoc apud Auerroem legimus in primo Posteriorum Commentario duodecimo, vbi soluit apparentem contradictionem in Aristotele inter eum locum, & hunc, cùm ibi Aristoteles dicat vniuersalia esse nobis notiora, ideo ab his ad singularia procedendum esse vt a notioribus nobis, Soluit Auerroes dicens in proœmio primi Physicorum Aristotelem accepisse vniuersale, quod de multis prædicatur, hoc enim est notius nobis, in primo autem posteriorum intellexisse vniuersale in causando, quod quidem est naturæ notum, & nobis ignotum, & dans exempla Auerroes huius vniuersalis in causando nominat materiam primam & Deum, quæ dicit non esse vniuersalia in prædicando, cum sint indiuidua, sed in causando, quia multorum sunt causæ. Patet ergo, quod Auerroes ibi distinguit materiam primam ab eo vniuersali, de quo Aristoteles loquitur in hoc proœmio; ergo non vult Aristotelem hic intelligere per vniuersalia materiam, quæ tamen est primum principium in genere causæ materialis, à cuius inuestigatione Aristoteles exordietur; patet ergo quòd Auerroes hic intelligit ordinem ab vniuersalibus in prædicando, quare non

potest intelligere de principijs vniuersalibus, quia hoc non possunt dici principia vniuersalia secundùm prædicationem vt ipsemet fatetur de prima materia. Præterea Auerroes in commentario declarans quid Aristoteles intelligat per [vniuersalia] dicit [intelligit vniuersalissima substantiata, quæ possunt inueniri in istis rebus rerum naturalium, scilicèt, de causis, & accidentibus]. At certum est, quod substantiata non possunt vocari nisi corpora ipsa naturalia composita ex principijs suis, nam interna principia vocabuntur substantialia potius quàm substantiata, quia substantiatum significat causatum. Neque dubium faciunt verba Auerrois cùm dicit [de causis, & accidentibus] certum est enim quòd principia prima non possunt vocari substantiata, tantò minus ipsa accidentia, sed considerat Auerroes, quòd tractatio de aliquo subiecto nihil aliud est, quàm consideratio principiorum & accidentium eius, ideò significare voluit per hæc verba, quòd incipiendum fuit à subiecto communissimo, quod vocat vniuersalissimum substantiatum, idest, à consideratione causarum, & accidentium eius. Exponit etiam Auerroes per [singularia] vltimas species, vel eas, quæ sunt quasi vltimæ species, ac proxima, & vltima principia non vocaret vltimas species, cùm pateat ea non esse species principiorum remotiorum, membra enim non sunt species elementorum, neque elementa materiæ primæ, sic neque anima rationalis est species animæ sensitiuæ, sed semper consueuit Auerrois, per species intelligere species corporum naturalium, hæ namque propriè vocantur species, non principia ipsorum corporum. Aduertendum autem, quòd quando Auerroes dicit principia esse communia pluribus, modò intelligit communia in causando, modò in prædicando; quando enim principia vocat vniuersalia in causando, comparat ea cum principijs minus communibus prout secundùm se vtraque considerantur, nam illa sunt plurium principia, hæc verò pauciorum; quando autem ea vocat vniuersalia in prædicando, non secundùm se ea considerat, sed ratione subiecti, cuius principia sunt, vt materia prima dici potest principium vniuersale in prædicando, non quidem ratione sui, sed ratione subiecti primi, hoc enim est corpus naturale. Non enim prædicatur materia prima de materia secunda, sed id, cuius illa est materia, vt corpus naturale prædicatur de corpore mixto, cuius materia sunt ipsa elementa. Alterum eorum argumentum contra Auerroem est, si hæc conclusio præsens intelligatur de ordine doctrinæ, vt Auerroes vult, sequetur, quòd ratio Aristotelis, qua eam concludit, erit inualida, quia assumpsisset Aristoteles maiorem falsam, videlicèt, à notioribus nobis esse progrediendum, hoc enim de via est verum, at de ordine est falsum, solius enim viæ proprium est, vt fit à notioribus nobis. Sed ordo non sumitur à notioribus nobis, sed à natura rerum considerandum, hoc autem pluribus argumentis probare nituntur, quæ ego non referam, quia in quæstionibus logicis hanc rem fusissimè tractaui in quæstione illa, quam feci de methodis, vnicum tantùm argumentum adducam, quia ad præsentem locum pertinet, quod tale est. Si ratio ordinandi partes scientiæ sumeretur à nostra cognitione, non à rerum naturis, sequeretur quòd Aristoteles malè in textu primo proposuisset esse inchoandum à principijs, principia enim sunt occultissima, vt in hoc primo libro videbimus, sed debuisset Aristoteles incipere à principiatis, & effectis, quæ sunt notiora nobis; Aristoteles tamen a principijs auspicari voluit, quia non considerauit nostram cognitionem, sed solam rerum naturam, quæ requirit, vt principia alijs anteponamus, quia sunt priora alijs secundum naturam, quamuis nobis sint occultiora principiatis. Ad hoc argumentum dico maiorem eam Aristotelis veram esse, tàm de ordine, quàm de via, vtrumque enim fit à notioribus nobis, vt fusius in dicta quæstione demonstraui, credo enim rationem ordinandi partes scientiæ non sumi ex natura rerum, sed ex nostra cognitione, vnde fit, vt tàm ordo, quàm via debeant esse à notioribus nobis, quæ est sententia clara Aristotelis in quinto libro Metaphysicorum,

rum,

rùm, vbi dicit principium doctrinæ, non est semper principium, sed quandoque est id, vnde quis faciliùs addiscat. Pro solutione autem argumenti notandum, quòd nostra cognitio duplex est, vna confusa, altera distincta, via doctrinæ procedit à notioribus nobis, vel distincta, vel confusa cognitione, cùm via dicatur tàm demonstratio à causa, quàm demonstratio ab effectu; ordo verò sumitur à notioribus nobis distincta cognitione, cùm enim velimus in scientia perfectam requirere cognitionem, ideò id semper attendimus vt illa anteponamus, ex quibus melius reliqua cognoscamus. Cùm igitur Aristoteles in primo textu conclusit agendum primò esse de principijs, non conclusit ea ratione, quia principia sint priora natura, sed quia notiora secundum ordinem cognitionis distinctæ, patet enim ibi Aristotelem hoc medio vsum esse, quoniam ex principiorum cognitione omnium aliorum cognitio distincta, & perfecta pendet. Dico igitur non fuisse auspicandum ab effectis, quæ quidem sunt nobis primò cognita cognitione confusa, sed non distincta, & ex eorum cognitione nullam haberemus distinctam cognitionem, hæc enim non acquiretur nisi ex principiorum cognitione, ergo vt hanc habeamus, est ordiendum a principijs, hæc enim prius tractata, etsi laterent inuenta, faciunt vt perfectè, & distinctè alia cognoscamus. Qui de hac re plura legere velint, nostram illam de ordinibus quęstionem petant, hæc pro præsenti ocasione sufficiant. Firma igitur manet expositio Auerrois, quam secuti sumus, quæ etiam mirificè confirmatur, si cum omnibus præcedentibus textibus conferatur, cum quibus omnibus maximam conuenientiam habet, cùm æque possit colligi ex primo, ac ex secundo, ac ex tertio, nam in tertio dictum est confusa esse nobis notiora, ac vniuersale est confusum, ergo ab vniuersalibus ad singularia procedere oportet, colligitur ex secundo, quia ibi dictum est, quòd à notioribus nobis procedere oportet, cùm igitur vniuersale sit nobis notius singulari, manifestum est quòd ab vniuersalibus ad singularia procedere oportet, ex primo enim pulcherrimè colligitur hæc eadem conclusio, in primo enim textu dictum est de principijs primis esse agendum primò, hinc sequitur, ergo procedere oportet à subiecto communiore ad minus commune, & consequentia est optima, vt in prælectionibus diximus ab intentione ad subiectum. Prima enim principia sunt, per se primo subiecti communissimi, ergo dicere, quòd à primorum principiorum tractatione est auspicandum, est dicere, quòd est incipiendum à consideratione communissimi subiecti, & sic ab vniuersalibus ad singularia progrediendum est: cum omnibus igitur textibus hæc conclusio conuenit. Notandum est hìc quòd in hoc quarto textu Aristoteles declarat, quo ordine in tota scientia disponenda vti velit, dicens se vti velle ordine à cõmunioribus ad minus cõmunia: qui ordo licèt sit cõpositiuus, non tamen ex solo quarto textu apparet eũ esse compositiuum, sed ex eius collatione cum dictis in primo textu; processus enim ab vniuersalibus ad particularia nõ est necessario cõpositiuus, cũ possit etiam esse resolutiuus; in quęstione enim de ordinibus declarauimus, quòd a cõmunioribus ad minus cõmunia procedere cõuenit tàm cõpositiuo ordine, quàm resolutiuo ordine. Sed supposito fine, quem Aristoteles in primo textu proposuit, sequitur ordinem ab vniuersalibus in singularia non posse esse compositiuũ, finis enim est cognitio perfecta, ac scientia perfecta, vt in primo textu patuit, quæ requirit, vt a primis principijs initium tractationis sumatur, & consequenter a communioribus ad minus communia subiecta transitus fiat. Prima enim principia sunt principia communissimi subiecti vt declarauimus prius, quando igitur progredimur hoc ordine ab vniuersalibus ad particularia non ob alium finem, quàm vt sciamus, ordo non potest esse nisi compositiuus, quia cùm incipimus a subiecto communissimo, incipimus necessario à consideratione primorum principiorum, & elementorum, quæ illi primò conueniunt. Quod igitur ordo naturalis philosophiæ sit compositiuus non explicatur in solo primo textu, nec in quarto, sed ex vtrisque simul desumitur.

In primo enim textu habuimus initium solùm, & semina quædam; vnde oritur ordo compositiuus, qui postea clariùs exprimitur in textu quarto, quia stantibus ijs, quæ in primo dicta sunt, sequitur, quod ordo a communioribus ad minus communia subiecta sit compositiuus, quia est à principijs simplicioribus ad magis composita, communioris enim subiecti simpliciora sunt principia, subiecti autem minus communis compositiora. [Totum enim secundum sensum notius est,] In tota sequenti huius proœmij parte Aristoteles probat hanc consequentiam, qua vltimo loco colligit, ab vniuersalibus ad singularia esse progrediendum, supponit enim Aristoteles hanc maiorem vt notam, ordine doctrinæ oportet procedere a notioribus nobis, ideò enim dixit [qua propter] idest propter eandem causam & rationem, cui hanc minorem addit, vniuersale est notius nobis singulari, idest minus vniuersali, vnde sequitur conclusio iam declarata, ergo ab vniuersalibus ad singularia progredi oportet. Minorem Aristoteles intelligit quidem, non tamen ita vt notam supponit; sed probat tribus signis, quorum vnum in hoc textu ponitur: alia verò duo in textu quinto sequenti; quare omnia ab Aristotele dicenda pertinebunt ad probationem huius minoris subintellectæ, vniuersalius est notius nobis minus vniuersali. Vnde patet quòd Aristoteles non colligit hanc conclusionem ex eadem minore, quam in textu tertio posuit, cùm hic subintelligat nouam: minorem huius syllogismi propiam tribus argumentis probat, Primum tale est, totum quantitatiuum est notius sensui, quàm partes integrantes, ergo similiter vniuersale, cùm sit totum quoddam respectu specierum, erit notius intellectui, quàm species. Et est ratio à simili, nam diximus supra quòd tres dantur modi totius, & partium, quorum maximè proprius est totum quantitatiuum, respectu partium integrantium, maximè autem improprius est totum commune respectu specierum, dicitur enim totum per similitudinem, cum tamen in eo verè non seruetur natura, & ratio totius, totum enim debet habere partes suas actu, & totum commune continet partes suas in potentia, Aristoteles igitur volens probare de toto communi, quod est notius intellectui, quàm partis, sumit argumentum ab alijs duobus totis; si enim in alijs totis hoc contingit, cum totum sit notius, quàm partes, dicendum est in hoc quoque idem contingere. In hoc igitur textu sumit argumentum a toto verissimè dicto, quod est totum quantitatiuum; deinde, vt videbimus, in textu sequenti, sumet alterum argumentum ab alio toco definibili, & quia totum quantitatiuum est sensitiuum, quia totum prius & magis quàm partes sensu cognoscimus, ideo Aristoteles dicit, totum esse notius secundum sensum, quàm partes; neque opus habet exprimere de quo toto loquatur, tùm quia dicendo, [secundum sensum] significat se loqui de toto sensibili, quod non est nisi totum quantitatiuum; tum etiam quia dicendo absolutè totum sine aliqua additione significat principale analogatum, quod est totum quantitatiuum, hoc enim est verissimè dictum totum. Propterea Aristoteles postea faciens comparationem totius communis cum ipso dicit [vniuersale autem totùm quoddam est] non enim vult vniuersale absolute appellare totum, sed totum quoddam; quia non ita propriè dicitur totum, sed per quandam similitudinem cum toto propriè dicto, cum non habeat esse reale, sed sit opus intellectus, & cùm partes non actu contineat sed potentia, ideò declarans istam comparationem Aristoteles dicit, [multa enim continet vt partes vniuersale] non enim dicit multas partes continet, sed multa continet, vt partes, idest ad similitudinem partium, sicut ergo verum totum est notius sensui, quàm partes, ita totum commune ad eius similitudinem dictum notius erit intellectui, quàm partes, idest, quàm species.

Textus Quintus.

Patiuntur autem hoc idem quodammodo, & nomina ad rationem, totum enim quoddam, & indistinctè significant, vt circulus; definitio autem ipsius diuidit in singula. Et pueri primum quidem omnes viros patres appellant, & matres fœminas, posterius autem determinant horum vtrumque.

PROBAT Aristoteles eandem minorem secundo argumento, quod sumitur a simili, videlicet a tertio modo totius, a toto definibili respectu partium suarum essentialium definientium, totum enim definibile significatur per nomen, partes autem significantur per eius definitionem, quia in ea apparent partes essentiales componentes rem, quæ in ipso nomine non respiciuntur. Certum est autem quòd nomen nobis est notius quàm definitio, & totum definibile quàm partes definientes, cuilibet enim idiotæ sunt nota nomina multarum rerum, per quæ habet confusam eorum cognitionem, at definitiones non sunt ita notæ, quia ignorant idiotæ partes definientes & principia essentialia. Quoniam igitur totum definibile, quod per nomen confusè significatur, est notius nobis, quàm partes, quæ in definitione exprimuntur, similiter etiam totum commune est notius intellectui nostro, quàm partes sub eo contentæ. Hæc est huius rationis sententia, ex hoc autem loco colligi solet, quòd nomen, & definitio eandem rem significant, eadem res enim est homo, & animal rationale, differunt solùm, quia nomen significat eam confusè, idest, vt totum confusum; definitio verò significat eandem vt distinctam in suas essentiales partes. Dicit autem Aristoteles, [quodammodo] quia non eodem modo dicitur totum ipsum commune, ac totum definibile, totum enim definibile continet actu partes suas, ideò verius dicitur totum quàm totum commune. Propterea Aristoteles dicit, quòd nomen, quod totam rem significat, ita se habet quodammodo ad definitionem, quæ significat partes, sicut vniuersale se habet ad particulare, quam similitudinem declarat Aristoteles cum ait, [totum enim quoddam & indistinctè significat] nomen enim significat totum quoddam confusum, & indistinctum, quod potest comparari cum toto communi, quod species vt partes continet, quare totum quoddam est, dicit autem Aristoteles etiam de toto definibili, quòd est [totum quoddam,] quia quamuis sit verius totum quàm totum commune, tamen est minus totum, quàm totum quantitatiuum, quod verissimè totum dicitur. Totum enim quantitatiuum continet partes suas actu, & actu distinctas loco, & manifestas, at totum definibile continet quidem partes suas actu, non tamen actu distinctas a se inuicem, sed intellectu distinguuntur, vnde dici solet quòd partes essentiales in composito sunt in potentia, non quòd non insint actu, sed quia non sunt actu distinctæ ab inuicem, ideo vel minus vera est ratio totius, & partium in toto definibili, vel saltem obscurior, & minus apparens, ideò Aristoteles ipsum vocat totum quoddam comparatione totius quantitatiui. Vnde dicendum quòd in toto sensibili est re ipsa pars extra partem: in toto autem definibili nõ est pars extra partem realiter, sed pars in parte, forma in materia, licet per intellectum dici possit pars extra partem. Sunt etiam notanda illa verba [totum, & indistinctè] totum enim significat confusum, indistinctè verò significat confusè, quasi Aristoteles dicat nomen significat confusum, & confusè, & iure ita loquitur, quia non idem est confusum, & confusè, confusum enim dicitur ex confusione & compositione, quæ est in re

confusè

confusè verò significat confusionem ex parte nostrę cognitionis, potest enim res confusa cognosci a nobis tàm confusè quàm distinctè. Si enim hominem cognoscamus per cognitionem partium essentialium, tunc rem confusam cognoscemus distinctè, homo enim res composita & confusa est, quod si hominem cognoscamus per solum nomen, sine cognitione partium essentialium, rem confusam cognoscemus confusè. Loquens igitur Aristoteles de cognitione, quam habemus per solum nomen, rectè profert vtrumque, quia per solum nomen cognoscitur res confusa, & confusè, idest, quatenus est confusa; dat Aristoteles exemplum nominis, cùm dicit, [vt circulus] per hoc enim nomen quilibet homo cognoscit confusè illam figuram, & non cognoscit partes definientes, quæ per definitionem distinguuntur, ideo dicit, [definitio vero diuidit in singula] definitio enim circuli diuidit illum confusum in suas partes definientes, vt singula conspiciantur. Hæc autem omnia ad id pertinuerunt, quod nomen significet totum, definitio verò partes, hoc enim voluit declarare Aristoteles vt appareret similitudo totius definibilis cum potentiali toto. Quòd autem nomen sit notius, quàm definitio, & totum ipsum definibile, quàm partes definientes, id Aristoteles, vt notum supponit, & prætermittit, quia est ita clarum, vt nemo id negaturus sit. Aliqui Alexandræi perpendunt hìc illa verba, [diuidit in singularia] quæ significant distinctam cognitionem partium definientium, vnde sumit argumentum quod singularia in principio textus quarti idem significarunt, videlicet principia distinctè cognita ad differentiam quæstionum confusarum de principijs. Sed hæc consideratio vana est, quia data etiam expositione illa quarti textus, non tamen verum erit, quod singularia hic, & ibi eodem modo sumantur: ibi enim secundum eos significabūt quęstiones particulares, & contractas, respectu quęstionū vniuersalium, & communiū, hìc verò partes singulas definitionis, quæ non comparantur cū nomine vt aliquo communiore, immò è contrario res se habet, si enim nomen cum partibus definitionis conferatur, singulæ vel sunt eo ampliores, vel æquales. Præterea, vt illis rationabile videtur vt singularia hìc, & ibi idem significent, ita id mihi videtur irrationabile, quia cùm Aristoteles ex his probet illa, probaret idem per idem, quod facere non debuit; probat ergo illud per simile, non per idem, & similitudo stat in hoc solo, quod sicuti ipsum commune se habet ad species suas, est enim totum quoddam comparatione earum, ita etiam definibile ad definitionis partes se habet, est enim & ipsum respectu earum totum quoddam confusum, eas vt partes continens, quare sicuti nomen cùm dicat totum est notius nobis definitione, ita etiam totum idem erit notius particularibus, ideò singularia hìc, & ibi nō debent significare idem genus partium, sed diuersum, simile tamen in hoc, quòd vtrumque habet rationem partium comparatione totius alicuius. [Ac pueri primùm quidem.] Hic Aristoteles tertia ratione probat, quòd vniuersale est nobis notius particularibus, quæ sumitur à signo, pueruli enim a principio non distinguunt patrem, & matrem ab alijs hominibus, sed indifferenter omnem virum appellant patrem, & omnem feminam matrem, postea verò procedente ætate [determinant horum vtrumque.] idest patrem, & matrem ab alijs hominibus discernunt, prius enim solùm cognoscebant quędam communia, in quibus omnes homines conueniunt, nec dum percipiebant particularia lineamenta patris, quæ non sunt in alijs hominibus, ergo id indicio est, quòd communiora sunt nobis notiora, idest, prius nota, quàm particulariora. Ioannes Grammaticus hinc argumentum sumit, quod Aristoteles in textu quarto per vniuersalia intellexerit particularia vaga, per singularia verò signata, quia de pueris dicere non possumus, quod intellectu vniuersale comprehendant, sed cognoscunt particularia solùm, vult ergo dicere Aristoteles, quòd prius cognoscant particularia vaga, post ea signata, quia prius patrem cognoscunt solum vt aliquem hominem, in quo non differt ab alijs hominibus, postea verò vt hunc signatum. Sed hæc ratio nullius

roboris


roboris est, cùm ratio Aristotelis sumatur à signo, signum autem non debet esse idem cum eo, quod ex ipso probatur, satis est si solum adsit aliqua conuenientia, & similitudo, ideò debilis est ratio Ioannis ad probandum, quod Aristoteles in textu quarto idem significauerit. Notandum autem est vt melius intelligatur ratio argumenti Aristotelis, quòd Aristoteles probare vult de cognitione intellectuali, & sumit argumentum à cognitione sensitiua, vt quæ euidentior nobis est, patuit hoc in primo argumento in textu quarto, quod sumptum est a toto sensibili cum dixit totum secundum sensum notius est, vniuersale autem totum quoddam est; similiter hìc sumit argumentum à sensitiua cognitione, quia omnis cognitio intellectiua sumit originem à sensitiua, quo fit vt illius vniuersale sit prius in intellectu, cuius singulare prius cognoscitur à sensu, vt postea in quæstione de primo cognito declarabimus. Aristoteles ergo hìc ostendere vult quòd communiora sunt prius in intellectu quàm minus communia, eo quod in sensu idem contingit, vt in puerulis patet, prius enim cernunt communia accidentia omnis hominis, & tunc nequeunt patrem ab alijs viris distinguere, quoniam propria lineamenta patris adhùc non inspiciunt: postea verò ea quoque cognoscunt, & patrem ab alijs discernunt, vnde patet, quod prius sensus cognoscit communia, quàm propria. Notari hìc solent quædam contradictiones in Aristotele non leues. Quarum prima est, Aristoteles hìc dicit vniuersale esse nobis notius, & prius, ac in postprædicamentis asseruit oppositum, dixit enim vniuersale esse prius secundum naturam, quàm minus vniuersale, quia illud dicit esse natura prius, à quo non concurritur existendi consequentia, vt animal ablatum aufert hominem, non è conuerso, ergo animal est natura prius homine, ergo non est prius nobis. Simplicius dicit Alexandrum respondisse ad hoc dubium, quod vniuersale est quidem natura prius singulari, sed non omnino, & simpliciter prius. Quam responsionem Simplicius non intelligens, alteram ipse affert, & dicit vniuersale posse dupliciter considerari, vno modo vt est quædam proprietas seiuncta à rebus, quæ est potius qualitas quàm substantia; altero modo vt distributum per particularia, & distinctè sumptum; primò modo est notius nobis, & de hoc Aristoteles hìc loquitur. Secundo modo est notius, & prius secundum naturam, & de eo loquitur Aristoteles in post prædicamentis, quæ tamen responsio ipsi Simplicio non multùm satisfacit, ideo subiungit quod si quis potest melius soluere, soluat. Reuera enim tàm Simplicius, quàm Alexander veritatem sub nube viderunt, ideò non admodum eam explicare valuerunt. Ego possem dicere nihil absurdi esse, si dicatur vniuersalius esse simul prius natura & nobis, quia iam diximus in textu secundo quòd potest idem esse primò nobis notum, & natura; in textu autem quarto comparans Aristoteles magis vniuersale cum minus vniuersale, nihil dicit de cognitione naturæ; nostram igitur cognitionem comparauit cum cognitione naturæ in secundo textu solùm vbi loquebatur de via doctrinæ pro inuentione principiorum, quæ opponitur ipsi rerum naturæ, sed hìc in quarto textu, aliam rem considerat, videlicet, ordinem doctrinæ, non viam, & nihil dicit de cognitione secundum naturam, solum dicit quòd nobis est notius vniuersalius singulari, & reuera hìc ordo doctrinæ non solùm est à notioribus nobis, verùm etiam secundum naturam, cùm sit simul ordo à primis principijs ad posteriora, vt prius diximus conferentes textum quartum cum primo. Possumus etiam aliter dicere vt ad bonum sensum trahamus ea, quæ a Simplicio, & ab Alexandro dicta sunt, vniuersale, vel sumitur pro vniuersali in multis, quæ est natura communis in singularibus latens; vel sumitur pro vniuersali post multa, quod in animo ex particularibus est collectum; vniuersale in multis est verè substantia, & natura prius singulari, & ablatum aufert singularia, quia habet rationem causæ, & est potius pars essentialis, quàm totum, vt animal in homine contentum est eius pars, & natura prius homine, & nobis ignotum, natura autem notius homine; vniuersale

autem

autem post multa est purum accidens in animo (dummodo formaliter sumatur, & non repræsentatiuè, repræsentat enim vniuersale in multis, ideò repræsentatiuè est substantia) ideò non est prius natura, neque ablatum aufert, cùm sit potius natura posterius, vt nomen ipsum significat, vocatur enim post multa, quia est posterius singularibus non modò natura, sed etiam specie, cùm ab animo nostro ipsum collectum sit; hoc autem habet rationem totius, & species omnes confusè continet vt partes. Secunda contradictio est inter hunc locum, & textum duodecimum primi Posteriorum, nec non in primo Metaphysicorum in proœmio, hìc enim Aristoteles dicit vniuersalia esse nobis nota, in dictis autem locis dicit ea esse nobis maxime ignota. Soluit Auerroes tùm hìc, tùm primo Posteriorum commentario duodecimo, dicens Aristotelem ibi intellexisse vniuersalia in causando, quæ sunt nobis ignota, quod idem videtur significare Alexander in proœmio Metaphysicorum, hìc verò intelligere vniuersalia in prædicando, quæ nobis notiora sunt. Vicomercatus licet Auerrois solutionem non reijciat, alteram tamen ipse ex Simplicio collegit, quam dicit esse verisimiliorem, est enim verisimile quòd Aristoteles, & hìc, & ibi de eodem vniuersali loquatur videlicet in prædicando, ideò dicit quòd si vniuersale consideretur, vt quædam proprietas & accidens in animo ex particularibus collectum, hoc modo habet rationem totius confusi, quod nobis notius est, vt ait hìc Aristoteles. Si verò consideretur vt essentialis pars specierum, & in eis latens, est nobis ignotum, & natura notum, vt dicit Aristoteles in primo Posteriorum. Sed reuera hæc responsio non est diuersa à responsione Auerrois, quoniam idem vniuersale, quod dicitur vniuersale in prædicando, dùm consideratur vt essentialis pars specierum habet rationem causæ, & est vniuersale in causando, & non prædicatur; quare distinctio Vicomercati vniuersalis in prædicando in duos eos modos, est distinctio ipsa Auerrois in vniuersale in prædicando, & vniuersale in causando. Omitto solutionem D. Thomæ, & aliorum, quia nimis absunt ab Aristotele, & à veritate.

Textus Sextus.

Necesse est autem aut vnum esse principium, aut plura. Et si vnum aut immobile, vt dicunt Parmenides, & Melissus, aut mobile, vt Physici; hi quidem aerem asserentes esse, alij verò aquam primum principium. Si verò plura, aut finita, aut infinita. Et si finita plura, aut vnum, aut duo, aut tria, aut quatuor, aut secundum alium quempiam numerum. Et si infinita, aut sic vt Democritus, genere quidem vnum, figura verò, vel specie differentia, aut etiam contraria.



Post proœmiũ hìc Aristoteles tractationem aggreditur de primis principijs, quam totam in duas partes diuidere possumus, in prima enim Aristoteles vt in alijs quoque libris facere consueuit, ponit antiquorũ sententias de principijs, easque refellit, idque ab hoc loco vsque ad textum quadragesimum primum, deinde in secunda parte, quæ a textu quadragesimo primo vsque ad finem libri extenditur, loquetur de principijs secundum propriam sententiam, & veritatem. In hoc autem textu sexto Aristoteles

vult

vult per diuisionem inuenire omnes opiniones de principijs, vt omnibus alijs membris reiectis, sub quibus antiquorum sententiæ continentur, ipse tandem accipiat membrum illud, quod per diuisionem sufficientem verum esse manebit. Ideò si quis quærat, cur Aristoteles de numero tantùm principiorum faciat hanc diuisionem, non de alijs eorundem conditionibus, cùm dicat, aut vnum esse principium, aut plura? Dicendum est Aristotelis scopum esse talem diuisionem facere, per quam sententiæ antiquorum omnes inueniantur: hoc autem non potest commodius fieri alio modo, quàm numerum considerando, imò non solùm circa numerum facit Aristoteles hanc diuisionem, sed etiam de qualitate principiorum, cùm dicat, si vnum, aut est mobile, aut immobile; deinde dicat, si infinita, aut sunt vnum genere, aut diuersa genere, ac etiam contraria. Aristoteles igitur id solum respicit vt faciat talem diuisionem, per cuius membra exprimantur omnes antiquorum sententiæ, id autem commodissimè fit per considerationem numeri principiorum. Sed vbi antiqui aliqui in numero conuenerunt, Aristoteles exprimit eorum differentias, diuidendo per qualitates, & conditiones alias, in quibus discrepabant, quòd alij illud ponebant mobile, alij immobile, qui etiam conueniebant, quòd esset mobile, discrepabant postea, quia alij id volebant esse aquam, alij aerem, alij aliud. Præterea etiam si Aristoteles de solo numero principiorum diuisionem faceret, rectè faceret; quia quæstio de numero rerum est, simul de alijs principiorum conditionibus. Non enim possumus cognoscere determinatum numerum principiorum, & quod tria sint, nisi prius cognouerimus quòd sint contraria, & quòd contraria non sufficerent, nisi tertium subiectum adsit. Quærere igitur certum principiorum numerum, est quærere omnia attinentia ad principia, quia non potest certus numerus inueniri, nisi aliæ conditiones inueniantur, vt testatur etiam Simplicius in expositione textus quadragesimi primi huius primi libri. Non est igitur mirum, si Aristoteles de solo principiorum numero diuisionem facere videatur: id enim facit, vt ex diuisione facilius colligantur omnes antiquorum sententiæ, & quia quæstio de principiorum numero continet virtute alias quæstiones, quæ de principijs fieri possunt. Notant Græci quòd Aristoteles hìc vtitur diuisione, tùm scientiali, tum notissima: scientiali quidem, quia necessaria est, & ἄφυκτος idest, ineuitabilis, cùm detur per membra contradictoria, quorum alterum concedere necessarium est; & propterea est etiam notissima, quia in virtute continet principium contradictionis affirmatiuum, quod est; oportet de omni re aut affirmare, aut negare. Ideò Aristoteles dixit [necesse est] principium enim contradictionis necessarium est, & ineuitabile, dicere enim aut vnum, aut plures, perinde est ac dicere, aut vnum, aut non vnum, sic enim vtitur Aristoteles principio contradictionis contracto ad principia naturalia iuxta præceptum suum in primo Posteriorum, vbi docuit, quòd scientiæ particulares, idest, omnes præter Metaphysicam debent vti principijs contradictionis contractis ad subiectum illius scientiæ, non in sua maxima communitate relictis. Rectè igitur Græci dicunt Aristotelem hìc vti dignitate diuisiua, ita enim vocari potest principium contradictionis affirmatiuum, in quo necessaria, & ineuitabilis diuisio continetur, quoniam inter contradictoria membra non datur medium. Hìc etiam notandum est pro confirmatione eorum, quæ in primo textu diximus, Aristotelem non quærere, an dentur principia aliqua rerum naturalium, imò supponere, & tanquàm rem necessariam. Cùm enim dicat esse necessarium, vt vel vnum principium sit, vel plura supponit necessarium esse, vt principia dentur, & eorum numerum quærit, vanum autem esset, quærere numerum, & ignorare an sit, vt quærere quot sint hircocerui. Est autem diuisio Aristotelis, & totius textus sententia talis. Necesse est aut vnum esse principium rerum naturalium, aut plura: & si vnum, aut esse immobile, vt posuerunt Parmenides, & Melissus, aut mobile vt alij multi, quos Aristoteles hìc Physicos vocat, ad differen-

differentiam Parmenidis, & Melissi, qui non possunt dici naturales, vt Aristoteles docebit inferius, cùm negent motum, & consequenter naturam ipsam. Naturales autem Philosophi, qui vnum principium mobile ponebant, in eo tamen non conueniebant, nam alij ignem esse primum principium, ex quo omnia fierent: alij Aquam, alij aerem, alij aliquid medium, vel intra ignem, & aerem, vel inter aerem, & aquam, terram autem solam nemo antiquorum posuit esse principium pręter Poetas, vt asserit Aristoteles primo Metaphysicorum quartodecimo. Heraclitus quidem, & Hippasus ignem posuerunt primum principium, cùm ignis sit maximè effector caloris, & ideò veluti vitæ parens, vita enim in calore existere videtur, est etiam omnium rerum quod videtur in eo requiri, quod debeat omnium rerum principium. Anaximenes videns aerem optimè, ac facilimè esse formabilem quacunque figura, & maximè huc illuc mobilem, indicauit esse conuenientissimum omnium rerum principium, & materiam aptissimam ad suscipiendum omnes rerum formas. Thales verò Milesius vnum & ipse statuit omnium rerum principiũ, quod voluit esse aquam, eius humiditatem respiciens, humiditas enim est maximè productiua, & ad prolem accommodata, nam omnia semina, & animalium, & plantarum ideò generant, & germinant, quia humida sunt, vel si fuerint sicca non germinant priusquam humida euadant, aqua igitur cùm humidissima sit, videtur principium valde accommodatum ad omnium rerum productionem. Anaximander verò nullum elementum censuit esse dignum nomine principij; elemẽta verò & se inuicem generantur, & corrunpuntur, principia verò non debent ex alijs generari, neque corrumpi; ideò dixit medium quoddam inter elementa esse statuendum principium rerum; quomodo autem medium inter elementa posuerit esse principium nihil certi habemus. Aliqui enim dicunt sententiam Anaximandri fuisse quòd medium inter aerem, & aquam, esset principium rerum, quod aere crassius esset, aqua verò rarius, adeo vt ex eo rarefacto fieret aer, adhùc etiam magis rarefacto ignis; condensato autem aqua; magis autem condensato terra. Alij verò dicunt medium inter ignẽ & aerem, ab Anaximandro positum fuisse, imò Aristoteles ipse in textu trigesimo secundo, huius primi libri significare videtur, quòd hoc medium inter elementa ab Anaximandro positum non esset vnum simplex, quod per extremorum negationem medium diceretur; sed vnum mixtum ex omnibus rebus, quale videtur etiam Anaxagoras posuisse; vt cunque sit, tribuitur Anaximandro quòd vnum principium posuerit, idque dixerit esse medium inter elementa. Similiter qui præterea principium posuerunt in duas classes diuidebantur, alij enim finita ponebant, alij infinita, & ponentes finita adhùc in multas classes diuisi sunt, nam alij duo principia ponebant, vt Plato magnum, & paruum, Parmenides ignem, & terram, nam licèt posuerit vnum tantùm esse ens secundùm rationem, tamen coactus etiam apparentiam sequi, posuit secundum sensum duo principia, videlicèt ignem, & terram, vt ait Aristoteles primo Metaphysicorum primo, quasi vnum tantùm ens esse voluerit secundùm veritatem, at secundùm apparentiam & opinionem plura, & horum principia voluerit esse ignem, & terram. Empedocles verò dixit quatuor elementa esse prima omnium rerum principia, & sic quatuor principia posuit. Anaxagoras verò Democritus, & Leucippus non modò plura principia statuère, verùm etiam infinita diuersis tamen modis: Anaxagoras enim omnium similarium particulas infinitas in vno quodam notato Chaos confusè ponens, eas dicebat esse omnium rerum principia, & sic infinita ponebat. Democritus verò, & Leucippus dicebant infinita corpuscula indiuisibilia esse omnium rerum principia, ea videlicèt, quæ in radijs Solis conspicere solemùs, quæ quidem ipsi eiusdem naturæ esse voluere, differre tamen figuris diuersis, & positione, & ordine, alia enim volebant esse sphærica, alia cubica, alia pyramidalia, & alia alijs modis figurata; alia anteriora, alia posteriora, alia dextra, alia sinistra,

alia superiora, alia inferiora: alia demùm priora, alia posteriora secundùm ordinem esse. Hæ sunt omnes antiquorum sententiæ, quas Aristoteles per hanc diuisionem, quam hìc facit, innuere vult. Sed primò hoc dubium in textu oritur, cur Aristoteles non diuisit principium, vnum per finitum, & infinitum, & principia plura per mobilia, & immobilia? poterat enim dicere, si vnum est principium immobile, id vel est finitum vt Parmenides putauit, vel infinitum vt Melissus, vel neque finitum, neque infinitum, vt Xenophanes, qui neutrum duorum expressit; sic etiam Physici, qui vnum principium mobile ponebant, alij finitum, alij infinitum ipsum esse dicebant; Heraclitus enim, & Hippasus ignem finitum dicebant esse principium; Reliqui autem omnes, qui vel aerem, vel aquam principium statuebant, vel etiam medium inter Elementa, illud ponebant infinitum, eo argumento moti, quòd generatio debet esse perpetua, & nunquam desinens; perpetua autem esse non potest, si materia illa, ex qua fiunt omnia, sit magnitudinis finitæ, aliquando enim illa materia componeretur, & generatio desineret: Ad hoc dubium respondent Ioannes Grammaticus, Auerroes, & Alexander, referente Simplicio, quòd Aristoteles contentus fuit diuisione principij vnius per mobile, & immobile, & plurium per finita & infinita, spreuit autem alteram subdiuisionem, videlicet vnius mobilis, seu immobilis per finitum, & infinitum, nec non plurium per mobilia, & immobilia, volens vtramque subintelligi per alicuius mēbri diuisionem, idque fecit breuitatis gratia. Quamuis enim conuenire cognouit, vtramque diuisionem vtrique membro, tamen vnam vni tantùm membro voluit accommodare, quia illi magis conueniebat, & similiter alteram alteri, quæ illi magis conueniebat; nobis relinquens, vt non modò alterum, sed vtramque vtrolibet membro accommodemus, magis autem conuenit illi mēbro quòd principium vnum sit, diuisio per mobile, & immobile, principijs autem pluribus magis conuenit diuisio per finita, & infinita. Simplicius hanc responsionem refutat, idque non iniuria, dicens non eandem esse finitatem, vel infinitatem, quæ vni principio tribuitur & quæ pluribus, quando enim Aristoteles diuidit principium plura per finita, & infinita, intelligit finita, & infinita secundum numerum, quæ diuisio non conuenit principio vni; quare falsum est, quòd Aristoteles voluerint accōmodari a nobis etiam principio vni, cum ei accommodari non possit. Qui enim principium vnum ponebant, illud in alio sensu quàm secundùm numerum, vocabant finitum, vel infinitum; Physici enim ponentes vnum principium mobile, finitum vel infinitum, secundum magnitudinem videntur intellexisse: Parmenides autem & Melissus, qui vnum principium immobile statuerunt, Deum videntur intellexisse, quem Parmenides finitum appellauit respiciens propriam eius naturam, quæ necessariò terminata esse debet secundùm perfectionem, quod enim termino, & fine proprio caret, est imperfectum; Melissus verò infinitum vocans, intellexit secundum durationē temporis, vel etiam non Deum sed materiam primā intellexit, vt innuit Aristoteles primo Metaphysicorum, primo, quam vocauit infinitam, quia secundùm se omni forma caret, & nullam sibi finē ac terminum perfectionis præscribit. Patet ergo quòd horum responsio Aristoteli attribuit æquiuocationem, quod non est admittendū. Præterea falsa est etiam ea responsio secundùm alteram partē, videlicet quòd diuisio per mobile, & immobile possit accōmodari etiam principijs pluribus; impossibile est enim plura ponere principia materialia rerū, & ea dicere immobilia, nā ex pluribus immobilibus nihil generari posset, ideò nullus vnquam Antiquorum hoc dixit, sed omnes plura materialia principia ponentes, ea mobilia posuerunt. Patet igitur vna responsio ad dubium: dicimus enim quòd principio vni non conueniebat alia diuisio, quàm per mobile, & immobile; Altera verò per finita, & infinita secundùm numerum non potest ei conuenire; principijs autem pluribus non conueniebat diuisio illa per mobile, & immobile, sed illa per finita, & infinita; sumendo


do autem finitum, & infinitum alio modo quàm secundum numerum. Poterat quidem Aristoteles accommodare hanc diuisionem etiam principio vni; eam tamen spreuit, quia nihil ad propositum confert, satis enim sunt aliæ differentiæ, quibus Aristoteles in hac diuisione vsus est, ad inueniendas diuersas antiquorum sententias, nam satis est ad cognoscendam differentiam inter Thaletem & Heraclitum dicere, quòd vnus aquam posuit, alter ignem; nihil confert cognoscere quòd ille aquam infinitum posuerit, hic vero ignem finitum. Sic etiam ad ostendendum absurditatem sententiæ Parmenidis & Melissi satis fuit dicere, quòd ambo posuerunt vnum ens immobile, quare ambo æquè aduersantur principijs naturalibus, quia negant motum, & à philosopho naturali confutantur. De differentia verò inter eos per finitum, & infinitum nulla est nobis habenda consideratio hic. Est etiam difficultas quædam in textu in vltimis verbis; Aristoteles enim subdiuidit illud postremum membrum, videlicèt principia infinita, & dicit [aut sic vt Democritus] & statim ponit opinionem Democriti, cùm dicit [genere quidem vnum] Democritus enim ponebat illa corpuscula non differre genere, idest, natura, & substantia, sed vnam & eandem esse eorum omnium substantiam, [figura verò, vel forma differentia] solùm ponebat inter illa differentiam ratione figuræ, & nomen formæ hic non significat formam substantialem, & speciem, quia si specie differrent, differrent natura, quod Democritus negauit, sed forma hic significat idem, quòd figura, videlicet formam accidentalem, quare illa particula [vel] non disiungit rem, sed solùm locutionem. Omittit hic Aristoteles eam differentiam inter illa corpuscula ratione positionis, vel ordinis, cuius tamen fecit mentionem in textu quadragesimoprimo ex mente Democriti, quia non vult hic exquisitè declarare antiquorum sententias, sed solùm leuiter tangere. Præterea possumus dicere, quòd si illa corpuscula Democriti secundùm seipsa considerentur, nullam habent aliam differentiam inter se, quàm ratione figuræ, at ratione positionis, & ordinis non differunt, nisi quatenus considerantur commixta in productione compositi ex eis, ideò Aristoteles satis hic habuit considerare differentiam præcipuam, quæ illis secundum seipsa competebat. Sed quando Aristoteles tandem subdit, [aut etiam contraria] in horum verborum declaratione controuersia magna est; nam Ioannes Grammaticus, Themistius, Porphyrius & Albertus volunt verba hæc esse referenda ad opinionem Anaxagorę, vt illa dictio [aut] respondeat alteri [aut] supra positæ; & sensus sit, aut sit vt Democritus, aut etiam contraria, vt Anaxagoras. Ponebat enim Anaxagoras in illo Chao similaria diuersarum rerum, & inter se contrariarum, vt aquæ, & ignis. Pro hac expositione est ratio sumpta ex modo loquendi, nam cùm Aristoteles dixerit [aut sic vt Democritus] necesse erat subiungere alterum diuisionis membrum, quod alteram sententiam continet contradistinctam a sententia Democriti, vt illi dictioni [aut] postea alterum [aut] responderet, quare non possunt ea verba, [aut etiam contraria] referri similiter ad Democritum, quia tunc deesset alterum diuisionis membrum, & locutio praua esset, manca & mutilata. Sed Alexander, Auerroes, & Sanctus Thomas putant hæc omnia verba dici de Democrito, vt sensus sit, atoma illa differunt figura, aut etiam contraria secundùm figuram ipsam dici possunt, sicuti reuera testatur de Democrito ipse Aristoteles, in textu Quadragesimo primo huius libri. Nituntur hi ea ratione, quoniam si Aristoteles hæc postrema verba de Anaxagora proferret, reprehendendus esset, quia non bene per hæc distinguitur sententia Anaxagorę a sententia Democriti, quia non minus Democritus posuit inter illa corpuscula contrarietatem secundùm figuras, secundùm positionem, & secundùm ordinem, vt in eo textu quadragesimoprimo legere possumus, quamuis enim hæc non sit contrarietas, tamen satis est, si ipse Democritus putauit eam esse contrarietatem. Ad argumentum alterius sectæ sumptum ex modo loquendi, respondent hi, quòd cum Aristo-

Aristoteles dicat [aut sic vt Democritus] necesse est alterum membrum sequi, quod Anaxagoræ opinionem contineat. Aristoteles tamen breuitati studens illud omisit, & voluit nos ipsum subintelligere à contrario sensu, ex dictis de sententia Democriti; Democritus enim dicebat illa atoma esse [genere vnum] quare nos supplere debemus, aut genere diuersa, vt voluit Anaxagoras. Quæ responsio cùm argumento satisfacere mihi non videatur, magis probo priorem expositionem, quòd hæc verba ad Anaxagoram referantur; nam si à contrario sensu deberemus intelligere per sententiam Democriti sententiam Anaxagoræ, oporteret secundùm omnia accipi hunc contrarium sensum, & sic Anaxagoras dixisse principia infinita, quæ & genere vnum non essent, & figura non differrent, & non essent contraria; quod tamen est falsum de Anaxagora. Præterea dato quod possemus intelligere sententiam Anaxagoræ à contrario sensu, tunc sensus quidem Aristotelis defenditur, quia nunquam admittitur hic dicendi modus, vt dicamus, si hoc dicatur, aut erit hoc modo, neque subdamus, aut illo, licèt etiam esset notissimus alter ille modus, qui omitteretur. Ad argumentum illorum respondeo, quòd illa verba [aut etiam contraria] si bene intelligantur, optimè distinguunt opinionem Anaxagoræ, ab opinione Democriti, nam ex aduerso respondent illis [genere quidem vnum] & sensus est, aut secundùm substantiam non differunt, sed vnum sunt, vt Democritus censuit, aut non modò secundùm substantiam differunt, sed etiam sunt secundùm substantiam contraria, vt Anaxagoras. Democritus enim posuit quidem in atomis contrarietatem secundùm accidentia, videlicèt secundùm figuram, positionem, & ordinem, sed non secundùm substantiam, imò volebat vnam esse eorum omnium substantiam: & Anaxagoras etiam secundùm substantiam in ipso Chaos contrarietatem ponebat. Ex his quoque patet sententiam Simplicij non esse accipiendam, qui videns ex vtraque parte esse difficultatem rem putauit totam euitari posse, & omnes conciliari, dicendo quòd hæc verba postrema, [aut ex contraria] sensum habent communem, & ad sententiam Anaxagoræ, & ad sententiam Democriti, hoc modo neque erit omissum alterum diuisionis membrum ad Anaxagoram pertinens, neque sententia Anaxagoræ distinguetur contra sententiam Democriti per hoc quod principia contraria ponat, cùm de vtroque simul proferat Aristoteles quòd contraria principia posuerint. Sed certè hæc non est mens Aristotelis, quia cùm in primo membro dixerit, [aut sic vt Democritus] necesse est, vt postea dicens, [aut etiam contraria] contradistinguat hanc sententiam a sententia Democriti, si enim primum membrum est vt Democritus, necesse est secundum membrum esse non vt Democritus. Præterea perpendenda est illa particula [etiam] quia si verba communia sint tàm Democrito, quàm Anaxagoræ, dictio hæc debet eandem vim habere de Democrito, ac de Anaxagora, sed de Democrito significat quòd præter alias dictas conditiones, hæc quoque adsit ipsis principijs quòd sunt contraria. Ergo similiter de Anaxagora significabit, quòd & alias conditiones posuerit, & hanc, quod tamen falsum est, quia ipse non dixit principia omnia esse vnum & idem genere, idest natura, & substantia. Est in hoc textu notandum vt animaduertunt Simplicius, & Ioannes Grammaticus, quod Aristoteles enumerans per huius diuisionis membra omnes antiquorum opiniones de primis principijs, de nullis alijs principijs has opiniones enumerat, quàm de internis, ex quibus fiunt naturalia corpora; ergo cùm hæc dicere inciperet exequens id, quod in fine primi textus conclusit, necesse est vt nomen principij tam hic, quàm in primo textu non significauerit alia principia quàm elementa, idest, principia interna, ideò idem significat in primo textu nomen principij ac nomen Elementi: Noto præterea quòd cùm principia interna sint materia, & forma, tamen Aristoteles hic non considerat principium formale, sed solùm materiale, & numerat sententias antiquorum de materia prima omnium corporum naturalium, quia formale principium antiqui

non cognouerunt, vt in secundo libro testabitur Aristoteles, & putarunt totam rei naturam, & essentiam esse materiam solam, formam vel penitus non cognouerunt, vel eam vt accidens habuerunt ab essentia rei distinctam. Auerroes in commentario notat, quòd omnis multitudo, aut est rerum differentium secundum formam, aut est rerum differentium secundum quantitatem, quam eandem distinctionem tradit etiam Porphyrius in libello de quinque vocibus per alia verba, dùm dicit, omnia, quæ differunt, aut differre specie, aut numero, nam differre specie est differre natura & forma; differre numero est differre per solam quantitatem. Quod si quis obijceret, videri mancam esse hanc Auerrois diuisionem, cùm detur etiam tertium membrum eorum quæ differunt genere. Ad hoc dico quòd differentia secundùm genus, non est tertia distincta ab his duabus, sed est differentia secundum formam & naturam, & sic patet quod omnia quæ differunt; aùt differunt solo numero, idest accidentibus tantùm, aut differunt forma & natura, potest autem esse forma tàm specifica quàm generica; quæ verò toto genere differunt; ea non differentia, sed primò diuersa debent appellari, quia seipsis differunt non per differentiam; ideò vel sub hac Auerrois diuisione non continentur. Si Auerroes non de primo diuersis non loquatur, sed de differentibus natura, quæ quidem sub aliquo communi continentur; vel etiam possunt sub hac diuisione contineri, si communiter intelligamus quòd omnia, quorum diuersa est essentia, differunt forma, & natura; Aliqui hìc ex Auerroe colligunt, quòd principium indiuiduationis est materia quanta, cùm Auerroes dicat indiuidua differre per quantitatem, sed friuola est eorum ratio. Primò, quia possumus dicere Auerroem non intelligere quantitatem continuam, sed distinctam, idest numerum, vt idem sit differre secundùm quantitatem, quod dicitur a Porphyrio differre numero. Præterea etiam si concedamus intelligi quantitatem continuam, non propterea sequitur quantitatem esse rationem indiuiduandi, quia dicimus indiuidua inter se non sola quantitate, sed etiam alijs multis accidentibus differre, nec tamen sequitur ea omnia esse principia indiuiduitatis, illud enim est forma ipsa, vt existens actu, quam postea hæc omnia accidentia consequuntur, sed hac de re fusius diximus alibi in quæstione de principio indiuiduitatis, quam examinauimus in textu nonagesimo secundo primi libri de Cælo.

Textus Septimus.

Similiter autem quærunt & quærentes quot sunt ea quæ sunt. Ex quibus enim sunt ea, quæ sunt, quærunt, & primum vtrum hæc vnum an multa sint, & si multa finita, an infinita, quare principium, ac elementum quærunt vtrum sit vnum an multa.



IN hoc textu vult Aristoteles confirmare quæstionem a se factam de numero principiorum ex antiquorum testimonio, qui & ipsi quærebant quot essent principia, nam quærentes quot sint entia prius quærebant quot sunt ea, ex quibus entia fiunt, & cōstant. Ad horū intelligentiā notandū est, quòd antiqui de entiū numero loquētes alij ens pro ente accipiebāt, alij nomine entis pro principio vtebātur; ens pro ente accipiebāt Xenophanes, Parmenides, & Melissus, qui vnū esse ens immobile statuebant, non enim accipiebant nomen entis pro principio, sed pro ente, quia si vnum datur ens, non potest esse principium, cum nihil remaneat, cuius principium sit. Aristoteles tamen hanc eorum sententiam recenset, inter opiniones de principijs, vel quia nomine entis illud intellexere,

intellexere, quod est primum principium omnium rerum: vel quia ad sermonem de principijs pertinet negatiuè, seu destructiuè. Omnia enim principia tollit, & dare principia negat qui vnum ens ponit, vt Aristoteles in sequenti textu considerabit, & propterea constituit eam sententiam confutare, licèt ad naturalem hæc confutatio non spectet, quoniam nimis erat periculosum eam relinquere non confutatam, quia destruit totam naturalem philosophiam, vt ipse Aristoteles infra testabitur. Qui verò nomen entis pro principio sumebant, erant illi, quos Aristoteles vocabat naturales, qui vnum principium mobile ponebant vel plura, cum enim isti putarent, solam materiam esse rei naturam, & substantiam, ideo solebant nomine materiæ, quam primam putabant, res alias appellare. Qui enim dicebant primam materiam omnium esse aquam, dicebant omnia esse aquam, & sic apud eos erat in hoc sensu vnum tantùm ens, vt ait Aristoteles infra in textu vigesimo quarto, sumendo ens pro principio, quia nihil aliud significabat omnia esse aquam, omnia esse aerem, quàm omnia ex aqua, vel omnia ex aere constare; solemus autem & nos in communi sermone vti eodem loquendi modo, dicimus enim puluis, & vmbra sumus, memento homo quòd cinis es, idest, ex cinere, ex terra factus. His intellectis dicit Simplicius hos Philosophos, de quibus Aristoteles in hoc textu loquitur, esse Parmenidem, & Melissum, qui vnum ens immobile ponebant, hi enim quæsiuerunt quot sint ipsa entia, & dixerunt vnum ens esse. Quæ expositio admittenda non est; quia Aristoteles dicit in textu quòd isti quærebant prius quot nam sint ea, ex quibus entia constant, deinde dicit, quòd quærebant an vnum sit elementum, an plura, sed illud vnum ens immobile non potest dici elementum, neque principium, ex quo entia constent, quia non est materia, sed Deus, cui hæc appellatio non potest conuenire; quare melius est vt cum Alexandro, & Auerroe dicamus Aristotelem hìc loqui de illis naturalibus, qui sumebant nomen entis pro principio, hi enim cùm à primo materiali principio entia omnia nominare consueuerint, eò quòd materiam solam putabant esse substantiam rei, ideò tot entia esse dicebant, tot entium naturas, quot principia statuebant, & propterea dum scire volebant, quot entia essent, ad principia entium confugiebant, & ex eorum numerò iudicabant entium numerum. Aduertendum tamen quòd rerum conuenientia, & differentia iuxta antiquorum sententias duo attendi poterat, aut enim secundùm substantiam, aut secundum accidentia, conueniebant res secundùm substantiam, vel differebant ratione principiorum materialium, quæ erant tota substantia rei, & sic homo & equus secundùm substantiam non differebant apud eos, qui putabant aquam esse principium omnium, quia secundùm eos tàm homo, quàm equus aqua erat; At secundùm Empedoclem quatuor sunt tantùm res secundùm substantiam diuersæ, videlicèt, quatuor elementa, quæ ipsi statuebant primam rerum materiam, aliæ verò res non differebant inter se secundùm substantiam, nisi quatenus vna magis vno elemento, alia magis alio participabat; propterea autem differentiæ quibus res singulæ inter se differebant, erant apud antiquos differentiæ accidentales, vt apud Thaletem homo non differebat substantialiter a lapide, quia vterque secundùm substantiam erat aqua, sed differebant accidentali differentia, quatenus in vno aqua magis condensata erat, quam in alio. Quando igitur Aristoteles dicit antiquos quæsiuisse numerum entium, non debemus intelligere, quòd quæsiuerint, quot sint omnia entia secundum differentias accidentales, innumeræ enim sunt species entium, & vana esset quæstio quot nam sint, quia nemo id cognoscere potest: sed intelligendum est quòd antiqui quæsiuerint quot sunt entia secundùm substantiales differentias, ideò per numerum principiorum inuestigabant numerum entium, & quicunque vnum materiale principium ponebant, vnum quoque ens esse dicebant, idest non multa secundum substantiam. Qui verò duo principia ponebant duo entia esse

 dicebant,

dicebant, sit Empedocles quatuor tantùm entia esse statuebat, quod nihil aliud significabat, quàm quòd entia ex vno principio constabant, vel ex duobus, vel ex quatuor, vel ex pluribus, quia sumebant ens pro principio, & esse hoc pro esse ex hoc. Horum igitur testimonio confirmat Aristoteles quæstionem a se propositam de numero principiorum an videlicet, sint plura an vnum; & si plura, an finita an infinita, nam etiam antiqui hoc idem quærebant, videlicet, dùm eorum numerū quærebant, an vnū sit ens, an plura, & an finita, an infinita, dùm enim hoc quærebant, nihil aliud quærebant, quàm numerum principiorum materialium, ex quibus entia constabant, prius enim scire volebant quot essent principia materialia, hoc cognito statim iudicabant, quot essent entium naturæ vt dictū est. Hæc est, vt ego puto vna huius textus expositio, quam, & Alexandri, & Auerrois esse existimo, quicquid eis attribuat Vicomercatus; incredibile enim est quod Alexander putauerit antiquos quæsiuisse numerum omnium entium secundùm differentias eorum accidentales, quem numerum dicimus a nomine cognosci posse, quia plurimas species ignoramus, sed intellexit Alexander numerum entium quæsitum fuisse ab antiquis secundùm differentiam substantialem vt nos diximus: quare ego non video notabilem differentiam inter expositionem Auerrois, & Alexandri, & ipsius met Vicomercati, vt legētibus patere potest. Notare hoc in loco debemus quod Aristoteles loquens de primo materiali principio, vocat ipsū [principium & elementum] confundens principij nomen, cū nomine elementi, cui ergo dubium esse potest quòd Aristoteles in hoc eodem sensu accipit in primo textu hæc eadem vocabula? videlicèt nomen elementi pro primis, & remotissimis internis principijs, & nomen principij prout idem significat, quod nomen elementi, hìc enim patet, quod idem significant, videlicèt materiam primam.

Textus Octauus:

Itaque si vnum, atque immobile sit id, quod est, considerare non est de natura speculari. Vt enim & Geometræ non amplius est ratio ad eum, qui destruit principia, sed aut alterius est scientiæ, aut omnium communis; sic neque ei, qui de principijs, non enim amplius principium est, sed vnum solum, & ita vnum est, aut enim principium cuiusdam, aut aliquorum est.



ONSTITVENS Aristoteles confutare sententiam Parmenidis, & Melissi de vno ente immobili, quam primùm in texto nominauerat, vult prius in textu hoc octauo, & alijs quatuor sequentibus excusationem quādam præmittere, ipse enim hìc faciens naturales limites transgredi videbatur, ideò excusat se dicens verum esse quòd ad naturalem philosophum non spectet contra hanc sententiam disputare, attamen se decreuisse aliqua contra hos dicere, quia nimis erat periculosum has positiones intactas relinquere, reuera enim destruerent totam naturalem philosophiam. In textu octauo fatetur primùm Aristoteles, quòd considerare an sit vnicum ens immobile non est munus Philosophi naturalis, & reddit rationem quoniam nullus artifex potest disputare contra negantes sua principia, quod exemplo Geometræ declarat, si quis enim negauerit principia Geometriæ, nullam habet rationem Geometra, quam contra eum afferre possit; hoc enim facere esset demonstrare propria sua principia, quod quidem

facere

facere non potest, vt Aristoteles ostendit primo libro Posteriorum, quòd autem Parmenides, & Melissus negauerint principia naturalia ostendit Aristoteles tùm in hoc textu, tùm in vndecimo, cùm enim hi negauerint duo principia naturalia, Aristoteles hìc de altero mentionem facit, mox in textu vndecimo de altero; hìc dicit quòd negauerint multitudinem entium quod debet esse principium suppositum à naturali, nam ponendo vnum ens aufertur omne principium; principium enim est vox respectiua ad principiata, ergo principium esse non potest, quia ad minus duo entia sint, videlicèt principium & principiatum; si ergo non datur nisi vnum ens, non datur aliquod principium, hoc autem est negare principium scientiæ naturalis, quòd res naturales habeant principia, quod quidem Physicus supponere debet. Vnde patet vnum esse quod in primo textu diximus contra Simplicium, quòd minor illa Syllogismi, res naturales habent principia, omissa fuit ab Aristotele vt principium suppositum, non vt probanda in hoc primo libro; hìc enim Aristoteles nulla alia ratione ostendit, quòd hi antiqui negantes multitudinem entium negauerint principia naturalia, nisi quia negauerunt hoc quòd res naturales habeant principia; si enim vnicum est ens, nõ datur principium. Consideranda sunt in textu verba illa [si vnum solum, & ita vnum est] quæ ab Auerroe ita intelliguntur, non datur amplius principium si vnicum est ens, & ita vnum, idest, vnum simplex, cùm hoc tantùm modo sequatur nullum dari principium, si enim poneretur vnum ens compositum, tunc daretur principium, quia partes componentes haberent locum principij. Quæ expositio mihi videtur aliena, & a mente Aristotelis, & illorum antiquorum Philosophorum, de quibus non est manifestum, an vnum ens posuerint vt simplex, an vt compositum, quod patet ex sequenti Aristotelis disputatione contra eos, vbi Aristoteles considerabit, omnes modos vnitatis, quibus potuerint intelligere vnum esse ens. Credo igitur cum alijs dicendum esse, quòd Aristoteles dicens, [& ita vnum] intelligat vnum immobile, vt isti ponebant; si enim vnum ponatur ens mobile, non aufertur principium sicut de antiquis naturalibus patet, qui enim ponebant vnum principiũ esse omnium aquam, dicebant etiam vnum ens esse secundum substantiam, ex quo tamen possunt fieri multa secundum differentias accidentales, quia trãsmutabile ponitur; at si vnum immobile ponatur ens, proculdubio nullum principium dari potest, quia illud neque secundùm substantiam neque secundùm accidentia poterit transmutari; alia quædam sunt in hoc textu verba, quæ postea considerabuntur.

Textus Nonus.

Simile itaque est considerare an sic vnum est, & ad aliam quãlibet positionem sermonis gratia dictam disputari vt Heraclit eam, aut si quis dicat hominem vnum, id, quod est esse.

EX altero capite ostendit hìc Aristoteles, se non debere cum Parmenide, & Melisso de ente immobile disputare, non solùm enim quia negant principia scientiæ naturalis, sed etiam quia nimis fatua est eorum opinio, & manifestè falsa, non enim debemus immorari in confutanda quacunque puerili, & paradoxa opinione, sicuti si quis diceret omnia entia esse hominem vnicum, fatuum esse hanc positionem impugnare, quia vanum est quærere rationem, vbi habemus clarum testomonium sensus. Similiter vanum esset velle confutare opinionem Heracliti, quòd nihil sciri possit; ipse enim dicebat quòd res sunt in continuo fluxu, vnde nihil est, vt ipsum esse credimus, licèt

licèt ita esse appareat, imò non minus esse potest suum oppositum, quàm illud, quòd esse videtur. Quæ sententia ita absurda est; vt similis sit cuilibet puerili sermone, qui temere sit prolatus. Eiusmodi est positio ipsa quod vnum sit ens immobile, sensus enim dijudicat eius falsitatem, cognoscit enim & multitudinem entium, & motum.

Textus Decimus.

Aut soluere litigiosam rationem, quod vtraque quidē habent rationes, & Melißi, & Parmenidis; etenim falsa accipiunt, & non Syllogizantes sunt. Magis autem Melißi onerosa est, & non habet dubitationem, sed vno inconuenienti dato, alia contingunt, hoc autem nihil difficile est.



VOD Aristoteles in textu octauo dixerat de positione ipsi... nenidis, & Melissi, nunc dicit etiam de rationibus, quibus ij ipsam confirmare voluerunt; dicit enim quòd rationes ipsorum nihil concludunt, & penitus inefficaces, & sophisticæ sunt, nam & peccant in materia quia falsas propositiones assumunt; & in forma, quia paralogizant; quare non videntur mereri propter earum debilitatem, vt aliquis in eis soluendis tempus teratur: deteriorem autem esse dicit rationem Melissi, & magis fallacem, vt ipse postea in disputatione demonstrabit; huius autem erroris causam dicit esse, quia dato vno inconuenienti multa alia contingunt, isti enim postquàm falsam sententiam enuntiarunt, eam quoque defendere voluerunt, & ex vno errore inciderunt in multos, cùm & in opinione peccauerunt, & in ratione, tàm secundùm materiam, quàm secundùm formam.

Textus Vndecimus.

Nobis autem supponatur ea, quæ sunt natura, aut omnia, aut quædam moueri, manifestum est autem ex inductione. Simul autem neque conuenit omnia soluere, sed quæcunque ex principijs aliquis demonstrans mentitur; quæcunque verò non, minime, vt tetragonismum, eum quidem, qui per sectionem Geometrici est dissoluere; illum autem qui Antiphontis, non Geometrici est.



STENDIT hic Aristoteles, quòd isti duo antiqui negarunt alterum principium Philosophiæ naturalis, videlicèt, dari motum, quem quidem Aristoteles dicit a nobis omnino esse supponendum, dicendo autem vnum esse ens immobile negamus motum dari: ideò contra talem positionem non debet Philosophus naturalis disputare, tùm quia contra negantes principia non est disputandum; tùm etiam quia non est tempus conterendum in confutanda quauis fatua, & puerili positione, quæ manifestè repugnat sensui, qualis est ista; quæ motum negat; est enim manifestissimum dari motum, ideò

Aristo-

Aristoteles subdit,[manifestum est autem ex inductione]inductione autem non possumus vti, nisi in confirmatione rerum sensibilium, quæ sint per se notæ, ideò Aristoteles sexto Ethicorum capitulo quinto, & primo Posteriorum textu trigesimotertio, & secundo Posteriorum capitulo vltimo dicit inductionem esse proprium Instrumentum, quo principia confirmantur. [Simul autem neque conuenit] subdit hęc verba Aristoteles ad maiorem declarationem eorum, quæ dixerat in textu octauo, ibi enim dixit nos non posse disputare contra negantes principia, idest, contra eos argumentari non posse, hìc verò addit, quòd neque possumus omnes prauas rationes soluere, sed illas solùm, quæ principijs scientiæ aduersentur,non esse eis respondendum, sed dimittendam eorum solutionem,vt docuit etiam Aristoteles in primo Posteriorum, vigesimoseptimo, & vigesimooctauo. Declarat autem hoc Aristoteles exemplo quadraturę circuli,quod est problema Geometricum, cuius numquam potuit inueniri demonstratio,licèt multi id demõstrare tentauerint, tẽtauit enim Brysõ quidã,vt dixit Aristoteles in primo Posteriorũ, sed ea Brysonis demonstratio ad hũc locum non pertinet; tentarunt etiam alij, inter quos Aristoteles hic nominat duos, Hippocratem & Antiphontem, qui ambo tentauerunt demonstrare circuli quadratu[illegible], & [illegible]erque demonstratione inefficaci,Sed tamen demonstratio Hippocratis solui potest à Geometra, quia non aduersatur principijs Geometriæ; demonstratio autem Antiphontis non potest solui à Geometra,quia aduersatur principijs eius, supponit enim quantum continuum non in infinitum diuidi posse,quia dicit diuisionem lineæ circularis in partes tandem terminari ad particulas ita paruas, vt rectæ lineæ aptentur, & quælibet earum fiat idem cum linea recta, quod est contra principium Geometriæ, quòd continuum est in infinitum diuisibile, & quòd linea circularis est in infinitum diuisibilis in portiones curuas, & nulla earum datur quantumuis parua,quæ in idem coincidat cum linea recta,Hoc enim quod ipse imaginabatur euenire non poterat quin spatium medium inter lineam curuam, & rectam consumeretur, & finem haberet eius diuisio, quando recta fit tandem eadem cum circulari, id autem impossibile habetur in Geometria. Hippocrates autem demonstrauit quadraturam per sectiones, idest per Herculares figuras, quæ sunt quodammodo sectiones circulorum, & solent à Geometris vocari ministi. Quomodo autem Hippocrates, & Antiphon suas has demonstrationes formauerint, legere debemus Græcos expositores, & Vicomercatus quoque rectè & fideliter refert eas demonstrationes, à latinis verò pessimè afferuntur, qui nihil de his exemplis intellexerunt. Id tantùm notare debemus, quòd ille Hippocrates, cujus demonstrationem hìc Aristoteles recenset, non Hippocrates ille Cous Medicorum Princeps est, sed alius Hippocrates Chius Mathematicus, vt animaduertit Vicomercatus in primo libro Meteorum in principio Capitis de Cometa. Quæritur hìc, cur Aristoteles non absolutè dixerit omnia naturalia moueri, sed adiecerit [aut quædam] solet communiter dici, quòd Aristoteles ita locutus est propter multa naturalia,quæ non mouentur, vt anima, & passiones, per se enim non mouentur, poli autem, & centrum an moueantur dubium est; damnatur hæc expositio à quibusdam recentioribus, & merito, quia non est mens Aristotelis hic considerare an omnia naturalia sint mobilia, an non omnia, sed vult solum supponere motum dari, quem negabant illi antiqui Philosophi, ad hunc autem supponendum satis habet etiam si quædam moueantur; quare etiam si verum esset, quòd omnia naturalia moueri possent, ipse tamen nolens de hoc in præsentia disputare, loquitur confusè, & dicit quòd vel omnia vel quædam mouentur, hoc enim ad suppositionem motus satis est.

Textus

Textus Duodecimus.

Sed quoniam de natura quidem, non autem naturales dubitationes contingit dicere ipsos, forsitan quidem bene se habet aliquantulum disputare de ipsis. Habet enim Philosophiam hæc consideratio.

Hic tandem determinat Aristoteles considerandam, & confutandam esse sententiam Parmenidis, & Melissi de vno ente immobili, quia licèt non sit positio naturalis, tamen ex ea oriuntur dubitationes magnę in naturali philosophia, est enim nimis periculosa, quia ea admissa tollitur naturalis philosophia; ideo non erit ab re si breuiter eorum errorem ostendas, si enim vt Physicus id facere non potest, saltem id faciet vt induens habitum Metaphysici, cuius id munus est. In verbis est aliqua controuersia inter expositores, nam Porphyrius, & Auerroes ponunt comam ante dictionem [non] & eam ad nectunt verbis sequentibus, vt sensus sit, quoniam hi qui de natura loquuntur, sed non dicunt dubitationes naturales; Themistius autem, & Simplicius post [non] ponunt comam, & dictionem ipsam [non] præcedentibus coniungunt, vt sensus sit, sed quoniam de natura quidem non loquuntur, naturales autem inducunt dubitationes: & Alexander referente Simplicio vtriusque lectionis mentionem fecit. Ego magis probo secundam lectionem, quam etiam accepère Vicomercatus, & Ianua, quia si dicamus eos quidem de natura non dicere, locutio erit consona ijs, quæ Aristoteles superius dixit, nam in textu octauo quoque dixit, quòd considerare an sit vnum ens immobile, non est de natura speculari. Præterea si perpendamus sensum illarum dictionum [quidem] & [autem] quę sibi mutuo respondent, idem est ac si dicamus, quamuis, & tamen, certum est tamen quod qui ita loquitur, determinat se ad secundum membrum, in quo ponitur tamen, ergo in secundo membro debet stare sensus, qui naturam includat, quæ à primo membro fuerit exclusa, non enim potest determinare loquendum esse cum his, nisi ea ratione, qua eorum sententiæ aliquo modo ad naturalem non pertineant; ideò ex secundo membro, vt naturali Aristoteles infert esse disputandum cum his; quòd si secundùm membrum esset non naturale, vt prima lectio volebat, Aristoteles deberet potius oppositum colligere, videlicèt non esse considerandas eorum opiniones. Infert igitur Aristoteles quòd de his aliquantulum dicendum est; dicendum est enim, quia inducunt dubitationes naturales, & sic modo quodam ad naturam pertinent, dicendum autem, [aliquantulum] idest, breuiter, quia reuera de natura non dicit, & non sunt naturales, quare ex secundo membro colligit: dicendum esse; ex primo autem quod [aliquantulum] idest, breuiter dicendum est, verba illa posteriora [habet enim philosophiam hæc consideratio] referenda sunt ad diuinam scientiam, hanc enim Aristoteles solet Philosophiæ appellatione intelligere, & sic erit redditio causæ illius dictionis [aliquantulum] ideò enim breuiter dicendum est, quia reuera consideratio non est naturalis, sed Metaphysica; Aristoteles igitur testatur se vt Metaphysicum potius esse disputaturum contra Parmenidem, & Melissum quàm vt naturalem. Possumus fortasse nomine Philosophiæ intelligere non Metaphysicam, sed Philosophiam in vniuersum, vt videtur innuere Auerroes in fine commentarij. Et sensus erit iste, Si nos sumus naturales, sumus etiam Philosophi, ideò etiam si vt naturales non possimus contra hos disputare, saltem vt Philosophi id faciamus, quia est quæstio

ſtio philoſophica, & omnino ad aliquam partem Philoſophiæ pertinens, quæ expoſitio parùm differt ab altera, quoniam ſi ad naturalem non pertinet, ad philoſophum autem vniuerſaliter acceptum pertinet, neceſſe eſt vt ad aliquam determinatam Philoſophiæ partem pertineat, quæ non poteſt eſſe niſi Metaphyſica, ſi quis enim diceret quòd ad nullam determinatam, tunc ſequeretur quòd neque omnino ad Philoſophiam in vniuerſum acceptam: quod enim nulla eſt animalis ſpecies, neque animal omnino dici poteſt. Duo dubia in hac parte occurrunt conſideranda. Primum eſt, quoniam Ariſtoteles in textu octauo dixit contra negantes principia non eſſe diſputandum, quod nihil aliud ſignificauit; quàm principia non poſſe in ſua ſcientia demonſtrari, quod etiam apud Ariſtotelem legimus in primo Poſteriorum ſeptuageſimo, ſed hoc falſum videtur, quia materia prima eſt primum principium rerum naturalium, tamen probatur ab Ariſtotele à poſteriori per effectum in hoc primo libro Phyſicorum, ergo naturalis Philoſophus habet rationem ad probandum prima principia ſcientiæ naturalis. Auerroes quoque in primo Phyſicorum commentario vltimo, & ſecundo Phyſicorum vigeſimoſecundo; vigeſimoſexto, & Duodecimo Metaphyſicorum quinto, nititur efficaciter contra Auicennam oſtendere, quòd principia ſubiecti poſſunt probari à poſteriori, non autem à priori; ideò quando Ariſtoteles in primo libro Poſteriorum dicit principia in ſcientia ſua probari non poſſe, Auerroes ibi limitat dictum id, & dicit Ariſtotelem intelligere demonſtratione à priori, ſed non prohibere à poſteriori, quæ eadem declaratio habetur etiam in commentario quinto Duodecimi Metaphyſicorum. Hæc dubitatio apud multos tanti momenti fuit, vt ſe explicare neſciuerint, & multa dixerint valde friuola, & leuia, quibus non ſoluitur præſens difficultas. Iis igitur omnibus omiſſis ego dico, quòd principia duplicia ſunt, alia eſſendi, alia cognoſcendi; de principijs eſſendi verum eſt quòd poſſunt à poſteriori demonſtrari, non à priori, quia ſi ſunt prima nihil habent prius ſe in ſcientia illa. Et hæc fuit mens Auerrois in omnibus dictis locis, loquitur enim de principijs eſſendi, cuiuſmodi eſt materia prima, quam Ariſtoteles in primo Phyſicorum demonſtrat a poſteriori. De principijs autem eſſendi hìc Ariſtoteles non loquitur, ſed de principijs cognitionis, hæc enim nullo modo poſſunt demonſtrari quòd ſint, neque a priori, neque a poſteriori; hoc autem clarius erit ſi intellexerimus quænam dicantur principia cognoſcendi. Sciendum igitur principia cognoſcendi duplicia eſſe; primo dicuntur principia cognitionis quędam propoſitiones cõmunes, quibus ſcientiæ particulares vtuntur vt contractis ad proprium illius ſcientiæ ſubiectum, ſicuti eſt in præſentia pluralitas entium, hęc debent ſupponi non modò a naturali Philoſopho, ſed etiam ab alijs tàm ſcientijs, quàm artibus: negantes enim entia eſſe plura, negamus dari principia aliqua, & omnis ſcientia, & omnis ars procedit ex proprijs principijs: igitur fundamento ſublato omnes ſcientiæ, & artes corruunt; huiuſmodi commune principium non eſt ſufficiens ad pariendum ſcientiam, quia eſt principium cognitionis potius & cauſa ſine qua non, quàm vt cauſa adæquata, ideò reperitur etiam principium proprium, & eſſentiale ſubiecto illius ſcientiæ. In hoc enim reprehendit Ariſtoteles in primo Poſteriorum demonſtrationem Bryſonis, non quòd communi principio vſus fuerit; horum enim vſum ipſe poſtea conceſſit, ſed quia ſolo communi principio ſine vllo proprio, ac eſſentiali principio rei demonſtratæ. Ratio autem cur ſolùm commune principium ad ſcientiam pariendam inſufficiens ſit, eſt, quoniam ex cõmuni nihil poteſt inferri niſi commune; ex animato enim nihil inferre poſſum hominis proprium, nõ enim valet, eſt animatum, ergo riſibile, vel rationale, ergo ex principio cõmuni ſolo nõ poſſumus inferre aliquã particularem, & propriã cõditionem ſubiecti in ſcientia, opus eſt igitur habere etiam principium proprium, quod ex propria eius ſubiecti natura deſumptũ ſit; hoc autem non poteſt eſſe aliquod attributum per ſe illius ſubiecti vel in primo modo per ſe,

vel

vel in secundo, idest, vel eius principium vel eius passio, ex his enim aliquid si primò notum occurrat, potest ducere nos ad aliorum cognitionem; si igitur contingat vt prædicata per se primi modi occurrant primò nota, tunc eadem sunt principia essendi, & cognoscendi simul, vt in Mathematicis contingit, passiones enim occurrunt ignotæ, definitiones autem per se notæ, quæ habent locum principiorum essendi, & sunt prædicata primi modi per se; hæc non possunt in Mathematicis probari vllo modo, non tamen quatenus sunt principia essendi, sed solùm quatenus sunt principia cognoscendi; si enim solùm essendi principia essent, non cognoscendi, & aliud ipsis notius haberent, ex eo possent demonstrari: sed contingit, vt eadem sint principia essendi, & cognoscendi simul, ideò probari nullo modo possunt. Et ratio est, quia per aliena principia siue media probari non possunt, quia transitus non datur a scientia in scientiam; per propria etiam illus scientiæ media non possunt probari, quia cùm supponantur principia cognitionis in scientia illa, nihil habent notius ipsis. Quandoque autem contingit vt prædicata per se primi modi, & principia illa essendi occurrant primò ignota, vt in scientia naturali contingit, principia enim essendi sunt ignota, quare non sunt simul principia cognoscendi, sed eff[e]ctus sunt notiores, maximè autem motus, qui est passio propria corporis nat[ur]al[is], & notissima in eo: motus igitur dicitur in scientia naturali principium cognitionis [omnium], quia nihil est notius motu, ideo si motus negetur esse, probari non potest, & tota scientia corruit: si enim negatur motus, negatur ipsa natura, vt ait Aristoteles in principio tertij libri Physicorum, & consequenter ruit tota naturalis Pilosophia. Patet igitur quòd Aristoteles hìc non loquitur de principijs essendi, quando dicit contra negantes principia non posse disputari, sed de principijs cognoscendi, nam entium multitudo non est principium essendi, similiter motus non est principium essendi, sed cognoscendi tantùm, est enim illud primo, & maximè omnium cognitum, ex quo ducendi sumus in aliorum cognitionem, cognitum autem dicitur cognitione confusa, & quoad si est, hoc enim modo dicimus a nemine posse negari, neque si negatum fuerit, demonstrari. Hæc est sententia Aristotelis hìc, non quam putauit Simplicius ac Vicomercatus, qui conantur trahere sententiam Aristotelis hoc in loco ad principia essendi, & de his intelligunt, dicunt enim principia non posse in scientia sua probari, non enim a priori, quia nihil est eis prius, non etiam a posteriori per effectus, quia qui principia negauerit, effectus quoque negabit; patet igitur quòd isti accipiunt hìc principia essendi, & sunt in errore, vt ostendimus. De his autem principijs essendi argumentum eorum non valet, quòd per effectus probari non possint, nam tunc effectus non sumuntur vt illius causæ effectus, sic enim peteretur principium & reuera negans causam, negaret etiam effectũ illius causæ, sed sumitur effectus, non vt effectus, sed vt quoddam notum, ex quo aliud ignotum elucescat, vt patet in hoc primo Physicorum, de Demonstratione materiæ primæ per transmutationem secundum substantiam. De principijs autem cognoscendi ratio est in promptu cur probari non possint, quia licèt possint habere aliquid prius, tamen nihil habent notius, omnis autem demonstratio procedit a notioribus. Est autem notandũ quòd in eodem textu octauo Aristoteles quando dicit non posse principia in scientia sua probari, subdit illud esse effectum [aut alterius scientiæ, aut omnim communis] quæ verba declarans Auerroes exponit [alterius scientiæ] idest, alicuius alterius scientiæ particularis, [omnium communis] idest, scientiæ diuinæ, quæ scientia vniuersalis dicitur, ac etiam Dialecticæ, nam quando principia alicuius scientiæ latent, in sua scientia probari non possunt, tamen ab alia scientia possunt probari, siue fuerit scientia altera particularis, siue vniuersalis, contingit enim frequenter vt vna scientia alteri auxilietur, & quod in vna est principium indemonstrabile, in altera demonstretur, sed maximè contingit de scientia diuina respectu scientiarum particularium;

ipsa

ipsa enim tanquàm superior potest omnium aliarum principia probare. Similiter etiam facultas Dialectica, quæ (vt Aristoteles dicit in secundo capitulo primi Topicorum) cum sit inquisitiua, ad omnium scientiarum principia viam habet, & omnia tentat probabiliter confirmare: idem etiam apud Aristotelem legimus in Primo Posteriorum textu antiquo vigesimoseptimo. Sed Vicomercatus carpit Auerroem quòd Dialecticam in his verbis complecti velit, sed dicit solam diuinam significari ab Aristotele, dùm dicit [omnium communis] quia hæc est differentia aliarum, & superior omnibus; Dialecticam verò absonum esset appellare scientijs alijs superiorem, non enim est superior scientia naturali, sed sola Metaphysica hunc honorem meretur. Mihi tamen videtur nihil esse absurdi, si cum Auerroe etiam Dialecticam his verbis complectamur, si enim Aristoteles debet declarare, cuiusnam officium sit disputare contra negantes principia alterius scientiæ oportet afferre in medium omnes illos, qui id facere possunt, & eorum perfectam facere enumerationem, quare non debuit omittere Dialecticum, si etiam ipse id facere potest. Neque instantia Vicomercati valet. si enim Aristoteles diceret, vel omnium superioris, fortassis argumentum concluderet, Dialectica enim hac appellatione comprehendi non posset, neque tanto honore dignari; sed dicit [omnium communis] certum est autem quòd Dialectica est facultas communissima, neque per hoc aliquem ei honorem tribuimus; fateor igitur Dialecticam non posse dici superiorem naturali, at certè communior dici potest, imò etiam omnibus scientijs & artibus facultas communis, vt Aristoteles in dictis locis testatur. Quare sequendam puto Auerrois expositionem, quòd disputare contra negantes principia sit officium, vel alterius scientię particularis, siue fuerit scientia superior subalternans, siue etiam alia particularis scientia penitus diuersa, hoc enim interdum contingit; vel illius scientiæ, quæ est omnibus communis, hæc autem est tùm diuina, tùm Dialectica, sumendo lata significatione nomen scientiæ pro omni scientia vel facultate, vel arte.

Alterum dubium occurrit aduersus ea, quæ dixit Aristoteles in textu vndecimo, ibi enim Aristoteles dixit non esse respondendum ad rationes, quæ tollunt principia scientiæ, & dedit exemplum dicens quòd Geometra potest soluere demonstrationem prauam quadraturæ, quam fecit Hippocrates: sed non potest soluere demonstrationem Antiphontis de eadem quadratura, quia aduersatur principijs Geometriæ, & voluit per hæc significare Aristoteles, quòd non essent soluendæ a Philosopho naturali rationes Parmenidis & Melissi, vt tollentes principia scientiæ naturalis, videlicet motum, & multitudinem entium. Sed aduersus hæc adest instantia manifesta ex ipsomet Aristotele in sexto Physicorum Decimonono, & octauo Physicorum sexagesimoseptimo, & sexagesimooctauo soluit rationem Zenonis, qua tentabat Zeno demonstrare non dari motum, cùm tamen par ratio sit de Zenone, ac de Parmenide, & de Melisso. Omnes enim tollebant motum, qui est principium cognitionis in scientia naturali. Hoc dubium certè non leue est, & quibusdam doctissimis Viris negotium facessit, qui satis mancam, & diminutam responsionem, vt puto, attulere. Ego ita respondendum puto, quando aliquam rationem soluimus, solutio, & responsio affertur ad præmissas, non ad conclusionem: quia conclusionem negare non possumus, sed præmissas possumus; hinc sequitur quòd quando aliqua ratio in sola conclusione aduersetur sed sumantur præmissæ ex alia scientia, potest in illa scientia ratio solui, quoniam argumentans non sumit principia contraria, imò propria illius scientiæ; huiusmodi fuit ratio Zenonis destruens motum, quamuis enim in conclusione tolleret motum, tamen præmissis vtebatur naturalibus videlicet quòd spatium continuum est diuisibilę in infinitas partes, & quòd infinita pertransiri non possunt, vtrumque enim vnum est. Ideo Aristoteles soluit dicens in continuo esse quidem partes infinitas po-

G tentia,

tentia, non tamen actu, imò vnicum esse spatium actu, neque esse inconueniens si mobile pertranseat tempore finito spatium finitum actu, licèt contineat in potentia infinitas partes; sed quando ratio in præmissis peccat contra principia, tunc ab artifice ipsius scientiæ solui non potest, solutio enim datur ad præmissas, ideò si aliqua earum sit opposita principio scientiæ, nulla potest fieri disputatio inter eos, quia non conueniunt in communibus principijs argumentans & respondens. Huiusmodi fuit ratio Antiphontis in Geometria, nam in conclusione non aduersabatur alicui principio Geometriæ, dùm concludebat quadratum illud esse æquale circulo, sed in præmissis sumebat continuum non in infinitum diuidi, quod repugnabat principio Geometrico, ideò a Geometra non potest ea ratio solui; similes significat Aristoteles fuisse rationes Parmenidis, & Melissi, qui non solum conclusionem inferebant contrariam principio naturali, verùm etiam propositiones falsas assumebant, quæ principijs naturalibus aduersabantur. Ideò non possunt rationes illæ solui a Philosopho naturali vt naturali.

Textus Tertius Decimus.

Principium autem maximè omnium proprium, quoniam multipliciter dicitur id, quod est, quomodo dicunt dicentes vnum esse omnia? Vtrum substantia omnia, an quanta aut qualia? Et iterum vtrum substantiam vnam omnia, vt hominem, aut equum vnum, aut animam vnam? An quale, vnum autem hoc: Vt album, aut calidum, aut aliquid talium? Hæc enim omnia differunt multum, & sunt impossibilia dictu.

HIc Aristoteles induens habitum Metaphysici incipit disputationem cōtra Parmenidem & Melissum ponentes vnum ens immobile, quæ extenditur vsque ad textum trigesimum secundum. Et hanc partem possumus diuidere in duas, in quarum prima Aristoteles confutat eorum sententiam; in secunda quæ incipit a textu vigesimosecundo soluit etiā eorum argumenta, & fallacia esse ostendit. Primam ad hùc in duas diuidere possumus, in prima enim confutat eorum opinionem ex consideratione subiecti propositionis, quod est, ens dicebant enim, ens est vnum; deinde in secunda quæ incipit a textu sextodecimo confutat eandem ex consideratione prædicati, quod est, vnum. Volens igitur Aristoteles confutare eorum positionem ex consideratione huius vocis ens, sumit in textu tertiodecimo hoc fundamentum quòd ens dicitur multipliciter, idest est vox æquiuoca, quæ multa significat, significat enim decem prædicamenta. Sed dubitare aliquis possit, quòd Aristoteles hoc supponens videtur petere principiū, & sumere id, quod iam est positum in controuersia, vult enim ostendere falsam esse illam positionem, quòd ens est vnum, & supponit multa esse entia, cùm sumat ens multa significare. Ad hoc ego dicendum puto, quòd significatio nominis est diuersa a quæstione, an res sit, vt alias ostendimus in libro Posteriorum; quid enim passionis nomen significet debet esse præcognitum ante demonstrationem; quod autem sint queritur, ac demonstratur, quando igitur nominis significatio declaratur, nō propterea res esse ponitur; possum enim intelligere nomen Ecclipsis, & tamen ignorare an Ecclipsis detur, sic dico in præsentia, Aristoteles sumit, vt notaui, entis significationem,

tionem, nomen enim entis potest significare substantiam, quantum, & quale, & alia prædicamenta: sed quod hæc omnia sint, & dentur, Aristoteles non sumit, quia in controuersia est positum quot entia dentur, significatio autem nominis, ens, sumitur ab Aristotele, vt per se nota, ideò exposita multiplicitate huius vocis, dicit Aristoteles petendum esse ab his antiquis quando dicunt ens esse vnum, quonam modo intelligant nomen entis, an pro substantia, an pro quantitate, an pro qualitate, an pro aliquo alio prædicamento? Et præterea quodcumque dicant, adhùc dicit Aristoteles petendum esse ab eis, an intelligant vnum vt commune, an vnum vt singulare. Si dicant vnum esse ens, idest, substantiam, possunt intelligere genus substantiæ in communi, possunt etiam intelligere vnam substantiam particularem, vt vnum hominem, vnum equum; sic de alijs prædicamentis. Si enim dicunt ens esse vnum, idest; qualitatem tantùm esse, possunt intelligere communiter totum genus qualitatis, & dari solùm qualitatem communiter sumptam; possunt etiam intelligere vnicam dari qualitatem particularem vt hoc album, hoc calidum; multum enim interest, dicit Aristoteles, an hoc, an illo modo dicamus, omnibus tamen modis positio illa falsa est quocunque enim modo se dicant accipere ens, impossibile est vn[illegible] vt mox Aristoteles in duobus sequentibus textibus demonstrabit.

[Si enim erunt, & substantia, & quale.] Postquàm Aristoteles supponit multiplicitatē eius vocis, ens, & petijt ab illis antiquis quonam modo acceperint ens, nunc omnibus modis falsam esse eorum positionem quòd vnum ens sit, incipit ostendere; Tres enim modi esse possunt; quia vel dicendo vnum esse ens, intelligunt omnia prędicamenta simul, vel accidens aliquod solum, vel substantiam solam, quorum singulum est impossibile: Si enim omnia prædicamenta ponantur esse, siue separata ab inuicem sint, siue coniuncta, multa erunt entia, non vnum; supponitur enim, quòd non eadem sit essentia substantiæ, & quanti, & qualis. Si verò omnia sint vnicum ens, idque sit, vel quale solum, vel quantum solum, vel aliquid aliud accidens, tunc vel ponetur etiam substantiam esse, vel non erit substantia; si ponatur esse substantia; ergo non vnum ens, sed plura; si verò non ponatur, impossibile est, quia nullum accidens potest esse sine substantia sed omnia accidentia requirunt necessario substantiam subiectam, in qua sint. Si vero dicant ens esse vnum, & illud esse substantiam, hoc quoque impugnat Aristoteles in textu quintodecimo, & sumit argumentum ex ore aduersariorum; Melissus enim illud vnum ens ponebat infinitum, Parmenides verò finitum: at finitum & infinitum sunt de prædicamento quantitatis, quia non dicitur finitum, neque infinitum nisi quantum, ergo si ens sit substantia, & sit finitum, vel infinitum, non est vnum, sed duo, videlicet substantia, & quantum; Quòd autem finitum, & infinitum sint de ratione quantitatis, probat Aristoteles dupliciter. Primò ex consideratione aliorum prædicamentorum, quorum singulum si dicatur infinitum, vel finitum dicitur per accidens, idest, per aliud, non per se; nempè per quantum; quantum verò per se dicitur finitum, vel infinitum, ergo vnum ens non potest poni infinitum nisi per quantum; confirmat Aristoteles ratione, quoniam in definitione finiti & infiniti sumitur quantum, nō substantia, neque qualitas, neque vllum aliud ex prædicamentis, ergo solum quantum dicitur per se finitum, vel infinitum, alia verò per quantum, non per se. Antecedens patet, quia dicimus infinitum est quantum, non terminatum, finitum verò est quantum terminos habens, ergo quantum vel est genus finiti, & infiniti, vel saltem est subiectum proprium, & hęc sunt duo propria ipsum consequentia, nam vtroque modo contingit, quòd in eorum definitione sumatur quantum, & quòd alterum eorum ponendo, ponitur necessario ipsum quantum, species enim includit actu naturam generis, & accidēs propriū supponit subiectū, cui per se inhæret. Notandū autem hic est quòd finitum, & infinitum dicuntur non solùm de quanto, sed etiam de quali, nam dicitur virtus, seù vigor fini-

tus,vel infinitus,quod eſt finitudo,vel infinitudo prius in qualitate; Ariſtoteles autem ſumit hìc finitum & infinitũ ſecundùm quantitatem ſolùm,quia iſti antiqui ſignificarunt ſe ſumere hoc modo finitum & infinitum,vt poſtea ex eorum argumẽtis patebit. Quare Ariſtoteles ad hoc eos deducit vt duo entia ponant ſubſtantiam,& quantum, id autem manifeſtius colligitur ex argumento Meliſſi, vt videbimus inferius, propterea Ariſtoteles in hoc textu de ſolo Meliſſo facit mentionem . Poteſt tamen ratio hæc accommodari etiam contra Parmenidem , ſi vnum ens ponat finitum ſecundùm qualitatem ; vt videtur poſuiſſe ; propria enim ſignificatio finiti , & infiniti eſt ſecundùm quantitatem . Cùm autem Ariſtoteles demonſtrauerit per hæc quòd nullo horum modorum poteſt poni vnum ens, videlicèt neque vt omnia prædicamenta ſimul ſint , neque vt ſubſtantia ſola , neque vt accidens ſolùm,patet ſuperuacaneum eſſe demonſtrare, quòd ſi ſubſtantia ſola ponatur,non poteſt poni,neque vt vniuerſalis , neque vt particularis , & ſimiliter de accidente , quoniam vniuerſaliter oſtenſum eſt neque ſubſtantiam ſolam,neque accidens ſolum eos intelligere potuiſſe , cùm præſertim ponere vnum ens , & id vniuerſale , ſit ponere multa actu eſſe ; ponere autem vnum ens ſingulare ſit fatuum dictum , & manifeſtè repugnat ſenſibus .


Textus Sextus decimus.

Amplius quoniam , & ipſum vnum multipliciter dicitur , quemadmodum & quod eſt ; conſiderandum eſt quomodo dicunt vnum eſſe omne . dicitur enim Vnum , aut continuum , aut indiuiſibile , aut quorum ratio eadem, & vna eſt ipſius quod quid erat eſſe quemadmodum merum & vinum.

HIc Ariſtoteles tranſit ad confutandam entis vnitatem ex conſideratione huius vocis Vnum . Et primò dicit quod ſicut nomen entis multa ſignificat , ita & nomen vnius:deinde ſingulos modos conſiderando demonſtrat , quod nullo modo poteſt rectè dici quod ens ſit vnum ; diſtinctionem vnius in ſua ſignificata facit Ariſtoteles in hoc textu, & dicit Vnum poſſe tribus modis accipi ; Primo pro vno continuo,vt cum dicimus lignum vnum ; Secundo pro vno indiuiſibili, vt ſi præſentium dicamus vnum ; Tertio pro vno ſecundum definitionem , vt cum dicimus vinum, & merum eſſe vnum, & idem , quoniam vna vtriuſque definitio . Has ſignificationes vnius hìc numerat Ariſtoteles.Aliqui autem notant , quòd poterat alias quoque ſignificationes afferre, quarum ipſe mentionem fecit in quinto Metaphyſicorum capitulo ſexto vbi ponit ; & vnum genere , & vnum ſpecie , & vnum proportione,quos tamen modos hìc non ponit , quia nimis euidenter includunt cum vnitate etiam multitudinem . Et propterea videntur alieni a mente Parmenidis, & Meliſſi , cum nullo eorum modorum defendi poſſet ens eſſe vnum;ideò voluit Ariſtoteles eos tantùm modos Vnitatis nominare , qui maiorem vnitatem ponunt, & ſunt ſine multitudine, ſaltem actuali , ita enim maximè videtur defendi poſſe,quod ens ita ſit vnum , vt non ſit multa.

Textus Decimus Septimus.

Si igitur continuum est, multa est id, quod est; infinitum enim diuisibile est continuum. Habet autem dubitationem de parte, & toto. Fortaßis autem nihil ad orationem, sed ipsam secundùm seipsam, vtrum vnum, an plura sint pars, & totum. Et quomodo vnum aut plura, & si plura quomodo plura. Et de partibus non continuis eadem est ratio. Et si toti vnum vtraque est, velut indiuisibile, quoniam & ipsæ sibi ipsis.



VMERATIS modis vnitatis Aristoteles in textu decimo septimo incipit primum modum, & ostendit quòd non potest poni vnum ens, vt continuum, quia hoc modo esset simul vnum, & plura, stante definitione continui, quòd continuum est diuisibile in infinitum; est enim diuisibilis in multas partes, quare licet vnum actu sint, est tamen in potentia, & sic non verè est vnum. Interponit hìc Aristoteles veluti obiter dubium quoddam de toto, & partibus, videlicèt, an pars in toto existens sit idem cum toto, quam quidem dubitationem dicunt hìc Græci temporibus Aristotelis agitatam fuisse, & pro vtraque parte rationes extitisse; hanc Aristoteles hìc tangit, addit tamen eam ad propositum non pertinere, sed ipsam potius per se ipsam, & separatim esse considerandam; cùm autem aliquam oporteret rationem adducere, cur Aristoteles hìc eius dubitationis meminerit, ego hanc crederem fuisse rationem, quia si quis sustineret eam partem quòd quando pars est in toto, est idem cum eo, facile soluere posset argumentum modò ab Aristotele factum, de toto continuo, quod est vnum & multa. Nam diceret quòd quælibet pars est idem toti, dùm a toto diuisa non est, quare cùm totum vnum sit, omnes illæ partes vnitatem dicunt, non multitudinem, & illud est ita vnum, vt non sint plura; quamuis igitur dubitatio ista non sit præsentis speculationis, vt ipse Aristoteles ait, tamen tangere eam voluit, quia argumento a se facto poterat officere, & ideo ponit in textu rationem pro confirmatione partis: verũ omittit rationem pro contraria parte falsa, videlicèt quòd pars sit idem toti. Quę tamen ratio apud Græcos expositores legitur, vt ea, qua aliqui antiqui vsi erant ad probandum, quòd pars antequam separetur à toto est idem cum toto, & ratio est hæc; Si totum est diuersum ab vna parte, ergo a singula parte, ergo ab omnibus est diuersum: sed omnes partes sunt ipsummet totum, ergo est diuersum a seipso, quod est absurdum; quare totum a sua parte non est diuersum. Quæ ratio, vt patet continet fallaciam diuisionis, & compositionis, quia in sensu diuiso verum est, quod totum a singula sua parte diuersum est. Sed non in sensu coniuncto est diuersum ab omnibus simul, quare neganda est consequentia, cùm dicitur est diuersum a singula, ergo ab omnibus simul. Hanc rationem Aristoteles hìc non tangit, quoniam disputatio hæc est a proposito aliena, solùm ponit rationem pro altera parte vera videlicèt, quòd pars sit diuersa a toto, & priùs sumit fundamentum hoc, quòd eadem est ratio de toto non verè continuo, quod contiguum potius est, vt homo, domus, & omne eterogeneum, ac de toto verè continuo, quod est totum omogeneum, cuius omnium partium vnus est motus, vt dicit Aristoteles quinto Metaphysicorum cap. sexto. Certum est enim de vtroque eandem esse rationem quantùm ad hoc quod sit idem cum singula sua parte, si igitur dicamus, quod quelibet pars, quando non est

diuisa a toto, est idem cum eo, erit veluti quoddam indiuisibile, quia non est actu diuisum in diuersas partes, sed quælibet est idem cum toto; ergo in toto eterogeneo, vt in domo tectum erit idem cum tota domo, similiter fundamenta erunt idem cum tota domo, sed quæ sunt idem vni, ergo sunt idem inter se, ergo tectum erit idem cum fundamentis in domo, & in homine pes erit idem cum capite, quæ sunt absurda manifesta, quare si de toto eterogeneo absurditas est manifesta, debemus dicere etiam in toto verè continuo idem sequi absurdum, & proinde non esse verum; quod pars vna dùm a toto diuisa non est, sit idem cum toto. Hæc est ratio, quam Aristoteles hìc tangit. Solet hìc quæstio fieri de toto, & partibus, videlicèt, si totum dicat tertiam entitatem distinctam ab entitate vtriusque partis, quæ quidem aliena est à præsenti contextu; Aristoteles enim comparat hìc solùm vnam partem cum toto, & hanc etiam considerationem dicit ad hunc locum non pertinere, non comparat totum cum omnibus partibus simul sumptis, quare hæc adhùc alienior est consideratio, sed propter quædam Auerrois verba in commentario aliqua breuiter dicemus: Auerroes enim dicit, totum nihil aliud esse quàm congregationem partium, quare videtur negare propriam entitatem totius superadditam omnibus entitatibus partium. Scotus autem tertio sententiarum distinctione secunda, quæstione secunda, tenet totum dicere tertiam naturam præter naturas partium omnium, siue partes contineantur diuisim, siue coniunctim. Quam sententiam secutus est Zimara Theoremate septuagesimoquinto, & Heruæus quodlib. secundo, quæstione quartadecima Articulo primo, idque multis rationibus ostendere conantur de toto essentiali, idest, composito ex materia & forma, quod dicat tertiam naturam præter naturam materiæ, & naturam formæ. Quas omnes rationes eorum ego hìc missas faciam, quia reuera hìc non est sermo de partibus essentialibus, sed de integrantibus solùm, ideò qui de hoc plura requirat, legat quæ scripsi in textu decimo secundi libri de Anima, vbi oportunior est hæc speculatio, satis erit hoc in loco veritatem breuibus declarare, quæ vna & eadem est de partibus essentialibus, ac de integrantibus. Dico igitur quòd partes, vel sumuntur actu, & realiter separatæ à toto, & à se inuicem, vel coniunctæ; si actu separatæ sumantur, quæstio non habet locum, quia verum est, quòd omnes simul sumptæ, dùm ita sunt separatæ ab inuicem, sunt distinctæ à toto, imò totum non est, quare non potest dici quod non est, idem esse cum ijs quæ sunt, imò etiam partes ipsæ non sunt amplius partes, præsertim integrantes, sed singula vnum per se stans, est potius totum quoddam quàm pars. Vana est igitur quæstio vbi neque ratio totius adest, neque partis: si verò partes coniunctæ sumantur, & actu constituentes totum, possunt tamen per intellectum ab inuicem separari, & considerari secundum proprias rationes, vt partes humani corporis sunt actu coniunctæ, & constituunt totum, intellectus tamen considerat caput, brachia, pedes, & singulas alias quid sint, quod etiam in partibus essentialibus euenit, materia enim non est sine forma, neque forma est sine materia, tamen intellectus separatim intelligit naturam materiæ, & naturam formæ. Hinc fit, vt hæ partes possint dupliciter considerari; vno modo vt habent proprias naturas, propria officia, & proprias definitiones, quę per intellectum cognoscuntur, qui vnam ab alia separat, altero modo prout extra animam actu existunt in toto, tunc dico quòd hoc secundo modo accipiendo partes omnes simul sumptę sunt totum ipsum, quod nullam aliam entitatem superaddit omnibus entitatibus partium; compositum enim nihil aliud est, quàm materia formata, seu forma in materia, quod in eius definitione patere potest, sufficienter enim definitur per materiā & formam, sed non sufficienter definiretur, si haberet tertiam naturam superadditam materię, & formæ; si verò materia, & forma sumatur secundùm proprias rationes, quæ per abstractionem intellectus considerantur, tunc compositum non modo est diuersum ab vtra-

que

que ſeparatim accepta, ſed etiam ſimul accepta; ſi enim ſeparatim dicamus definitionem materiæ, & definitionem formæ, neutra poteſt conuenire compoſito, non ſolùm ſeparatim, ſed etiam coniunctim, quia ſi ſimul ponamus definitionem materiæ, & definitionem formæ, & totum coniunctum prædicemus de compoſito, falſa prædicatio erit, quia totum compoſitum non poteſt eſſe idem cum ſuo principio, neque cum ſuis principijs ſimul ſumptis, dùm conſiderantur per modum principij, ideſt, ſecundùm eorum definitiones proprias, ſecundùm quas habet rationem partis, & principij; nam ſicuti per poſſibile, vel impoſſibile poneremus materiam, & formam dari actu ſeparatas extra animam, non poſſumus dicere quòd compoſitum eſſet materia, & forma, ita ſeparando earum naturas per intellectum, vtraque ſimul conceptæ non ſunt idem cum compoſito. Et aduertendum eſt quòd cum dico, ſimul, non dico earum realem compoſitionem extra animam, ſic enim materia ſimul cum forma eſt idem, quod compoſitum ipſum, ſed intelligo quòd ſimul accipiantur propriæ rationes vtriuſque, ſic enim ſimul acceptæ non ſunt idem cum compoſito. Hæc autem dicere nihil aliud eſt, quàm dicere quòd materia, & forma poſſunt dupliciter conſiderari; vno modo prout actu exiſtunt ſimul coniunctæ, & hac ratione ſunt ipſum [illegible] compoſitum, & cauſatum, altero modo vt ſecundum proprias rationes accipiuntur ab intellectu, & hoc modo habent rationem principiorum, & diſtinguuntur à compoſito; aliud enim eſt materia à coniuncto ex vtroque, ſimiliter aliud eſt forma à coniuncto ex vtroqe, & ſimiliter vtræque non realiter coniunctæ, aliud ſunt ab eiſdem realiter coniunctis, & habent rationem principiorum ad principiatum; niſi hoc fateremur, non poſſemus dicere quomodo definitio ſit idem cum definito, licèt definitio cauſas contineat, definitum verò habeat rationem cauſati; quomodo enim cauſę ſunt idem cum cauſato, niſi ratione qua cauſatum illud nihil aliud eſt, quàm realis coniunctio illarum cauſarum ſeu illæ cauſæ, vt realiter exiſtentes ſimul? Compoſitum igitur differt ab vtralibet parte per alteram, & ab vtraque ſimul accepta, nec tamen realiter coniunctis, differt ſimiliter per vtramque coniunctam, non per tertiam naturam, ſiue entitatem ſuperuenientem, ideo Ariſtoteles quando diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum, non conſiderat id ſolùm quod extra animam exiſtit, ſed eam eſſentiam, quam intellectus concipere poteſt, poteſt autem accipere tùm naturam formæ ſeparatim, tùm naturam materiæ, tùm etiam naturam coniuncti, ideſt vtramque ſimul, cum enim ex eis fiat vnum, quatenus vna eſt potentia, altera verò actus, ideò poſſunt conſiderari etiam coniunctæ, & coeuntes in vnum, & id dicitur compoſitum. Idem dicendum eſt de partibus integrantibus, de quibus hic Ariſtoteles loquitur, omnes enim ſimul ſumptæ, & realiter coniunctæ ſunt totum ipſum, ſed per intellectum diuiſæ ab inuicem, tunc ſecundùm proprias rationes, & quà partes ſunt, non ſunt totum ipſum, ſicuti dùm accipiuntur actu ſeparatæ, non ſunt idem cum toto, etiam ſi omnes accipiantur, dùm enim non conſideratur illa congregatio, & compoſitio realis omnium partium, in qua conſiſtit perfectio, & complementum, non dicitur eſſe totum, etiam ſi omnes partes conſiderentur, ſed prout extra animam ſunt, partes ipſæ in toto coniunctæ, hoc modo ſimul congregatæ ſunt idem cum toto, & hoc intelligit hic Auerroes cùm dicit totum nihil aliud eſſe quàm congregationem partium, ideſt, eorum realem congregationem extra animam, omnes enim prout actu exiſtunt ſunt ipſummet totum, dicuntur autem partes, quatenus per intellectum ſeparantur ab inuicem, & ad hunc ſenſum verè dicitur, quod partes non ſunt actu in toto, ſunt enim actu in toto, ſed non vt partes, quia dicere partes eſt dicere ſeparationem ipſarum, quæ non eſt niſi ope intellectus. Si quis hæc omnia bene conſideret, facilè ſoluet omnes inſtantias, quæ ex diuerſis locis Auerrois afferri ſolent, vbi Auerroes dicere videtur, quòd compoſitum ſapit naturam tertiam additam naturis componentium, naturas autem

compo-

componentium accipit Auerroes secundùm proprias rationes separatim considera-tas, a quibus diuersa est natura compositi idest vtraque componentia simul composita & actu coniuncta extra animam, compositum enim nihil aliud dicit quàm congregationem componentium, ex quibus fiat vnum.

Textus Decimus Octauus.

At verò si velut indiuisibile, nullum erit quantùm, neque quale. Neque itaque infinitum est id, quod est, sicuti Melissus dicit, neque finitum, sicut Parmenides, terminus enim indiuisibilis est, neque finitus est.

PRobat Aristoteles non posse dici ens omne vnum vt indiuisibile, & vtitur hac ratione, Si ens esset vnum indiuisibile, vt [illegible]ctus, nullum esset ex prædicamentis, neque substantia, neque quantum, neque quale, neque aliquid aliud, quoniam omnia prædicamenta sunt diuisibilia, aut per se aut per accidens: falsitas autem consequentis est per se manifesta: sed Aristoteles per se eam probat ex verbis horummet antiquorum, si enim non sit quantum, non erit finitum, neque infinitum, vtrumque enim est quantum, & diuisibile, nam finitum dicitur, quod fines, & terminos habet; indiuisibile autem est finis, & terminus non terminos habens, si enim ens esset vnum indiuisibile, non poterit dici finitum, vt Parmenides volebat, neque etiam infinitum vt Melissus, quia infinitum non est, nisi quantum; imò indiuiduum vt punctum, est remotissimum a ratione infiniti secundùm quantitatem sicuti ponebatur a Melisso, ipso enim ponebat ens vnum infinitum, quod omnem locum occuparet, at indiuisibile nullum locum occupat.

Textus Decimus Nonus.

At verò si omnia quæ sunt, ratione vnum sunt, vt indumentum, & Tunica, Heracliti orationem contingit ipsos dicere. Idem enim erit, & bono, & malo, & non bono esse, & bono: quare idem erit bonum, & non bonum, & homo, & equus. Et non de eo quod vnum sunt, quæ sunt ratio erit, sed de eo, quod nihil sunt, & tali esse & tanto idem.

EXcludit Aristoteles tertium, & vltimum modum vnitatis, & probat, non posse dici quòd omnia sit ens vnum, secundùm definitionẽ, sicuti dicimus tunicam, & indumentum esse vnum definitione. Probat autem ducenda ad impossibile, quia tunc sequeretur sententia Heracliti absurdissima, qui dicebat nihil posse fieri a nobis propter continuum rerum fluxum, quod enim est album, non magis album est, quàm nigrum, & quod videtur esse homo, non magis est homo, quàm asinus: hoc impossibile sequeretur, si diceremus omnia esse vnum secundum definitionem. Auerroes autem diuidit hoc impossibile in quinque impossibilia, quæ omnia videntur tangi ab Aristotele

in textu

in textu; Primum est quòd contraria essent idem, vt idem esset bonum & malum, Secundum quòd contradictoria essent idem, vt bonum, & non bonum; Tertium quòd species diuersæ essent idem, vt homo, & asinus; Quartum quòd ponere hoc modo omnia esse ens vnum, esset ponere omnia esse nihil; si enim contradictoria sunt idem, ergo ens est non ens, ergo nihil; Quintum sequeretur quòd quæ toto genere differunt idem essent, vt prædicamentum quanti, & prædicamentum qualis, quæ omnia cùm sint manifestè impossibilia, & repugnent sensui, sequitur non posse dici omnia esse ens vnum, accipiendo vnum secundùm definitionem: nullo igitur modo vnitatis dici potest ens esse vnum.

Textus Vigesimus:

Conturbabantur autem, & posteriores, quemadmodum, & antiqui ne forte accidat ipsi idem simul vnum esse & multa. Qua propter, alij quidem ipsum est auferebant, quemadmodum Lycophron, alij autem mutabant dictionem, quoniam homo non albus est, sed albatur, neque ambulans est, sed ambulat; ne ipsum est adijcientes, multa faciant esse vnum.

PARMENIDES, & Melissus, quos Aristoteles hic antiquos vocat, argumentis hactenus factis conturbati erant, vt Aristoteles inquit, cogi enim videbantur ad confitendum ens vnum simul, ac multa esse; vnum quidem vt ipsi asserebant, multa verò vt argumenta cogebant, quod tamen ipsis facere non placebat. Nunc autem inquit Aristoteles, quòd non solùm hi antiqui his argumentis erant conturbati, verùm etiam alij quidam posteriores, qui licèt in ea sententia non essent, quod vnum esset ens, tamen considerantes hæc argumenta putabant de qualibet vna re ijsdem posse concludi, quòd eadem sit vnum, & multa simul, quæ ipsis videbatur implicatio contradictionis. Accipiebant enim aliquam particularem substantiam, vt Socratem, cuius vnitas est manifesta, sed propter accidentia, quæ in eo sunt, videtur multa esse, est enim albus, est musicus, est bicubitus. Idem igitur est simul vnum & multa. Volentes igitur hi posteriores hanc contradictionem euitare, ad duo diuersa remedia confugierunt, alij enim, vt Lycophon, auferebant a propositione verbum, est, credentes ipsum causam esse illius multitudinis, ideò non dicebant, Socrates est albus, sed Socrates albus, quasi hoc modo non eueniat vt idem cùm sit vnum, fiat etiam multa, sed vnum tantùm maneat, non multa. Alij verò putantes nomen prædicatum simul cum verbo est efficere illam multitudinem, ea auferebant, & loco eorum vtebantur verbo substantiuo, loco enim dicendi homo est albus, dicebant, homo albescit, quasi hoc modo non contingeret, vt id quod vnum est, fiat simul etiam multa; ita enim fatui erant, vt putarent vnitatem, & multitudinem in rebus pendere ex modo locutionis, & res quæ sunt diuersæ fieri vnam, si ita, vel ita loquamur, vt in ipsa locutione insit ius faciendi rem vnam esse, vel plures.

Textus Vigesimus Primus.

Tanquam singulariter dicto vno, aut ente. Sed multa sunt, quæ sunt aut ratione, vt aliud est albo esse & musico, eidem verò vtraque multa, itaque vnum, aut diuisione, quemadmodum, totum, & partes. Hic autem dubitabant, & confitebantur vnum multa esse, tanquàm non contingeret idem vnum, & multa esse, non autem opposita, est enim vnum, & potentia, & actu.



VBDIT autem Aristoteles in textu præsenti quòd causa erroris horum fuit, quia putarunt hæc nomina ens, & vnum vnico modo dici, cùm tamen multipliciter dicantur, vt supra expositum est; hoc autem intellecto tota eorum dubitatio diluitur. Est enim concedendum quòd idem esse possit simul vnum & multa, diuersis tamen modis; esset enim contradictio, si eodem modo vnitatis diceremus, aliquid esse simul vnum, & multa, sed si vno modo sit vnum, alio modo multa, non est contradictio, vt Aristoteles docet in primo libro Perihermenias in fine capitulo de Oratione. Duas autem tangit hìc Aristoteles distinctiones vnius, per quas tollitur tota horum posteriorum dubitatio; altera est, quòd vnum dicitur dupliciter, vel vnum subiecto, vel vnum ratione, sic etiam multa, potest igitur eadem res esse vnum subiecto, sed multa secundùm rationem, vt Socrates est vnum indiuiduum, & quæ sunt in eo sunt vnum subiecto, vt album, musicum, & ambulans, hæc autem sunt multa ratione, neque vlla est contradictio hæc dicendo. Altera distinctio est, quòd vnum & multæ possunt dupliciter intelligi, aut actu, aut potestate, ideò non est inconueniens si eadem res dicatur, esse vna & multæ simul, his duobus diuersis modis, vt continuum est vnum actu; multa autem potentia sine vlla repugnantia. Has igitur distinctiones illi ignorantes crediderunt nullo pacto idem esse simul vnum, & multa sine contradictione, cùm tamen illud concedi optimè possit, secundùm diuersos modos accipiendi vnitatem, & multitudinem. Hæc omnia sunt referenda ad illos posteriores tantùm non ad Parmenidem, & Melissum. Vult enim significare Aristoteles, quòd isti posteriores possunt se egregiè tueri, & vitare omnia argumenta facta ab Aristotele, nempè concedendo quòd id, quod est vnum, potest alia ratione dici multa; at Parmenides & Melissus defendi non possunt, quia ens vnum omnino ponebant, vt nullo modo esset multa: quare cùm omnimodam vnitatem ponerent, in qua non caderet vlla multitudo, argumenta ab Aristotele prius facta concludunt.

Textus Vigesimus Secundus.

Hoc igitur modo dicentibus impoßibile videtur, quæ sunt vnum esse. Et ex quibus ostendunt, soluere non difficile est; vtrique enim contentiosè syllogizant, & Parmenides, & Melissus: nam, & falsa accipiunt, & non syllogizantes sunt. Est autem Melißi magis onerosa ratio, & non habens dubitationem, sed vno inconuenienti dato alia contingunt, hoc autem nihil difficile est.

IN hoc

IN hoc textu vigesimosecundo concludit Aristoteles nullo dictorum modorum posse dici, quòd omnia sint ens vnum, & sic falsa est sententia Parmenidis, & Melissi; deinde subdit quòd facile est etiam soluere argumenta, quibus ipsi hoc demonstrabant, sophistica enim sunt, & peccant in materia, & in forma, licèt deterior sit ratio Melissi, & manifestè fallax, sicut in sequentibus considerabimus.

Textus Vigesimustertius.

Quòd igitur paralogizat Melissus, manifestum est. Opinatur enim accipere, si quod factum est omne habet principium, quod et id quod non factum est non habet; Postea, & hoc inconueniens omnis esse principium rei, & non temporis, & generationis non simplicis, sed & alterationis, tanquàm non momentanea facta mutatione.

ACcipit Aristoteles considerandum & soluendum argumentum Melissi, quod tamen non integrum adducit: erat enim fortasse ijs temporibus notum, sed legitur integrum apud Græcos expositores, & tale est; quod est factum, habet principium: at ens non est factum: ergo non habet principium, si non habet principium, ergo neque finem, quia hæc duo se mutuo consequuntur, ergo est infinitum, ergo est vnicum, quia si essent multa, se inuicem tangerent, & sic essent finita, quia ex ea parte, in qua se tangerent finem, ac terminum haberent, patet igitur quòd si est infinitum est necessario vnum. Ex his sequitur quòd sit immobile, cùm enim omnem locum impleat, non relinquitur ei spatium, per quod moueatur, neque locus, ad quem moueatur, quare immobile manet, ergo ens est vnum, infinitum, & immobile; Primum autem illud assumptum, quod ens non sit factum, ita probabat Melissus; si est factum; ergo ex ente, vel ex non ente; non ex ente, quia ens esset antequàm fieret; non ex non ente, quia non ens est nihil, & ex nihilo nihil fit. Aristoteles autem dicit argumentum hoc Melissi, multifariam esse vitiosum, & primò considerat in eo vitium formæ, committit enim fallaciam consequentis, quando dicit, si est factum, habet principium: at non est factum, ergo non habet principium, argumentatur enim a destructione antecedentis, quæ est argumentatio vitiosa. De quo errore huius argumenti Melissi mentionem fecit etiam Aristoteles in primo libro Elenchorum capit. quarto, vbi dicit committere fallaciam consequentis. Est autem euidentissimum in argumento Melissi hoc peccatum, ideò Aristoteles supra dicebat ipsum deterius esse, & non habere dubitationem, in terminis enim non conuertibilibus cuiusmodi sunt hi duo, factum, & habens principium, hic argumentandi modus nihil penitus valet. Transit deinde Aristoteles ad ostendenda alia vitia in argumento Melissi; Et aduertendum quòd poterat in ipso notare vitium æquiuocationis in illa dictione, principium, quando enim dicit, ens non est factum, ergo non habet principium, videtur accipere principium pro principio temporis, deinde cùm ex hoc inferat, quòd est infinitum secundum magnitudinem, videtur accipere principium pro principio magnitudinis, quæ est æquiuocatio manifesta. Aristoteles autem hoc non considerat, quia cùm manifestum sit Melissum accipere principium pro principio magnitudinis, quando dicit, non habet principium, ergo est infinitum, ergo omnem locum occupat, ideò supponit quòd etiam prius accipiat eodẽ modo principiũ pro principio magnitudinis

gnitudinis, cùm dicit, quòd est factum habet principium, ens nõ est factum, ergo nõ habet principium; ideò obijcit & in hoc textu duos errores; primum, quòd accipiat hanc vocem principium solùm pro principio [rei] idest magnitudinis, quasi non dicatur etiam de principio temporis, & hic est sensus eorum verborum [& non temporis] idest, non dari etiam principium temporis, quæ verba puto separanda esse à sequentibus, vt non idem significent hìc [temporis & generationis] sed ad diuersa referuntur, quod verba Græca significant, cùm dictio illa [temporis] habeat articulum, dictio verò illa [generationis] non habeat articulum, hoc autem stante quòd Melissus intellexerit solùm de principio rei, Aristoteles ei obijcit alterum errorem, quando dicit [& generationis] nam dicebat Melissus, omne quod est factum, habet principium; quod assumptum dicit Aristoteles falsum esse, nam in generatione simplici, idest, quæ est secundùm substantiam nullum datur principium magnitudinis, quia substantia corporea in instanti generatur, & tota simul, quare tota est eius magnitudinis pars, quæ prima incipiat generari; immo non solùm in simplici generatione (inquit Aristoteles) sed etiam in alteratione, quæ dicitur etiam generatio secundùm quid, datur aliqua transmutatio subita, qua res tota simul alteratur, & nulla est pars magnitudinis, in qua fiat eius transmutationis principium vt coagulatio lactis, & congelatio aquæ, ergo non est verum, quod in omni generatione detur principium aliquod magnitudinis, fallit enim non modò in generatione substantiali, sed etiam in accidentali, quæ dicitur alteratio. Constructio autem verborum debet esse talis, quando dicit, [& generationis] hæc verba debent referri ad illa [omnis esse principium rei] vt sensus sit, & hoc inconueniens est omnis rei esse principium rei, idest, magnitudinis; nec dari principium temporis. Et præterea omnes generationes esse principium magnitudinis, hoc enim inconueniens non modò considerando generationem simplicem, in qua reuera hoc dictum semper fallit, verùm etiam considerando alterationem, quæ interdum fit in instanti, isti enim vniuersaliter protulerunt quòd omne genitum habet principium magnitudinis, quasi non daretur vlla subita mutatio, hæc autem absque dubio datur, non modò secundùm substantiam, sed etiam in accidentibus, quare assumptio illa falsa est quòd in omni generatione detur principium magnitudinis, idest in omni genito esse primam magnitudinis partem, quæ inceperit generari, hoc enim significatur, quando dicitur, omne quod est genitum, habet principium magnitudinis.

Textus Vigesimus Quartus.

Deinde, & propter quid est immobile, si vnum est? sicut enim, & pars vna cùm sit, hæc aqua mouetur in seipsa, quare non & totum? Postea alteratio propter quid non erit? At verò nec specie poßibile est vnum esse, nisi eo ex quo. Sic autem, & Physicorum quidam dicunt vnum illum autem modo non homo, namque ab eo alterum specie, & contraria inuicem.



OSTENDIT Aristoteles alium errorem in argumento Melissi, videlicet in illa consequentia, ens est vnum & infinitum, ergo immobile, quam consequentiam dicit Aristoteles non valere, & quia Melissus eam ita probabat, quod est mole infinitum, omnem locum occupat, quod omnem locum occupat non potest moueri; negat Aristoteles hanc secundam propositionem, potest enim ens totum esse infinitum mole, & totum locum

cum

eum occupare, moueri tamen in loco proprio, seu in seipso, ita vt totum ipsum non mutet locum, sed partes solùm moueantur loco, cedendo sibi inuicem, quod ostendit Aristoteles exemplo aquæ existentis in vase; potest enim aqua illa in illo vase stans circumuolui, & sic tota non mutabit locum, sed singulæ partes mouebuntur, quod igitur in aqua videmus, quæ est pars entis vniuersi, possumus etiam de toto ente pronuntiare; quòd licèt totum locum occupet, potest moueri in seipso, idest non recedendo à suo loco, sed per mutuam cessionem partium ad se inuicem. Et dato etiam quod sit infinitum mole, poterunt omnes eius partes moueri, quare erit saltem mobile secundùm partes. Præterea, (inquit Aristoteles) dato etiam, & non concesso, quòd totum locum occupans non possit moueri secundùm locum, at quæ est ratio vt saltem secundùm motum alterationis moueri non possit? certè nulla, non sequitur enim, quia totum locum occupet, ergo non potest alterari, ergo non sequitur quòd sit immobile, dicam enim quòd licet secundùm locum mobile non sit, est tamen mobile motu alterationis. Hæc autem quæ in hoc textu ab Aristotele hactenus dicta sunt de fallacia rationis Melissi; possumus etiam apud Aristotelem legere in quarto libro Physicorum textu Quinquagesimoquarto, & sexagesimosecundo, vbi dicit Melissum existimasse necessarium esse vacuum ad faciendum motum, ideo [illegible] ens esse immobile, quia omnem locum implet, & nullum vacuum remanet, in quo moueatur. Aristoteles autem docet non esse necessarium vacuum ad motum, imò si daretur vacuum, motus per ipsum fieri non posset, vnde malè Melissus intulerat entis immobilitatem ex negatione vacui. Addit etiam ibi Aristoteles, quòd si ipsum plenum non possit secundum locum moueri, poterit saltem alterari, quare non erit prorsus immobile, vt putauit Melissus, quæ omnia hoc quoque in loco audiuimus. Deinde dum dicit Aristoteles [At verò nec specie possibile est vnum esse] adducit argumentum contra Melissum, quod potius contra sententiam Melissi allatum videtur, quàm contra eius rationem, probat enim quòd ens non sit vnum secundùm formam & essentiam, sumpto argumento à sensibus, nam sensu patet quòd homo, & equus differunt secundùm formam, & quòd contraria differunt ab inuicem secundùm formas, non possumus igitur dicere omnia esse vnum ens secundùm formam, at secundum materiam posset concedi, & ea fuit multorum antiquorum naturalium sententia, qui etiam ponebant vnam primam materiam, ex qua fierent omnia, vt aquam, vel aerem, illi solebant eo modo loquendi vti, omnia sunt aqua, omnia sunt aer, & accipiebant ens pro principio, vt in textu septimo declarauimus; concedit itaque Aristoteles omnia dici posse ens vnum, quia ex vna materia constat, & non ratione formæ, quoniam sensu patet res non esse vnum secundùm formam. Hic dubitari potest de hac ratione Aristotelis, nam supra confutauit positionem Melissi varijs argumentis, postea accessit ad soluendum eius argumentum, nunc verò reuertitur iterum ad confutandum hoc argumento ipsam positionem, quare confusione vsus videtur. Præterea non videtur hic Aristoteles contra positionem Melissi afferre nouam aliquam rationem, sed potius eandem repetere, qua vsus est in textu Decimonono, ibi enim probabat quòd omnia non sunt vnum definitione, hic probat quòd non sunt vnum specie, idest forma, quod idem est, ibi vsus est hoc medio quòd contraria non sunt idem secundùm definitionem, & diuersa, & quæ dicuntur disparata, vt homo, & equus, non sunt idem definitione, idque vt per se notum accipit, hic autem eodem vtitur fundamento, quare nugatio esse videtur in Aristotele. Ad hoc ego responderem non esse intentionem Aristotelis hic impugnare positionem Melissi, sed solùm soluere eius rationem, quod patet, quia contra eius positionem nullum affert hic nouum argumentum sed idem, quod superius attulerat; quare ibi hoc argumento vsus est, ad impugnandam positionem, hic autem idem repetit propter solutionem rationis Melissi, ad quam solutionem po-

test ita pertinere, dixerat Aristoteles præcedentibus verbis, quod si ens est infinitum mole, & propter ea dicitur etiam immobile secundùm locum, saltem alteratione mobile erit, ad hoc poterat aliquis instare non dari alterationem, vbi omnia sunt eiusdem naturæ & formæ, alteratio enim fit inter diuersas naturas, similiter non potest vna pars aliam loco pellere, vt partes ita inter se inuicem moueantur, & sibi inuicem cedant, quia in eo, quod vniformæ penitus est, & vnius naturæ, non datur aliqua pugna, quoniam non sequitur partes entis posse loco moueri, neque sequetur eas alteratione mobiles esse, à nullo enim moueri, vel alterari poterant; Aristoteles igitur huic occurrere voluit per ea, quæ etiam superius dicta sunt, videlicet quòd sensui aduersatur, qui dicit omnia esse ens vnum specie, & forma, videmus enim equum, & hominem forma differre, & contraria etiam formis differre, quare, quæ dicta sunt aduersus rationem Melissi, in suo robore manent; hoc modo puto Aristotelem defendi posse, vt his verbis remoueat defensionem, quæ pro Melisso adduci poterat ad tuendam validitatem argumenti Melissi.

Textus Vigesimus Quintus.

Et ad Parmenidem autem idem modus rationum est, & si aliqui alij sunt proprij. Et solutio est partim quidem, quia falsa est; partim autem quia non concludit. Falsa quidem, quia quod est, accipit simpliciter dici, cùm multipliciter dicatur. Non concludit autem, quia si sola alba capiantur, significante vnum albo, nihilominus multa alba sunt, & non vnum, non enim continuatione erit album vnum, neque ratione, aliud enim erit esse albo, & suscipienti, & non erit præter album nihil separabile, non enim quatenus separabile est, sed esse alterum est albo, & ei cui inest. Sed hoc Parmenides nondum videbat.



Relicto Melisso nunc Aristoteles ad Parmenidem se confert. Et primò dicit quòd sententia Parmenidis partim iisdem argumentis refellitur, quibus & sententia Melissi, partim etiam proprijs rationibus confutatur: superius enim vidimus Aristotelem confutasse sententiam Melissi argumentis communibus, quibus etiam Parmenidis positio confutatur, in seqnentibus autem vtetur contra Parmenidem alijs quibusdam rationibus quæ propriè contra Parmenidem valent, eo quòd desumuntur ex propositionibus ab ipso quoque Parmenide enunciatis. De ratione autem Parmenidis dicit Aristoteles, quòd ea dupliciter peccat, sicuti etiam ratio Melissi; peccat enim in materia, quia falsa assumit, peccat in forma, quia paralogizat, & non concludit, quod postea Aristoteles ostendere incipit, sed prius oportet intelligere quali argumento Parmenides vsus fuerit, vt postea errata considerare possimus. Argumentum Parmenidis, vt ego puto, tale fuit, primò supponebat quòd ens significat vnum, & non multa; tunc ita argumentabatur, quòd est præter ens, est non ens: non ens est nihil: ergo ens est vnum. Hanc rationem dicit Aristoteles primò in materia peccare, quia assumit falsam propositionem, quod ens significet vnum, patet enim nomen entis multa significare, vt Aristoteles tanquam per se notum supponit, sicuti etiam superius supposuit ens

significare decem prædicamenta. Ostendit deinde Aristoteles quòd ratio Parmenidis peccat in forma, & non concludit. Sed vt hoc intelligatur, aduertendum quòd ratio Parmenidis minus peccat in forma quàm ratio Melissi, vt Aristoteles superius dixit, quoniam ratio Melissi nihil penitus concludit, quia propositiones non accipiuntur secundùm conuenientem formam, at ratio Parmenidis est concludens, & syllogistica, non tamen id concludit, quod Parmenides putabat, ideò Parmenides non in eo peccat, quòd ratione non concludente vtatur, sed quòd colligit aliam conclusionem, non eam, quæ ex ijs præmissis colligenda erat, nam præmissæ hæ erant, quod est præter ens est non ens, non ens est nihil, ex his certum est nullam aliam conclusionem sequi, quàm hanc, ergo quod est præter ens, est nihil, tamen Parmenides colligit hanc aliam, ergo ens est vnum, quam non poterat colligere. Aristoteles autem hunc errorem ostendere volens, ita procedit, ostendit falsam esse conclusionem Parmenidis, veris tamen existentibus præmissis, quando enim præmissæ sunt bene complicatæ, & sunt veræ, conclusio autem falsa, certum est, quod ex ijs præmissis ea conclusio non potest colligi, quia ex præmissis veris, & in bona forma complicatis non potest conclusio sequi nisi vera, hinc est quòd Aristoteles videtur argumentari contra positionem Parmenidis de vnitate entis, tamen reuera intentio eius est destruere rationem Parmenidis, & eius fallaciam detegere, idque facit eo modo, quem exposuimus, ostendit falsam esse conclusionem præmissis veris existentibus. Vt autem id euidentius ostendat, mutat in hoc textu nomen entis in nomen albi, supponit enim non dari aliud ens, quàm album, & ita format rationem Parmenidis, album significat vnum, non multa, quod est præter album est non album, & non album est nihil, ergo album vnum est; sed (inquit Aristoteles) propositiones omnes assumptæ veræ sunt, tamen conclusio est falsa, quia adhùc multa sunt alba, non vnum, ergo ratio peccat in forma. Quòd autem conclusio sit falsa, & multa alba sint, probat dupliciter; primò etiam si albedo sit vox vniuoca significans vnum quid, tamen non significat ita vnum, vt sit vnum continuum, sed videmus multas albedines dari disiunctas ab inuicem, sunt igitur multa alba, vt patet, & tamen album significat vnum. Secundo, licèt album significet vnum quoddam, tamen non potest dici vnum ratione, idest definitione, quia significat albedinem, & connotat subiectum recipiens, at alia est ratio albedinis, alia subiecti, supponit enim Aristoteles quòd accidens non possit esse sine subiecto, quare patet licèt album significet vnum quoddam, tamen in eo vno continentur duo distincta secundùm definitionem & essentiam. Addit hìc Aristoteles quædam verba difficilia cùm dicit, [& non erit præter album nihil separabile] quæ visa sunt Vicomercato ita obscura vt nesciret ea aliter interpretari, quam literam vt deprauatam corrigendo, sed cùm hæc emendatio ab eo gratis fiat, & sine vllo antiquo testimonio, ego credo eius interpretationem accipiendam non esse, præsertim cùm hæc verba optimè exponi possint vti iacent. Ego puto Aristotelem his verbis occurrere tacitæ obiectioni, nam aliquis pro defensione Parmenidis dicere poterat, iam accepta fuit hæc propositio vt vera, quod est præter album est non album, & hæc, non album est nihil, tu tamen o Aristoteles accipis præter albedinem etiam subiectum, & sic facis contra supposita, accipis enim per album aliquid aliud tanquàm ens. Ad hoc dicit Aristoteles, Ego nihil accipio separatum ab albo, quod dicam esse ens, subiectum enim non est separatum ab accidente, sed coniunctum cum eo, & hoc totum coniunctum est vnum quoddam, quod significatur ab hac voce album, ideò sensus verborum est, duo entia essent, videlicet albedo & subiectum nec tamen propterea ego recedo à suppositis, quia nihil propterea accipio præter album, quod sit separatum ab ipso albo, sed accipio id solùm, quod significatur ab hac voce album, & dico quòd ea significat vnum, quod tamen duo est secundùm rationem, idest, definitionem, non enim dicit diuersum esse subiectum ab

albedine, eo quod sit separatum ab eo, sed quoniam aliud est esse, idest, essentia albi, & aliud est subiecti, in quo inhęret, quasi dicat, albedo, & id, cui inest albedo, sunt quidem vnum subiecto, quia non est vnum separatum ab altero, tamen secundùm essentiam non est vnum sed duo, quare duo entia erunt, & hoc dicit Aristoteles Parmenidem ignorasse, videlicèt aliqua dici multa secundum rationem, licèt subiecto vnum sint. Patet igitur ex his, quod stantibus omnibus assumptionibus Parmenidis, tamen multa entia sunt, sicuti multa alba, ergo ratio non probat intentum.

Textus Vigesimus Sextus.

Necesse est igitur accipere ijs qui dicunt, quod est vnum esse, non solum vnum significare quod est, de quo vtique prædicetur, sed & quod verè est, & quod verè vnum est, accidens enim de subiecto quodam dicitur, quare cui accidit, quod est, non erit, alterum enim est ab eo, quod est, erit itaque aliquid, quod non est: non itaque erit alij inexistens, quod verè est, non enim erit enti ipsi esse, nisi multa quod est, significet, sic vt sit aliquid vnumquodque, sed supponitur quod est significare vnum

VIDENS Aristoteles relinqui adhuc Parmenidi fugam, vult eam tollere in textu præsenti, & sequentibus, poterat enim Parmenides dicere, tu accepisti, ò Aristoteles loco entis album, quod est accidens, & in subiecto inest, ideò de hoc argumentum tuum valet, ego verò nomine entis non significo aliquid accidentis, sed substantiam, hæc enim verè est ens, & verè vnum, quia per se est, & nulli inest, quare de hac non potes dicere, quòd supponat aliquod subiectum prius, in quo inhæreat, ens igitur verè vnum erit, si accipiatur id, quod verè est ens, idest, ipsa substantia: Aristoteles igitur hæc videns, vult prius in textu, hoc ostendere, ratione, quòd reuera Parmenides non fuit ita fatuus vt intellexerit nomine entis album, vel aliquod accidens, sed substantiam intellexit. Deinde in sequentibus ostendet, quòd etiam hoc modo non potest, Parmenidis ratio defendi. Sententia huius textus clara est, dicit enim quòd Parmenides dicens vnum esse ens necesse est, vt non solum supponat ens significare vnum, non plura, sed etiam significare id, quod verè est ens, ac verè vnum, cuiusmodi est substantia, non autem accidens, quoniam accidens omne in subiecto aliquo est, quod ab ipso accidente diuersum est, quare ponendo ens esse vnum, idque esse accidens, sequetur implicatio contradictionis, vnum enim ponetur ens, tamen erunt duo, quare vnum, & non vnum, vel si subiectum dicatur non esse ens, sequetur aliquid esse, quod non est, & sic ens, & non ens simul, nam subiectum accidentis erit non ens, sed cùm accidens de illo prædicetur, est etiam ens, nam si dicamus homo est albus, & album significet ens, & homo non ens, dicendo, homo est albus, dicemus homo est ens, album enim est ens, homo igitur erit simul, & non erit; patet igitur quòd non potest Parmenides, ponere ens vnum esse, nisi ponat ipsum esse substantiam, quia ponendo accidens, necesse est, vt multa entia ponantur, vt tàm accidens, quam subiectum eius sit aliquid. Hoc in loco dubitatur, quia Aristoteles in præcedenti textu, ac in hoc etiam attribuit Parmenidi, quòd supposuerit ens significare vnum, non multa, ipse tamen in textu tertiodecimo contra Parmenidem argumentaturus supposuit ens multipliciter dici, quare Aristoteles ibi petijt prin


cipium

cipium supponens id, quod ab Aduersario negabatur. Ad hoc dubium aliqui dicunt, quod Parmenides non supposuit expresse, quòd ens vnum significet, neque Aristoteles hoc ei tribuit, sed significare vult quòd argumentum Parmenidis non concludit, nisi stante supposito quòd ens vnum significet, ideo videtur Parmenides implicitè supposuisse ens significare vnum, non multa. Hæc responsio mihi non satisfacit, quia Aristoteles in textu præcedenti tribuit Parmenidi quòd supposuerit expresse quòd ens vnum significet, nam verbum [accipit] non videtur significare, nisi expressam suppositionem, nec posset Aristoteles ibi obijcere Parmenidi, quòd falsum assumat, nisi expressè id assumpserit; sed solùm in forma peccasset argumentum Parmenidis. Præterea si Parmenides supposuit ens significare vnum, siuè expressè, siue implicitè, adhùc dubium viget, Aristoteles enim in tertiodecimo textu supposuit ens multipliciter dici, si igitur certum est à Parmenide hoc negandum fore, non ne Aristoteles petit principium in eo textu? Ego dicerem quod Parmenides in suo argumento supposuit expresse quod ens significat vnum, sicuti manifestum est Aristotelem ei tribuere, nec propterea Aristoteles petit principium, quando sumit ens multipliciter dici, quia hoc sumit vt per se notum, & quod a nemine negari possit. Patet autem hoc in textu Vigesimoquinto vbi dicit Parmenidem falsa assumere, quia sumit ens simpliciter dici, cùm tamen multipliciter dicatur, non probat Aristoteles quòd ens multipliciter dicatur, sed sine vlla probatione id sumit, tanquàm per se notum ad reprobandum suppositum Parmenidis illi oppositum, tanquàm oppositum rei per se manifestæ, quam ipsemet Parmenides non est ausus negare, nam licèt dixerit vnum esse ens loquendo secundum veritatem, tamen non potens negare apparentiam confessus est multa esse entia secundùm opinionem hominum loquendo, & horum principia duo statuit ignem, & terram, quare non negauit Parmenides hanc apparentiam, & omnium consensum quòd nomen entis significet multa. Ideò Aristoteles potest apparentiam ipsam, & consensum hominum accipere contra Parmenidem, & præsertim, quia sicut diximus in textu tertiodecimo non supponit entia multa esse, sed solùm supponit multiplicem significationem huius vocabuli ens, quæ non potest negari, nam homines imposuerunt nomina rebus, sequendo apparentiam, apparentia erat, quod videbantur multa entia esse, ideò nomine entis illa omnia significare consueuerunt, quæ apud eos entia erant. Non potest igitur negari quòd nomen entis multa significet, quia quid nomen significet, non potest in dubium reuocari, & omnibus est nota significatio multiplex huius vocis, ens; quare potest quidem in dubium verti an illa omnia sint entia, quæ homines entia esse putant, sed non significatio huius vocis ens, quæ apud omnes significat multa; vt ipse quoque Parmenides non negauit, hoc ergo Aristoteles supponit, & reijcit suppositum oppositum Parmenidis, quòd ens significet vnum.

Textus Vigesimus Septimus.

Si igitur quod verè est, nulli accidit, sed illi aliquid quod verè est, significat quod est, qui quod non est: Si enim erit quod verè est idem, & album albo autem esse non est, quod verè est:(neque enim accidere ipsi poßibile est quod est; nihil enim quod est, est, quod verè non sit) non ergo quod est, album est, non sic autem vt aliquid non sit, sed omnino non sit, erit quod verè itaque est, non est, verum enim est dicere, quod verè est quod album, hoc autem non

quod est significabat, quare si, & album significat quod verè est, multa ergo significat quod non est.




Olligit primò Aristoteles in hoc textu de sententia Parmenidis, vt clarum, & indubitatum quòd ipse per ens non intellexit aliud, quàm verè ens, & quod nulli accidit, nulli inhæret, imò alia ei accidunt, id autem est ipsa substantia. Deinde probat quòd neque hoc modo potest dici esse vnum ens, idest, solam substantiam esse ens, nam si sola substantia est ens, oportet, si vnum ens esse debet vt reliqua omnia, quæ ipsi substantiæ accidunt, nequaquam sint, non dico, quod sint non entia secundùm quid, sed quòd nullo modo sint, quia ponitur id solum esse ens, quod verè est, hæc autem est substantia, alia verò oportet ex hoc supposito nihil penitus esse. His constitutis ita Aristoteles argumentatur, si substantia sola esse ponatur, sequetur, vel quòd ipsa quoque sit non ens, vel quòd multa entia sint, nam ad sensum patet, quòd ipsi substantiæ, quæ sola esse ponitur, multa accidunt; est enim alba, est nigra, est quanta, est ambulans, vt videmus, & de substantia hæc omnia prædicantur secundùm omnium hominum locutionem, dicimus enim quòd hæc substantia est alba, hæc nigra; ergo si album est penitus nihil, & de substantia prædicatur, ipsa quoque substantia erit nihil, dicere enim substantiam esse album, nec dicere esse non ens, & sic quòd verè est ens, nec non ens omninò; quòd si dicamus ipsum quoque album est ens, tunc sequitur multa entia esse. Hæc autem Aristotelis ratio fundatur in hoc quòd multa substantiæ accidunt, & de ea prædicantur, vt manifestissimum est: hinc enim sequitur, quòd vel substantia non erit ens, quia de ipsa non ens prædicabitur; vel si accidentia quoque sint entia, multa entia erunt. Et est ratio aduersus argumentum Parmenidis ad ostendendum quòd non concludat; Probat enim Aristoteles falsam esse conclusionem Parmenidis concessis tamen omnibus propositionibus, imò ex ijsdem propositionibus deducit Aristoteles oppositum conclusionis, videlicèt quòd entia sint multa, supponit enim quòd ens significat vnum, idest substantiam solam, & quòd quicquid est præter ens, est non ens, & non ens est nihil, quæ fuerunt omnia supposita Parmenidis, ex his tamen Aristoteles demonstrauit, quòd vel neque substantia erit, vel multa entia sunt. Cùm igitur ex fundamentis Parmenidis deducatur conclusio opposita conclusioni illatæ a Parmenide manifestũ est argumentum Parmenidis prauum esse, & non concludere. Notandum est in textu in illis postremis verbis [multa ergo significat quod est] quòd hæc non sunt intelligenda de sola significatione vocis, vt fortasse videtur, sed etiam de existentia, vt Aristoteles concludat, quod nomen entis significabit multa, quæ verè erunt entia; solum enim significationem multiplicem vocabuli entis Aristoteles non concluderet, quia superius eam vt notam supposuit, sed concludit multa entia esse, vt etiam patet omnibus considerantibus rationem ipsam Aristotelis in hoc textu factam, quã declarauimus.

Textus Vigesimus Octauus.

Neque igitur magnitudinem habebit quod est, si quidem quod verè est, est, quod est vtrique enim partium aliud est esse. Quod autem diuiditur quod vere est in quod verè est aliquid aliud etiam ratione manifestum est vt homo, si est, quod verè est, aliquid necesse

est,

est, & animal, quod verè aliquid est esse, & bipes. Si enim non quod verè est, est, accidentia erunt, aut igitur homini aut alicui alij subiecto; sed impossibile est. Accidens etenim dicitur hoc, aut quod contingit esse, & non esse, aut cuius est in ratione hoc, cui accidit, vt sedere quidem, velut separabile, in simo autem est ratio naris cui dicimus accidere simum.




LIA ratione, quæ & ipsa sumitur ex positis a Parmenide, probat Aristoteles falsitatem conclusionis Parmenidis quòd ens sit vnum; sed hæc Aristotelis ratio dupliciter intelligitur, & vtraque expositio tangitur ab Auerroe, à Simplicio, & a Themistio, & ab Alexandro quoque cognita fuit. Altera expositio quæ Auerroi magis placuit est hæc. Dicit Parmenides ens esse vnum, intelligendo id, quod verè est, idest, substantiam; probat Aristoteles ex positis a Parmenide quòd non possit esse vnum ens, intelligendo per ens substantiam; nam Parmenides posuit illud vnum, ens, esse finitum, ergo tribuit ipsi quantitatem, quia finitum non dicitur nisi de quanto, vt supra declaratum est, vel si de alijs dicitur, dicitur per accidens, quia merito quantitatis, si igitur hoc vnum ens est quantum, ergo est diuisibile in partes; ergo multa entia, quia multæ partes, quòd si nullas habeat partes, nullam magnitudinem habebit, neque quantum dici poterit, neque finitum. Altera expositio, quæ Alexandro magis placuit est, vt Aristoteles per partes non intelligat partes quantitatiuas, sed duas illas entis species, substantiam, quam dicit Parmenides solam significari nomine entis, & finitum, quod quantitatem significat, & ponitur similiter a Parmenide; si enim sola substantia est ens, vt Parmenides dicit, non potest dici finita, quia dicere finitum est in ea quantitatem ponere, & sic duo entia erunt, alia enim quantitatis est natura, & essentia, alia substantiæ subiectæ, ex eo igitur quòd Parmenides ponit ens esse finitum, probat Aristoteles non posse dici vnum, idque esse ipsam substantiam, & sic ex dictis a Parmenide ostendit falsam esse eius conclusionem. Ego credo vtramvis expositionem admitti posse, magis tamen mihi hæc secunda probatur, tùm quia Aristoteles duarum tantùm partium mentionem facit, quare videtur substantiam, & quantitatem significare, non partes integrantes, quæ plures etiam, quàm duæ esse possunt, tùm etiam quia si prior expositio admittatur Aristoteles duobus in locis, idem penitùs argumentum faceret, videlicet hìc vt supra in textu decimo septimo, vbi dixit, si ens est vnum, vt continuum, erit etiam multa, quia continuum est diuisibile in partes, ideò multas ibi partes, non duas tantùm Aristoteles dixit, quia partes quantitatiuæ continui non duę tantùm sunt sed plures. Quòd si quis dicat, etiã secundo modo intellecta hæc Aristotelis ratio in duobus locis posita erit, nempè hìc, & in textu quintodecimo, vbi Aristoteles dixit, quòd infinitum est in prædicamento quantitatis, ideò si substantia sola ponatur esse ens, addendo postea infinitam; duo entia ponuntur, videlicèt ipsa substantia, & quantitas. Ad hoc respondendum est Aristotelem ibi non exprimere nisi de Melisso, vt ibi notauimus, qui ponebat ens esse vnum & infinitum, & quamuis etiam ratio illa contra Parmenidem valeat, tamen Aristoteles ibi non exprimit de Parmenide, non est autem absurdum quòd hìc, & ibi Aristoteles contra Parmenidem adducat eandem rationem, ibi implicitè, hìc verò expresè, & præsertim cum alia, & alia ratione id fiat, ibi enim intentio est destruere positionem, hìc verò ostendere argumentorum vanitatem. Ex dictis enim a Parmenide ostendit Aristoteles hìc falsam esse conclusionem Parmenidis, vt intelligamus Parmenidem non benè fuisse argumentatum, tamen concessis omnibus ab

eo assumptis, conclusio potius opposita colligatur. [Quod autem diuiditur quod verè est aliquid etiam ratione manifestum est.] Nouam affert conclusionem Aristoteles ad ostendendam falsitatem conclusionis Parmenidis de vnitate entis, si per ens intelligat solam substantiam, quæ Aristotelis ratio continet etiam totum textum vigesimumnonum, & prima etiam verba trigesimi, & talis est. Si vnum ponatur ens, & esse substantiam, verum est quòd diuisibile erit in partes secundùm rationem, idest partes definitionis, quæ omnes erant verè entia, ergo multa erunt verè entia, non vnum tantùm. Quòd autem partes definitionis substantiæ debeant & ipsæ esse verè entia, probat sic Aristoteles, si non erunt verè entia, ergo erunt accidentia substantiæ, & tunc vel ipsi enti, quod vnum ponitur, vel alicui alij: mutat autem Aristoteles nomen entis in nomen homo, vt ratio euidentior fiat, & quod ipse de hominis definitione dicit, intelligatur similiter de definitione entis, & dixit partes definitionis hominis esse animal & bipes, quæ si sint verè entia, ergo multa verè entia erunt, non vnum, quòd si non sint verè entia tunc accidentia erunt, & consequenter, vel homini, vel alicui alteri subiecto, sed hoc vtrumque esse impossibile probat Aristoteles faciens prius duo supposita, alterum in hoc textu. Quòd accidens duplex est, alterum commune, quod potest esse, & non esse; alterum proprium, quod in sua definitione sumit subiectum, vt simum, in cuius definitione sumitur nasus, qui est subiectum, cui accidit simitas. Deinde cùm dicit.

Textus Vigesimusnonus.

Amplius quæcunque in definitiua ratione insunt, aut ex quibus sunt, in ratione horum non inest ratio totius, vt in bipede ratio hominis, aut in albo ratio albi hominis. Si igitur hæc hoc se habent modo, & homini accidit bipes necesse est separabile esse ipsum. Quare continget vtique non bipedem esse hominem, aut in ratione bipedis inerit hominis ratio, sed impoßibile est, illud enim in illius ratione inest. Si autem alij accidunt bipes, & animal, & non est vtrumque, quod verè est aliquid, & homo vtique erit accidentium alteri.



Facit alterum suppositum quòd quæcunque accipiuntur in definitione alicuius, non possunt è conuerso sumere illud in sua definitione, vt cùm animal accipiatur in definitione hominis, non potest homo sumi in definitione animalis, cuius ratio est, quia definitum habet locum totius, pars autem definitionis habet locum partis, si igitur in definitione partis acciperetur etiam totum, sequeretur quòd idem esset totum & pars respectu eiusdem, & quòd idem sui ipsius pars esset. His stantibus Aristoteles ita argumentatur, si bipes est accidens homini, ergo vel est accidens commune, vel proprium, non commune, quia tale accidens potest adesse, & abesse, ergo posset homo non esse bipes & sic non esse animal, quod est manifestè impossibile, nihil enim esse potest sine aliqua parte definiente; non est etiam accidens proprium homini, quia huiusmodi accidens sumit in sua definitione subiectum per primum suppositum, quare sumeretur bipes in definitione hominis, & homo similiter in definitione bipedis, quod est falsum per secundùm suppositum, nullo igitur modo potest bipes homini accidere. Si vero quis dicat quòd & bipes & animal accidunt alij subiecto diuerso ab homine, & neutrum est verè ens, sequetur quòd etiam homo erit accidens alteri: &

patet

patet consequentia, quia definitio est idem cum definito, ergo si definitio hominis est accidens alicui alteri, etiam homo erit accidens eidem.

Textus Trigesimus:

Sed quod verè aliquid est, sit accidens nulli, & de quo ambo, et vtrumque, & quod est ex his dicatur, ex indiuisibilibus itaque est omne. Quidam autem rationibus vtrisque acquieuerunt, huic quidem, quod omnia vnum sunt, si quod est; vnum significat quod id est etiam quod non est; ei autem, quod ex dissectione, indiuiduas facientes magnitudines:



Sed consequens prædictum est falsum, quia quod vere est, idest, substantia ipsa, nulli alij debet accidere, neque de alio prædicari, sed de ipsa potius debet prædicari, & animal, & bipes, & tota ex his conflata definitio; cùm igitur hæ definitiones partis non possint esse accidentia, neque homini ipsi, neque alteri subiecto, restat quòd sint verè entia, & substantiæ, quare plura erunt verè entia non vnum. Adduntur hìc ab Aristotele quædam verba valde concisa, & obscura, cùm dicit, [ex indiuisilibus itaque est omne] quæ omnibus expositoribus negotium facessunt. Themistius facilem affert expositionem vt per [indiuisilibus] intelligamus inseparabilibus, vt hæc sit conclusio rationis factæ ab Aristotele, & sensus sit, ergo ens constat ex partibus inseparabilibus a se inuicem, & à toto ipso, partes enim definitionis non sunt separabiles, quæ tamen cùm multæ sint, & sint verè entia, multa erunt verè entia, & sic vult significare Aristoteles quòd satis habet quòd ens constet ex partibus definientibus, quæ sunt multæ, licèt sint inseparabiles, quamuis enim à se inuicem separari non queant, satis est quòd ens ex illis constet, & sic multa entia sunt. Hanc expositionem secutus est Alexander, neque ab ea alieni sunt Simplicius, & Ioannes Grammaticus, licèt aliter ea verba interpretentur; sed contra eam instat Vicomercatus dicens eam violentam esse, quia Aristoteles debuisset dicere ἀχωρίστων non autem ἀδιαιρέτων Indiuisibile enim non potest significare inseparabile ab alia re sed, non diuisibile in partes. Hanc tamen instantiam ego debilem puto, quia inuenimus quandoque apud Græcos vsitari verbum diuidere pro separare, vt apud Porphyrium in cap. de differentia, quando dicit, differentiam diuidere ea quæ sub eodem genere sunt, idest species a se inuicem separate, quare non video eam violentiam, quam Vicomercatus putat in ea dictione indiuisibilibus, licet mihi quoque satis placere possit ea expositio, quia partes essentiales duo habent, sunt inseparabiles, & sunt multæ, Aristoteles solùm respicere debet in hac conclusione quòd sunt multæ, & hoc concludere, quòd enim separabiles, vel inseparabiles nihil ad Aristotelem, ipse tamen concludit, ergo ex inseparabilibus. Præterea Aristoteles in sequentibus faciet mentionem de argumento Zenonis pro confirmanda vnitate entis, tanquam argumento à se prius nominato, vel saltem tacto, sed nihil hactenus dictum est, quod ad argumentum Zenonis referri possit, nisi hæc verba de eo intelligamus. Vicomercatus varijs modis hæc verba interpretatur, quorum aliquos missos facio, quos probare non possum, cùm ipse sine vllius antiqui Codicis testimonio literam audeat emendare, putat enim addendum esse integrum argumentum Zenonis, cuius hæc verba sint conclusio, vel putat addendam esse negatiuam particulam, vt Aristoteles dicat, non itaque ex indiuisilibus.

Sed

Sed his omnibus omissis ego meliorem puto aliam Vicomercati expositionem, quam ipse ordine primam adducit sine aliqua literæ correctione, vt Aristoteles hæc dicens respiciat argumentum Zenonis, cuius postea mentionem faciet; Zeno enim defendens sententiam Parmenidis de vnitate entis, & eam confirmare volens, dixit ipsum ens statuendum esse indiuisibile, vt euitaret diuisionem in partes, vidit enim quòd si diuisibile sit, erit simul vnum, & multa, quæ videbantur ei esse contradictoria membra, nec posse simul stare, ideò, quòd sit indiuisibile, ipse ita probabat, si ens diuideretur, vel transiret in nihil, vel desineret ad partes indiuisibiles, vel diuideretur in infinitum: at in nihil transire non potest, quia ex nihilo aliquid fieri, & aliquid transire in nihil pariter impossibile censetur apud omnes Philosophos; nō etiam in partes, quia fierent multa, & sic simul esset vnum & multa, quod est impossibile. Aristoteles igitur, qui hactenus ex consideratione diuersorum generum partium reprobauit sententiam hanc de vnitate entis, & tandem, etiam ex consideratione partium definitionis, demùm hæc verba subdit cum interrogatione [ex indiuisibilibus itaque est omne?] quasi dicat, quid ergo? vt hæc argumenta effugiat Parmenides, ad hoc ne confugiat quod ens indiuisibile penitus sit, vt Zeno dixit, & nullas partes habeant? accipit enim ex indiuisibilibus esse, pro omne indiuisibile; certum est enim quòd plura indiuisibilia simul posita non faciunt nisi vnum indiuisibile, Aristoteles igitur volens innuere Argumentum Zenonis, & videns multitudinem entium manifestam, voluit etiam exprimere, quod Zeno dicere poterat de hac apparente entium multitudine, videlicet omnia esse indiuisibilia, & constituere vnicum ens, quod ex indiuisibilibus constans indiuisibile sit, quo fit vt nullas suas partes considerare possimus, si in partes diuidi non potest, quamuis enim prius consideremus constitutionem entis, ex indiuisibilibus pluribus, & sic ex multis, tamen facta eorum compositione non est factum aliquid maius singulo, eorum separatim, & sic omne ens est vnum ens indiuisibile. Hanc puto esse huius loci expositionem & dictis, & dicendis satis consentaneam. Id verò considerandum est, quòd etiam si ad hoc confugiat Parmenides, vt dicat ens esse indiuisibile, adhùc defendi non potest; indiuisibile non potest dici finitum, quod enti tribuebat Parmenides, sicuti Aristoteles in textu decimo octauo considerauit. [Quidam autem rationibus vtrisque àcquieuerunt]. Duarum rationū Aristoteles in proximis dictis fecit mentionem vt factarum ab alijs, vna fuit ratio Parmenidis ad probandam entis vnitatem, quamquidem rationem Aristoteles ad hunc vsque locum confutauit, & soluit; altera fuit ratio Zenonis, quam in hoc ipso textu in verbis præcedētibus tetigit Aristoteles, licèt concisè. Has duas rationes tentarunt alij Philosophi soluere, ne cogerentur admittere vnitatem entis. Rationem quidem Parmenidis tentauit soluere Plato in Sophista, rationem autem Zenonis soluere voluit Xenocrates: Has duas solutiones considerans hìc Aristoteles dicit, quòd eas rationes non soluunt, imò Plato & Xenocrates potius suis illis solutionibus admittunt rationes Parmenidis, & Zenonis, & eis acquieuerunt, quàm reuera soluerint, & subdit vtramque solutionem Aristoteles in præsenti textu, quæ talis est, ratio Parmenidis erat hæc, ens vnum significat, quòd est præter ens est non ens, & non ens est nihil ergo ens est vnum, soluit hanc rationem Plato, & solutio ponitur in textu ijs verbis [idest etiam quod non est] concessit enim alteram propositionem quæ erat, quicquid est præter ens, est non ens, sed alteram negauit, quæ erat, non ens est nihil, dixit enim etiam non ens esse ens quodammodo, non quidem esse simpliciter, ac verè ens, sed quoddammodo, dicebat enim Plato, ens verum vnum èsse, & esse Deum, non ens autem esse materiam primam, quæ tamen secundùm se careat omni forma, nullum entium est actu, est tamen aliquo modo ens, quia est omnia potestate, ideò omnia ex ente & non esse constare volebat, quia Deus communicat omnibus suam bonitatem, & dat omnibus formas, innuendo ideas, quibus in se habet, propte-

rea

rea illud esse, quod res habet, non est eius proprium, sed est esse participatum, quia catenus est, quatenus per formam participat diuina perfectione, forma enim est pars diuinæ perfectionis, igitur vnum est vere ens, quod per omnia est diffusum, & ab omnibus participatum, licèt enim multæ formæ sint, vnicum tamen verum ens dicunt, qui Deus est, materia verò quæ formas suscipit, dicitur non ens, non quidem penitus nihil, sed non ens aliquo modo, quia non habet actum, est tamen potentia ad suscipiendum formam; quæ est verè ens, seù verè entis imago, ideò res omnes compositæ non sunt entia diuersa ab ente vno, sed participant ente, & non ente, & sic quod habent entitatis, id a vero ente participant, quare verè ens non est nisi vnũ, sed præter ipsum datur etiam ipsum non ens, quod aliquo modo est ens, quare non est verum absolutè quòd vnicum sit ens, quia vnum quidem est verè ens, sed præter ipsum datur etiam non ens, quod aliquo modo est ens. Deinde cùm Aristoteles in textu dixit [ei autem, quæ ex dissectione] significat rationem Zenonis, quæ sumebatur ex entis sectione in partes, quam rationem tentauit soluere Xenocrates, erat autem Zenonis ratio talis; si ens diuideretur, transiret in nihil, vel ad infinitum diuideretur; non in nihil, quia hoc est impossibile; non ad infinitum, quia tunc esset simul vnum, & multa, quod implicat contradictionem, ergo est indiuisibile penitus. Xenocrates hanc rationem soluit confugiendo ad lineas indiuisibiles, & dixit, quòd ens est diuisibile, sed diuisio eius tandem terminatur ad lineas indiuisibiles, si enim in infinitum diuideretur, videbatur ei quòd nihil esset verè vnum, sed omne, quod diceretur vnum, esset simul etiam multa, quod absurdum esse putauit, & posse euitari ponendo lineas indiuisibiles, ex quibus corpora componuntur. Hæ sunt solutiones Platonis, atque Xenocratis ad argumenta Parmenidis, & Zenonis, quas tamen dicit Aristoteles non modò non soluere argumenta illa, sed ea admittere, & illis acquiescere vt ipse postea ostendet de solutione Platonis in textu trigesimo primo cùm dicet [Manifestum autem est] in quo duo facit; primò ostendit quòd solutio Platonis potius admittit argumentum Parmenidis, quàm illud soluat; deinde declarat simul errorem Parmenidis, & Platonis. Dicit primùm quòd dictum Platonis de materia quòd est non ens, & ens quodammodo, tantùm abest vt tollat argumentum Parmenidis, vt potius cum illo stare possit, & cum eo verificetur. Parmenides enim posuit ens significare vnum, idest, quod verè est ens, quicquid autem est præter ipsum, dixit esse non ens, nè incideret in contradictionem, si enim quòd est præter ens, esset ens, esset vnum ens, & multa simul, quæ est contradictio. Sed videas, (inquit Aristoteles) per dictum Platonis sufficienter tolli hanc contradictionem, & nullum inconueniens euenire Parmenidi: si enim dicamus verum ens esse vnum, & præter hoc etiam non ens esse ens, non tamen vere ens, sed ens secundùm quid, tunc euitatur omnis contradictio, semper enim stat quod verum ens est vnum & non multa, quia licèt etiam non ens sit ens, non est tamen verè ens, stat ergo secundùm Platonem firma conclusio Parmenidis quòd verum ens est vnum, & Parmenides non curaret, quòd etiam non ens poneretur esse modo quodam ens, dummodo non poneretur esse verum ens; quod enim compulit Parmenidem ad dicendum quòd non ens est penitus nihil, nihil aliud fuit, nisi vt euitaret contradictionem quòd ens esset simul vnum, & multa, si igitur inueniretur modus euitandi contradictionem etiam dicendo quòd non ens est aliquid, non renueret Parmenides, qui hoc solùm respexit, quòd cõtradictio euitaretur, & quòd verum ens remaneret verè vnum, & non multa, quod etiam secundum Platonem manet integrum & illæsum. Ideò dicit Aristoteles, quòd secundum Parmenidem nihil prohiberet, quo minus nõ ens poneretur esse quodãmodo ens, dũmodo non poneretur verum ens, & euitaretur contradictio, & verum ens maneret verè vnum, quod etiam concessit ipse Plato, & sic Plato non soluit rationem Parmenidis, sed potius ei acquieuit, dum admisit vnitatem vere entis.

ris.[Dicere quoque nisi præter ipsum.] Declarat Aristoteles vnum errorem tàm Parmenidis, quàm Platonis, Parmenides enim existimauit, quòd ponendo quod est præter ens, esse nihil, omnia sint vnum ens; hoc idem concessit Plato, nam si concessisset quòd quicquid est præter ens, sit nihil, credidit & ipse concessum esse, quod omnia sint vnicum ens, hoc tamen falsum est, inquit Aristoteles, debent enim concedi vtræque præmissæ Parmenidis, nec propterea sequitur vnicum esse ens, non enim solutio argumenti Parmenidis in hoc consistere debet, vt negemus, quòd quicquid est præter ens, sit nihil, hæc namque vera est, sed neganda est conclusio quæ male ex præmissis colligitur, quod enim est præter ens, est nihil, tamen entia multa sunt, quia ens significat multa, quæ verè sunt, quicquid enim est ens, verè est ens, inquit Aristoteles, quis enim vnquam vidit aliquid esse quod non verè sit? Multa igitur sunt entia, quæ verè entia sunt, & hoc dicit propter Platonem qui plura entia posuit, cùm tamen non omnia essent vere entia, sed vnum sit verè ens. Fuit igitur communis error tàm Platonis, quàm Parmenidis, qui putarunt ea propositione concessa, quod est præter ens, est nihil, concludi vnum esse ens, vnde Plato eam negandam esse putauit, cùm tamen ea concessa multa entia maneant, & verè entia. Sententia autem Xenocratis, qui ponebat lineas indiuisibiles, ex quibus entia constarent, confutauit Aristoteles in sexto Physicorum, tùm etiam in libro de lineis indiuisibilibus, nunc de ea nihil aliud dicit, nisi quòd in precedēti textu dixit, videlicet quòd Xenocrates ita respondens argumento Zenonis ipsum potius confirmat, quàm soluat, quomodo autem id fit, Aristoteles hic non declarat, quia est notum, quod enim ex indiuisibilibus constat, est indiuisibile, & quamuis plurima coniungerentur indiuisibilia, non facerent quantum, sed adhuc maneret vnum indiuisibile; hoc igitur modo confirmatur Zenonis sententia, quòd ens est vnum & indiuisibile. Ad hoc fortasse respexit Aristoteles in textu præcedenti dùm eo loquendi modo vsus est, [ex indiuisibilibus est omne.] Vt positionem Zenonis cum sententia Xenocratis confunderet, tanquam in idem concidentes, nam ponere quòd ens sit indiuisibile, & ponere quòd constet ex indiuisibilibus, est idem ponere. Sed aliter quoque peccauit Xenocrates, qui non concessit ens esse diuisibile in semper diuisibilia, ne incideret in contradictionem ponendo esse vnum simul, & multa, quod ei videbatur sequi ponendo diuisionem in infinitum, quæ tamen non est contradictio, cùm possit idem esse vnum actu, & multa potestate, vt supra dictum est. Verùm ipse incidit in aliam maiorem, & notiorem contradictionem, cùm enim de natura lineæ sit, vt sit quanta, & diuisibilis, ipse ponens lineas indiuisibiles, posuit quantum non esse quantum, & lineam non esse lineam, quæ enim est indiuisibilis, non est linea. Hæc igitur est vna contradictio, in quam incidit Xenocrates vt eandem lineam vocet, & non lineam; quantum & non quantum.

Textus Trigesimus Secundus.

Vt autem Physici dicunt duo modi sunt. Hi enim vnum facientes quid est corpus subiectum, aut trium aliquid, aut aliud, quod est igne quidem densius, aere verò subtilius, alia generant densitate, & raritate, multa facientes; hæc sunt contraria. Vniuersaliter autem excessus, & defectus, sicut magnum dicit Plato, & paruum; nisi quod hic quidem hæc facit materiam, vnum autem formam: Alij verò

verò vnum quidem subiectum, contraria differentias, & formas. Quidam autem ex vno inexistentes contrarietates segregant, quemadmodum Anaximander dicit. Et quicunque etiam vnum, & multa dicunt esse, quæ sunt, sicut Empedocles, & Anaxagoras, ex commistione namque, & hi segregant alia, differunt autem ab inuicem; eo quod ille circulationem facit horum, hic autem semel; & hic quidem infinita, & similes partes habentia, & contraria; ille verò vocata elementa.



ONFVTATA opinione Parmenidis & Melissi, quæ maximè aliarum a veritate erat remota; imò totam naturalem scientiam destruebat, nunc Aristoteles se confert ad considerationem aliarum opinionum antiquorum, qui naturaliter loquebantur, & propterea eos Physicos vocat, non quidem vt singulorum errores confutet separatim, sed potius ex eis aliquid boni colligat, quod conferat ad cognitionem veritatis, ex ipsa enim veritatis cognitione patebit etiam, in quo singuli eorum defecerint, solùm confutabit Aristoteles seorsum Anaxagoræ opinionem in sequentibus contextibus ob eã rationem, quam postea dicemus. Enumerat autem Aristoteles antiquorum naturalium opiniones, quas ferè in sexto quoque contextu nominauerat. Sed notanda maximè est differentia, quam alij non animaduerterunt, inter hunc locum, & illum, ibi enim Aristoteles enumerauit antiquorum sentẽtias, vt earum diuersitatem cognosceremus, potissimùm ex parte numeri, cùm alij plura principia posuissent, alij vnum, & qui plura, alij finita, alij infinita. Hìc autem Aristoteles si per earum enumerationem intenderet adhùc nobis proponere eandem diuersitatem inter sententias antiquorum; certè idem frustra repeteret. Alia igitur est intentio Aristotelis, & alia methodus, quam multi existiment, hìc enim vult solùm enumerare sententias antiquorum naturalium, qui aliquo modo vnum primum principium posuerunt, vt declaret eorum discrimen circa modum, quo ex illo vno res generari putabant: nam Aristoteles in ea quoque est opinione, quòd vnum primum principium materiale sit, non plura, sed quia antequam veritatem declaret, circa materiam primam, necesse erit, quòd prius loquatur de duobus principijs formalibus contrarijs, vt postea considerabimus in textu quadragesimo. Volens igitur Aristoteles sibi viam facere ad tractationem de principijs contrarijs, quam primo loco est aggressurus, declarat hoc in loco duos diuersos modos, quibus ex vno primo principio materiali dicebant antiqui res generari, vt inde postea Aristoteles confirmationem desumat eorum, quæ dicturus est de principijs contrarijs, quia sermo de modo, quo ex vna materia res generentur, pertinet ad tractationem de ipsis principijs formalibus contrarijs. Quod hoc sit mens Aristotelis ex eius verbis facile comprobatur, nam in fine textus trigesimiprimi concluserat [quod igitur sic vnum esse ens impossibile sit manifestum est] vbi perpendenda est illa dictio, sic, quæ significat ostensum esse, quòd non possit esse vnum ens eo modo, quo Parmenides & Melissus ponebant, videlicèt, vnum immobile, & sumendo vnum ens pro ente. Nunc autem continuans Aristoteles [vt autem Physici dicunt] ad hùc loquens de vno ente, nam etiam Philosophi naturales ponebant vnum ens, alio tamen modo, videlicèt transmutabile, & sumendo ens pro principio. Dicit igitur Aristoteles, quòd ponendo vnum ens alio modo, eo videlicèt quo Physici dicunt. Duo modi ab eis constituebantur, quibus ex illo vno res generarentur, deinde numerat sententias naturalium ponentium modo aliquo prin-

cipium vnum, & ens diuidit in duos modos diuersos generandi res ex illo vno; ideò inter has nominabit Aristoteles in hoc textu sententiam Empedoclis, & sententiam Anaxagoræ, quia hìc aliquo modo plura principia ponebant, aliquo etiam modo vnum. Sententiam verò Democriti, & Leucippi non nominabit, quia hi plura principia ponebant non vnum. Empedocles enim dùm ponebat quatuor elementa principia rerum, plura principia ponebat, dùm autem ponebat illud sphærum, in quod mundus corrumpebatur, & ex quo iterum generabatur mundus, ponebat modo quodam vnum omnium principium illud sphærum, in quo omnia erant confusa, & commixta. Anaxagoras etiam dùm ponebat similaria vtriusque infinita, ex quibus singula fierent, principia infinita ponebat; ponendo autem Chaos, in quo ab initio omnia similaria confusa erant, & latitabant, vnum principium posuisse videtur illud Chaos, tanquàm vnam omnium rerum materiam. De Democrito hoc dicere non possumus, quia ita plura principia ponebat, vt non poneret aliquo modo vnum, ponebat enim illa corpuscula atoma infinita, ex quarum compositione res fierent, ideò Aristoteles hìc nullam ipsius facit mentionem, quia tantùm de illis loquitur, qui aliquo modo vnum principium materiale ponebant. Hæc est vera Aristotelis mens, & proprium in præsenti textu, vt etiam ex verborum perpensione patebit. Hi igitur omnes qui modo aliquo vnum principium materiale ponebant, in duas classes hìc ab Aristotele distinguuntur; alij namque illud vnum ponebant simplex, ideò ex eo talem generationis modum statuebant, vt ex eo à duabus contrarijs alterationes omnes fierent; alij verò illud ponebant mixtum quoddam, in quo res essent confusæ, & actu commixtæ, ideò hi per alterationem, sed per extractionem, seu segregationem rerum ex illo generari omnia dicebant; hi sunt duo modi generandi res ex vno materiali principio, quos antiqui naturales posuerunt. In prima classe locat Aristoteles eos omnes, qui vnum ex tribus elementis principium statuebant, videlicèt ignem, vel aerem, vel aquam, terram enim solam nullus posuit, vt diximus in sexto textu. Similiter eos, qui aliquod medium inter elementa ponebant, vt densius igne & rarius aere, vel densius aere, & rarius aqua; hi namque omnes ex eo vno principio alterato per raritatem, & densitatem omnia generari dicebant, vt qui ponebant aquam, dicebant ex aqua rarefacta vaporem fieri, ex eadem magis rarefacta aerem, adhùc magis rarefacta ignem, ex ea verò condensata terram fieri, & alia omnia corpora densiora, vel si non ponebant hi omnes hæc duo contraria raritatem & densitatem aliqua alia duo statuebant, contraria, in hoc saltem conueniebant, quòd talia contraria ponebant, quæ sub his duobus generibus communibus continerentur, excessu, ac defectu, alterum enim contrariorum nobilius ponebant quòd sub excessu continebatur, alterum ignobilius, quod sub defectu, vt raritas est sub excessu, densitas sub defectu. Per hæc autem insinuat Aristoteles duo illa prima contraria, quæ ipse mox constituet omnium rerum principia, videlicet formam, quæ nomine excessus significatur, & priuationem quæ nomine defectus. Ad hunc sensum reducit Aristoteles modo quodam sententiam Platonis, sed differentiam statim subdit, qua Plato ab alijs dictis discrepabat, nam tàm Plato, quàm illi dicebant, ex vno principio, & duobus contrarijs omnia fieri; sed differentia erat quoniam Plato dicens ex magno, & paruo, & vno omnia fieri; per illa duo contraria magnum, & paruum significauit materiam, per vnum verò formam. Alij verò vnum principium ponebant vt subiectum materiam, duo verò contraria constituebant ex parte formæ tanquàm differẽtias contrarias, quibus vna illa materia propter diuersarum rerum productionem alterabatur. Est autem sciendum quòd non sine ratione Plato eam sententiam protulit, videns enim à forma res habere vnitatem, per vnum intellexit formam; videns autem quòd materia est quoddam indeterminatum, & nullam certam quantitatem sibi præscribens, eam appellauit indistinctè magnum, & paruum, quia ad omnem

nem

nem quantitatem est in potentia, & nullam habet actu, vel per magnum significauit aptitudinem eius ad omnes quantitates, & formas; per paruum autem priuationem omnium formarum, quæ est iuncta materiæ. In altera classe locat Aristoteles sententiam Anaximandri, Empedoclis, & Anaxagoræ, qui cùm ponerent primum principium vnum mixtum ex omnibus, ideò alterum modum generationis afferebant, videlicèt per segregationem rerum ex illo confuso, in quo præerant. De hac secunda classe incipit Aristoteles loqui quando dicit [Quidam autem ex vno, & existentes contrarietates segregant.] Errant enim qui dicunt hæc verba simul cum sententia Anaximandri, ad primam classem pertinere, cùm manifestum sit Aristotelem similem facere sententiam Anaximandri sententijs Empedoclis, & Anaxagoræ, quas mox nominabit, qui in hoc, vel in hoc quoque modum generationis ponebãt, hi omnes per segregationem ex vno. De hac opinione Anaximandri nos nihil certi habere possumus, quandoque enim Aristoteles indicare videtur eius sententiam fuisse quòd primum principium omnium sit quoddam simplex medium inter aerem & aquam; quandoque quòd medium inter aerem & ignem; & hac ratione esset collocanda Anaximandri opinio in prima classe, quia non posset assignare alium generationis modum, quàm per alterationem illius principij a duobus contrarijs; quandoque autem videtur innuere Aristoteles quòd sententia Anaximandri fuerit similis sententiæ Anaxagoræ, videlicet quòd posuerit vnum primum principium mixtum ex omnium rerum confusione, ex quo per earum extractionem dicerentur omnia generari, quod hoc in loco significat Aristoteles, cùm dicat, quòd Anaximander ex vno segregabat inexistentes contrarietates. Erat igitur vnum mixtum, in quo res contrariæ erant confusæ, nec dicere possumus, quòd intellexerit contrarietates in illo vno præexistere potentia, non actu, nulli enim antiquorum debemus attribuere id, quod ipsius Aristotelis proprium inuentum fuit, quòd res erant in materia prius in potentia, postea educuntur ad actum, hoc enim antiqui non cognouerunt, vt Aristoteles testabitur infra in hoc primo libro. Hæc igitur hoc in loco de Anaximandro dicuntur ab Aristotele, sed certè de eius sententia non possumus nisi dubitare propter alios Aristotelis locos, vt diximus, qua de re non est in præsentia disputandum. Deinde cùm dicit Aristoteles. [Et quicunque etiam vnum, & multa dicunt esse quæ sunt] sententias Empedoclis, & Anaxagoræ exponit, quas in hoc contradistinguit ab Anaximandri sententia, qui Anaximãder vnum tantùm principium materiale ponebat, hi verò partim vnum, partim multa; Anaximander enim cùm poneret illud vnum principium mixtum ex multis, non tamen illa multa appellabat rerum principia, sed illud vnum solùm; hi verò alia, & alia ratione, & vnum principium ponebant, & etiam multa. Empedocles enim ponebat res confusas in illo sphęro, quare illud sphærum erat veluti materia, ex qua Vniuersus mundus erat generandus, postea segregabantur à se inuicem quatuor elementa, quæ in illo sphæro erant confusa, & sic mundus generabatur; hæc autem quatuor elementa constituebat Empedocles esse principia materialia omnium rerum, quare vna ratione vnam materiam ponebat, alia ratione plures. Anaxagoras ponebat quoque in principio fuisse Chaos, in quo omnes res erant confusæ, idest, vtriusque similaris particulæ infinitæ, per quarum extractionem ex illo Chao generarentur omnia, & particulas illas similares appellabat principia rerum, quare principia ponebat infinita. Vnum tamen ponebat principium materiale quatenus ponebat illud Chaos. Perpendendus est autem modus loquendi Aristotelis, qui dicit [quicunque vnum & multa dicunt esse quæ sunt] non enim vnum, & multa principia, sed dicit vnum & multa entia, stat enim in proposita cõparatione antiquorum naturalium cum Parmenide, & Melisso, contra quos concluserat in textu præcedenti quòd impossibile est ens esse vnum eo modo, quo ipsi vnum ponebant, idest sumendo ens pro ente; statim in

textu hoc subiunxit, [vt autem Physici dicunt,] id est, eo autem modo, quo naturales dicunt vnum esse ens, loquitur ergo Aristoteles etiam in hoc textu de dicentibus vnum ens, sed modo physico, videlicet, sumendo ens pro principio, sicuti in textu septimo declarauimus, vnum enim dicebant ens, idest, vnum materiale principium, ex quo omnia entia fierent; ideò Aristoteles seruans eundem loquendi modum, dicit nunc [quicunque vnum, & multa dicunt entiá esse] idest materiam ponunt simul vnam, & plures. Patet igitur quòd secundus modus generandi res est per segregationem, & extractionem, & in eo conuenerunt Anaximander, Empedocles, & Anaxagoras, cum eo tamen discrimine, quod Anaximander vnum principium materiale statuebat, alij verò duo vnum & multa simul, sed inter eos tres conuenientiam notat Aristoteles cùm dicit, [ex commistione namq; & hi segregant alia] sicuti enim Anaximander, ita etiam hi duo segregando res ex illo vno, in quo erant commixtæ, eas generant. Deinde quando dicit [Differunt autem ab inuicem] notat discrimen inter Empedoclem & Anaxagoram, quod multiplex est primum, quia Anaxagoras dixit semel fuisse Chaos, & semel ex eo mundum genitum fuisse, & nunquam amplius interiturum; Empedocles verò dixit infinities fuisse sphærum, & infinities futurum, infinities enim ex sphæro genitus est mũdus, & infinities corruptus est mundus in sphærum, quæ circulatio perpetua perseuerabit in futurum, videlicèt vt infinities fiat ex mundo sphærum, & ex sphæro mundus, cuius æternæ circulationis duas causas efficientes contrarias statuebant litem, & amicitiam; lis enim dominans separabat elementa ab inuicem, & ex sphæro generabat mundum; succedens autem Imperium amicitiæ omnia confundebat, & corrumpebat mundum, & faciebat sphærum, & sic alternatim dominantes in infinitum; contrarium euenire dicebat in paruo mundo, videlicèt, in quolibet mixto ex elementis, lis enim corrumpit ipsum, & amicitia elementorum ipsum generat. Aliud discrimen tangit Aristoteles inter eosdem dicens Anaxagorã potuisse infinita principia materialia latitantia in illo Chao, & similaria, & contraria; Empedocles verò quatuor elementa sola, quibus verbis videtur Aristoteles innuere tres differentias inter eos; Primam quidem, quoniam Anaxagoras infinita principia ponebat, Empedocles verò quatuor tantùm; Secundam, quoniam Anaxagoras ponebat illa infinita principia esse similaria, & inter se eiusdem naturæ ac nominis; Empedocles verò dissimilaria, & diuersarum naturarũ, non enim eiusdem naturæ sunt terra, & ignis, & reliqua elementa. Tertiam verò, quòd Anaxagoras dicebat illa principia esse contraria; Empedocles verò minimè; dicebat enim Anagoras non quidem quòd similaria inter se contraria essent, non enim dicerentur similaria si cõtraria essent sed similaria vnius rei contraria similaribus alterius rei, vt similares partes ignis contrarias similaribus partibus aquæ. Sed in hac tertia differentia dubitat Simplicius, quia Empedocles posuit principia quatuor elementa, quæ sunt inter se contraria manifestissimè, quomodo igitur tribuit Empedocli, quòd non posuerit principia contraria? Ad hoc respondet Simplicius, quod cum in illo Chao Anaxagoræ continerentur omnia similaria generis cuiuscunque, ideò omnes quoque contrarietates in illo Chao reperiebantur, non solùm primæ, sed secundæ, & vltimæ; at in elementis positis ab Empedocle non inerant omnes contrarietates, sed solæ primæ, quæ sunt inter primas qualitates, non aliæ secundæ, quæ ex illis primis qualitatibus causantur in mixtis, vt contrarietates saporum, odorum, colorum, & aliæ quam plurimæ; per excellentiam dicit igitur Aristoteles principia posita ab Anaxagora fuisse contraria, quoniam continebant omnes contrarietates, non sic principia posita ab Empedocle, quia in elementis non continentur secundæ contrarietates, licèt ab elementis causentur in mixtis. Possemus fortasse aliter ad hoc dubium dicere, quòd etiamsi elementa inter se contraria sint, tamen Empedocles id non considerauit, neque ea posuit, principia quatenus contraria, sed

solùm

solum considerabat ea esse materiam omnium rerum ; contrarietatem postea ponebat extra ipsa elementa tanquam causam efficientem, videlicet litem, & amicitiam alternatim dominantes ; huic sententiæ attestantur ea, quæ dicuntur ab Aristotele in fine capi tertij primi libri Meteorum, vbi attribuit Empedocli, vt posuerit elementa inter se non transmutabilia, inde enim sequitur quòd neque contraria sunt. Sic igitur Aristoteles duos considerauit modos generandi ex vno materiali principio; vnum per alterationem a duobus contrarijs factam; alterum per segregationem ex vno confuso.

Textus Trigesimustertius.

Videtur autem Anaxagoras sic infinita opinari, quoniam putabat communem opinionem Physicorum esse veram, quod nihil fit ex eo, quod non est, propter hoc enim sic dicunt, erant simul omnia, & fieri huiusmodi statuerunt alterari. Alij autem congregationem, & segregationem.

INTER multas antiquorum sententias proximè nominatas sumit Aristoteles solam Anaxagoræ opinionem separatim confutandam, & in ea versabitur ab hoc loco, vsque ad quadragesimum textum: deinde in quadragesimo primo incipiet de principijs loqui secundum propriã opinionem. Ideò illud in primis considerandum nobis proponitur, cur Aristoteles inter tot antiquorum opiniones, duas tantùm separatim confutandas acceperit, vnam Parmenidis, & Melissi de vno ente immobili, alteram Anaxagoræ, cùm tamen alij quoque omnes errauerint, & nullus eorum fuerit qui non reprehensione dignus extiterit. Sunt qui dicunt Aristotelem id respexisse vt extremas opiniones impugnaret, illam videlicet, quæ vnum ens ponebat, & hanc, quæ infinita principia statuebat: reliquas medias non vult seorsum confutare, quæ nimis a veritate erant remotæ, aliæ verò si in aliquo defecerint, id ex veritatis cognitione facile ostendetur, ideò Aristoteles duabus confutatis aggreditur veritatis inuestigationem, ex qua simul declarabitur, in quo singuli antiquorum defecerint. Hi mihi non videntur veram huius Methodi rationem attigisse: & primo non videtur verum quòd Aristoteles has tantùm duas sententias confutare voluerit, quia hæ extremæ, aliæ veluti mediæ sint, si enim hæ dicantur extremę ratione numeri principiorum, quia illi vnum principium posuerunt, Anaxagoras verò infinita, distantia autem maxima videtur vnius ab infinitis. Ego dicam alias quoque multas eadem ratione extremas fuisse, & ideo confutandas a Philosopho, nã etiam qui ponebant aliquod elementũ primũ principium, erant numerandi inter ponentes principium vnum, & sic in vno extremo locandi; Democritus autem non minus, quàm Anaxagoras, posuit principia infinita, ergo etiam Democritus sententiam posuit extremam. Dicunt tamen isti de Democrito, quòd eius sententia hoc in loco confutari non potuit, eo quod ponebat vacuum concurrere in rerum generatione, quod confutabitur ab Aristotele in quarto Physicorum: hìc autem non poterat confutari, deinde quia ponebat dari corpora indiuisibilia, quod impossibile est, & confutabitur in sexto Physicorum, vbi ostendetur omne continuum esse diuisibile in semper diuisibilia, hoc autem in loco hoc non est manifestũ, ideò sententia Democriti nondũ poterat confutari. Sed hęc quę dicunt vana sunt, quoniam concedam quòd opinio Democriti non poterat confutari ra-

tione vacui, neq; e ratione qua ponebat quantum in... uisibile, tamen dicam eam fuisse confu... antiam hoc in loco non minus, qu... sententiam Anaxagoræ ratione numeri principiorum, quæ, & ipse poneb... finita, ideò nõ afferunt idoneam rationem cur Aristoteles prætermiserit co... utationem opinionis Democriti. Ego dicerem Aristotelem non considera... nas duas opiniones, quas confutat esse extremas, alias verò medias, re... ra enim hæ duæ non possunt dici extremæ, cùm non comparari quidem ... inter se possint; sententia enim Anaxagoræ est naturalis, & a naturali Philoso... o consideranda; sententia verò de vno ente immobili, non solùm non est n... uralis, sed etiam totam naturalem scientiam destruit. Ideò non sunt eiusdem generis, neque extremæ inter se appellari possunt; sed considerauit Aristoteles has duas sententias ita esse a veritate remotas vt nisi prius separatim confutarentur impedirent inquisitionem veritatis: aliæ verò non sic, imò potius ex eis aliquid veri poterat colligi, quod ad inquisitionem veritatis prodesset, & ex ipsa veritate inuenta facilè etiam conspici poterat, in quibus singulæ earum defecissent. Aristoteles igitur, qui nunquàm principalem scopum habuit impugnationem aliorum, sed veritatis inuestigationem certa aliqua scientiali, & demonstratiua methodo, ideò si quam videat sententiam, quæ primo ipso aspectu speculationem impediat, eam coactus refutat: si quæ verò non impediunt, & veritas sine earum confutatione inuestigari potest; Aristoteles ijs omissis solet inuestigare veritatem, & ex ea postea colligere in quo alij defecerint, idque præsertim facit vbi ex aliorum sententijs aliquid veritatis desumere potest ad veritatis comprobationem, quod euenit in præsentia. Duas igitur tantùm sententias confutare constituit, quia nimis veritati aduersabantur, quarum prior fuit sententia Parmenidis, & Melissi, quæ nimis periculosa erat, si intacta dimissa fuisset, tollebat enim omninò principia, & naturalem philosophiam: ideò Aristoteles voluit in primis eas confutare & illud periculum auertere, quia ijs admissis non poteramus accedere ad inuestigationem principiorum, quia nulla essent principia. Altera fuit sententia Anaxagoræ, quam Aristoteles nunc confutare aggreditur, quę omnium aliarum remotissima erat a veritate, quia non solùm ratione numeri principiorum, quæ statuebat infinita, sed ratione modi generationis, recedebat maximè a sententia Aristotelis, nam dùm infinita similaria ponebat principia materialia, recedebat a veritate per maximam distantiam, cùm vnica sit prima materia, dùm verò vnam videbatur materiam primam ponere, videlicèt illud Chaos, prauum constituit generationis modum, videlicet per segregationem rerum ex eo, in quo actu latebant, quem eundem generationis modum, dicebat esse quando vna res ex alia generatur; vt ex pane caro, volebat enim actu in pane primò extitisse carnem, postea extrahi, & segregari, qui modus maximè aduersatur illi sententiæ, quam Aristoteles inuenit, videlicèt, quod ex vna materia prima omnia fierent, non tamen vt in ea pręexistant actu, sed potentia, ideò videns Aristoteles, quòd stante hoc generationis modo posito ab Anaxagora, sit validum impedimentum inuestigationi veritatis, hanc sententiam de medio tollere constituit, quoniam non modo infinita principia ponebat, sed prauum assignabat generationis modum, ex aliqua materia, quo non sublato non potest veritas inuestigari. Opinio autem Democriti non confutatur hìc ab Aristotele non modo ob causas ab alijs allatas, quarum supra meminimus, sed potissimùm ob hanc rationem, quia potius pertinet ad primum librum de generatione, vbi reuera eam confutat Aristoteles, ibi enim loquitur de generatione mixti ex elementis, & vnius ex pluribus, vt ait Auerroes in Comentario quinquagesimoseptimo huius primi Physicorum, qualis erat rerum generatio apud Democritum ex illis corpusculis atomis, qui generationis modus proprius est considerationis librorum de generatione: ideò Aristoteles ibi sententiam Democritis confutare voluit; Quod verò ad præsentem locum attinet non potuit sententia Democriti aliquam


quam facere difficultatem, quia si aduersus Anaxagoram Aristoteles demonstrabit principia infinita esse non posse, simul etiam Democritus erit confutatus, quantum attinet ad numerum principiorum. Similiter si aduersus Anaxagoram Aristoteles demonstrabit prauum esse illud generationis modum per segregationem; simul omnes alij erant confutati, qui talem statuerent modum. Notandum tamen quod hìc modus generationis confutabitur etiam ab Aristotele in tertio de Cęlo textu sexagesimosexto, & sequentibus, vbi loquitur de mutua elementorum transmutatione, & de primis corporeis elementis, & elementorum, ex se inuicem, sed non confutatur circa eorum numerum, quia Aristoteles quoque consentit, quatuor esse corporea elementa. Hìc verò dum Aristoteles considerat non elementa corporea, sed elementa absolutè prima, & materiam primam, confutauit conuenientius talem generationis modum in opinione Anaxagoræ, qui per illud chaos videtur materiam primam significare voluisse, ex qua demonstrabit Aristoteles non posse per segregationem res generari vt in ea prius actu latuerint; sed potentia solùm; sic enim hunc errorem remouendo nos ducit paulatim in veram cognitionem naturæ materiæ primæ, & simul cum Anaxagora erunt reprobati omnes alij, qui talem generationis modum ex prima materia posuerunt. Non enim intentio Aristotelis est confutare personas, sed sententias prauas, & periculosas, quare nil mirum si in opinione vna Anaxagoræ vtrumque inane voluit refellere, tùm principiorum infinitatem, tùm prauum illum generationis modum; nostrum postea officium est eandem confutationem accommodare cuilibet alij, qui vel alterum, vel vtrumque errorem commiserit. Notandum autem est, quòd id, quod ego dixi, Aristotelem enumerare voluisse opiniones antiquorum, & de principijs, & de modo generationis ex eis in textu sexto, & in textu trigesimosecundo dicitur manifestè ab Auerroe in principio præsentis Comment. trigesimitertij, quare non fuit inuentum meum. Confutaturus autem sententiam Anaxagoræ Aristoteles vult prius in textu trigesimotertio, & trigesimoquarto exponere fundamenta, quibus motus est Anaxagoras, & eius sententiam declarare, nè inauditum, vel indefensum condemnare videatur. Præcipuum fundamentum, quod & Anaxagoram, & alios antiquos Philosophos in errorem traxit, fuit, quia existimarunt omnes ex nihilo impossibile esse aliquid fieri, vnde ducti sunt ad dicendum, quòd omnia simul erant in vno aliquo confuso, neque verè fierent, quia prius non fuerint, esset enim fieri ex nihilo, sed præerant antequam dicerentur fieri, quare secundùm eos non verè res fiunt, sed illud fieri vocabatur a quibusdam potius alterari, a quibusdam autem vocabatur segregari, & extrahi, quare antiqui eo fundamento moti negauerunt propriè dictam generationem, & eam solam cognouerunt, quæ vel alteratio, vel segregatio magis est, quàm generatio. Hæc est huius textus sententia. In verbis notandum, quòd quando Aristoteles dicit [fieri huiusmodi statuerunt alterari, alij vero segregari] potest respicere illos duos improprios generationis modos, quos in præcedenti textu considerauerat, & duas illas Philosophorum classes, in quarum prima erant illi, qui ponebant vnum principium simplex; in secunda verò Anaxagoras, omnesque alij qui ponebant vnum principium mixtum, apud quos fieri nihil aliud erat, quàm segregari. Potest etiam Aristoteles verba illa [fieri huiusmodi statuerunt alterari] de Anaxagora proferre, qui cùm diceret res generari per eductionem ex chao, tamen nominare volens illum generationis modum, vocauit alterationem, cùm potius debuerit appellare segregationem, vt alij appellabant, qui vnum principium mixtum statuebant, qua in re carpit Aristoteles ipsum Anaxagoram, in principio primi libri de generatione, & dicit quòd propriam vocem ignorauit, cùm enim absque vllo dubio talem generationis modum statuerit, qui vocandus erat segregatio, ipse tamen alterationem appellauit. quare propriam vocem & propriam sententiam ignorasse videtur, & ipsam vocum significationem. Quę

secunda

secunda expositio multò melior est priore, & omninò accipienda est, quia quod legimus [statuerunt] legendum est [statuit] in numero singulari vt est in Græca litera; loquitur ergo de solo Anaxagora, qui talem generationis modum vocauit alterationem cùm alij congregationem potius, & segregationem appellauerint. Patet etiam ex continuatione verborum quòd Aristoteles loquatur de ponentibus primam materiam mixtum aliquod, & generationem extractionem, dixerat enim Aristoteles antiquos dixisse [erant simul omnia] deinde statim subiungit [& fieri huiusmodi] idest, ex illo mixto, in quo omnia erant confusa.

Textus Trigesimus Quartus.

Amplius autem ex eo quod fiunt ex alterutris contraria, inerant ergo. Si enim omne quod fit, necesse est fieri aut ex ijs, quæ sunt, aut ex ijs, quæ non sunt; horum autem id, quod est, ex ijs, quæ non sunt, fieri impossibile est (de hoc enim conueniunt opinione omnes, qui de Natura) reliquum iam contingere ex necessitate putauerunt, ex ijs quidem quæ sunt, & insunt, fieri, sed propter paruitatem magnitudinum ex insensibilibus nobis, vnde dicunt omne in omni misceri, propterea quod omne ex omni videbant fieri; apparere autem differentia, et appellari altera ab inuicem ex eo quod maxime superabundat propter multitudinem in mistura infinitorum. Sincere enim totum album, aut nigrum, aut dulce, aut carnem, aut os non esse, sed cuius plurimum vnumquodque habet hoc videri esse naturam rei.




ADDIT Aristoteles confirmationem sententiæ Anaxagoræ acceptam a testimonio sensuum, & declarat totam eius opinionem, videmus enim ex vno contrario fieri alterum contrarium, vt ex aqua ignem, necesse est igitur vt in aqua prius inextiterit ignis, stante enim fundamento iam dicto, quòd nihil fit ex nihilo, & cùm appareat sensui, quod fit ignis ex aqua, non possumus nisi dicere, quòd in aqua erat ignis, aliter enim non posset fieri ignis ex aqua, neque vnum contrarium haberet vim producendi suum contrarium, nisi in se illud contineret. Ex hoc autem quod sensui euidens est, elicuit Anaxagoras quòd non solùm in principio Mundi erant omnia commixta in illo Chao, sed etiam post mundum genitum in rebus genitis, & extractis ex illo Chao reperitur quodlibet in quolibet, videbat enim ex quolibet fieri posse quodlibet; dicebat igitur quòd cùm primùm diuinus ille intellectus cœpit facere mundum per segregationem singulorum ex Chao, & ex eo educendo partes similares cuiusque rei infinitas, nihil tamen sincerum extrahere potuit, sed tale in quo essent immistæ particulæ infinitæ cuiuslibet alterius rei, vt facta carne per extractionem partium carnis infinitarum ex Chao, in illa carne genita inerant particulæ infinitæ ignis, particulæ infinitæ aquæ, ita & terræ, & auri, & plumbi, & omnium aliarum rerum, cùm enim videamus contrarium ex contrario fieri, & consequenter inesse in suo contrario, multo minus de alijs dubitare debemus, quòd insit quodlibet in quolibet.

quolibet. Duo dubia occurrerunt Anaxagoræ, quæ ipse soluit, alterum fuit quòd non videtur verum, quòd quodlibet sit in quolibet, quia non videmus in aqua inesse particulas carnis, neque in carne particulas ignis, & sic de alijs, quare sensus ipse videtur refellere hanc positionem. Ad hoc respondet Anaxagoras, quòd non videntur particulæ carnis in aqua propter earum paruitatem, sunt enim ita paruæ, vt sensum effugiant, eas autem sentimus postea quando sunt eductæ ex aqua, & est facta vna caro magna ex eis, at dùm sunt in aqua non possunt ob earum paruitatem sentiri. Alterum dubium erat, si in aqua sunt infinitæ particulæ carnis, ossis, nerui, auri, terræ, & omnium aliarum rerum. Ergo illa, quam appellamus aquam, non est magis aqua, quàm caro, vel os, vel neruus, cur ergo magis aquam appellamus quàm carnem, vel aliud quippiam? Ad hoc respondet Anaxagoras, quòd non ideò appellamus aquam, quia sit aqua pura, sed a superabundanti, quia plus ibi aquæ inest, quàm alicuius rei, quamuis igitur in aqua omnia inexistant, tamen nos aquam potius appellamus, quia multo plus aquæ in eo inest, quàm aliorum, & singulum offertur sensui cognoscendum, secundum illud, cuius plurimum in eo inest, quàm aliorum, sensus enim alia non cernens id iudicat esse totam rei naturam, quod superabundat, quia id solum videt, non alia. Notandus est autem modus loquendi Aristotelis in fine textus, nam loquens de mente Anaxagoræ tribuit materiæ nomen naturæ, antiqui enim non cognouerunt formam esse verè naturam rei, sed materiam dicebant esse totam rei substantiam & naturam. Totam igitur exposuit Aristoteles Anaxagoræ opinionem, quæ continet duo dicta, alterum est, quod in principio omnia erant confusa in vno Chao, in quo latebant cuiusque homogenei particulæ infinitæ; alterum est, quòd post rerum generationem ex Chao ad hùc quodlibet est in quolibet, vt dictum est. Primi dicti rationem sumebat Anaxagoras ex fundamento communi, quo omnes antiqui Philosophi vtebantur, quòd ex nihilo nihil fit, omnia ergo antequam fierent præextitisse oportet. Secundum autem sumebat tùm ex eodem fundamento, tùm ex testimonio sensus, videmus enim quodlibet ex quolibet generari, & nihil potest fieri ex nihilo, ergo quodlibet in quolibet, hæc est Anaxagoræ sententia cum fundamentis.

Textus Trigesimus Quintus.

Si igitur infinitum, secundum quod infinitum, ignotum est, secundum multitudinem quidem aut magnitudinem infinitum; ignotum, quantum quoddam est. Secundum formam quoque infinitum ignotum quale quoddam est, principijs autem existentibus, infinitis secundum multitudinem, & secundum speciem, impossibile est, ea, quæ sunt ex his, cognoscere, sic enim cognoscere compositum arbitramur, cum cognoscimus ex quibus, & quot sit.



INCIPIT Aristoteles contra Anaxagoram argumentari, qui cùm multos errores commiserit, in singulis ab Aristotele corripitur, & primò in hoc textu quòd principia posuerit infinita, quod quidem ab Aristotele in hoc textu ita impugnatur. Si rerum principia essent infinita, nihil sciri posset, consequens falsum est, ergo & antecedens, falsitas consequentis sumitur vt manifesta apud Anaxagoram, qui fatebatur

dari

dari rerum scientiam ex cognitione principiorum suorum, & quæ ipse de his pronuntiabat, pronuntiabat vt sciens: consequentiam ita probat Aristoteles, supponit primò hoc fundamentum quòd infinitum, quatenus infinitum, non potest cognosci, & vt intelligamus ipsum de quocunque infinito vniuersaliter hoc dicere, subdit tres infinitatis modos, vnus est secundùm quantitatem continuam, vt si imaginemur corpus magnitudine infinitum; alius secundùm quantitatem discretam, id est secundùm numerum, & multitudinem. Tertius secundùm speciem, seu dicamus formam, seu qualitatem, quem tertium modum videntur omnes intelligere vt infinitus sit numerus specierum, vnde dicunt quòd hic tertius modus secundum includit, est enim etiam hoc infinitum secundùm multitudinem, sed non secundùm solam multitudinem, vt ea quæ numero solo differunt, sed secundùm multitudinem, & speciem simul, quia habet naturas infinitas, nos autem infinitum secundùm formam possumus etiam intelligere quod dicitur intensiuè infinitum secundùm gradum virtutis, & qualitatis, vt si diceremus calorem intensiuè infinitum, hoc autem duobus modis esse potest, nam vel propter solam graduum intensionem dicitur qualitas aliqua, vel virtus esse infinita, vt cum de Deo quærimus, an sit infiniti vigoris, vel propter extensionem in magnitudine infinita, nam in maiori magnitudine est maior virtus, ideò necesse esset in igne magnitudinis infinitæ calorem inesse infinitum, vt cumque sit, dicit Aristoteles, omne infinitum quatenus infinitum est, incognitum esse, & incognoscibile, cuius dicti ratio clara est, quia necesse est, vt quod intellectus noster cognoscit, id comprehendat, ac comprehendere non potest illud, quod nullos terminos habet, terminatum igitur esse debet omne, quod ab intellectu, & a sensu cognosci debeat, vt vis cognoscitiua totùm amplecti, & continere possit; rectè autem addit Aristoteles [quatenus infinitum] quia potest eadem res vno modo dici finita, altero modo infinita, vt species humana est infinita secundùm numerum indiuiduorum, est finita secundum specificam naturam, quia vna est, ideò est cognoscibilis secundùm specificam naturam, non cognoscibilis autem ratione qua est infinita, nempe ratione numeri omnium indiuiduorum; sic continuum ratione finitatis actualis cognoscibile est, sed non ratione infinitatis partium potentialis, potentia enim habet infinitas partes, sic etiam infinitatem ipsam cognoscimus, sed non rem ipsam infinitam, dicere enim infinitudinem, est dicere aliquid habens certas aliquas, & determinatas conditiones, ideò de infinitudine aliquid cognoscimus, vt quòd infinitudo dicatur negatio terminorum, quod rem cognoscibilem facit, & alia similia attributa infinitudinis, sed ipsum infinitum caret terminis, & cognosci non potest, definiri enim non potest quod nullos habet fines, at infinitudo definitur, quid nam sit, quare cognoscibilis est; Aristoteles igitur loquitur non de infinitate, sed de re, quæ infinitati subijcitur, & dicit quòd infinitum, quatenus est infinitum, non potest cognosci; quo stante fundamento ita argumentatur; principia sunt infinita, ergo ignota, & incognoscibilia; consequentia clara est ex fundamento iacto, falsitas consequentis probatur; principijs alicuius rei existentibus ignotis, rem quoque illam ignorari necesse est, vt principia sunt ignota, vt probatum est, quæ quidem omnium rerum principia sunt, ergo omnia ignorantur, & nihil scitur, quod etiam apud Anaxagoram falsum, & impossibile est, ergo falsa minor quòd omnium principia sint ignota, ergo falsum quòd sint infinita; maior autem nota est ex dictis in primo textu huius libri, quòd tunc arbitramur cognoscere vnumquodque, quando eius principia cognouerimus, principijs enim ignoratis nihil putamus cognoscere & hæc est communis omnium opinio, præsertim de principijs internis componentibus, sinè quorum cognitione non potest compositum cognosci. Notandum hìc est quòd cùm Aristoteles hìc dixerit triplex esse infinitum, quod nobis ignotum est, postea fundamentum hoc applicans sententiæ Anaxagoræ tribuit ipsi quòd principia posuerit

ſuerit infinita his duobus modis, ſecundùm multitudinem, & ſecundùm ſpeciem, & communiter omnes exponunt quod Anaxagoras poſuit principia non modo differentia numero, ſed & naturis infinitis, vt in illo Chao non modo infinitæ particulæ ineſſent vnius ſpeciei, ſed infinitæ infinitarum ſpecierum, ſi enim ſolo numero infinita principia Anaxagoras poſuiſſet certè Ariſtotelis argumentum contra ipſum non concluderet, quia ad habendam cognitionem alicuius ſpeciei,non requiritur cognitio omnium indiuiduorum illius ſpeciei,ſed ſatis eſt cognitio aliquorum,imò etiam vnius, poſſum enim naturam equi in vno equo perfectè cognoſcere, & alios equos ignorare. Si igitur Anaxagoras poneret infinita principia numero quæ eſſent vnius ſpeciei, & naturæ, ſatis eſſet aliquorum cognitio ad habendam cognitionem compoſitorum, quia qui vnius naturam cognouit, cognouit etiam omnia reliqua, cùm eandem habeant naturam, ſed cùm principia poſuerit infinita etiam ſecundùm formas,& naturas diuerſas neceſſaria eſt omnium cognitio ad habendam cognitionem compoſitorum, in carne enim inſunt ſimilaria omnium ſpecierum & infinitarum,ergo non poterit cognoſci caro, niſi cognoſcantur omnes illæ ſpecies infinitæ, ſed infinita non poſſunt cognoſci, ergo non poterunt cognoſci principia,ergo neque com poſita ex eis, & hoc modo ratio Ariſtotelis valet, propterea rectè Ariſtoteles dixit, [ſecundùm multitudinem, & ſecundùm ſpeciem] quæ quidem verba ſunt intelligenda in ſenſu coniuncto, non in ſenſu diuiſo, ſi enim principia fuerint infinita & multitudine, & ſpecie ſimul impoſſibile eſt compoſitum ex his cognoſcere, ſi verò ſolùm multitudine fuerint infinita, id non eſt impoſſibile, vt iam oſtenſum eſt. Hæc eſt communis expoſitio, quam non reijcio, quamuis Ariſtoteles ſuperius declarans opinionem Anaxagoræ non dixerit, quod principia infinita poſuerit ſecundùm ſpecies infinitas, quia tamen omnes hoc attribuunt Anaxagoræ, quòd poſuerit in illo Chao ſimilaria infinitarum ſpecierum, poſſumus communem ſententiam ſequi.Sed fortaſſe poſſemus etiam dicere, quòd Ariſtoteles intelligat per infinitum ſecundùm ſpeciem infinitum ſecundum vigorem, & virtutem, nam illud Chaos cùm conſtet ex partibus infinitis, neceſſe eſt, vt mole quoque infinitum ſit, quod enim ex infinitis numero partibus conſtat, quæ ſint actu in toto,id procul dubio eſt magnitudinis infinitæ, ſed in infinita magnitudine, neceſſe eſt infinitam eſſe virtutem,& naturam, quia in maiori magnitudine eſt maior virtus, ergo illud Chaos erat principium omnium infinitum,& ſecundùm numerum partium actu componentium, & ſecundùm quantitatem continuam, & ſecundùm formam,& qualitatem,& ſic non erit cognoſcibile; ſi etiam conſideremus aliquod particulare corpus extractum ex illo Chao, eſt ſimiliter his tribus modis infinitum, habet enim actu infinitas partes componentes; ergo eſt molis infinitæ, ergo ſecundum formam, & virtutem erit infinitum,ergo illa ſimilaria non erunt cognoſcibilia,ergo neque illa cognoſcentur,quæ ex illis com ponuntur. Hæc expoſitio ſpernenda non eſt,quod ſi ea non placeat, poſſumus communem accipere; quia etiam ſi dubium ſit de ipſo Anaxagora, quòd poſuerit in illo Chao ſpecies infinitas, imò dicat Simplicius, quòd non poſuit ſpecies infinitas, ſed finitas numero intellexiſſe, infinitas tamen appellauiſſe, ideſt, innumeras, & quam plurimas, & reſpectu cognitionis noſtræ infinitas, adhùc non poſſumus dicere, quòd nihil ſcietur, vt Ariſtoteles concluſit;ſi enim reſpectu cognitionis noſtræ ſunt infinitæ, ideſt, innumerabiles & perinde ſe habentes vt cognoſcantur,ac ſi eſſent infinitæ, ſimiliter ſequetur quòd nihil ſciatur, quia nihil poteſt ſciri, niſi cognitis omnibus principijs ſuis. Notãdum autem quòd etiam ſecundùm Ariſtotelem ſpecierum numerus eſt maximus, & a nobis non cognoſcibilis, nec tamen ſequitur quòd nihil ſciatur, quia aliud eſt ponere hanc infinitatem,ſeu innumerabilitatem ex parte principiorum componentium, aliud eſt ex parte rerum compoſitarum,& cauſatarum,ſi enim cum Ariſtotele ponamus numerum ſpecierum maximum,& nobis,

perpetuo

perpetuo incognitum. Nil aliud dicimus, quàm quòd non omnes species possumus cognoscere, & plurimas ignoramus, multas tamen cognosci nihil prohibet, cùm aliæ ab alijs non pendeant; at si cum Anaxagora ponamus eum numerum in principijs rerum, tunc sequitur nihil sciri, quia nulla res cognosci poterit, nisi cognitis omnibus principijs suis, specie differentibus. Dubium est inter expositores an ratio hæc Aristotelis valeat etiam contra alios ponentes principia infinita, vt contra Democritum, & Leucippum, an potius contra solum Anaxagoram. Auerroes vult rationem valere contra Democritum, & contra omnes ponentes principia infinita, & eiusdem sententiæ fuit Porphyrius, referente Simplicio. Simplicius tamen Alexandrum sequens voluit soli Anaxagoræ hoc argumentum aptari, quos, & Vicomercatus sequitur, vtuntur autem ratione hac, quoniam Democritus ponebat quidem illa corpuscula infinita, sed ea volebat esse eiusdem naturæ, ac speciei, & solo numero differre, quare secundum eum non sequitur quòd nihil cognosci poscit, quia non est necesse omnia atoma cognoscere, si sunt eiusdem naturæ, sed satis est aliqua cognoscere, vt supra dictum est. At contra Anaxagoram valet, qui ponebat principia infinita non tantum numero sed etiam specie. Mihi tamen videtur quòd etiam contra Democritum ratio Aristoteles valeat, nam licet atoma illa apud Democritum essent eiusdem naturæ, tamen erant insignita varijs & infinitis figuris, quæ quidem figuræ licet pro accidentibus a Democrito haberentur, ponebantur tamen vt rationes principiádi, ex alijs.n.& alijs figuris alios, & alios effectus prodire dicebat, cũ igitur infinitę secundum speciem essent figuræ, & ita non cognoscibiles, nihil etiam ex eis dependens poterat sciri, quare dicendum puto, quod supra etiam declaraui, argumentum Aristotelis adduci contra Anaxagoram solum, tamen valere etiam contra Democritum, quia propositum Aristotelis est non Anaxagoram ipsum, sed sententiam de principiorum infinitate in Anaxagora destruere, vt confutato ipso Anaxagora omnes quoque alij confutati intelligantur, qui infinita principia posuerint.

Textus Trigesimus Sextus.

e Amplius autem, si necesse est, cuius partem contingit quantulamcunque esse secundum magnitudinem, & paruitatem, & ipsum contingere; (dico autem talium aliquam partium, in quam cùm insit, diuiditur totum) si autem impoßibile est animal, aut plantam quantamcunque esse secundum magnitudinem, & paruitatem, manifestum est, quod neque partium qnamlibet, erit enim, & totum similiter; caro autem, & os, & huiusmodi partes sunt animalis, & fructus plantarum, manifestum est igitur, quod impoßibile est carnem, aut os, aut aliquid aliud quantumcunque esse magnitudine, aut in maius, aut in minus.


ECVNDAM rationem adducit Aristoteles contra Anaxagoram, quæ alium eius errorem impugnat, dicebat enim Anaxagoras particulas illas similares non esse determinatas secundum magnitudinem & paruitatem, sed quacunque data posse dari maiorem, & cuicunque posse fieri additionem. Similiter quacunque data minorem dari, ex carne enim quantumvis parua potest segregari aliud corpus, ergo caro illa fiet minor, & sic

&fic nullius corporis naturalis datur maximum, neque minimum. Refellit hoc Aristoteles & facit syllogismum hypotheticum coniunctum a destructione consequẽtis argumentando a toto animato corpore ad partes hoc modo, si partes similares, vt caro, & os, & sanguis essent indeterminatæ magnitudinis, & paruitatis, ergo etiam totum ex eis constans erit indeterminatum in magnitudine, & paruitate: sed consequens est falsum, ergo & antecedens; consequentiam supponit Aristoteles per se manifestam, quia totum ex partibus constat, & totius magnitudo sequitur magnitudinem partium, ergo necesse est vt si partes possunt esse quantęcunque magnitudinis, totum quoque sit eiusmodi: falsitatem consequentis probat Aristoteles inductione in animalibus, & plantis, in quibus clarum est, quòd licèt non habeant certam quantitatis mensuram positam in indiuisibili, habent tamen cum quadam latitudine terminos suæ quantitatis, quos egredi nullo modo possunt; datur enim maximus homo, quo maior nullus vnquam fuit, nec esse potest; datur etiam minimus homo, quo minor esse non potest, nunquam enim visus est homo paruus ad quantitatem vnius cubiti, neque magnus ad quantitatem centum cubitorum; potest etiam syllogismus Aristotelis formari categoricus, sic. Ad totum compositum, quod certos habeat limites quantitatis, requiruntur partes, quæ similiter certos habeant magnitudinis terminos: at corpora viuentia animalia, & plantę certos habent quantitatis limites, ergo partes quoque, quæ eorum gratia fiunt, certos habent fines quantitatis; Tunc addamus alterum syllogismum, cuius maior sit conclusio dicta, partes viuentium corporum, quæ cuius gratia sunt, habent certos quantitatis fines in maximo, & in minimo, sed caro, & os, & sanguis sunt partes animalis, quæ eius gratia sunt, & sic alia similaria, ergo hæ omnes partes determinatam habent magnitudinem & paruitatem. Notanda sunt verba illa Aristotelis quando dicit [dico autem talium aliquam partium, in quam, cum insit, diuiditur totum] declarat enim Aristoteles quas partes intelligat, & dicit se intelligere partes secundum quantitatem, in has enim actu remanentes potest diuidi totum, ad differentiam partium essentialium, in quas non potest diuidi totum, ita vt actu maneant. Ideo Auerroes notat quod partes compositæ aliæ sunt secundum qualitatem, & sunt materia, & forma, de quibus Aristoteles hìc non loquitur, imò eas excludit, quia totum non diuiditur in ens, quæ separatæ maneant actu: aliæ sunt secundum quantitatem, quas adhuc subdiuidit Auerroes, aliæ namque sunt potentiales, aliæ actuales, in quas non potest compositum diuidi, vt omnes actu diuisæ respiciantur, & sunt partes illæ infinitæ, in quas totum vt continuum diuisibile est. Hęc enim potentia continui nunquam redigitur ad actum completum, sed actum cum potentia, & diuisione perpetua, ideo non potest totum in has partes actu esse diuisum: actuales autem partes sunt, in quas potest totum esse actu diuisum, quæ sunt finitæ, & numero, & magnitudine, quas Aristoteles his verbis significare voluit, de his enim loquitur. Hæc est Aristotelis ratio in præsenti textu, ex qua communiter sumitur, quòd in corporibus naturalibus datur maximum, & minimum secundum quantitatem prout requirit vniuscuiusque natura, & forma, quæ vltra certos quantitatis terminos seruari non posset, quælibet enim forma naturalis requirit propriam materiam perfectibilem cum debita quantitate non quidem accepta indiuisibili, sed cum latitudine quadam, vt supra dictum est. Sed Scotus in secundo Sententiarum distinctione secunda, quæstione nona, aliter exponit hanc rationem, ipse enim non vult in corporibus naturalibus dari minimũ, quo non detur minus, ideo dicit Aristotelẽ hìc nõ dicere dari minimã carnẽ, quia putet nõ dari minorẽ minima, sed quia nõ datur minor carne minima secũdum eum modum, quem posuit Anaxagoras, videlicet, vt ex illa rursus vsque ad infinitum posset quiduis generabile generari, & extrahi, vt enim ex vno corpore possit aliud corpus naturale generari, necesse est illud habere debitam quantita-

tem, præsertim si generatio est extractio vt Anaxagoras putabat, quare (inquit Scotus) minimum naturale secundùm se consideratum non datur. Quando Aristoteles autem dicit ipsum dari, intelligit cum relatione ad positionem Anaxagorę, nempè dari minimam, ex qua possit quoduis corpus generari. Sed expositio hæc Scoti non est ad mentem Aristotelis vt patet: tantùm considerantibus rationem hìc ab Aristotele factam, accipit enim hunc medium terminum, corpora viuentia esse determinata ad maximam & ad minimam quantitatem, considerando ea secundùm se, & non per relationem ad aliud generandum ex eis, & hoc in textu est apertissimum; ergo eandem determinationem quantitatis concludit in similaribus partibus ipsorum viuentium, quòd videlicèt ratione sui habent determinatos quantitatis limites, vltra quos seruari non possunt. Præterea secundùm hanc expositionem Scoti ratio hæc Aristotelis, & sequentes non concluderent aliquid contra Anaxagoram, ipse enim sumeret aliquod corpus cuiusuis quantitatis, in quo omnia essent commixta & singulorum particulæ infinitæ, ex hoc diceret fieri segregationem ad infinitum, quia si inest, extrahi potest, at infinita insunt, ergo ad infinitum extractio fiet, licèt semper minor, & minor pars extrahetur, vt ipse quoque Anaxagoras asserebat. Patet igitur quòd etiam secundum modum Anaxagoræ minimum non dabitur, quia semper per extractionem fiet minus. Aristoteles igitur nihil contra eum ostendit per has rationes. Dicere igitur cogimur quòd Aristoteles argumentum accepit ex ipsa naturalium rerum natura secundùm se considerata, quæ in toto viuente corpore terminos habet ad maximum, & ad minimum, vnde idem conclusit etiam in partibus similaribus. Similiter peccant illi, qui dicunt Aristotelem determinare minimam carnem dari habita comparatione ad agens extrinsecum, vt ad aerem, vt dicat dari minimam carnem, quæ resistere valeat agenti extrinseco. Quæ sententia in eo damnanda est quòd tribuit extrinseco id, quod propriæ naturæ rei tribuendum esset; quòd enim detur minima caro, qua minor non detur, prouenit a propria forma carnis, quæ in minore quantitate seruari non posset, ideò forma ipsa rei postulat certos limites quantitatis, extra quos non potest seruari. Ratio igitur principalis cur non detur caro minor minima est, quia forma carnis non potest seruari in minori quantitate, sed quia natura nihil facit frustra, & omni corrumpendo dedit agens corrumpens, ideò constituit etiam proprium agens, cui resistere non possit caro minor minima, & est quoduis ambiens corpus, nam caro minor minima nulli resistere potest, cuius causa est propria forma principaliter; secundario tamen etiam agens extrinsecum. Notandum autem est pro solutione omnium difficultatum, quæ hac in re occurrere possint, quòd corpus naturale potest dupliciter considerari, vno modo vt quantum continuum, & vt corpus; altero modo vt tale corpus, idest tali forma naturali præditum. Si primo modo consideretur, non datur minimum, sed est diuisibile in semper diuisibilia, hæc enim est natura continui; sed secundo modo consideratum non potest diuidi in infinitum, quia quod continuo non repugnaret, repugnat formæ, & ab eà prohibetur, hinc est quòd apud Mathematicum, qui abstrahit continuum ab omni materia sensibili, nullum est dubium, quin continuum sit diuisibile in infinitum, ita vt minimum non detur, sed naturaliter loquendo secus est; naturalis enim considerat non solùm continuitatem corporum naturalium, verum etiam naturam, & formam, ideò dicit quòd quatenus continuum est non habet minimum, sed ratione formæ habet minimum, quo non datur minus. Aduertendum tamen quod hoc quoque dupliciter potest intelligi, quia minimum carnis, vel consideratur vt per se existens separatim, vel vt inexistens maiori carni; cùm igitur dicimus minimum dari, intelligimus vt per se existens, minus enim eo non potest per se existere, sed vt inexistens non datur minimum, minus enim minimo datur vt toti inexistens, & minus eo, & sic in infinitum, non tamen vt existere possit, stando per se, & seorsum a toto, hoc

igitur

Igitur modo datur minimum corporis naturalis, videlicèt vt per se existere valens,& cum hac conditione vt forma seruetur, nam si nullam habemus rationem formæ seruandæ, non datur minimum, sed est diuisibile in infinitum, quatenus continuum; datur igitur minima caro per se existens, in qua possit seruari forma carnis, & ita etiam maxima. Sed contra hanc Aristotelis sententiam occurrunt plurima dubia difficilia, quorum aliqua apud Scotum legi possunt in loco dicto, vbi probatur a Scoto multis argumentis non dari minimum corporis naturalis vllo modo. Aliqua magis præcipua, & digna consideratione tangam in præsentia. Primò est argumentum quod a Scoto ex verbis Auerrois desumitur in tertio Physicorum Commentario sexagesimo, in tertio de Cęlo Commentario sexto, vbi Auerroes dicit Geometram,& naturalem conuenire in continui diuisione ad infinitum, quam vterque concedit, sed differre in augmentatione continui ad infinitum, hanc enim concedit Geometra, naturalis autem penitus negat. Cuius rationem affert Auerroes, quoniam diuidere, & minuere est procedere ad nihil, cuius causa est materia: augere autem est procedere ad esse, cuius causa est forma, ideò naturalis concedit diuisionem in infinitum secundùm materiam; sed negat auctionem ad infinitum, quia hæc est formæ,& forma eam non patitur. Hinc autem sumitur argumentum tale; vel loquitur Auerroes secundùm formam, vel secundum materiam, si secundùm formam loquatur,& secundum hanc detur minimum, patet non dari processum in infinitum in minus, neque in maius, quare in vtroque differt naturalis a Mathematico. Si verò secundùm materiam tunc naturalis conuenit cum Mathematico in vtroque, quia secundùm materiam datur processus in infinitum tam augendo, quam minuendo, ergo distinctio Auerrois est nulla & vana, cùm ponit eos conuenire in diminutione, differre autem in auctione, vel cogimur dicere quòd etiam apud naturalem, & secundùm formam datur diuisio in infinitum, sic enim conuenit naturalis cum Geometra in diuisione continui, differt in auctione. Nititur soluere hanc difficultatem Zimara Theoremate sexto, & totum dubium concedit, videlicet, quòd ratione formæ prohibetur tàm augmentatio in infinitum, quàm diminutio in infinitum, contra verò ratione materiæ non repugnat continuo tàm diuisio, quàm auctio ad infinitum, sed dicit Auerroem respexisse ad principale, auctio enim quamuis, & materiæ sit, & formæ: tamen præcipuè respicit formam, & per se primò; materiam verò secundariò; quia auctio est processus ad esse. Diuisio verò licèt sit formæ; est tamen principaliter & primò materiæ, quia est processus ad non esse. Auerroes igitur respiciens id, quod principale est tàm in auctione quàm in diminutione, videlicèt materiam in diminutione, & formam in auctione, dixit naturale conuenire cum Geometra in definitione ad infinitum, & differre ab eo in auctione ad infinitum. Alio modo soluit hanc difficultatem Egidius in libro sexto quodlib. quæstione Decimaseptima, vbi dicit, quòd diuisio ad infinitum continuo conuenit ex interna ratione, auctio autem non conuenit ei internè, sed per externam additionem; vnde fit vt naturalis,& Geometra conueniant in diuisione in infinitum, cùm enim conueniat continuo, negari non potest, sed in auctione ad infinitum differt naturalis a Mathematico, quia Mathematicus eam concedit, naturalis verò applicans continuum corporibus naturalibus eam negat, quia cognoscit aggregatum corporum omnium mundi esse necessariò finitum. Neutra responsio mihi satisfacit, & multo minus prior Zimaræ. Egidius enim propius mihi videtur ad Auerrrois mentem, & ad veritatem accedere, quam tamen leuiter attigit, sed non plenè est assecutus, vera enim responsio non aliunde sumenda est, quàm ex ipsomet Auerroe in principio sexti Commentarij tertij libri de Cœlo, vbi dicit, quòd alia conueniunt continuo ratione qua continuum est, alia ei conueniunt, ratione qua per intellectum abstrahitur a sensibili materia, sicuti etiam solemus dicere quòd alia conueniunt animali, vt animal est, alia

conueniunt ei prout est vniuersale, & abstractum a suppositis, sensus enim conuenit animali vt est animal, & res quædam, ideò cuilibet etiam particulari animali competit: at prædicari de pluribus differentibus specie conuenit animali ratione tantum vniuersalitatis, non ratione animalitatis, ideò non competit cuilibet particulari animali. Sic dico in præsentia, alia competunt continuo ratione continuitatis, vt diuisio in infinitum, quia de natura continui est, vt partes habeat continuas, & quantas, quare diuisibiles, & id ad infinitum, siue igitur consideretur continuum in materia, vt in sciētia naturali, siue absque materia, vt in Geometria, habet sēper hanc essentialem conditionem, & intrinseçam quòd est diuisibile in infinitum, ideò conueniunt in hoc Mathematicus, & naturalis. Auctio autem ad infinitum non conuenit continuo prout est continuum, neque est de interna ratione ipsius, sed conuenit ei, quatenus est in intellectu abstractum a materia, ideò differunt in hoc naturalis, & Geometra, nam Geometra considerans continuum cum abstractione a materia sensibili, potest imaginari eius auctionem in infinitum, sicut quòd prædicatur animal de pluribus differentibus specie, possumus considerare dùm animal abstrahimus a suppositis, & consideramus vniuersale. Sed dum ipsam animalis naturam consideramus non possumus dicere quod prædicatur de pluribus, quia animali, vt animal est, id non competit, ideò naturalis, qui considerat continuum non cum abstractione à materia, sed cum materia, non potest concedere, quòd possit augeri ad infinitum, imò id omnino negat, quia modus considerandi cum materia, opponitur modo considerandi cum abstractione a materia, auctio autem illa ad infinitum competit continuo ratione modi considerandi cum abstractione, non ratione continuitatis, igitur necesse est, vt cum opposito modo considerandi, qui est cum materia, stet etiam conditio opposita, videlicèt, quod non possit ad infinitum augeri. Hæc est mens Auerrois qui nunquam concessit, quod corpus naturale ratione materiæ sit augmentabile in infinitum, quòd ratione formæ prohibeatur. Si enim hoc diceret Auerroes sibi contradiceret, tunc enim in naturalibus nulla est differentia inter auctionem, & diminutionem, vtraque enim possibilis esset fieri ad infinitum ratione materiæ, impossibilis ratione formæ. Male igitur concedit Zimara, quòd ratione materiæ in naturalibus possit fieri auctio in infinitum, causa autem erroris ei fuit, quòd non intellexit verba quædam Auerrois in dicto Commentario quæ id significare videntur. Auerroes enim dicit, [augmentatio enim in infinitum est ex materia, non ex forma] quibus verbis non intellexit Auerroes quòd ratione materiæ sit possibilis augmentatio ad infinitum, iam enim prius dixerat oppositum videlicet quod augmentatio in infinitum conuenit continuo, prout est in intellectu abstractum a materia, sed sensus Auerrois alius est, quem nemo percepit, dixerat enim quòd continuum est in corpore naturali tanquam terminus corporis naturalis, quare est veluti forma corporis naturalis, formæ enim est terminare, formæ autem vt forma est, repugnat auctio in infinitum, dicere enim terminum, & carentiam termini est implicare contradictionem. Deinde subdit. [Augmentatio enim in infinitum est ex materia non ex forma] idest augmentatio continui in infinitum realiter non posse fieri nisi cum auctione materiæ naturalis ad infinitum, cum foret solius formæ, prius enim formam appellauerat ipsam continuitatem, materiam verò ipsum naturale corpus, considerando igitur continuum vt formam, idest, vt actum alterius, scilicèt naturalis corporis, non augmentaretur in infinitum sola hæc forma, sed materia ipsa naturalis, hoc autem est impossibile, & materiæ naturali repugnat, & ipsi continuo, prout est forma quædam, & terminus ipsius materiæ naturalis. Huic sensui conformia sunt verba, quę mox subdit Auerroes, dicit enim Aristotelis sententiam esse, quòd Geometra non debet ponere, quòd magnitudines augmentātur ad infinitum, sed potest ponere magnitudinem in quacunque quantitate voluerit, idest, non debet Geometra ponere quòd conti-

nuum

nuum possit augeri in infinitum, quia poneret falsum, poneret enim quòd continuum vt existens extra animam posset augeri ad infinitum, videlicet vt inexistens materiæ naturali, hoc autem impossibile est, tùm ratione continui, quatenus sumitur vt forma, & terminus naturalis corporis, tùm etiam ratione ipsius corporis naturalis, cuius natura est vt sit finitum. Vniuersum enim ex omni magnitudine constans est necessario finitum, neque potest ei addi alia materia. Cùm Aristoteles dixerit in primo libro de cęlo, quod constat ex tota sensibili materia, ex quo loco patet quòd ratione materiæ non potest fieri auctio continui in infinitum cùm nulla alia materia toti Vniuerso addi possit, & ipsum ex tota materia constet, igitur non potest Geometra dicere, quòd positiuè continuum possit augeri in infinitum, sed solùm potest supponere aliquam magnitudinem cuiuscumque quantitatis, quòd ei licet per abstractionem a materia; Vnde patet quòd quando Geometra dicit se accipere lineam aliquam infinitam, non intelligit negationem vniuersalem cuiuscunque termini, hęc enim ei nihil prodest, sed intelligit finitam cum negatione particulari alicuius veri termini, vult enim in suo arbitrio manere, & constituere eam in qua ipse voluerit quantitate, in quocunque autem constituat, finita quantitas erit. Confirmatur tota hæc sententia ex ijs, quę dicuntur ab Aristotele, & ab Auerroe tertio Physicorum sexagesimo, vbi Aristoteles dicit, quòd infinitum secundum magnitudinem non datur, neque actu, neque potentia quia si daretur in potentia daretur etiam in actu, potentia enim ad auctionem est potentia ad formam & perfectionem, & actum, quare si materia aliqua haberet potentiam vt augeretur in infinitum, necesse esset hanc potentiam quandoque ad actum reduci, & dari actu molem infinitam, imò dùm ponimus aliquod corpus, quod potentiam habeat vt per appositionem crescat in infinitum, ponimus tunc actu existere molem infinitam, ex qua illi additio fiat, quare non possumus dicere materiam vllam habere potentiam vt crescat in infinitum; E' contrario verò in diuisione, & diminutione, diuisio enim est de interna natura quanti continui. hoc autem insequitur naturam materiæ, vt proprietas essentialis, vt declarabimus in fine huius primi libri dùm contemplabimur naturam materiæ primæ, ergo necesse vt ratione materiæ, quod est dictu, ratione ipsius quantitatis continuæ, quæ materiæ est propria, diuisio terminari non possit. Et quamuis diuidendo materiam diuidatur simul etiam forma, tamen dicit Auerroes, quòd diuidendo tendimus ad non esse, quia tandem necesse est per continuam diuisionem vt forma intereat, quæ cum maiori mole magis seruari potest, cum minore minus, & tandem cum aliqua non potest propter eius paruitatem seruari, ergo ratione formæ prohibetur diuisio in infinitum. Dùm hanc conditionem supponimus, vt forma seruetur, ratione autem materiæ est possibilis, quia diuidere est quanti, quantum autem est proprium materiæ, ergo diuidere est exequi naturam, & proprietatem materiæ, quod vocat Auerroes ire ad non esse, idest ad interitum formæ propius accedere, & ad perfectam potentiam quæ nunquam tota ad actum reduci potest. Patet igitur responsio ad dubium, & differentia quam Aristoteles ponit inter Philosophum naturalem & Geometram, conueniunt enim in diuisione continui ad infinitum, quam concedit naturalis ratione materiæ, licèt neget ratione formæ; differunt in auctione continui ad infinitum, quia Geometra hanc concedit, naturalis autem nullo modo potest concedere, neque ratione formæ, neque ratione materiæ, tota enim materia naturalis est finitæ quantitatis, quare auctio per appositionem materiæ non potest ad infinitum ire, sed necessarium est vt aliquando terminetur. Est alia dubitatio ex Aristotele secundo de Anima, quadragesimo primo, vbi dicit ignem aptum esse augeri in infinitum dùm apponitur combustibile, ex hoc sequi videtur quòd non detur maximus ignis, sed quocunque dato datur maior, quare sententia Aristotelis hoc in loco falsa est. Consideratur hæc difficultas a Zimara in Theo-

remate sexto, & ab Achillino in tertio Elementorum, & ab expositoribus ferrè omnibus in illo textu quadragesimoprimo Secundi libri de anima, quo in loco, & nos hac de re longam fecimus disputationem, quam eo in loco requiras. Satis nunc sit si breuiter dicamus argumentum hoc Aristotelis non valere, nisi de animatis; sumit enim Aristoteles animalia, & plantas, vt medium terminum ad probandum, quòd similaria, quæ sunt partes animatorum, non possunt esse cuiuscunque quantitatis, argumentando a toto ad partes, quæ sunt constitutæ a natura propter illud totum, cuiusmodi sunt caro, sanguis, neruus, & huiusmodi, quæ nullum aliud esse habent in natura nisi vt partes animatorum; sed de elementis alia est ratio, quia non habent in mixto suum integrum actum, neque propriam quantitatem, distinctam vnius elementi ab alio; & dato, quòd eam haberent, non sunt in rerum natura solùm propter mixta animata, sed sunt etiam propter constitutionẽ Vniuersi. Ideò argumentum Aristotelis probaret solùm quòd elementa, quæ sunt in animatis, non possunt esse quantæcunque quantitatis, sed non valet de elementis per se subsistentibus, & integrantibus Vniuersum, satis est autem Aristoteli infringere hanc vniuersalem positionem, quod omnes similare sit cuiusvis quantitatis in magnitudine, & paruitate, vult fortasse significare, quod sicuti est in his similaribus, quæ sunt partes animatorum, ita credendum est de omnibus, cùm sit attributum quodam essentiale, quod in omnibus debet habere eandem rationem, videlicet determinatam esse cuiusvis naturalis corporis quantitatem ad magnum, & ad paruum: ratio tamen Aristotelis non cogit nisi de similaribus, quæ ordinantur ad constitutionem animatorum, & videtur ratio sumpta a causa finali, finis enim naturæ generantis manum est generatio animalis, vt dicit Aristoteles in Secundo de Partibus animalium capitulo primo. Similares enim partes sunt gratia dissimilariũ, & hę gratia totius vt eius Instrumenta, quare potest dici ratio a causa finali, potest etiam dici ab effectu, quatenus partes comparantur toti vt causa materialis cum suo effectu, sed cur eius materia dicatur, ratio est propria, & naturalis, cùm altera facta in textu trigesimoquinto fuerit communis, & topica. Patet igitur quòd instantia de igne ad propositum non facit; Sunt tamen qui putant Aristotelem de omnibus similaribus vniuersaliter loqui, & rationem hanc concludere etiam de Elementis. Ad dubium de igne dicunt, quòd Aristoteles intellexit omnia naturalia corpora habere secundum naturam terminos suæ magnitudinis, quos non possunt secundum naturam præterire, quòd si aliqua sint quæ augeantur vltra suam debitam mensuram, illud non est secundum naturam, sed præter naturam; & de hoc Aristoteles hìc non loquitur, quod de igne accidit, si vltra debitam quantitatem dicatur augeri; ideò quando Aristoteles Secundo de anima quadragesimoprimo dicit ignem posse ad infinitum augeri, non magis intelligit secundum naturam, quàm præter naturam. Hæc tamen responsio mihi probari non potest, tùm quia ratio Aristotelis hìc a toto animato desumpta, nihil probat de Elementis, tùm etiam, quia male conceditur ignem posse præter naturam suam augeri ad infinitum, quia superius demonstraui nullum corpus naturale habere potentiam vt augeatur ad infinitum, neque secundũ naturam, neque præter naturam; tum præterea, quia auctio ignis per appositionem combustibilis quantacunque sit, non potest dici præter naturam, sed est semper secundùm ignis naturam comburere, & conuertere alia in seipsum. Ego igitur dicendum puto, vt in eo loco vberius consideraui, quòd ignis habet præscriptos terminos suæ magnitudinis & paruitatis ratione suæ naturæ vniuersalis, quæ ex simplicibus corporibus certo ordine dispositis, & certam magnitudinis proportionem inter se habentibus constituit Vniuersum, vt enim mundus seruetur certa esse debet quantitas ignis aeris, aquæ, & terræ, vt inter eorum vires æqualitas seruetur, ideò sicuti a toto animali Aristoteles accepit argumentum ad probandum vnam esse partium magnitudinem,

nem, ita a toto Vniuerso potest sumi argumentum ad probandum de singulis simplicibus corporibus integrantibus Vniuersum, quorum singulo vt igni ratione suæ propriæ naturæ non repugnant omne maius,& alia omnia in ignem conuertere,hoc enim non puto posse dici præter naturam propriam ignis, sed præter naturam vniuersalem,idest, præter ordinem & proportionem Vniuersi, Aristoteles autem quando dixit ignem posse ad infinitum augeri, non considerauit naturam vniuersalem, sed tantùm particularem ignis,nec propterea intellexit auctionem vere ad infinitum, quia remouetur processus ad infinitum, per eam additionem dùm habet combustibile, sicuti si quis dicat, semper te amabo dùm viuam, remouetur enim æternitas per additionem illam, dùm viuam, ita ignis secundùm propriam naturam potest semper augeri dùm habet combustibile,non potest autem,perpetuo habere combustibile, quia finita est quantitas totius Mundi, vnde fit vt quamuis poneretur ignis omnia comburere, aliquando tamen terminaretur combustio, postquam omnia essent combusta; Stat igitur quòd quantitas ignis non sit determinata secundùm propriam naturam ad maximum, quia posset alia in ignem transmutare, & tamen determinetur a natura vniuersali eius maxima magnitudo, quare satis est, si detur maximus ignis, quocunque modo id sit, secundùm determinationem naturæ; datur enim maximus homo secundùm determinationem propriam humanæ naturæ, quæ in maiori quantitate non potest exercere operationes vitæ; datur maximus ignis, maxima aqua, non per determinationem factam a propria natura, sed a natura vniuersali, vt dictum est. Est etiam aliud argumentum contra nostram determinationem in præsenti textu, & est argumentum Scoti in dicta sua quæstione, continuitas æque conuenit toti & partibus, ergo æque ijsdem conuenit definitio continuitatis, ergo æque diuisibile est ipsum totum, & partes eius, ergo omnis pars continui est diuisibilis. Ad hoc dicendum est quòd est verum ratione continuitatis, sed non est verum ratione formæ, pars enim minima est diuisibilis vt continua, sed forma si debet seruari, non permittit eam esse diuisibilem. At contra instat Scotus, cui non repugnat nomen definiti, ei non repugnat ipsa definitio, at formæ non repugnat continuitas, ergo eidem non repugnat definitio continuitatis, ergo non repugnat formæ diuisio in infinitum. Respondendum est quòd formæ naturali duo conueniunt, sed vnum per se, & essentialiter, alterum accidentaliter; primò conuenit ei essentialiter, vt requirat propriam & certam materiam, in qua recipiatur cum determinata quantitate, vt recipi in illa, & seruari possit, cum latitudine tamen quadam, vt supra dictum est, cùm enim dimensio, & continuitas sint accidens proprium materiæ eam insequens, non formam, a forma nihil aliud prouenit, quàm certa terminatio dimensionum materiæ, dat enim ei terminos intra dictos limites prout ipsa forma requirit, maiorem quantitatem, vel minorem dare non potest, ideò cum maiore, vel minore etiam stare non potest, sed cùm forma det quantitati, & continuitati certos terminos, dùm ipsi materiæ inhæret,& eam informando perfecit,ideò necessario fit ipsa quoque quanta,& continua, quia extenditur ad extensionem materiæ, sed hoc conuenit ei per accidens, ratione materiæ, in qua est, non per se, quia per se est indiuisibilis; plus igitur potest conditio essentialis, quàm accidentalis, quod enim est essentiale est inseparabile, ideò forma nō est,neque esse potest extra dictos limites,videlicèt cum maiore,vel cū minore quātitate,quàm eius natura requirat,& sic habet minimā quāntitatē,in qua esse possit. Ad argumentū autem dico,quòd cui essentialiter cōtinuitas cōpetit, eidem necessario cōpetit diuisio ad infinitū,sed formę cōpetit cōtinuitas accidētaliter,ideò nō est necesse vt diuidatur ad infinitū,quia cùm ab alio nō a se habeat cōtinuitatē,satis est si tādiu sit diuisibilis,quādiu est continua,ratio enim vult,vt tādiu seruet definitionem continuitatis,quandiù seruat ipsam continuitatē; quod enim essentialiter cōtinuum est,


est, est semper continuum; & semper diuisibile; sed quod non semper est continuum, non debet semper esse diuisibile; forma igitur in minima quantitate est quanta, continua & diuisibilis, sed non in partes, quæ seruari possint, facta igitur diuisione cessabit esse cõtinua, quia cessabit etiã prorsus esse, & corrũpetur. Sed cõtra hæc adhùc instari potest, sumatur minima caro, & diuidatur, si diuisibilis est; aut igitur diuidetur in carnẽ, aut in non carnem; si in carnem, dabitur caro minor minima, & formam carnis retinens; si in non carnem, ergo caro constabit ex non carnibus, quod est absurdum. Ad hæc dicendum est, quod minima caro si diuidatur, diuidetur in carnem, sed quæ statim corrumpetur, quia seruari non potest in illa quantitate minore, & ratio cur corrumpatur, non alia est, quàm ipsamet forma carnis, quæ ab intrinseco habet, vt cum illa minore stare non possit; si etiam dicamus minimam carnem diuidi in non carnem, nihil absurdi erit; non enim sequitur carnem ex non carnibus costare, iam enim diximus quòd datur minus minimo vt inexistens, sed non vt per se existens; antequam igitur caro minima diuidatur constat ex carnibus, quæ sunt minores minima, dum inexistunt illi toti minimæ, minimum enim inexistens non datur, facta autẽ diuisione illius minimæ totum simul, ac partes intereunt; dùm igitur illa minima seruatur caro constat ex carnibus, sed quando corrumpitur & desinit esse caro desinit etiam constare ex carnibus. Aliud est argumentum Scoti in dicta sua quæstione quod facile soluitur; tota caro, & eius partes sunt eiusdem naturæ, & rationis, ergo quod vni competit, competit alteri, ergo si minima caro tota per se subsistere potest, etiã pars poterit; Ad hoc dico, quod in ijs quæ sunt eiusdem naturæ, quod vni competit, competit etiam alteri, si intelligatur quantum ad essentiam, sed non valet quantum ad existentiam, quæ est quidem additum essentiæ, requirere enim certam quantitatem est conditio necessaria formæ ad hoc vt existat, & det composito existentiam actualem, in quo composito omnes partes sunt eiusdem rationis, quia informantur omnes ab eadem forma, & eadem est omniũ essentia, & quæ essentialiter conueniunt toti, partibus quoque conueniunt; sed non eandem vim habet pars ad subsistendum, quam habet totum, tota enim minima caro per se subsistet, pars autẽ eius licet eiusdem essentiæ cum toto non tamen valebit per se subsistere separata, ad existentiam enim plura requiruntur, quàm ad essentiam, vt fusius declarauimus in primo libro de Cœlo, in quæstione de principio indiuiduationis. Dicit etiam Scotus, partes sunt natura priores toto, ergo nihil repugnat quin intelligantur ratione, ac tẽpore præcedere totum, ergo poterunt subsistere separatæ; Ad hoc concedendum est assumptum, partes enim sunt natura priores toto, & abstractione priuatiua possunt concipi non concepto toto; sed neganda est consequentia, non .n. possunt abstrahi a toto positiue partes minores minima, nequè subsistere separatæ, multa enim sunt alijs priora secundũ naturam, quæ tamen tẽpore non præcedunt. Alia quoque argumenta ibidem a Scoto adducuntur, quæ omittimus. Facile enim a quouis soluentur.

Vnicam addo dubitationem, quam alij quidam considerans, sumatur minimum ignis, & ponatur corrumpi, necesse est vt condensetur, quia omne corruptibile corpus est densius igne, sed quod condensatur fit minoris quantitatis, ergo dabitur minus minimo per se subsistens. Respondent aliqui recentiores, quòd ignis minimus si condensetur, fit quidem minoris quantitatis, sed non est in sua dispositione naturali, sed præter naturam, quod non est inconueniens, dicunt enim dari in singulo maximum, & minimum secundum naturalem rei dispositionem, sed præter naturam non est impossibile dari minus minimo, & maius maximo, vt supra dicebat de incremento ignis vltra naturalem mensuram, quod si hic minimus ignis conuertatur in aliud elementum, vt aerem, aer ille erit multo minor igne illo, sed inexistere poterit alij maiori aeri, cui dicatur adgenerari, non poterit per se existere. Hæc responsio mihi non satisfacit, quia certũ est quantitates elementorũ esse inter se æquales, æqualitate

tate Geometrica, inęquales tamen inęqualitate Arithmetica; ignis enim est maior aere, aer est maior aqua, & terra; ergo necesse est dicere tantā esse virtutem conseruandi se ipsum in magno igne, quanta est in minore aere, ita enim habent vires æquales, minimum autem in vnumquodque dicitur illud, in quo forma potest seruari, quæ non seruaretur in minore, ergo quæ est ratio totius ignis ad aerem totum, eadem esse debet minimi ignis ad minimum aeris: minimum ergo aeris non potest esse æquale minimo ignis, sed minus; elementum enim rarius debilius est ad existendum, quam elementum densius, quare minimum ignis si corrumpatur in aerem, poterit condensari, & corrumpi minimum aeris, quod erit multo minus, & cùm per se subsistat, quia aer in minore quantitate existere potest, quàm possit ignis, & sic aqua in minore, quàm aer. Praua est igitur illorum responsio, quia supponit minimum ignis esse æquale minimo aeris, quod tamen falsum est. Solutio etiam ad argumentum patet, quia dari minus minimo est absurdum, & impossibile, dum stamus in eodem genere; impossibile enim est dari ignem minorem minimo igne, sed in diuersis generibus nihil absurdi est, minimus enim aer est minor minimo igne, quòd si quis dicat, minimus ignis incipit condensari, & fieri minor antequam conuertatur in aerem, ergo tunc manet ignis, & est factus minor minimo. Dico quod quando incipit condensari; si non est factus aer, tamen recessit a puritate naturæ ignis, & sapit naturam mediam vergentem ad naturam aeris plus, vel minus, potest igitur esse densior, & seruari, quia non est amplius ignis in sua puritate, quòd possumus in vapore considerare, qui sapit mediam quandam naturam inter aerem, & aquam. Si enim minimum aeris incipiat condensari, fiet vapor antequam fiat aqua, & tunc minimus vapor erit minor minimo aere, sed maior minima aqua, quòd si velit quis vaporem illum adhuc aeris nomine nuncupare, non videtur curandum de nomine, dummodo confiteamur eum nō purum, sed aliquantum recedentem a natura aeris, quare minimum illius poterit esse aliquanto minus minimo aere, qui sit purus aer.

Textus Trigesimus Septimus.

Amplius, si omnia insunt quidem huiusmodi in inuicem, & non fiunt, sed segregantur cùm insint, dicunt autem a pluri, fit autem ex quolibet quodlibet, vt ex carne, aqua, segregata, & caro ex aqua: omne autem corpus finitum, consumitur à corpore finito, manifestum est, quòd non contingit in vnoquoque vnumquodque esse. Remota enim ex aqua carne, & iterum alia facta ex reliqua, segregatione, quamuis semper minor erit segregata, attamen non excedit magnitudinem aliquam paruitate. Quare, si quidem stabit segregatio, non omne in omni inerit, in reliqua enim aqua non fuerit caro. Si verò non stabit, sed habebit semper remotionem, infinita magnitudine æqualia finita inerunt, infinita secundum multitudinem; hoc autem impoßibile est.



N hoc textu Aristoteles facit tertiam rationem contra Anaxagoram; qua impugnat illud Anaxagoræ dictum, quod sit quodlibet in quolibet, & proinde fiat quodlibet ex quolibet per extractionẽ ex eo, in quo inerat; supponit prius Aristoteles multa Anaxagoræ dicta, referẽs totã ferè eius opinionẽ iam in textu trigesimoquarto declaratã, deinde ex se hoc alterũ supponit, quòd omne corpus magnitudine finitũ tandem consumitur per continuam ablationem corporis finiti. Quod quidem suppositum (vt Græci notant) non est intelligendum secundùm intellectualem rationem idest, secundum Mathematicam abstractionem, sed secundùm sensatam, & naturalem rationem. Mathematicè namque falsum est, quod per continuam ablationem partis consumatur totum, sed est diuisibile in infinitum, sed si sensatè velimus philosophari, est axioma per se notum quòd corpus finitum per continuam ablationem finiti tandem consumetur, quia intelligitur de partibus, quæ actu sunt in toto, idest, in quas actu remanentes potest diuidi totum, quæ seruent nomen, & formam talis rei; ex harum enim continua ablatione necesse est tandem consumi totum. Ex hoc supposito deducit Aristoteles tale consequens, ergo non est possibile quodlibet esse in quolibet, consequentiam ita probat, extrahatur ex aqua caro, adhùc remanet caro in aqua, adhùc alia caro extrahatur, & sic fiat continua extractio carnis ex illa aqua; certum est quòd apud Anaxagoram caro posterius extracta minor erit carne prius extracta, semper enim (dicebat ipse) minor portio carnis extrahitur, tamen (inquit Aristoteles) peruenietur tandem ad extractionem minimæ portionis carnis, qua non sit alia minor in illa aqua, significat autem hoc Aristoteles per ea verba [non excedit paruitate sua magnitudinem aliquam] idest dabitur aliqua minima portio carnis, quæ paruitate non superabitur ab alia portione. Sed vnde nam sumit Aristoteles hoc? possumus dicere cum Auerroe quòd id sumit ex præcedenti ratione, qua probauit dari minimam magnitudinem carnis, vltra quam non potest forma seruari. Possumus etiam dicere, quòd id sumit ex dictis ab Anaxagora, qui velit nolit cogitur id concedere, ponebat enim in aqua particulas infinitas carnis non quidem Mathematicè, sed naturaliter, idest actu, non potentia, ergo particulæ infinitæ carnis actu insunt in aqua, necesse est vt aliqua ex eis, vel aliquæ minimam omnium habeant magnitudinem, inter eas enim quæ actu sunt, necesse est dari istam comparationem, & aliquam esse ibi, qua non est alia minor, tunc Aristoteles ita argumentatur, vel stabit segregatio, & terminabitur, idest, nulla remanebit caro in aqua, quia tota caro tandem erit extracta, vt reuera per fundamentum datum cogimur dicere; corpus enim finitum per continuam ablationem finiti tandem consumitur, & tunc habet intentum, quia in reliqua aqua nulla caro remansit, & sic non est quodlibet in quolibet; vel si protervuiens Anaxagoras dicat segregationem nunquam stare, sed perseuerare ad infinitum, quia semper in aqua remaneat caro, sequetur, quòd particulæ carnis magnitudine finitæ, & æquales, sed numero infinitæ inerant in eodem corpore finito secundùm magnitudinem, hoc autem est impossibile, tum quia corpus finitum per continuam ablationem finiti numquàm consumetur contra suppositum; tùm quia implicat contradictionem, illud enim totum corpus aquæ, quod ponitur magnitudine finitum, erit simul etiam infinitum secundùm magnitudinem, quia aggregatum ex particulis numero infinitis, actualibus, & æqualibus non potest esse nisi magnitudo infinita, si enim infinita numero quanta actu coniungantur, non possunt facere nisi infinitam molem, cùm igitur hoc sit impossibile, sequitur quòd terminabitur aliquando segregatio carnis ex aqua, & ita non erit amplius quodlibet in quolibet. Notandum est in vltimis verbis quando Aristoteles inducit illud impossibile [ergo in magnitudine finita inerunt æqualia, numero infinita, & finita secundùm magnitudinem] quod expositores dubitant cur Aristoteles adiecerit illam di-

ctionem [æqualia] hoc enim falſum videtur, quia cùm ſemper minor,& minor extrahatur portio carnis ex aqua, ſequitur quòd omnes illæ portiones carnis ſunt inæquales in aqua; propterea Simplicius dicit quòd per [æqualia] Ariſtoteles intelligit ſimilia, quæ quidem expoſitio admittenda non eſt, quia ad præſentem argumentationem nihil confert, quòd ſint ſimilia, vel diſſimilia, modo ſint mole finita, & numero infinita. Eſt etiam locutio valde impropria ſi per [æqualia] Ariſtoteles intelligat ſimilia, quare iure a Vicomercato hæc expoſitio reijcitur, ſed vanæ quoque ſunt, & ab Ariſtotele alienæ duæ expoſitiones, quas ipſe Vicomercatus affert. Ego accipio expoſitionem Alexandri, & Auerrois, quam etiam Vicomercatus reiecit, vt Ariſtoteles verè, & propriè æqualia intellexerit, ſtant enim minima carnis, quæ non poſſunt inter ſe niſi æqualia eſſe; quamuis enim ſequens portio carnis ſit minor portione extracta prius, cùm Ariſtoteles conſiderauit, quòd deueniatur ad minimam, vt ſuperius diximus, & ſic ſi in infinitum duret extractio particularum carnis, erunt omnes illæ minimæ æquales, quia minores non dantur,& ſic æqualia infinita numero erunt in eodem finito ſecundùm magnitudinem, quòd igitur rectè appellentur æquales illæ portiones manifeſtum eſt. Quomodo autem ad propoſitum pertineat quòd ſint æquales potius quàm inæquales, nemo conſiderauit, niſi Sanctus Thomas.Et optimè, dicit enim Ariſtotelem addidiſſe [æqualia] quia non eſſet impoſſibile, quòd in magnitudine finita ineſſent particulæ inæquales infinitæ numero, ſicuti contingit in diuiſione continui ad infinitum. Sunt enim omnes particulæ inæquales, neque poſſunt conſiderari æquales, quin detur finitudo earum ſecundùm numerum: ideò quòd ſint in magnitudine finita particulæ numero infinitæ & æquales, eſt omnino impoſſibile (inquit Thomas) non modo naturaliter loquendo, ſed ſtando etiam in ſola conſideratione Mathematica quanti, prout quantum eſt; nam etiam Mathematicus concederet, quòd per continuam oblationem partis æqualis a quanto finito neceſſe eſt illud totum conſumi. Ariſtoteles igitur duxit Anaxagoram ad indubitatum impoſſibile, quòd illæ infinitæ partes ſint æquales; præcipuè autem impoſſibile eſt iuxta Anaxagoræ poſitionem, qui volebat eas partes infinitas ineſſe in eodem in actu, non in potentia; impoſſibile eſt enim etiam ponendo eas in potentia, ſed multo euidentius ſi ponantur in actu. Per hæc ſublatum eſt dubium illud, quod a Simplicio, & a pleriſque alijs hìc tangitur, & ſoluitur, quomodo Ariſtoteles hìc neget infinitas partes numero poſſe in eodem reperiri. Si magnitudo ponitur in infinitas partes diuiſibiles: ſoluitur enim, quia Ariſtoteles non loquitur de huiuſmodi partibus, quæ potentia ſunt in toto, ſed de ijs quæ actu inſunt, ſicuti ponebat Anaxagoras, has enim impoſſibile eſt actu infinitas ineſſe in eadem magnitudine finita præſertim æquales, vt dictum eſt.

Textus Trigeſimus Octauus.

Ad hoc autem ſi omne quidem corpus, remoto quodam, minus neceſſe, & fieri; carnis autem determinata eſt quantitas, & magnitudine, & paruitate; manifeſtum eſt quòd ex minima carne nullum ſegregabitur corpus, erit enim minor minima. Amplius autem in infinitis corporibus ineſſet vtique iam caro infinita, & ſanguis, & cerebrum, ſeparata tamen ab inuicem, nihil autem minus entia, & infinitum vnumquodque, hoc autem irrationabile eſt.

IN hoc

N hoc textu duas alias rationes affert Aristoteles contra Anaxagoram, videlicet, quartam, et quintam, quarum prior destruit illud Anaxagorę dictum quòd ex quolibet possit quodlibet extrahi, & est ratio facilis, supponens illud, quod in textu trigesimosexto demonstratum fuit. Videlicet, dari minimam carnem, qua non detur minor, tunc sic, ex minima carne nullum corpus segregari potest, ergo non est verum, quòd possit quodlibet ex quolibet segregari. Antecedens probatur, nam detur oppositum quòd ex minima carne aliquid segregetur, ergo caro remanebit minor quàm prius erat, stante fundamento noto quod omne corpus, si aliquid ab eo remoueatur, fit minus, ergo dabitur caro minor minima, quod falsum est, vt prius demonstratum fuit in trigesimosexto. [Amplius autem in infinitis corporibus.] Hìc ponit alteram rationem, quæ est ordine quinta, & confutat illud Anaxagoræ dictum, quòd quodlibet sit in quolibet infinities, & talis est. Si hoc esset verum, sequeretur, quòd darentur actu infinities infinita secundum numerum, & secundum magnitudinem, quod est impossibile manifestum. Et consequentia ita probatur, sunt in corpore particulæ infinitæ carnis, in singula quarum sunt particulæ infinitæ sanguinis, ergo dantur particulæ sanguinis infinities infinitæ secundum numerum, cum autem in singula particula carnis sint actu particulæ infinitæ sanguinis inter se distinctæ, sequitur etiam quòd singula particula carnis est infinita secundum magnitudinem, sunt enim in ea infinitæ particulæ sanguinis actu, vt aggregatum ex quantis numero infinitis in actu, necessario est mole infinitum, ergo singula particula carnis est mole infinita, ergo infinities infinita secundùm magnitudinem: habent etiam simul eadem tempore, & separata abinuicem, nam illæ infinitæ particulæ carnis ponuntur esse actu in aqua distinctæ, & separatæ ab inuicem; est autem impossibile manifestum non modò quòd infinita, sed quod duo sola dentur quanta infinita secundum magnitudinem, certum est enim, quòd si daretur corpus mole infinitum, ipsum solùm esset, quoniam occuparet omne spatium, & aliud corpus non daretur, ideò rectè dicebat Melissus, si ens est infinitum, ergo est vnum, neque eam consequentiam impugnauit Aristoteles supra. Possumus autem contra Anaxagoram adhùc augere absurditatem, in aqua enim sunt infinitæ partes carnis, in quarum singula sunt infinitæ partes aquæ, in quibus adhùc singulis sunt infinitæ partes carnis, & ita circulando in infinitum, præterea in aqua non modò sunt infinitæ partes carnis, sed etiam infinitæ infinitarum rerum, in quibus singulis insunt infinita infinities, & in ijs singulis similiter, quare multiplicantur absurda & impossibilia ad infinitũ.

Textus Trigesimus Nonus.

Nunquam autem segregatum iri non scienter quidem dicitur, rectè autem dicitur. Paßiones enim inseparabiles sunt. Si igitur misti sunt colores, & habitus, si segregentur, erit aliquid album, vel sanum, non aliquid alterum existens, neque de subiecto. Quare inconueniens est, impoßibilia quærens intellectus, si velit quidem segregare, hoc autem facere sit impoßibile, & secundum quantum, & secundum quale; secundum quantum quidem quia non est minima magnitudo: secundum quale autem, quia inseparabiles sunt paßiones.

IN hoc

N hoc textu confutat Aristoteles aliud Anaxagoræ dictum, videlicèt quòd intellectus diuinus à principio remansit extrahere omnia ex Chao, & ea a se inuicem separare, quod tamen assequi non potuerit, neque vnquam possit, quia res adhùc manent simul permixtæ, & remanet quodlibet in quolibet, quamuis extracto in Chaos. Circa hoc Aristoteles duo facit; primò inquit dictum hoc Anaxagoræ aliqua ex parte verum esse, insciente tamen, & inconsideratè ab Anaxagora prolatum, deinde dictum illud impugnat, secundùm eum sensum, in quo Anaxagoras ipsum protulit. Dicit primò quòd rectè Anaxagoras dicit impossibile esse facere omnium rerum separationem a se inuicem, quia accidentia sunt inseparabilia a subiectis, quare si poneremus aliquod accidens separatum a subiecto, daretur solùm, quod nulli inhæreret, hoc autem impossibile est; ergo ratione accidentium omnium, quæ hìc ab Aristotele lato vocabulo [passiones] vocantur, dictum Anaxagoræ verùm est, quòd illa separatio fieri non potest, sed ipse tamen inscienter in hoc verum dixit, quia non respexit ad accidentia, sed ad substantias corporeas similares, ratione quarum impugnat Aristoteles dictum Anaxagoræ. In secunda parte quando dicit. [Quare inconueniens est] & sensus est, absurdum, & nefas est attribuere diuino intellectui, vt tentet facere id, quod facere non potest, voluit enim tentare res omnes a se inuicem segregare, quod absoluere nequit, vanus est igitur ac ridiculus, diuinus intellectus rem impossibilem aggrediens, quod de Deo enunciare est maximum nefas. Quod autem rem impossibilem aggrediatur, dicit Aristoteles clarum esse, segregatio namque illa impossibilis est, tam ratione qualitatis, quàm ratione quantitatis; Ratione quantitatis, quia juxta sententiam Anaxagoræ, non datur minima magnitudo, & quacunque data datur alia minor, & ex quacunque potest aliud extrahi in infinitum, quare nunquam absoluet diuinus intellectus hanc segregationem. Ratione autem qualitatis, quia impossibile est separare accidentia a substantijs, videtur enim Aristoteles qualitatis nomine accidentia omnia complecti, hoc autem ex se profert Aristoteles tanquàm clarum, quod negari non possit, licèt non pateat Anaxagoram accidentium fecisse mentionem. In expositione huius partis Vicomercatus apertissimè errauit, quando enim Aristoteles versus finem textus dixit non posse fieri hanc separationem ratione quantitatis, ipse ita interpretatus est, quod cùm detur magnitudo minima, quà non datur minor, sicuti ante probatum est, ab hac est impossibile facere aliquam segregationem, ergo intellectus diuinus tentauit impossibilia facere. At si hoc modo verba interpretaremur, sensus esset contrarius intentioni Aristotelis, nam supposito quòd detur minima magnitudo, qua minor non detur, nihil manebit ab ea separandum, & sic intellectus absoluisset suam segregationem, neque vanus esset, cùm tamen Aristoteles oppositum ostendere velit, videlicèt intellectum vanum esse, quia tentat segregare a se inuicem, quæ nunquam absolutè segregari possunt, quia segregatio ad infinitum perdurat. Non est etiam verbis Aristotelis conueniens ea expositio, si enim Aristoteles argumentaretur ex eo, quod prius demonstrauit, videlicèt dari minimam magnitudinem deberet affirmatiuè in textu dicere, quia est minima magnitudo, attamen ipse dicit negatiuè [quia non est minima magnitudo] non enim argumentatur hìc ex demonstratis priùs, sed expositis ab Anaxagora, quòd non detur minima magnitudo, quamuis enim Aristoteles hoc confutauerit, & probauerit, quòd datur minima, tamen potest contra Anaxagoram argumentari, tam ex eo quod datur, quàm ex eo quod non datur. Si enim sumat quod datur, sumit fundamentum a se prius demonstratum: si verò sumat quod non datur minima, argumentatur ex fundamentis Aduersarij & est ratio sufficiens ad hominem, cuiusmodi est ratio præsens, quæ absque dubio est intelligenda vt nos diximus.

Textus Quadragesimus.

Non rectè autem neque generationem accipit eorum, quæ sunt similium partium, est enim, vt lutum in luta diuiditur, est autem, vt non, & idem modus est, vt lateres ex domo, & domus ex lateribus, sic autem aqua, & aer ex alterutris, & sunt, & fiunt.

DEMVM in hoc alio reprehendit Aristoteles Anaxagoram, quod non bene fecerit assignando generationem corporum similarium, ex similium partium compositione, vt carnis ex paucis carnibus, & ossis ex paucis ossibus, cui positioni Aristoteles duo obijcit testimonio sensuũ comprobata, & per se manifesta; primò videmus quòd lutum cùm similare corpus sit, diuiditur in parua luta, diuiditur etiam non in luta, sed in terram, & aquam, quæ dissimilia sunt, quare non solùm componitur lutum ex lutis paruis, sed etiam ex dissimilibus terra, & aqua. Præterea (inquit Aristoteles) non in hoc tãtum peccauit Anaxagoras, quòd generationẽ fieri putauit ex partium similium compositione, cùm pateat fieri aliquid ex compositione partium dissimilium, verum etiam, quia patet aliqua fieri per solam alterationem sine vlla partium compositione, videmus enim aerem in aquam transmutari, & aquam in aerem non per partium minutarum collectionem, sed per alterationem, alteratur enim aqua & in aerem transmutatur, & ad sensum patet quòd desinit esse aqua, & quæ erat aqua postea fit aer, & è conuerso. Hic igitur est alius generationis modus manifestus, quem non cognouit Anaxagoras, videlicet per alterationem, ipse enim putauit non dari alium modum, quàm per compositionem partium secundum quantitatem acceptarum, sicut domus fit per compositionem lapidum, & lapides fiunt per resolutionem domus in eos; sed non sic est, alia enim est generatio aeris ex aqua, & aquæ ex aere, vt patet, quã sit generatio domus ex lapidibus, & lapidum ex domo, illa enim per alterationem est, hæc verò per solam compositionem. Hæc est cõfutatio opinionis Anaxagoræ, de qua etiam primo Metaphysicorum loquitur Aristoteles in textu sextodecimo, decimoseptimo, & decimo octauuo, vbi ostendit quòd Chaos illud Anaxagoræ non poterat aliud significare quàm materiam primam ab ipso postea Aristotele, vel inuentam, vel melius declaratam. Ponebat enim Anaxagoras in illo Chao omnia confusa, & permixta, ergo non poterant ibi formæ eorum reperiri in actu, quia dicere eas in actu est dicere separatas ab innicem, non commixtas, & confusas, quare non rectè, neque clare expressit Anaxagoras naturam illius primi principij materialis, non distinguens inesse actu, & inesse potentia. Vnde patet quòd hoc in loco Aristoteles non refutauit omnino eam Anaxagoræ positionem sed prauum eius sensum, qui sequenti speculationi maximè obesse poterat, videlicèt, quod in primo principio materiali omnia præexistant actu, hoc non vult Aristoteles, sed contra hoc efficaciter reclamat; quamuis enim cognouerit aliam esse Anaxagoræ mentem, tamen tribuens ei illum sensum, quem verba significare videntur, eam reijcit, & reprehendit Anaxagoram, quod nimis obscurè, & enigmaticè sit locutus, & sententiam, quæ vera esse poterat falso, & puerili velamine texuit, & operuerit, seù quia data opera id fecerit, seù quia nesciuerit animum suum melius, & clarius explicare, & veritatem sub nube viderit, nec plenè assequi potuerit. Ego

tamen

tamen potius dicendum puto ipsum noluisse, quàm non potuisse, seù quam nesciuisse aliter loqui.

Textus Quadragesimus Primus.

Melius autem pauciora, & finita recipere, quod quidem facit Empedocles. Omnes igitur contraria principia faciunt, & dicunt quod sit vnum omne, & immobile (etenim Parmenides calidum, & frigidum principia facit, hæc autem appellat ignem, & terram) & qui rarum, & densum, & Democritus solidum, & inane, quorum aliud quidem, vt quod est, aliud autem quod non est, esse dicit. Adhuc positione, figura, & ordine, hæc autem genera contrariorum sunt; positiones sursum, & deorsum, ante, retro, figuræ angulare, triangulare, rectum, rotundum.

CERTVM est Aristotelem confutatis iam duabus opinionibus, vna Parmenidis, & Melissi, altera Anaxagoræ, hic incipere ex propria sententia loqui, & de principijs veritatem inuestigare. Sed vt partis huius cum præcedenti continuatio clarior fiat, simulque intentio Aristotelis in sequenti parte, illud in primis sciendum est Aristotelem in toto hoc primo libro ostendere velle tria esse prima principia omnium rerum naturalium, videlicet, vnam primam materiam, & duo contraria, quæ solent appellari principia formalia, formam, & priuationem. In tota hac tractatione tàm de materia prima, quàm de principijs formalibus Aristoteles nunquam desinit considerare antiquorum sententias, & si quid boni dixerint, id sumat ad veritatis inuestigationem, & confirmationem; si quid autem falsi, id ex veritatis cognitione refellat, & comparando veram opinionem cum eorum sententijs patefaciat eorum defectus, non enim separatim eorum sententias tractabit, & confutabit propter rationem a nobis supra in textu trigesimotertio consideratam, sed in ipsa veritatis contemplatione speculabitur simul quid rectè, & quid non rectè alij dixerint. Sciendum est præterea, quòd sententia Aristotelis partim differt a sententijs antiquorum, partim cum eis conuenit, idque & in principio materiali, & in principijs formalibus; primum quidem ratione principij materialis conuenit inter Aristotelem, & alios antiquos naturales, qui vnam materiam primam ponebant, nam etiam ipse vnicam esse vult primam materiam, & hanc sententiam ipse alijs omnibus anteponet inferius, & ostendet quòd ad patiendum vna materia sufficit; ab ijs autem discrepat, quòd ipsi eam putabant esse aliquid sensibile, seu actuale corpus, vt vnum ex elementis, vel medium quoddam inter illa; Aristoteles autem vult eam esse quoddam insensibile, his omnibus secundum naturam prius, potentiale, & ex quo omnia sensibilia corpora composita sint, & constent, tale enim esse debet, quod omnia suscepturum sit. Ratione quoque principiorum formalium partim conuenit Aristoteles cum antiquis, partim ab eis discrepat; conuenit enim; quoniam illi quoque, qui vnum principium materiale ponebant, declarantes modum, quo ex illa materia res fierent, dixerunt, quòd ex illa materia alterata a duobus contrarijs res omnes generabantur, vt a raritate,

& à densitate, sicut dixit Aristoteles in textu trigesimosecundo. Ipse autem Aristoteles similiter vult ex vna prima materia cum duobus contrarijs omnia fieri. Sed discrimen est, quoniam illi antiqui & si ex vna materia cum duobus contrarijs res fieri dicebant, non tamen putabant illa contraria esse principia, neque principij nomen eis attribuebant, sed solam materiam appellabant principium. Aristoteles verò non minus ipsa contraria vult esse appellanda principia rerum, quàm materiam primam, & tria vult esse principia; materiam primam, & duo contraria. His intellectis videamus, quænam sit intentio Aristotelis in præsenti parte, & cum præcedentibus continuatio, quæ quidem a multis non bene assignatur. Ioannes Grammaticus dicit postquàm Aristoteles confutauit eorum opinionem, qui infinita principia ponebant, nunc ad veritatem accedens, vult ostendere vnicum esse principium vt multi dixere, intelligendo principium materiale, antiqui enim de alio principio non loquebantur, quàm dè materiali. Et quando Aristoteles in textu sexto dixit, principia aut vnum esse, aut plura, & si plura aut finita, aut infinita, solum materiale principium intellexit. Hæc Ioannis continuatio manca est, quia non solum de materiali principio loqui est intentio Aristotelis in sequenti parte, sed etiam de principijs contrarijs, licèt enim materia sit occultior, & difficilior cognitu, quam principia contraria, & propterea magnam huius libri partem occupauerit eius inuestigatio, quia Author efficatius insistit in ijs, quæ difficiliora sunt, tamen intentio est declarare tàm materiam primam, quàm duo prima contraria, quæ dicuntur principia formalia. Simplicius autem videtur contrariam intentionem adducere, dicit enim. Postquàm Aristoteles hactenus confutauit, & vnitatem, & infinitatem principiorum vt tertium membrum medium remaneat vnum, quòd principia sunt plura finita, nunc se confert ad declarandum certum eorum numerum, quem adhùc ignoramus. Hæc quoque Simplicij continuatio peccat, quia falsum supponit, quòd Aristoteles confutauit sententiam de vno principio, solam enim Parmenidis, & Melissi sententiam refutauit, quòd vnum sit ens immobile, sed non sententiam aliorum naturalium, quòd vnum sit principium mobile, vt patet considerantibus prima verba textus trigesimisecundi, & videbimus in sequentibus Aristotelem potius laudare, quàm confutare eam opinionem, & eam omnibus alijs anteponere. Aliqui tamen sequentes Simplicium ad hoc dicunt, quòd Aristoteles per confutationem Parmenidis, & Melissi significare voluit reijciendam esse omnem sententiam, quæ quomodocunque vnum principium statuat, nam si Aristoteles non refutaret, sed sequeretur opinionem ponentium vnũ principium, male fecisset reprehẽdens Parmenidem, & Melissum, qui similiter vnum principium ponebant. Equidem non parùm miror, quòd aliquis eruditus vir hæc dicat, nam quæ ab Aristotele contra Parmenidem, & Melissum dicta sunt, contra eorum tantùm positionem de vno ente immobili locum habent, non valent contra eos, qui ponebant vnum principium mobile, vt aerem, vel aquam, vt legentibus totam partem apertissime patet; non enim vult Aristoteles vnum esse ens immobile, seu vnum principium immobile, si id principium appellare velimus, vult tamẽ vnum esse primum materiale principium transmutabile, sicuti antiqui naturales dixerunt, & hanc sententiam alijs omnibus anteponit. De intentione verò Aristotelis, quam Simplicius putat, in sequenti parte, credo eum partim verum, partim falsum dicere, dùm ait Aristotelem ostendere velle plura esse principia, & quot nam sint, nam si sermonem restringamus ad id solum principij genus, de quo loquebantur antiqui naturales, falsum dicit, quoniam Aristoteles vult vnam esse primam materiam, sicuti illi dicebant, non plures; quòd si communiter de principijs loquamur, & tàm materiam, quàm contraria intelligamus, verum dicit, Aristoteles enim vult demonstrare tria esse prima principia, quibus omnibus æque conuenit nomen principij, non materiam solam. Ego igitur puto nullam aliam huius partis continuationem afferendam

tendam esse, quàm hanc. Postquam Aristoteles confutauit eas antiquorum opiniones, quas separatim confutandas esse iudicauit, nunc vult de principijs ex mente propria loqui, & simul cum veritatis inquisitione considerare, in quo bene antiqui dixerint, & in quo malè. Declarando enim quòd ad patiendum vna materia sufficit, ostendit errorem Empedoclis, qui quatuor primas materias ponebat, & aliorum omnium, qui alio modo plura materialia principia ponebant. Deinde ostendendo, quòd prima materia debet esse apta ad recipiendas rerum omnium formas, ostendet eam secundum suam naturam debere carere omnibus formis, & ita falsam esse antiquorum sententiam, qui eam formatam, & actuatam ponebant, vt aquam, vel aerem, vel ignem, & inter hos quinam melius, qui nam peius dixerint, ex veritatis cognitione dijudicabit. Hæc igitur est Aristotelis intentio, quæ cum duplex sit, videlicet, de vno principio materiali, & de duobus principijs formalibus, si ordo naturæ seruandus esset, debuisset incipere a tractatione de materia, postea tractare de principijs contrarijs, quia subiectum est natura prius ijs, quæ in ipso recipiuntur: sed ordo doctrinæ, & melioris cognitionis postulauit, vt prius de contrarijs, postea de materia prima loqueretur, ideò prius loquitur Aristoteles de duobus principijs contrarijs, quàm de prima materia. Vidit enim materiam primam cognosci, & declarari non posse, nisi cognito prius quod ex contrarijs omnia fiunt, ex transmutatione enim de contrario in contrarium secundum substantiam, Aristoteles demonstrabit esse necessarium subiectum tertium, in quo ipsa transmutatio fiat; & hoc modo inueniet simul, & numerum principiorum, & rerum qualitates, seù conditiones. De principijs contrarijs loquitur Aristoteles ab hoc textu vsque ad quinquagesimum. Deinde ab eo loco incipiet loqui etiam de prima materia subiecta ipsis contrarijs. In hac autem parte ad principia contraria pertinente Aristoteles ostendere vult ex contrarijs omnia fieri, proinde contraria esse statuenda principia rerum, & numeranda inter principia, quod ostendet dupliciter primo quidem id desumit ex dictis antiquorum, & ex rerum quoddammodo consensione hanc veritatem confirmabit, quod quidem faciet in hoc textu quadragesimoprimo. Deinde in alijs sequentibus idem rationibus quoque comprobare nitetur, & ostendere quomodo res omnes ex contrarijs fiant. In principio huius textus quadragesimiprimi Aristoteles facit conclusionem ex dictis contra Anaxagoram cum ait. [Melius autem pauciora, & finita recipere, quod quidem facit Empedocles] quibus verbis notandum est nullam aliam fieri comparationem quàm Empedoclis cum Anaxagora, dicit enim, melius esse principia pauciora idest finita statuere, vt Empedocles ponens quatuor elementa, quàm infinita vt Anaxagoras. Affert enim Aristoteles exempli gratia, sententiam Empedoclis vt ponentis principia finita, quia eosdem, inter se comparauerat, in fine textus trigesimisecundi, tanquam in eo conuenientes, quod ambo posuerunt, & vnum principium, & multa simul. Ex his patet error aliquorum, qui dicunt Aristotelem anteponere sententiam Empedoclis omnibus alijs, & hanc ei maxime omnium placuisse, alias enim, vt extremas reiecit, videlicet quòd vnum sit principium, & quod sint infinita, hanc vt mediam approbat, quod sint plura finita, ideò laudat hic præ cæteris Empedoclem. Quantum hi in hac re decipiantur, ipsa verba clarè demonstrant, quod enim Aristoteles non simpliciter laudet Empedoclē, sed solùm cōparatione Anaxagoræ, vel cœcus videre potest, nam duo illa cōparatiua nomina [melius] & [pauciora] non possunt significare aliam comparationem, quàm cū ponentibus principia infinita. Videbimus etiam in sequentibus apertissimè Aristotelē laudare sententiā ponentiū vnum materiale principiū, & eam præferre sententiæ Empedoclis. [Omnes igitur cōtraria principia faciūt.] Ex omniū antiquorū dictis colligit Aristoteles quòd cōtraria sunt statuēda principia rerū, & duo sūt maximè annotanda in his paucis verbis, alterum est illud verbū [faciūt] antiqui enim non dixerunt

contraria esse principia; dicere enim ex cõtrarijs res fieri, est dicere contraria esse principia; quare antiqui nescientes, & incõsideratè loquẽtes, & veritate ipsa coacti pronũtiarunt hanc veritatem, & sic fecerunt potius contraria esse principia, quam dixerunt, quia non animaduerterunt, quòd ex eorum dictis sequeretur contraria poni inter principia rerum. Alterum notandum est quòd in hac propositione subiectum est [contraria] prædicatum autem, [principia] Græca enim verba sunt τὰ ἐναντία ἀρχάς ποιοῦσιν. Græci autem apponunt articulum subiecto, nunquàm prædicato. Et præterea si nomen illud adiectiuum [contraria] poneremus prædicatum, discordantia esset in Græcis verbis, quia ἀρχάς est generis fœminini ἐναντία generis neutri, at ponendo vt subiectum [contraria] prædicatum autem [principia] nulla est discordantia, quia sunt tanquam duo nomina substantiua, non erit alterum vt adiectiuum alicuius. Hìc autem loquendi modus fuit maximè accommodatus intentioni Aristotelis, qui voluit significare, quòd antiqui loquentes de ipsis contrarijs, ita locuti sunt, vt ipsa inter principia collocarent, cùm tamen ipsi hoc non animaduerterint; sensus autem conuersus non fuisset ad propositum, neque verus, videlicèt quòd antiqui dixerint ipsa principia esse contraria, loquentes enim de principijs solùm materiam putabant esse principium, sed non posuerunt eam contrariam alteri. Quod autem antiqui contraria fecerint principia rerum, ostendit Aristoteles enumerando eorum sententias, & dicit quòd non solum antiqui naturales hoc significarunt, verum etiam Parmenides, qui dixit vnum esse ens immobile; nam Parmenides, vt Aristoteles primo libro Metaphysicorum de eo testatur, aliud dixit de rebus esse pronunciandum secundùm veritatem, aliud secundùm hominum opinionem, & secundùm id, quod videtur: nam secundùm veritatem vnum esse ens immobile existimauit, sed non potens negare apparentiam, & sensum, qui iudicat multa entia esse, dixit multa entia esse secundùm opinionem hominum, & horum duo principia statuit ignem, & terram, quæ ipse significabat per calidum, & frigidum, quæ quidem contraria sunt, dixit ergo principia contraria, sed non dixit principia esse contraria. Notandum est autem quòd de Parmenide potuit dicere Aristoteles, quòd principia ponit esse contraria, de principijs enim loquens ea talia adduxit, quæ inter se contraria erant, attamen ista locutio, quia soli Parmenidi conueniebat, non alijs antiquis, Aristoteles maluit conuersa vti locutione, & dicere, quod antiqui fecerunt ipsa contraria esse principia rerum; hic enim loquendi modus conueniens est alijs antiquis, quos vocauit naturales, de quibus loquitur, quando subdit Aristoteles, [& qui rarum & densum] qui enim vnum principium transmutabile ponebant, vt aliquod elementorum dicebant ex eo omnia fieri per condensationem & rarefactionem, vt in textu trigesimosecundo declarauimus, faciebant enim raritatem, & densitatem esse principia, dùm ita loquebantur, & dùm vnum principium se statuere putabant, tria statuebant, hi ergo omnes ipsa contraria faciebant, esse principia rerum. [Et Democritus solidum, & inane] tota sequens huius contextus pars declarat quomodo etiam Democritus fecit contraria esse principia rerum, idque multis modis, primùm enim ponebat corpora constare ex pleno & vacuo, plenum notabat corpuscula illa indiuisibilia, vacuum autem spatium inter illa interceptum, ad eo vt corpora omnia constent ex pleno & vacuo, alia tamen plus habent pleni, vt quæ densa appellamus, alia plus vacui, vt quæ vocamus rara, densum autem, & rarum sunt contraria, igitur Democritus contraria faciebat esse principia rerum. Addit Aristoteles quòd alijs quoque modis posuit ipse Democritus in principijs contrarietatem, dixit enim illa atoma esse inter se varijs modis contraria, vt ratione figuræ, cùm alia sint Sphærica, alia angularia; ratione ordinis, cùm alia sint priora, alia posteriora; & ratione positionis, cùm alia sursum sint, alia deorsum, alia dextra, alia sinistra, alia ante, alia retro in animalium compositione, hæc autem omnia sunt contraria, quare diuersis modis Democritus

mocritus

mocritus ponebat contrarietatem in principijs. Ponit autem Aristoteles in textu exempla contrarietatis secundùm figuram, secundùm positionem, prætermittit exempla contrariorum secundùm ordinem, quia res erat per se nota. Dubitare aliquis posset, quomodo Aristoteles hæc appellet contraria, cùm vere contraria non sint; præsertim quæ considerantur ratione figuræ, nam figura est in quarta specie qualitatis, in qua non est contrarietas. Possumus dicere cum Themistio, quòd Aristoteles non ex propria sententia hæc contraria vocat, sed ex mente Democriti, qui hæc appellabat contraria, non quidem quòd considerauerit Democritus necessarium esse in principijs ponere contrarietatem, sed quia sine vlla ratione, & temere quodammodo dixit atoma illa inter se varijs modis esse contraria. Possumus etiam dicere quòd intentio Aristotelis non est ostendere principia esse contraria, contrarietate propriè dicta, oppositio enim quam postea in principijs ponet, est potius priuatiua, quàm contraria, ideò sumit hìc contrarium lata significatione pro omni oppositione. Imò dicit Auerroes hìc sumi amplissimè contrarium pro omni genere oppositionis non modo vero, sed, & iam apparenti, qualis est inter illa, quæ solent vocari disparata, sicuti si dicamus hominem esse oppositum equo; quia cum equo stat negatio hominis, sunt tamen diuersa potius, &, vt vocant, disparata, quàm vere opposita; huiusmodi oppositio est in figuris inter sphæricum, & rectum. Non est enim inter hæc vera oppositio, sed apparens tantùm, quia semper cum affirmatione vnius stat negatio alicuius. Ideo non rectè reprehendunt Auerroem aliqui, qui dicunt ipsum decipi, dùm dicit, quod disparata numerentur inter opposita, qua repræhensione Auerroes penitus vacat, non enim dicit disparata esse verè opposita, sed dicit ea contineri sub oppositis, sumendo oppositionem communissimè vt tàm veram oppositionem complectatur, quàm apparentem, quæ est inter illa, quæ vocantur disparata. Patet autem etiam apud Aristotelem in textu, talia disparata vocari contraria, vt sphæricum, & angulare in figuris, inter quæ est solum apparens non vera oppositio, quam Auerroes vocat secundum formam, idest, secundum apparentiam, quia multis ita visum est, sicuti ipsi Democrito. Hæ sunt antiquorum opiniones ex quibus desumitur quòd contraria sunt principia rerum, breuiter ab Aristotele tactæ, nam alias quoque potuit nominare, quas consultò omisit, quia erant notæ, & in ijs quisque facilè poterat considerare quod contrarietatem in principijs ponebant. Empedocles enim quatuor elementa principia posuit, ex quibus per litem, & amicitiam omnia fierent, lis autem, & amicitia sunt contraria. Anaxagoras quoque similaria ipsa dicebat esse contraria, vt ipse Aristoteles supra dixit in textu sexto, & trigesimosecundo; satis ergo fuit nos admonere recensendo quasdam antiquorum opiniones, in quibus contrarietas in principijs cernitur, vt nos postea idem consideremus in alijs.

Textus Quadragesimus Secundus.

Quòd igitur contraria quodammodo omnes faciunt principia, manifestum est. Et hoc rationabiliter. Oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia; contrarijs autem primis insunt, hæc ob id quidem, quòd prima sunt, non sunt ex alijs, ob id verò quòd sunt contraria, non sunt ex alterutris.

FACIT


ACIT conclusionem Aristoteles ex omnibus dictis in textu Quadragesimoprimo, quòd antiqui omnes fecerunt ipsa contraria esse principia rerum. Notanda est autem dictio [quodammodo] quam dicunt aliqui significare quod antiqui non contrarietatem veram, sed impropriè dictam in principijs ponebant, vt sensus sit, omnes antiqui fecerunt contraria esse principia rerum, si non verè contraria saltem modo quodam; imò etiam Aristotelem sequentes cogimur dicere cum determinantem principia esse contraria intelligere quodammodo contraria, non contrarietate vera. Possumus etiam dictionem hanc referre ad antiquorum varietatem, non enim eodem modo contraria, neque eadem contraria accipiebant, nam illi dixerunt rarum, & densum, alij magnum, & paruum, alij alia contraria nominabant, ex quibus res fierent. Præterea apud aliquos contrarietas, stabat ex parte principiorum formalium, vt qui ponebant vnum elementorum, esse primam materiam ex qua res fierent per raritatem, & densitatem, contrarietatem statuebant inter principia formalia; apud alios verò contrarietas erat ex parte principiorum materialium, vt apud Parmenidem inter ignem, & terram, & apud Platonem inter magnum & paruum: alij verò contraria aliqua nominantes, ea ponebant potius ex parte principij efficientis, quàm materialis, vel formalis, vt Empedocles quatuor elementa vt materiam statuens, posuit postea litem, & amicitiam contrarias, quæ potius significant efficientem causam generationis, & corruptionis rerum. Aristoteles tamen has eorum differentias non considerans sumit solùm ex eis hoc vniuersale, in quo conueniunt, quod posuerunt in principijs aliquam contrarietatem, quocunque modo id fuerit. Debemus etiam notare hìc Aristotelem vti eodem loquendi modo, quo paulò ante vsus est, dicit enim [contraria] cum articulo, & facit esse subiectum propositionis, prædicatum verò [principia] propter rationem a nobis superius tactam, quia ratione antiquorum conuenientior est hic loquendi modus, non enim de principijs loquentes dicebant ex professo ea debere esse contraria, sed considerando principia ea nominabant veluti veritate coacti aliquam contrarietatem, quam & si non vocabant principium, tamen faciebant eam esse principium. Est etiam alia ratio, quia secundùm ipsam opinionem Aristotelis melius est dicere quòd contraria sunt principia rerum, quàm quòd principia sunt contraria; vniuersaliter enim non est verum, quòd principia sint contraria, datur enim aliquod principium, quod nulli est contrarium vt materia ipsa. [Et hoc rationabiliter.] Quod Aristoteles ex antiquorum dictis collegit, nunc ratione vult confirmare, videlicet prima contraria esse principia rerum. Auerroes hìc merito a multis reprehenditur, cùm dicat Aristotelem hìc adducere rationem, qua moti antiqui contraria principia esse voluerunt, quod manifestè est falsum. Aristoteles enim infra in textu quadragesimo octauo dicet quòd antiqui nulla moti ratione principia contraria posuerunt, sed inconsideratè loquentes, & sola veritate coacti. Quare ratio, quam hìc Aristoteles affert, non fuit antiquorum, sed ipse Aristoteles ex se eam adducit ad confirmandum illud, quod ex antiquorum dictis collegerat. Dicit igitur rationabile esse, quòd prima contraria sint principia rerum, & talem rationem subiungit, quam integram in textu hoc habemus, & cum probatione minoris, illa quæ non fiunt ex alterutris neque ex alijs, & ex eis omnia fiunt, sunt principia rerum: at prima contraria sunt huiusmodi: ergo prima contraria sunt principia rerum. Maiorem videtur Aristoteles sumere vt per se notam, est enim modo quodam clara sumpto argumento a definitione ad definitum, principia enim omnium generabilium rerum videntur has tantùm tres conditiones postulare, vt sint omnium principia, & per easdem bene definiri, principia sunt; quæ non fiunt ex alijs, neque ex se inuicem, & ex eis omnia fiunt: si enim fierent ex alijs non essent principia; si vero ex se inuicem non magis essent principia quàm principiata: si verò non

fierent

fierent ex eis omnia, non essent omnium principia, ideò aliqui notant quod per has tres conditiones exprimitur perfectè tota principiorum natura. Cùm enim hoc nomen, principium, sit respectiuum, ad tria tantùm potest referi, ad priora, ad posteriora, & ad se inuicem: quatenus igitur eà referimus ad priora, dicimus, quòd non fiunt ex alijs, alia enim priora non habent: quatenus verò ad posteriora, dicimus ex eis omnia fieri: quatenus autem ad se inuicem dicimus quod non fiunt ex alterutris, hæc autem horum consideratio a nobis infra diligentius expendetur. [Contrarijs autem primis insunt hæc] hæc est minor, in qua apparet prima contraria habere locum minoris extremi, & subiecti, hanc minorem probat Aristoteles sequentibus verbis, & probatio est diminuta, quia cùm probandum fuisset, quòd tres illæ conditiones primis contrarijs insunt, Aristoteles de duabus tantùm probat, tertiam omittit, quòd videlicèt, ex primis contrarijs omnia fiunt, alias duas probat ex consideratione harum duarum vocum, prima contraria, quia enim prima sunt, ideò ex alijs non fiunt, nam si ex alijs fierent, alia ipsis priora essent, & ipsa non essent priora, cùm autem contraria sint, non fiunt ex alterutris, quia si vnum contrarium ex altero ita constitueretur, vt statua ex cera tunc contraria simul essent, quod nulla ratione esse potest. Si igitur ponantur esse prima, & contraria, patet quòd neque ex alijs, neque ex se inuicem fieri possunt. Sed locum hunc interpretatur Alexander primo naturalium quæstionum capitulo 16. Solent hìc quædam dubia adduci contra syllogismum Aristotelis satis trita, & facilis solutionis. Primò contra maiorem, quia non solùm primis principijs internis, quæ hìc quæruntur, tres illæ conditiones conueniunt, verùm etiam abstractis per essentiam; abstractæ enim substantiæ, neque ex alijs fiunt, neque ex se inuicem, & ex eis omnia fiunt, ac pendent, falsum est igitur, quòd quæcunque sunt eiusmodi, sint prima principia interna rerum naturalium. Præterea forma fit ex materia, quia de materia educitur, ergo primis principijs competere potest vt ex se inuicem fiant, cùm & materia & forma sint prima principia: falsò igitur in propositione maiore hæ tres conditiones ponuntur, vt primis principijs necessariæ. Argumentor deinde contra minorem dupliciter. Primò sic, prima contraria pendent a prioribus principijs, pendent enim a Deo, ergo falsum est quòd primis contrarijs conueniat hæc conditio, quòd non pendeant ex alijs. Præterea Aristoteles in sequenti parte ostensurus est, quòd contrarium omne ex suo contrario fit, quare prima contraria ex se inuicem fiunt, quod tamen hìc Aristoteles negat, ergo sibi aduersatur. Vt dubia hæc omnia soluantur notanda est vnica distinctio, quæ a verbis Aristotelis omnem remouet ambiguitatem, ex aliquo fieri, quod ab Aristotele in his tribus conditionibus nominatur, potest multis modis sumi, tribus præsertim, qui ad propositum nostrum conducunt. Primò dicimus aliquid ex aliquo fieri, vt ex termino, a quo incipit motus, quod vocant fieri ex aliquo terminatiuè, hoc modo contrarium fit ex suo contrario, vt Aristoteles infra ostendet, & vt in Phædone Platonis Socrates moriturus adnotauit, vt aqua ex frigida fit calida, vbi dictio, ex, idem significare videtur, quod illa dictio, post. Secundò dicitur fieri aliquid ex alio, vt ex causa efficiente, quæ non videtur valdè propria locutio, hoc modo ex Deo omnia fiunt, saltem quia ab eo seruantur, hoc modo sumitur ab Aristotele in textu tertiodecimo secundi libri, quando dicit, fit ex homine homo. Tertiò fieri sumitur ex alio constitutiuè, quod est fieri ex eo vt ex parte componente, & remanente in re iam facta, vt cùm dicimus ex materia & forma res fieri, & constare, vtraque enim remanet vt pars compositi facti. Dico igitur quòd Aristoteles in his tribus conditionibus semper sumit, fieri ex aliquo, in eadem significatione, videlicèt, non primo, neque secūdo modo, sed tertio, quærit enim principia, ex quibus manentibus omnia compoņūtur, & quę ex alijs nō sint composita, neque ex se inuicem, quia prima principia simplicia esse debēt. Et notandum est, quòd cùm ex primis principijs omnia dicimus constare,

non intelligamus quòd ambo simul prima contraria in re facta permaneant, sed satis est, si permaneat alterum, alterum vero recedat, ea enim quæ fiunt ex materia, & forma, fiunt vt permanentibus; quæ vero corrumpuntur ea in materiam, & priuationem corrumpuntur vt in re permanentibus; ita vt prima contraria dicantur, ea ratione principia intrinseca, & quæ in re sunt, quia semper alterum duorum inest, vel forma, vel priuatio. Tunc ad primum dubium respondeo, quòd abstractis per essentiam duæ quidem negatiuæ conditiones conueniunt, quia neque ex alijs fiunt, neque ex se inuicem. Sed tertia affirmatiua eis minimè conuenit, non enim ex eis omnia fiunt tertio modo, sed secundo tantum modo tanquam a causis efficientibus, qui modus hìc non consideratur. Ad secundum dico quod licet forma educatur de materia, non tamen dicitur fieri ex materia vt eam internè componente, sed tàm materia, quàm forma est simplex, quamuis enim forma educatur de materia, & ipsa prima principia sibi mutuò auxilientur ad principiandum, non tamen fiunt ex se inuicem eo modo, quo hìc sumitur fieri ex aliquo, idest, vt internè componentibus. Aristoteles autem hìc nihil aliud significare vult, quam prima principia interna debere in suo genere, prima esse, vt primam materiam non esse compositam ex materia priore, hoc enim si esset, esset quid compositum ex materia, & forma similiter formam non esse compositam ex alia forma priore, tunc enim esset composita ex materia, & forma, sed vtraque debet esse simplex, & non pendens ab alia in eodem genere causæ, quamuis possit & forma auxiliari materiæ, & materia formæ, vt dictum est. Ad tertium dico, quòd prima contraria pendent quidem ab alia vt a Deo, tanquam a causa efficiente, sed non fiunt ex alijs tertio modo, idest, vt principis prioribus internè componentibus, & in genere causarum internarum. Ad vltimum dico quòd si accipiamus fieri ex aliquo primo modo, idest, tanquam termino a quo, & recedente, ita contrarium fit ex suo contrario, & hoc modo Aristoteles intelligit in sequentibus; at sumendo fieri ex aliquo tertio modo, vt ex principio interno componente, vt hìc Aristoteles intelligit, sic verum hìc dicit quòd prima contraria non fiũt ex se mutuò, quia duo contraria simul stare non possunt. Cœterum proponitur in hac ratione Aristotelis alia artificiosior, & non spernenda consideratio; an sit ratio demonstratiua, an probabilis, ac Topica; nam Thomas, & Suessanus dicunt esse rationem probabilem, id autem quomodo se habeat, non declarant. Contra verò, Philosophi recentiores reclamant, & efficaciter admonent hanc esse rationem demonstratiuam, sed & hi varij sunt. Aliqui enim putant esse demonstrationem a priori, quia dicunt illas tres conditiones constituere vnam definitionem primorum principiorum, vt nos superius adnotauimus, quo fit vt hæc demonstratio potissima, & præstantissima sit; hanc enim conclusionem, prima contraria sunt principia, demostrat per mediam definitionem maioris extremi, vt docet Aristoteles in libris Posteriorum. Alij vero dicunt esse demonstrationem a posteriori, tres namque illas dicunt esse proprietates consequentes principiorum naturam; hi tamen, vt mihi videtur, sibi non satis constant, addunt enim quòd per has proprietates ipsa principia definiuntur; quod quidem si verum est, coguntur dicere demonstrationem esse a priori, non a posteriori, quia licet sint proprietates, tamen dùm pro definitione sumuntur, subeunt locum conditionum essentialium, & priorum secundum naturam. Ego hac in re duo dicenda esse arbitror, alterum quod hæ sunt tres conditiones essentiales principiorum, ex quibus constituitur illa definitio quidditatiua, & per intrinseca, quæ ab Aristotele in secundo Posteriorum etiam nominalis vocatur, sicuti illa, Ecclipsis est priuatio luminis in Luna, ita enim nomen Ecclipsis declarantes exprimimus puram, & nudam Ecclipsis quidditatem. Similiter siquis petat quid significet nomen primorum principiorum, nihil aliud possumus dicere quàm id, quod Aristoteles dicit, quæ ex alijs non fiunt, & ex quibus fiunt omnia, definiti enim respectiui conditiones de-

finientes,

finientes, ac essentiales non possunt esse nisi respectiuæ; quare falsa, ac vana est eorum sententia, qui dicunt has esse tres proprietates consequentes principia,& ijs posteriores, cùm ratio principij ab his abstrahi non possit, imò tota in his tribus videatur esse constituta, & esse idem cum eis,vt quilibet bene occulatus facilè animaduertere potest; primum itaque dictum clarum est. Altera est quòd ratio Aristotelis probabilis est, & Topica, non demonstratiua, quod ostendo, tùm ex consideratione quæsiti, tùm ex consideratione termini medij,quæsitum enim hoc an prima contraria sint principia est absque vllo dubio quæsitum Topicum, quia est quæsitum intentionis non rei, nomen autem principij est prædicatum transcendens; & intentionale, cuiusmodi sunt omnia Topica problemata;reducitur enim ad problema proprij, illius videlicèt proprij, quod in respectu ad alterum dicitur, vt patet in principio quinti libri Topicorum. Est igitur quæsitum Topicum an hoc sit primum principium, sicuti an hoc sit genus, an hoc sit definitio, an hoc sit proprium, an hoc sit accidens rei. De his autem, & de eorum differentia a quæsitis demonstratiuis, diximus aliàs abundè in primo textu secundi libri Posteriorum, quem locum tu lege. Idem ostendo ex consideratione medij termini. Medium enim in demonstratione propter quid, (vt Aristoteles docet in secundo libro Posteriorum) est quidem definitio maioris extremi, non tamen definitio data per intrinseca,quæ dicitur essentialis, & quidditatiua, sed est definitio extrinseca, quæ dicitur causalis, quia traditur per causam externam, quæ non est nisi finis, vel efficiens, si verò per definitionem quidditatiuam maioris extremi demonstremus, petimus principium sicuti si demonstremus in Luna inesse Ecclipsim, eo medio, quia inest priuatio luminis, & aliquid esse hominem,quia est animal rationale,hęc enim est manifesta petitio principij,quia medium est idem, quod maius extremum, quem demonstrandi modum abhorret artifex demonstratiuus, quia ad scientiæ adeptionem inutilis est,& idem demonstratur per idem. Testatur hoc Aristoteles in secundo Posteriorum textu quinto, vbi dicit, quod si demonstremus aliquam esse rei definitionem per definitionem definitionis est petitio principij, quia minor, & conclusio sunt æque ignotæ,qui enim negat hanc esse definitionem illius rei, negabit similiter, quòd ei conueniat definitio definitionis. Deinde in eodem libro in textu octauo ostendit non posse vnam rei definitionem demonstrari per aliam eiusdem definitionem sine petitione principij, in his enim omnibus modis contingit vt medius terminus sit idem formaliter cum maiore extremo, subdit tamen Aristoteles ibi, quòd hic demonstrandi modus cùm sit alienus a demonstratiuo, apud Topicum tamen est in vsu sine petitione principij, & ratio est, quia Topicus non sumit definitionem vt idem cum definito, sed vt quoddam prædicatum illi definito conueniens in quid, & illi æquale, quare non habet pro inconuenienti quod est inconueniens apud demonstratiuum, propterea moris est apud Topicum demonstrare aliquid esse rei proprium per definitionem quidditatiuam proprij, vel esse rei definitionem per definitionem definitionis, vel rei genus per definitionem generis, vel esse accidens rei per definitionem accidentis,huiusmodi est ratio Aristotelis præsens, vt cæcus videre posset, demonstrat enim de primis contrarijs, quòd sint principia per definitionem quidditatiuam principiorum, ideò si ratio sumatur vt demonstratiua, est vitiosa, & petit principium. Si verò vt Dialectica, & aliquam fidem faciens, admitti potest, quare pro Topica eam habere debemus.Possumus autem in libris Topicorum hoc frequentissimè legere,vt nulli dubium esse possit hunc probationis modum esse maximè in vsu apud Topicum. Id etiam ex ipsa sola rei inspectiones manifestum est,nam si quis negaret prima cōtraria esse principia quam fidem ei hæc ratio faceret?certè nulla,quia is etiam negaret minorē,quæ dicit prima contraria non fieri ex alijs,& omnia ex eis fieri,quia hoc sumere est supponere prima cōtraria esse principia,quod quidem erat probandum.Præterea certū est

quòd

quòd in demonstratione potissima subiectum debet esse precognitũ, attamen nos adhùc ignoramus quænã sint ista prima cõtraria; de his enim Aristoteles adhùc indeterminauit, solũ retulit quid dixerint antiqui, ideo nos adhùc ignoramus an prima cõtraria sint rarum, & densum, an lis, & amicitia, an aliqua alia, nescimus ergo quęnam probet Aristotelis esse principia, & reuera nihil aliud facit Aristoteles in hoc textu, nisi quod sumit hoc vniuersale, prima contraria, vt omnium antiquorum dicta comprehendat, & ostendit rationabile esse ea dici principia rerum, & inter principia connumerari stantibus antiquorum verbis, qui ex ijs omnia fieri asserebant. Respicit ergo potius Aristoteles antiquos, & eorum sententiam, quam propriam, de qua hactenus nihil dixit, quare hanc appellare potissimam demonstrationem vanissimum est, demonstratio enim potissima soluit omnibus dubijs animum, & certissimam sententiã ponit, per hanc autem nihil adhùc scimus, & vix nomen ipsum subiecti intelligimus. Idem possumus alia quoque ratione comprobare, quæ maximè a nobis consideranda est, Aristoteles enim minorem syllogismi probans, tertiam eius partem prætermisit, & duas tantum probauit, quod non imprudenter ab eo factum esse existimandum est. Neque etiam verum est, quòd eam probet in sequenti textu, vt ibi ostendemus, cur igitur eam hic omisit? certe si rem bene consideremus, videbimus non esse verum quòd ad hoc vt aliqua dicantur esse principia tres illæ conditiones requirantur, vt non fiant ex alijs, neque ex se inuicem, & fiant omnia ex his. Vna enim hæc tertia sufficit, quæ si adsit, sunt principia omnium: nam cui dubium quod si quæ sint eiusmodi, vt omnia ex eis fiant, erunt omnium principia? aliæ autem duæ conditiones in hac tertia continentur, quia illa ex quibus omnia fiunt, non possunt ex alijs fieri, quia si ex alijs fierent, non omnia fierent ex eis, & supponimus omnia fieri ex eis, cùm possint etiam ex se inuicem fieri, intelligendo fieri constitutiuè, vt supra declarauimus, quia hoc dato necesse esset ea habere priorem materiam, in qua conueniunt, sicuti in elementis videmus, & sic ipsa non essent illa, ex quibus omnia fiant, quæ fiunt, sed illa prior materia esset principium, ex quo fierent omnia illa, quæ dicuntur fieri. Ad hoc igitur vt aliqua dicãtur esse prima principia non requiritur aliud, quàm hoc, vt omnia, quæ fiunt ex eis fiant; ideò Aristoteles in sequenti parte volens scientificè probare principia esse contraria, nil aliud probat, quàm hoc vnum, quòd omnia, quæ fiunt, ex contrarijs fiunt, conditionem enim rei ibi Aristoteles probat; hoc enim est rem ipsam probare; sed ex conditionibus rei rem ipsam probare vt hìc fit, vel est Topicè argumentari, vel est petere principium. Cur igitur tertiam hanc conditionem Aristoteles hìc non probauerit, vnum fuisse puto, quia Aristoteles hanc ex vocabulorum consideratione probare non poterat, quod enim prima contraria quæcunque, ea sint, non fiunt ex alijs, neque ex se inuicem, id patuit ex sola vocum significatione, si enim sunt prima, & contraria, vt supponitur, non possunt fieri ex alijs, neque ex alterutris, quòd autem ex eis omnia fiant, Aristoteles non probauit, quia nulla ratione probare potuit, quia neque ex vi vocabulorum, neque ex dictis antiquorum id patere poterat, imò falsum erat quòd aliqua prima contraria ab antiquis posita eiusmodi fuerint, vt ex eis omnia fierent. Aristoteles igitur non vult probare quod ex illis primis contrarijs, quæ hactenus nominauit, res omnes fiant, sed solum vult probare rationabilem esse hanc consequentiam, quam ipse ex dictis antiquorum facit, ex primis contrarijs omnia fiant, ergo prima contraria sunt principia, quòd igitur ex primis contrarijs omnia fiunt, non est notum, nisi quia antiqui id protulerunt, neque potest probari, sicut diximus. Aristoteles autem alias duas probat ex ipsa vocabulorum vi, tertiam omisit, seù quia voluerit consequentiam probabilem a nobis fieri, quòd si primis contrarijs duæ illæ conditiones adsunt, tertia quoque adsit, seù quòd ex verbis antiquorũ eam desumat, qui dixerũt ex quibusdam primis contrarijs res fieri, reuera enim tertiam conditionem relinquit, vt solo anti-

quorum

quorum testimonio confirmatam. Modus etiam loquendi quo hic vtitur Aristoteles hoc idē significat,cū dicit.[Et hoc rationabiliter]nemo enim sanæ mentis dicere potest, quòd hæc verba significare possint rationem demonstratiuam, sed significant rationem, quæ faciant probabilitatem quandam, hoc idem significauit Ioannes Grammaticus dicens εἰκότως verisimiliter,quæ quidem dictio rationi demonstratiuę minimè potest conuenire, sed Topicæ, vel oratoriæ. Themistius autem, & Simplicius in expositione textus sequentis innuunt rationem hanc fuisse topicam,& leuem, imò ipse quoque Aristoteles ibi significabit hoc,vt mox ostendemus.

Textus Quadragesimus Tertius.

Sed oportet hoc, & in ratione considerare, qualiter contingat. Accipiendum igitur est primum, quod omnium, quæ sunt, nihil neque facere natum est, neque pati contingens a contingenti, neque fit quodlibet ex quolibet, nisi quis accipiat secundum accidens, qualiter enim fiet album ex musico, nisi accidens sit albo, aut nigro musicum? sed album quidem fit ex non albo, & non ex omni, sed ex nigro, aut medijs; & musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex immusico, aut si aliquid ipsis medium.

AVERROES; & Thomas, & Albertus, ac omnes posteriores Philosophi putant Aristotelem hic probare tertiam partem minoris syllogismi facti in præcedenti textu, duas enim partes probauit, videlicet, prima contraria non fieri ex alijs, neque fieri ex se inuicem;nunc dicunt probari tertiam, quòd ex primis contrarijs omnia fiant.Hæc expositio admitti non debet, quia non est consona verbis Aristotelis, qui his verbis significat se probare velle non partem eorum,quæ dicta sunt,sed totum id,quod prius persuasit, quasi prius nullam attulerit rationem,est enim perpendenda illa particula [hoc]quæ non potest significare solùm illud,quòd ex primis contrarijs omnia fiant, huius enim nulla mentio facta fuit in vltimis verbis textus præcedentis,sed significat totum illud quod ibi demonstrabatur,si etiam perpendamus verba illa[sed oportet,]& vim illius particulę aduersatiuæ[sed] deinde, & illa alia [& in ratione] manifestè patet quòd Aristoteles nihil hactenus probauit, ratione, sed solum ex dictis antiquorum aliquid deduxit ad confirmationem illius veritatis,quam ipse mox dimissa antiquorum consideratione,& sola ratione duce est inuestigaturus, deduxit enim quod rationabile est,prima contraria esse principia rerum,quoniā antiqui ex contrarijs quibusdam primis res fieri dicebant.Pręterea si ea expositio vera esset,oporteret hic Aristotelē seruare eundem loquendi modum, quo vsus est in præcedenti textu, at ibi nominauit prima contraria, & illis attribuit tres illas conditiones, ergo oporteret Aristotelem etiam hic nominare prima contraria, & ostendere quòd ex eis omnia fiant, ipse tamen missam penitus faciens eam dictionem [prima] nihil aliud probat, nisi quòd omne quod fit ex suo contrario fit, quare non de primis tantum contrarijs loquitur, sed de omnibus vniuersim, nam in præcedenti textu respiciebat solùm antiquorum dicta, ideò quia singuli eorum aliqua duo certa contraria nominabant, ex quibus omnia fierent, quæ erant prima primitate causalitatis, iure Aristoteles secundum antiquos loquens, ea appellauit prima, hic au-

rem cùm Aristoteles ex mente propria veritatem patefacere velit, non dicit prima contraria, ipse enim nulla ponit determinata contraria, quæ sint prima causalitate, sed duo prima statuit primitate communitatis, quę omnia contraria complectantur, ideò non vocat prima. Præterea manifestum est in præcedenti textu Aristotelem accepisse particulam [ex] constitutiuè non terminatiuè, per hæc enim multa dubia soluimus, quæ alioquin non soluerentur: comparauit autem prima contraria tùm inter se dicens ea ex se inuicem non fieri, tùm cum alijs omnibus præter illa, & dixit omnia fieri ex eis, & vtrobique dictio ex, significet fieri constitutiuè, nondùm prima contraria inter se comparantur, dicit Aristoteles vnum ex altero non constitui, dùm verò ea cum alijs rebus confert, dicit omnes res ex primis contrarijs constitui, hìc autem sumendo, ex, terminatiuè, dicit omne contrarium ex suo contrario fieri, quæ non potest esse probatio illius partis, quod ex primis contrarijs omnia fiant, quia ibi Aristoteles comparabat, prima contraria non inter se, sed cum alijs rebus; hìc autem dicens contrarium ex contrario, fieri confert duo contraria inter se secundùm alium sensum, & diuersum ab eo, secundùm quem comparauit ea inter se in præcedenti textu, ibi enim sumendo ex, constitutiuè negauit contrarium ex suo contrario fieri; hìc verò sumens, ex, terminatiuè, affirmat omne contrarium ex suo contrario fieri, quare secundùm eam expositionem non possunt Aristotelis verba in textu hoc cohærere cum dictis in textu præcedenti, quia hoc non probant illud, quod ibi dictum fuit, alias omnes res ex primis contrarijs constitui. Vicomercatus respiciens conclusionem, quam postea in textu Quadragesimoseptimo Aristoteles colligit, putat intentionem esse ostendere, quòd omnia quæ natura fiunt, sunt vel contraria, vel ex contrarijs constantia, hoc enim ibi Aristoteles concludet, sed neque hæc expositio est verbis Aristotelis consentanea, Aristoteles enim dicit [Oportet hoc considerare] illud igitur vult probare, quod per illam dictionem [hoc] significatur quæ procul dubio ad sequentia referri non potest, sed ad præcedentia, solùm. Est igitur dicendum, quòd Aristoteles nunc vult argumento naturali, & proprio eam veritatem demonstrare de principijs contrarijs, quam hactenus ex solo antiquorum testimonio, & argumento probabili & communi, ex eorum verbis desumpto adumbrauit, & leuiter persuasit, debemus autem comparare problema, quod ab Aristotele hìc proponitur, cum problemate proposito in textu præcedenti, vt videamus illum fuisse Topicum, hoc autem demonstratiuum, & naturale, ibi enim proposuit probādum quòd prima contraria sunt principia rerum, & fuit quæstio intentionis, non rei; hìc autem probat omnia, quæ fiunt, fieri ex suis contrarijs, quæ est quæstio rei, fieri enim ex suo contrario est terminus realis & naturalis. Similiter enim dicimus, quòd quæstio an risibile insit homini vt proprium, est quæstio Topica, quæstio autem an homo sit risibilis, est quæstio demonstratiua. Hæc expositio ponitur hìc clarè a Ioanne Grammatico, & a Themistio, qui dicunt cùm hoc non sit valde clarum ex dictis, oportet melius id demonstrare. Simplicius etiam dicit apertè, quòd ratio prius facta communis fuit, & Aristoteles hìc vult afferre rationem maximè propriam ad probandum, quòd inter rerum principia sunt connumeranda ipsa contraria, & addit rationem Simplicius cur ratio prius facta debilis fuerit dicens per eam non constasse, quòd omnia ex contrarijs fiant, quæ quidem est præcipua principiorum, quæ hìc quæruntur, conditio. Quod ad verba Aristotelis attinet est primò notandum illud verbum [oportet] quod significat esse necessarium vti ratione propria, & naturali, quæ scientiam faciat, quia ratio illa Topica sufficiens non fuit, quid autem intelligat Aristoteles per [rationem] non est clarum. Auerroes enim, quem multi sequuntur, dicit Aristotelem intelligere inductionem. Simplicius autem intelligit vnam demonstrationem a priori per causam veram rei, & dicit Aristotelem velle causam afferre, cur ex contrarijs omnia fiant. Simplicium quidam posteriores sequuntur, qui dicunt

Aristotelem

Aristotelem facere demonstrationem a priori, quam ita formant, a quibus primis non resolubilibus in alia pendent omnia, illa sunt omnium principia; sed a primis contrarijs omnia pendent, vt a primis non resolubilibus in alia, ergo prima contraria sunt, omnium principia. Quæ quidem demonstratio neque Aristotelis est, neque vllo pacto admittenda, non enim est demonstratio, sed ratio Topica, qualem diximus esse rationem factam in textu præcedenti, nam medius terminus est definitio quidditatiua maioris extremi, & idem cum eo, quare petit principium. Est etiam quęsitum Topicum, sicuti in textu præcedenti diximus, neque Aristoteles hic prima contraria nominat, sed absolute contraria vult enim ostendere quòd omne, quod fit, fit ex suo contrario: appellatio autem primorum contrariorum respiciebat antiquos in præcedentibus, ipsi enim statuebant duo aliqua prima contraria, ex quibus omnia fiunt, sed Aristoteles nondùm constituit duo prima contraria eiusmodi, imò neque postea constituet eo modo prima, sed solùm prima primitate communitatis, quæ omnia contraria comprehendunt, quare ista formatio rationis est alienissima ab Aristotele. Et omninò Simplicij sententiam reijciendam puto, quòd Aristoteles vti velit demonstratione per causam, sed Auerroi adhæreo, quod Aristoteles intelligat per [rationem] inductionem, quam etiam mox faciet, vbi enim res ad sensum patet, & non est animaduersa, sufficientissima ratio est inductio, neque alia vti debemus, quia habemus testimonium sensuum, vanum est aliam rationem inuestigare. Quòd autem omne, quod fit, ex suo contrario fiat, ad sensum patet in singulis, sicuti videbimus mox Aristotelem esse consideraturum. Hæc igitur est ratio propria, & naturalis, quia sensata, nihil, enim naturalius est, quàm quod sensatum est; propterea dicit Aristoteles esse considerandum [qualiter contingat] quia non solùm vult, vt cognoscamus rem ita esse, & omnia ex contrarijs fieri, sed etiam vt videamus modum quo id fit; qui autem ratione vera, & sensata aliquid cognoscit, simul etiam cognoscit modum quo, id fit, aut est. [Accipiendum est igitur primum] Incipit Aristoteles exponere dictam rationem, quam diximus esse inductionem. Sed vt ea intelligatur notandum est quod agens naturale semper contrarium est patienti secundùm formam, licèt necessario conueniat cum eo in materia, nam si formam quoque similem, haberent agens, & patiens, non fieret actio, non enim ignis in alterum ignem agit, neque calidum in calidum, sed in frigidum, & intentio, ac scopus agentis est destruere formam contrariam, quæ in patiente est, & introducere formam similem suæ formæ, & sic reddere patiens simile sibi in forma, vt ignis calidus agit in aquam frigidam, vt destructa frigiditate aquæ reddat aquam calidam, sicut ipse est calidus; patet igitur quòd patiens est in principio contrarium agenti ratione formæ, in fine autem est factum illi simile. Ex his sequitur quòd omne patiens, quod transmutatur, transmutatur de contrario in contrarium, & omne quod fit, fit ex suo contrario, & quod corrumpitur, in contrarium corrumpitur, hoc enim necessario sequitur ex ijs, quæ nunc diximus de agente, & patiente; Si enim patiens, quod dicitur transmutatum, vel factum, habuit in principio transmutationis formam contrariam formæ agentis, in fine autem ea dimissa recipit formam similem formæ agentis, & contrariam suæ formæ, quam prius habebat, manifestum est, quòd termini omnes transmutationis sunt contrarij, & omne, quod fit ex suo contrario fit, si quid enim dicitur fieri calidum, necesse vt ex non calido, & ex frigido calidum fiat, si enim prius fuisset similiter calidum, non verè diceremus postea fieri calidum; si etiam corrumpatur calidum, necesse est vt in non calidum corrumpatur, & sic transeat de calido in non calidum, quia si seruaretur calidum, non diceretur calidum corrumpi. His intellectis Aristoteles in textu duo dicta profert, alterum de agente, & patiente, quòd sunt contraria, alterum de terminis omnis mutationis quòd semper sunt contrarij; Primum dictum ijs verbis patet. [Accipiendum est igitur primum, quòd omnium

quæ ſunt nihil neque facere aptum eſt, neque pati contingens a contingente] ſenſus eſt, quòd agens non agit in quodlibet indiſtinctè, ſed in contrarium, neque patiens patitur indifferenter a quolibet, ſed a contrario, non enim ignis agit in lignum, vt album, ſed vt frigidum; per accidens eſt enim, quòd patiens a calido fit album, ſed per ſe patitur a calido inquantum frigidum, & calidum agit in illud vt in frigidum. Certum igitur eſt, ac determinatum patiens, in quod agat ipſum patiens, & determinatum eſt agens, quod in tale patiens agat, eſt enim eius contrarium, non quodlibet indiſtinctè. Notanda ſunt illa verba, [omnium, quæ ſunt] quibus non vult Ariſtoteles ſignificare omnia entia abſolutè, ſed ea ſolùm quæ mutuo patiuntur, & agũt, ſeù ea, in quibus mutua transmutatio locum habet. Deinde cùm dicit Ariſtoteles [neque fit quodlibet ex quolibet] ponit alterum dictum quod pertinet ad fieri, & trãſmutari non ad agere, & pati, ſimiliter enim non fit quodlibet ex quolibet indifferenter, ſed ex determinato termino a quo nempe ex contrario. Vbi aduertendum eſt quod dictio, ex, ſumitur hìc alio modo quam in præcedenti textu ſumpta fuerit, ibi enim accipiebatur fieri ex alio conſtitutiuè, ideo Ariſtoteles negauit contrarium ex ſuo contrario fieri; hìc verò ſumit fieri ex alio terminatiuè, quare dictio, ex, ſignificat terminum a quo, & idem dicit quòd, poſt; ideò Ariſtoteles affirmat quòd contrarium fit ex ſuo contrario, ideſt, poſt ſuum contrarium, tanquam terminus ad quem, ex termino a quo, & ſic dicit Ariſtoteles quod termini mutationis non ſunt quodlibet indiſtinctè, ſed certi, ac determinati, videlicèt contrarij. Declaratis his duobus dictis Ariſtotelis declaranda eſt etiam intentio Ariſtotelis ea proferentis, vt totam huius partis Methodum intelligamus; Certum eſt primò, quod primum dictũ de agente, & patiente ad propoſitum huius loci non pertinet, ſed ſecundum ſolum, nihil enim hìc pertinet conſiderare quòd agens agat in contrarium, & patiens a contrario patiatur; quare proculdubio primum dictum ponitur ab Ariſtotele propter ſecundum; ideò Simplicius, & multi, qui putant Ariſtotelem hìc velle vti demonſtratione a priori, dicunt Ariſtotelem colligere ſecundum dictum, quod principaliter intendebat, ex primo vt effectum ex cauſa; nam cauſa cur id, quod fit, fiat ex ſuo contrario, eſt, quoniam agens agit in patiens ſibi contrarium, quemadmodum ſuperius declarauimus, & ſic demonſtratio Ariſtotelis eſt a priori per cauſam. Sed reuera ſi modum loquendi Ariſtotelis expendamus, non ita loquitur, vt ex primo dicto inferat ſecundum, ſed vtrumque profert, vt ſimiliter, dictio enim illa [accipiendum] ſignificat ſupponendum, ſæpe enim in primo libro Poſteriorum animaduertimus Ariſtotelem vti verbo accipere pro ſupponere, hæc autem dictio non eſt propria primi dicti, imò ponitur ab Ariſtotele vt communis etiam ſecundo, vt patet ex coniunctione, dicit enim Ariſtoteles [neque fit quodlibet ex quolibet] quare cogimur dicere quòd Ariſtoteles vtrumque accipit ſimiliter, & ſupponit, non probat ſecundum ex primo. Ego igitur dicendum puto quòd Ariſtoteles ponit primum dictum propter ſecundum, non vt cauſam eius, ſed vt quodammodo idem, & propter faciliorem ſecundi intelligentiam, nam reuera de agente, & patiente quomodo ſint contraria, non locus eſt hìc declarandi, ſed id fit in primo libro de Generatione, hìc ponitur vt confuſè notum ſimul cum eo quod fit. Et quamuis Ariſtoteles intendat tantùm ſecundum dictum, tamen vtrumque ponit ad faciliorem intelligentiam, quia ſe mutuò conſequuntur; poſtea verò Ariſtoteles dimiſſo primo, de quo nihil amplius dicit, in ſecundo ſolo perſiſtit, quod declarare intendit, ipſum enim declarabit exemplis, quæ quidem exempla habebunt locum inductionis, & hæc inductio occupabit textum præſentem, & quatuor ſequentes. Debemus igitur dicere quòd in his quinque textibus Ariſtoteles inductione probat hoc ſecundum dictum a ſe præcipuè intẽtum quòd omne, quod fit, ex ſuo contrario fit. Sed obijcere quis poſſet; ſi Ariſtoteles hoc ſecundum dictum accipit, & ſupponit, quomodo poſtea id inductione probat?

bat? Dico quòd argumentum hoc valet contra dicentes Aristotelem demonstratione hic vti, dicere enim quod aliquid supponatur, & demonstretur, implicat contradictionem, sed non implicat si dicamus, aliquid supponi, & tamen inductione probari; Patet hoc in textu vndecimo huius primi libri, vbi Aristoteles dicebat [supponuntur nobis, quæ sunt natura, aut omnia, aut quædam moueri] deinde adiecit [id autem manifestum est per inductionem] ratio autem huius est, quoniam inductio est instrumentum, quo principia & suppositiones confirmamus, non enim potest probare rem per se ignotam, sed rei per se notæ euidentiam declarat, & ostendit eam per se notam esse, & sensatam. Docet autem Aristoteles hoc secundo Priorum cap. de Inductione. Sexto Ethicorum cap. tertio, & primo Posteriorum trigesimotertio, & secundo Posteriorum vltimo. Accipit ergo Aristoteles vt notum, quòd omne, quod fit ex suo contrario fit; deinde inductione in omnibus ostendit ita rem se habere, & adducit testimonium sensuum. [Nisi quis accipiat secundum accidens.] Tollit Aristoteles his verbis tacitam obiectionem, non enim videtur quod solum ex suo contrario aliquid fiat, sed etiam ex quolibet indistinctè. Nam si quis desinens esse musicus, fiat albus, dicetur fieri ex musico albus, quæ tamen contraria non sunt. Ad hoc Aristoteles dicit quòd non est per se, sed per accidens, quòd ex musico fiat albus, per se autem non fit albus nisi ex suo contrario, ex nigro, qui enim prius niger fuit, postea fit albus, sed quia contingere poterit vt qui erat niger, simul etiam esset musicus, videtur ex musico fieri albus, quod tamen est per accidens, per accidens enim dicitur quod potest esse, & non esse, albus autem potest esse simul cum musico, potest esse etiam non musicus, ergo per accidens est vt tunc fiat albus, cùm desinit esse musicus, quoniam poterat simul manere musicus, & albus. Non sic niger, & albus, contraria enim sunt, & simul stare non possunt, ideò est per se, quod desinente vno fiat alterum, per se igitur non fit aliquid, nisi ex suo contrario. Deinde cùm dicit Aristoteles [sed album quidem fit ex non albo] declarat melius quodnam sit illud contrarium, ex quo per se aliquid fit, & dicit esse propriam priuationem, quam reuera significat nomine contrarij, quia sumit contrarietatem large prout complectitur etiam oppositionem priuatiuam, vt Auerroes ait; sed quia non album potest dupliciter sumi, primò pro pura negatione; secundò pro priuatione propria, ideò volens Aristoteles, vt sano modo accipiamus non album, videlicet pro priuatione, non pro negatione, subdit [& hoc non ex omni, sed ex nigro, aut medijs.] Sensus est, quando dicimus album fieri per se ex non albo, non debemus intelligere quodvis non album, quia (vt notat Albertus) si accipiatur non album negatiuè, & vt nomen infinitum conuenit omnibus entibus præter album, & sic Deus est non album, cœlum est non album, anima est non album, ex tali autem non albo non dicimus album per se fieri, si enim hoc diceremus, incideremus in illud quod negauimus, videlicet quod fieret ex quolibet quodlibet, cũ omne ens possit dici non albũ, dicimus igitur album fieri ex non albo, sumendo non album pro priuatione. Differt autem priuatio a negatione, quoniam priuatio dicit absentiam habitus cum aptitudine, & potentia propinqua ad illum: ideò Aristoteles non potuit melius significare nõ album pro priuatione acceptum, quàm dicendo nigrum, & medios colores, nigrum enim habet potentiam ad albũ, & sic medij colores, quia omne coloratum est in potẽtia ad omnes alios colores. Declaratur hoc etiam ab Auerroe in septimo Comment. Quinti Physicorum, vbi dicit quod non fit transitus de non esse ad esse, sumendo nõ esse pro pura negatione, sed sumendo non esse pro priuatione, quæ habet aptitudinẽ coniunctam: ideò notandum quòd vnum contrarium habet semper annexam priuationẽ sui contrarij cum potentia ad illud, contraria enim versantur circa idẽ subiectũ, & ab eo se mutuo pellunt, quoniam igitur in contrarijs mediatis contrarietas est non modo inter extremum, & extremum, sed etiam inter extremum, & medium, & pri-

uatio vnius extremi non modò ſtat cum altero extremo, verùm etiam cum medijs, ideò Ariſtoteles volens ſignificare non album, quod eſt priuatio albi, non ſolum nigrum nominauit, ſed etiam medios colores, ex tali enim non albo, quod eſt nigrum, vel medium, dicitur per ſe fieri album; [& muſicum ex non muſico.] Altero exemplo declarat idem Ariſtoteles, & dicit, muſicum fit per ſe ex non muſico, non quidem ex quouis non muſico, ideſt, ex non muſico accepto negatiuè, & pro infinito nomine, ſed ex non muſico accepto priuatiuè, cum potentia ad muſicum. Quamquidem priuationem ſignificat Ariſtoteles per illam dictionem [immuſicum] quale immuſicum non poteſt eſſe niſi in homine, qui eſt capax muſicæ, & poteſt fieri muſicus. Eſt autem hìc animaduertendum, quòd Ariſtoteles duobus exemplis hìc vſus eſt, altero de vera contrarietate, vt eſt inter album, & nigrum; altero de ſola priuatiua oppoſitione, vt inter muſicum, & immuſicum, vbi verum contrarium non adeſt; id autem non fecit ad indicandum ſe non ſumere propriè contrarietatem, ſed largè vt complectitur etiam priuatiuam oppoſitionem. In primò enim exemplo nominauerat vera contraria album & nigrum, non quidem quia ea quatenus vera contraria ſumeret, ſed ad ſignificandam priuationem cum eis coniunctam, ex qua res propriè dicitur fieri. Propterea vt melius cognoſceremus accipi hìc contraria ad denotandam priuationem alterius contrarij, ſubiecit alterum exemplum de muſico, & immuſico, vbi non eſt propriè contrarietas, ſed ſola oppoſitio priuatiua, vt per hoc intelligamus, quod cum prius dixit album fieri ex nigro, vel medijs, accepit nigrum & medios colores, prout cum ijs ſtat priuatio albi cum aptitudine ad illud; poteramus enim decipi & ſumere non album pro pura negatione, quem malum ſenſum non potuit Ariſtoteles melius remouere, quam nominando verum contrarium nigrum, ſed nos debemus accipere nigrum non pro ſeipſo, ſed vt declarationem nõ albi. Verba illa [aut ſi aliquid ipſis eſt medium] non ita ſunt accipienda vt Ariſtoteles aſſerat dari medium inter muſicum, & immuſicum, ideſt inter priuationem, & habitum, nam (vt Auerroës notat) cognouit Ariſtoteles non dari vnquam medium inter priuatiuam oppoſitionem, ſed quia nominando prius album, & nigrum, nominauit etiam medios colores, poſtea nominans muſicum, & immuſicum, voluit ſub conditione ſubdere, & ſi quid eis eſt medium, quia non vult id in præſentia determinare, ad præſentem enim conſiderationem nihil pertinet; ideò eſt modus quidam loquendi ſignificans reijci nunc iſtam conſiderationem, neque aſſerens medium dari inter priuationem, & habitum, quia conditionalis nihil ponit in eſſe. Ex his patet quantum errent illi, qui hoc in loco diſputant, an detur medium inter priuationem, & habitum, volunt enim inquirere, quod Ariſtoteles reijcit, qui hìc non magis curat concedere, quàm negare medium priuatiuæ oppoſitionis.

Textus Quadrageſimus Quartus.

Neque igitur corrumpitur contingens primum, vt album non in muſicum, niſi fortè ſecundùm accidens, ſed in non album, & in non album, non in contingens, ſed in nigrum, aut medium. Similiter autem muſicum in non muſicum, & hoc non in contingens, ſed in immuſicum, aut ſi ipſis aliquid medium eſt.

Qvod


Vod declarauit Aristoteles de eo, quod fit, nunc declarat etiam de eo quod corrumpitur, & textus est clarus, dicit enim quod sicuti album non fit ex quouis, sed ex non albo, & eo accepto, non pro negatione, sed pro priuatione, ita album corrumpitur in non album, idest, in priuationem, & dicit Aristoteles [primum] idest pro seipso, quia non negat album posse corrumpi in musicum, sed est per accidens. Pro horum omnium meliore cognitione dubitatur, quia diximus ex nigro fieri album, non quatenus nigro, sed quatenus non albo, ergo sequitur, quòd ex nigro ita per accidens album fiet, vt ex musico, quia non albo accidit vt sit nigrum, & vt sit musicum, & ex neutro horum duorum, quatenus tali album fit; male ergo Aristoteles dixit non fieri album ex musico, sed ex nigro, debuit enim dicere neque ex musico, neque ex nigro, sed ex non albo. Dicendum non esse parem rationem de musico, & de nigro respectu albi, cùm enim per se primò fiat album ex non albo, huic non albo est merè accidentale, vt sit musicum, non sic ei est accidentale, vt sit nigrum, imò est necessarium, & essentiale ipsi non albo dicenti priuationem cum aptitudine vt vel nigrum, vel medium habeat colorem, quia cum contrario, vel cum contrario, & medijs stat essentialiter connexa priuatio alterius contrarij, vt declaraui alias cum Aristotele in textu decimo primi libri Posteriorum. Quare Aristoteles per nigrum, & medios colores potuit insinuare non album vt priuationem necessario cum eis connexam, sed non sic per musicum, quod est merè accidentale ipsi non albo. Hanc rem optimè declarat Auerroes in præsenti Commentario quadragesimoquarto, & dicit aliquid fieri ex aliquo per se primò, & fieri ex aliquo per se secundò, & fieri ex aliquo per accidens; per se primò fit aliquid ex sua priuatione, ideò hæc non nisi vna esse potest, vt ex non albo album; per se secundò fit aliquid ex suo contrario propriè sumpto, & hoc non est necessario vnicum, sed possunt esse plura vno, vt cùm contraria sunt mediata, vt album fit per se secundò ex nigro, vel medio aliquo colore, nam etiam medij habent rationem quandam contrarij respectu albi; & hæc sunt plura, ex quibus dicitur per se fieri album, quia per se, & essentialiter sunt coniuncta cum priuatione albi, sed non primò, quia non quatenus nigrum, vel rubeum, sed quatenus non album; terminus enim a quo primus vnus esse debet; per accidens autem fit album ex musico, ex grammatico, ex ambulante, & alijs similibus, quæ accidentaliter sunt coniuncta cum non albo, & hæc non modo sunt non plura vno, sed infinita. Notandum autem quòd priuatio alicuius formæ duplex esse potest, aliqua enim est coniuncta cum altera forma verè contraria, vt non album cum nigro, vel colore medio, aliqua verò est coniuncta cum altera forma tantùm diuersa, sed non contraria, quæ tamen solet per similitudinem dici forma contraria, quod contingit in generatione substantiali, nam priuatio formæ humanæ est coniuncta cum forma seminis diuersa tantùm a forma hominis non contraria, dicitur tamen contraria per quandam similitudinem, & quia est necessariò coniuncta cum priuatione hominis, sed de hac re loquemur in fine huius primi in quæstione quam faciemus de natura materiæ primæ. Tangitur etiam a multis contradictio quædam in dictis Auerrois, qui in hoc Commentario dicit quòd album per se fit ex non albo, ex nigro autem, & medijs per se secundò, quia mediante priuatione. Sed in quinto Physicorum Commentario Octauo, & Quinquagesimoprimo Auerroes dicit oppositum, quòd album per se primo fit ex nigro vel medijs, ex non albo autem per accidens. Respondetur per differentiam, quæ est inter generationem, & motum, seu inter fieri, & moueri, fieri enim & generari siuè simpliciter, siue secundùm quid, propriè denotat transitum de non esse ad esse, & sic de priuatione ad formam, fit enim quod non erat prius, ideò si aqua fiat calida, & illam mutationem nominemus per verbum fieri, vel generari; fit per se primò ex non calida, per se secundò ex frigida; quòd si illam eandem

mutationem appellemus motum, in quantum motus fit ex frigida calida per se primò; moueri enim dicit transitum de termino positiuo in positiuum, vt ex tali in tale, ideò Aristoteles in quinto Physicorum dicebat motum esse transitum de subiecto in subiectum, intelligens nomine subiecti terminum positiuum, generationem verò esse transitum de non subiecto in subiectum, idest, de priuatione ad formam, vide pro his Auerroem in Comment. septimo quinti libri Physicorum. Sublata est igitur omnis contradictio, quia Auerroes in quinto Physicorum loquitur de motu quatenus est motus, hìc autem de ipso fieri, & de generatione. Aliud hìc dubium oritur, quomodo Aristoteles dicat transitum fieri a priuatione ad formam, cùm in post prædicamentis dixerit impossibilem esse transitum a priuatione ad habitum. Ad hoc dictum est, quòd priuatio dupliciter sumitur, vel ante habitum, vel post habitum. Illa quidem quæ est ante habitum priuat solùm actum, non priuat potentiam, ideò ab hac priuatione ad habitum datur progressus, & de hac Aristoteles hìc loquitur; illa verò quæ sequitur habitum, tollit, & actum, & potentiam ad eundem numero habitum, ideò impossibilis est regressus ab hac priuatione ad eundem numero habitum, qui est corruptus, & de hac loquebatur Aristoteles in post prædicamentis. Sed adhuc dubitatur, quia Aristoteles in textu quadragesimoquarto dixit corrumpi musicum, non in quiduis non musicum, sed in immusicum idest, non in puram negationem, sed in priuationem, attamen non videtur differre pura negatio ab ea priuatione, quæ sequitur habitum, si hæc tollit actum, & potentiam simul, nam etiam pura negatio tollit actum & potentiam. Dico quòd omnis priuatio dicit aptitudinem ad habitũ in subiecto, in quo est, sed vel pro tempore futuro, vel pro præterito; priuatio enim præcedens habitũ dicit potentiã ad eum pro tẽpore futuro, priuatio verò sequẽs habitũ notat potẽtiã ad habitũ pro pręterito; significat enim subiectũ illud fuisse capax illius habitus, aliter enim non diceretur priuatio, sicuti excœcato homine illa cæcitas dicitur priuatio, quoniam est in re, quæ fuit alias capax visionis; in hoc igitur differt omnis priuatio a pura negatione, quia pura negatio nullam potentiam in eo subiecto notat ad habitum, & pro nullo tempore, vt in lapide est pura negatio visionis, quia neque est, neque fuit vnquam, neque erit in lapide potentia ad visionem. Sciendum præterea, quòd tam priuatio ex qua res fit, quàm priuatio in quam res corrumpitur, dicit quoddam certum, & determinatum oppositum illius formæ, quatenus vtraque priuatio est coniuncta cum quadam alia determinata forma, non tamen cum eadem, sed cum duabus diuersis, nam priuatio, ex qua fit homo, est coniuncta cum forma seminis, ideò dicitur homo ex semine fieri, sic enim per semen denotamus priuationem propriam ex qua homo fit; priuatio verò, in quam homo corrumpitur est coniuncta cum forma cadaueris, ideò dicimus hominem corrumpi in cadauer, propterea vtraque priuatio dicit oppositum determinatum formæ humanæ, & ea determinatio oritur ab illa alia vna forma, quæ est necessario connexa ipsi priuationi. Qua de re loquimur fusius in fine primi libri in discursu de materia prima, vnde videns, quòd sicuti habitu corrupto non datur amplius regressus, ad eundem numero habitum, ita etiam facto transitu a priuatione ad formam, non datur amplius regressus ab illa forma ad illam eandem numero priuationem, quæ præcessit, cùm enim ex semine homo fiat, non corrumpitur postea in semen, sed in cadauer, diuersas namque priuationes faciunt diuersæ illæ formæ, cum quibus sunt coniunctæ, vt in dicto discursu magis patebit.

Textus Quadragesimus Quintus.

Similiter autem his, & in alijs, quoniam, & non simplicia eorum, quæ sunt, sed composita secundum eandem se habent rationem: & propterea quòd opposita dispositiones non denominatæ sunt, latet hoc contingens. Necesse est enim omne consonans ex in consonanti fieri, & inconsonans, ex consonanti & corrumpi consonans in consonantiam, & hanc non in contingentem, sed in oppositam.

THEMISTIVS dicit quòd cùm Aristoteles in accidentibus ostenderit contrarium fieri ex suo contrario, idest, ex priuatione propria, nunc vult idem ostēdere in substantijs, quas quidem vocat compositas; Hęc continuitas admittenda non est, & rectè a Ioanne Grammatico, & ab alijs refutatur, quoniam Aristoteles in tota hac parte non distinguit generationem substantiæ a generatione accidentis, sed communiter, & confusè de vtraque loquitur, vtens exemplis accidentium vt notioribus, præcipuè tamen volens vt in substantijs intelligamus, quare tàm dicta, quàm dicenda debent indistinctè intelligi, & de accidentibus, & de substantijs. Dicamus itaque cum alijs, quòd cum Aristoteles in simplicibus declarauerit quod fiunt ex suis contrarijs, nunc vult idem declarare in compositis, in quibus res occultior erat. Simplicia intelligo quasdam formas, quæ nullam concernunt compositionem, vt album, nigrum, musicum, cuiusmodi fuerunt omnia exempla, quibus hactenus Aristoteles vsus est; quodlibet enim talium videtur, ex vno generari, & nullam præseferre congregationem multorum, vt album ex nigro, & rubeum ex albo, in quibus est per se notum quòd singulū ex sua priuatione fit. Composita autem hìc intelligunt quædam quæ ita fiunt, vt ex multorum coitu, & compositione generari videantur, quod & in naturalibus, & in artificialibus possumus videre, nam homo ex multarum partium compositione videtur generari, sic nauis, domus, & similia. In his vult Aristoteles ostendere, quòd similiter ex suis contrarijs fiunt, quodquidem in eis magis latebat, quàm in simplicibus ob rationem, quam ipse Aristoteles in textu adducet. Hæc est huius partis vera continuatio, quæ ab ipsomet Aristotele in textu ponitur; nos autem notare debemus quòd Aristoteles hæc faciens complet inductionem, quam in textu quadragesimotertio facere cœpit, ibi enim in simplicibus docuit per solam exemplorum consideratione, quòd fiunt ex suis contrarijs, nunc prosequitur dicens, quod idem euenit in ijs formis, quæ ex multorum coitu fieri videntur, & consistere in partium dissimilium compositione, & resultare ex multorum compositione, vt postea colligat in omnibus, quæ fiunt, id euenire vt ex suis contrarijs fiant. Litera est clara. Aristoteles enim primò rationem reddit, cur in his compositis occultius sit quòd ex contrarijs fiant, & dicit rationē esse quia [opposita dispositiones] idest priuationes oppositæ nomine carent, in simplicibus autem vt plurimum sunt nominatæ, nam Græci per additionem literæ α faciunt nomen priuatiuum, dicunt enim μυσικὸν & ἄμυσον δίκαιον, & ἄδικον. Nos vero idē facimus per additionē syllabæ, in, dicimus enim musicū in musicū, iustū, iniustū; at in cōpositis hoc non est ita in vsu, neque ita cōmodè fieri potest, hominis enim cōpositionem cū proprio vocabulo appellemus hominē, nō habemus quomodo appellemus propriam eius cōpositionis priuationē, sic nauis, domus & aliorum compositorū, sed vtimur negationibus, & nominibus infinitis pro priuatiuis, dicimus

mus enim, non homo, non domus, & in alijs similiter. Quoniam igitur propriæ horum compositorum priuationes non sunt nominatæ, ideò minus videtur, quòd talia ex suis priuationibus fiant. Aliqui tamen admonent, quòd hoc, quod Aristoteles hîc dicit, verum est de priuationibus particularibus, & proprijs, vniuersales enim habent nomina, nam ἁρμονία significat formam quandam ex compositione resultantem, tamen eius priuatio apud Græcos est nominata, & dicitur ἀναρμοστία, nos quoque dicimus consonantiam, & inconsonantiam: dicimus etiam ordinem, inordinationem, compositionem, & incompositionem, hæc enim sunt nomina vniuersalia formarum ex multorum coitu prodeuntium, sed propria consonantia partium hominis, propria illa compositio, non habet nominatam propriam priuationem, idest, dissonantiam, quæ solùm consonantiæ partium hominis opponatur, vel incompositionem, quæ soli humanæ compositioni opponatur, & sic reliquæ particulares compositiones non habent nominatas, proprias, & peculiares priuationes, sed appellantur generis communis, videlicèt, inconsonantia, inordinatio, incompositio, sed quamuis priuationes propriæ non habeant propria nomina, per hoc non stat, (inquit Aristoteles) quin quælibet talis forma non fiat ex suo contrario, ex propria priuatione. Verùm est enim quòd si fit consonantia aliqua, fit ex peculiari priuatione ex propria inconsonantia sibi opposita; datur enim procul dubio inconsonantia propria, quæ est propria priuatio consonantiæ partium humani corporis, quæ alij consonantiæ non opponitur. Ideò Aristoteles dicit, consonans ex inconsonanti fieri, & inconsonans ex consonanti, & consonans corrumpi in consonantiam, non quidem omnem, & quamcunque, idest, non in consonantiam vniuersalem, quæ omni consonantiæ vniuersaliter opponitur, [sed in oppositum] idest, in vnam certam, & propriam inconsonantiam sibi peculiariter oppositam, licèt innominatam, quæ dicit priuationem illius tantùm consonantiæ cum aptitudine ad eam solam, & hoc est, quod Auerroes in his commentis vocat contrarium nominatum, quando dicit, omne, quod fit, fieri ex contrario nominato, idest, ex denominata, & sibi propria priuatione cum aptitudine, nam dissonantia accepta in communi innominata est, quia est priuatio omnis harmoniæ tàm hominis, quàm equi, quam domus, vocum, & omnium aliarum rerum; quòd si sumatur negatio harmoniæ, ea adhùc amplior, & confusior est, nomen enim infinitum conuenit omnibus tàm entibus, quàm non entibus.

Textus Quadragesimus Sextus.


Differt autem nihil in consonantia dicere, aut ordine, aut compositione, manifestum enim est quod eadem sit ratio. At verò, & domus, & statua, & quodlibet aliud fit similiter, domus enim fit ex eo, quod non composita, sed diuisa sunt hæc sic: & statua, & figuratorum aliquod ex infigurato, & vnumquodque horum secundùm alia quidem ordo, secundùm alia verò compositio quædam est.

HAS formæ, quæ ex multorum interuentu, & coitu proueniunt, solent varijs nominibus appellari, dicimus enim compositionem, ordinem, consonantiam, figuram, & alia multa, quæ compositionem quandam dicunt, imò eandem rem possumus quandoque his omnibus nominibus appellare, nam hominis structuram appellamus compositionem, & ordinem, & harmoniam, & figuram, quæ omnia similiter compositionem quandam

dam præseferunt; Aristoteles igitur dicit in his omnibus eandem esse rationem, idem enim dicendum est de consonantia, & de ordine ac de alijs similibus, quodlibet enim horum fit ex priuatione propria; si enim hominis structuram appellemus compositionem, ea fit ex sua propria incompositione; si appellemus figuram fit ex sua propria infiguratione; si verò ordinem dicamus fit ex propria inordinatione, quocunque igitur modo hæc appellemus fiunt ex proprijs contrarijs, idest, priuationibus suis. [At verò & domus, & statua] loquens hactenus Aristoteles de generatione compositorum, respexit præcipuè naturalia; nunc subdit idem habere locum etiam in artificialibus, vt domo, statua, naui, horum enim generatio modò vocatur compositio, modò figura, modò aliud quidpiam, & semper fit quodlibet horum ex sua propria incompositione, vel infiguratione, sicuti de naturalibus dictum est; quare Aristoteles amplissimam inductionem fecit, in substantijs, in accidentibus, in simplicibus, in compositis, in naturalibus, in artificialibus, vt concluderet vniuersaliter euenire in omnibus quæ fiunt, quòd ex suo contrario fiunt. Considerare autem differentiam inter hæc omnia, quæ fiunt, vt hìc multi faciunt alienum est a præsenti consideratione, & penitus intempestiuum, hìc enim sumus in parte vniuersalissima, neque idoneus est locus, in quo declarentur quomodo fiant substantiæ, quomodo accidentia, quomodo simplicia, quomodo composita, quia satis est Aristoteli, & pro præsenti loco sufficientissima hæc confusa, & rudis, & vulgaris cognitio, quam per sensum habemus, quòd omne, quod dicitur fieri, quodcunque sit, & quocunque modo fiat, fit ex suo contrario.

Textus Quadragesimus Septimus.

Si ergo hoc verum est, omne vtique, quod fit fiet, & corrumpetur quod corrumpitur, aut contrarijs, aut in contraria, & horum media: media autem ex contrarijs sunt, vt colores ex albo, & nigro: quare omnia vtique erunt, quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs.



IN hoc textu concludit Aristoteles inductionem, & colligit illam propositionem vniuersalem, quam intendebat, deinde ex ea quoddam corollarium infert, concludit, quòd omne quod fit, fit ex suo contrario, & omne quod corrumpitur, corrumpitur in suum contrarium, addit autem illa verba [& horum media] ad tollendam omnem dubitationem, nam dicere aliquis poterat, non est verum quod fiat semper contrarium ex suo contrario, vt album ex nigro, fit enim album etiam ex rubeo, vel viridi, ideò dicit Aristoteles etiam ex medijs inter contraria res fieri, & in ea etiam corrumpi, nec tamen propterea labefactatur propositio illa vniuersalis, quòd omne, quod fit, ex contrario fit, quoniam etiam media sapiunt contrarietatem cum extremis, quare extremum ex medio fieri, est fieri ex cõtrario, & corrumpi in aliquod medium est corrumpi in cõtrarium, ideò Aristoteles subdit [media autem ex contrarijs sunt, vt colores ex albo, & nigro] nam media ex extremis cõstant, vnde fit quòd cum vtroque extremo habent contrarietatem, ideò aduertendũ quòd in his verbis Aristoteles sumit [ex] constitutiuè, nõ terminatiuè, vt etiam significat verbum [sunt] dicit enim quod media sunt cõstituta ex extremis, nõ dicit quòd ex extremis fiant vt ex terminis; hoc enim nõ iuuaret ad ostẽdendũ, quòd media sunt cõtraria modo quodã extremis, sed

si ex

ſi ex extremis cõſtant, tūc patet quòd habēt contrarietatē cum vtroque extremo, nā rubeū,quia cõtinet albū,eſt contrariū nigro,&quia cõtinet nigrū,eſt contrariū albo. Vnde patet quòd Ariſtoteles in tota hac parte nominans media,nõ potuit aliter intelligere,quàm per mixtionē extremorū,quoniam mediū per negationē extremorū nõ eſt oppoſitū extremis [Quare omnia vtique erunt quæ natura fiunt,aut contraria,vt ex contrarijs] hoc eſt corollariū quoddā,quod Ariſtoteles ex dictis colligit,& eſt conſequentia clara; ſi enim omne quod fit,fit ex contrario, vel ex medio,& omne quod corrumpitur, corrumpitur in contrarium, vel medium, & media conſtant ex extremis contrarijs, hinc ſequitur quod omne quod fit, eſt contrarium, vel ex contrarijs conſtans,ideſt medium inter contraria,& eſt conſequentia a termino a quo ad terminum ad quem. Supra enim Ariſtoteles dixerat, quòd terminus a quo, eſt contrarium, vel medium, hìc infert ergo terminus ad quem, qui dicitur fieri, eſt contrarium, vel medium, quod ex contrarijs eſt conſtitutum. Facit autem ad propoſitum corollarium hoc, quoniam Ariſtotelis intentio erat oſtendere quòd principia generationis cuiuſque rei ſunt duo termini contrarij tranſmutationis, vnus, ex quo dicitur fieri, alter qui dicitur fieri; hoc autem licèt ſatis patebat ex dictis, quia ſi quodlibet ex contrario fit,patet ipſum quoque dici contrarium illi,ex quo fit, Ariſtoteles tamen expreſsè id colligere voluit per hoc corollarium ad maiorem euidentiam. Hæc verba fecerunt errare Vicomercatum, in declaranda intentione textus quadrageſimitertij;dixit enim intentionem Ariſtotelis eſſe oſtendere, quòd omne,quod natura fit, eſt contrarium, vel medium,hac ratione motus, quoniam Ariſtoteles hanc vltimam concluſionem ex omnibus dictis colligit, ſed in errore fuit, quia ex præcedentibus,& ſequentibus omnibus ſatis patere poteſt nullam aliam eſſe intentionem Ariſtotelis in hac parte, quam oſtendere, quòd cuiuſque rei principia duo ſunt termini contrarij tranſmutationis,quare hęc ſola verba ſi per ſe accipiantur,non poſſunt continere totam Ariſtotelis intentionem,qui non ſolùm de termino ad quem,ſed de vtroque termino tàm ad quem,quàm a quo, oſtendere vult, quòd ſunt contrarij, & debent dici principia generationis cuiuſque rei, quæ dicatur fieri. Cùm Ariſtoteles hìc, vt videmus, inductionem compleuerit, notare debemus, quòd hæc fuit inductio demonſtratiua, & ſcientialis, de qua Auerroes loquitur in ſecundo Phyſicorum octauageſimo,& octauo Phyſicorum trigeſimotertio, & in fine ſecundi libri Priorum, vbi dicit quòd inductio in materia contingente non facit fidem,niſi enumerentur omnia particularia, ideò debilis eſt inductio hæc,qua Topicus vti ſolet; at in materia neceſſaria fit inductio ſcientialis abſque enumeratione omnium particularium, quia quibuſdam particularibus nominatis ſtatim eluceſcit nobis connexio eſſentialis prædicati cum ſubiecto, quare non progredimur amplius in enumerandis reliquis particularibus,quia cùm cognouimus quod eſt per ſe,ſtatim inferimus,quod eſt de omni, & ita inferimus vniuerſale. Huiuſmodi eſt inductio hæc Ariſtotelis, quia propoſitio vniuerſalis, quam Ariſtoteles probat, habet terminos inter ſe eſſentialiter connexos, videlicet fieri, & ex contrario, ideſt,ex oppoſita priuatione, nam illud verbum fieri duas includit eſſentiales conditiones, vnam quòd res,quæ fit, prius actu non fuerit;alteram quòd potentia præfuerit. Si enim prius actu fuit,non fit amplius,ſi etiam neque actu,neque potentia,ergo impoſſibile erat eā fieri, dùm autem dicimus quòd fieri requirit,vt res non actu, ſedpoteſtate præfuerit, dicimus neceſſarium eſſe vt eius priuatio pręfuerit,priuatio enim nihil aliud eſt,quàm abſentia rei in actu, cum potentia ad eum; eſt igitur neceſſarium, & eſſentiale generationi vt id, quod fit, ex ſua priuatione fiat. Propterea cum Ariſtoteles in quibuſdam exemplis oſtenderit quòd id,quod fit, ex ſua priuatione fit,ſtatim in ijs apparuit eſſentialitas propoſitionis,& patuit inferri vniuerſalis ſine ſingulorum enumeratione, quòd omne,quod fit, fit ex ſuppoſita priuatione, vt Ariſtoteles in hoc textu colligit.

Textus

Textus Quadragesimus Octauus.

Hucusque igitur ferè secuti sunt, & aliorum plurimi quemadmodum diximus prius. Omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia, quamuis sine ratione ponentes, tamen contraria dicunt, tanquam ab ipsa veritate coacti. Differunt autem ab inuicem ex eo quòd quidem alij priora, alij posteriora accipiunt, & quòd hi quidem notiora secundùm rationem, illi autem secundum sensum. Hi enim calidum, & frigidum, illi autem humidum, & siccum; alij autem impar, & par; quidam autem litem, & amicitiam causas generationis, hæc autem ab inuicem differunt secundum dictum modum.

POSTQVAM Aristoteles inductione ostendit quòd omne, quod fit, fit ex suo contrario, & quod corrumpitur, corrumpitur in suum contrarium; nunc reuertitur ad considerandum antiquorum consensum de contrarietate principiorum. Hoc autem facit, vt eorum sententias inter se comparando, & considerando quinam melius, qui peius hac in re dixerit, quod quidem in hoc textu, & quadragemonono sequēte faciet, vt nos magis in veritatis cognitionem ducat. Per ea enim, quæ hactenus ipse dixit, id tantùm habemus, quòd omne, quod fit, est contrarium, & ex suo contrario fit, vnde sequitur quòd omnia contraria statuenda sint rerum principia, quare plurimus erit principiorum numerus, nisi omnes contrarietates reducamus ad aliquam vnam, vel paucas, quas solas statuamus principia rerum. Aristoteles igitur per hanc antiquorum inter se comparationem, in qua considerabit, qui melius, qui peius prima contraria statuerit, nos docebit normam & regulam, qua debeamus vti ad determinandum, quænam contraria, & qualia sint ponenda principia rerum omnium. Hic est fructus, quem Aristoteles artificiose procedēs vult vt ex his duobus textibus colligamus. In textu hoc quadragesimooctauo Aristoteles considerat, & conuenientiam, & differentiam inter antiquos in principiorum contrarietate: sed vtrumque adhùc melius declarabit in textu quadragesimonono sequente. Dicit primùm, quasi ex dictis concludens [Hucusque igitur ferè secuti sunt, & aliorum plurimi] idest, conuenerunt in hoc antiquorum plurimi quòd in principijs rerum contrarietas insit, & subdit [quemadmodum diximus prius] idest, in textu quadragesimoprimo, ideò particula illa [igitur] denotat conclusionem hanc ex eo textu factam, ibi enim dixit quòd omnes antiqui posuerunt contraria esse principia rerum; verba illa [aliorum plurimi] possunt habere duos sensus, vel enim Aristoteles intelligit plurimos alios præter nominatos in textu quadragesimoprimo, quia ibi non omnes nominauit antiquos Philosophos; vel intelligit alios quoscunque præter se, tam prius nominatos, quàm non nominatos, quòd ego magis credo. Dictio autem illa [ferè] tribus modis exponi potest; primò, vt adiungatur illi dictioni [contraria] vt significet non veram contrarietatem positam esse ab antiquis in ipsis principijs, sed latè acceptam, vt superius diximus; quæ expositio non est accipienda, quia nimis remota est hæc dictio [ferè] ab illa dictione [contraria.] Secundò possumus cum Simplicio referre hanc dictionem ad illam particulam [plurimi] vt Aristoteles dicat, ferè plurimi, propter cautelam: for-

N tasse

tasse enim aliqui pauci in hoc non consenserunt, vel Aristoteles non omnes audiuerat, aut legerat, quare non vult dicere omnes, sed caute loquens dicit, [ferè plurimi,] Neque expositio hęc mihi probatur, quoniam particula, ferè, potest addi ad cautelam illi dictioni, omnes, sed non dictioni, plurimi, quia hæc dictio, plurimi, iam in se hanc cautelam includit sine additione eius particulæ, ferè, quia dicendo plurimos, aliquos excludimus. Tertia expositio mihi maximè placet, quę & ipsa Simplicij est, vt aduerbium [ferè] adiungatur proximo verbo [secuti sunt] ad significandum, quòd antiqui omnes non penitus consenserunt, sed ferè, & quodammodo, vt postea declarat Aristoteles considerans conuenientiam, & differentiam inter eos, qui sensus multo planior, & manifestior est in Gręca litera. Reuera enim id verbum [secuti sunt] non bene exprimit vim verbi Græci συωηκολυθήκασι in quo adest compositio illius particulæ σὺν quæ in compositione significat simul, & significat consensum, ideò legendum esset simul secuti sunt, siue consenserunt. Dicit igitur Aristoteles, quod ferè consenserunt in hoc, quia ipse mox ostendet, quòd non penitus consenserunt, quia inter eos multa est differentia. [Omnes enim elementa, & ab ipsis vocata principia] Declarat primò Aristoteles hanc conuenientiam, hunc consensum inter antiquos, postea etiam differentiam considerabit: conuenientiam dicit fuisse inter eos in hoc confuso, in hoc vniuersali, quòd omnes in ijs principijs, quæ a singulis statuebantur, aliquam ponebant contrarietatem, omnes enim talia principia dixerunt, in quibus contrarietas conspiceretur, pro hac tamen veritate nullam laudem (inquit Aristoteles) meruerunt, quia nulla ratione ducti hoc pronuntiarunt, sed inconsideratè & sola vi veritatis coacti. Auerroes exponit quòd antiqui sine ratione id protulerunt, idest, sine perfecta inductione, sed solùm imperfecta inductione vtentes. Quæ expositio reijcienda est vt aliena ab Aristotele, qui vult, quòd antiqui nulla penitus ratione ducti hoc pronuntiauerint, sed inconsideratè locuti sint, & sola veritate coacti; tanta est enim vis veritatis, vt quandoque ad se trahat non modò homines in alijs occupatos, & non considerantes, sed etiam quandoque inuitos. Vult igitur significare Aristoteles antiquos non cognouisse hanc veritatem, quòd principia rerum debent esse contraria, tamen dùm principia rerum attulerunt, talia attulerunt, quæ inter se contraria videntur, vel aliquo modo contrarietatem in eis posuerunt, cùm tamen non cognoscerent necessarium esse vt principia sint contraria, sed veritas coegit eos ita loqui. Per hoc autem videtur Aristoteles sententiam suam maximè confirmare, quòd enim omnes hoc protulerint, inconsideratè loquentes, & non animaduertentes, magnum est veritatis inditium. Est autem notandum quòd dictum hoc Aristotelis de antiquorum cæcitate, qui in consideratè, & sine vlla ratione veritatem protulerunt de alijs omnibus admitti potest, quia eorum scripta nō habemus, in quibus videre possimus, an ratione aliqua vsi fuerint. At de Platone certè non est verum, nam Plato in Phædone circiter dimidium eius libri fusè, & accuratè docet omnium rerum principia esse contraria, & omne quod fit ex suo contrario fieri, & quod corrumpitur corrumpi in suum contrarium, & talia affert exempla ad hoc declarandum, in quibus manifestè pateat Platonem nomine contrarij intellexisse propriam priuationem. Neque sine ratione hæc dicit Plato, sed vtitur diligenti inductionē, & in omnibus probat hoc euenire quòd contrarium fit ex suo contrario, ergo nō sine ratione hoc pronunciauit, imò eadem ratione, qua ipse quoque Aristoteles hic vsus est, quam verisimile est Aristotelem ex Platone accepisse, cùm Plato antiquior fuerit. Debemus etiam hic notare verba Philosophi, cùm dicit [elementa & ab eis vocata principia] vbi confundit hæc duo vocabula, elementa, & principia, & pro eodem accipit, deinde in fine huius textus hæc eadem vocabit causas. Hoc autem maximè confirmat nostram expositionem in primo contextu eorum verborum, [principia, aut causas, aut elementa] diximus enim illa tria nomina ibi accipi vt idem significantia,

gnificantia, idest pro illis primis internis principijs rerum naturalium, quæ in toto hoc primo libro tractantur. Ecce nunc Aristotelem tractantem de his internis primis principijs ea vocare indistinctè principia, elementa, & causas, quare etiam ibi hæ voces eodem modo acceptæ sunt. Credendum est enim quòd Author proponens de aliqua re agendum, deinde exequens, & tractans eam rem, si proponens nominat rem illam talibus vocibus, quibus eisdem vtitur in tractatione, per eas voces idem intelligat in proœmio, & in tractatione. Desumitur etiam ex præsente loco ratio, cur Aristoteles in proœmio voluerit vti his tribus vocabulis, cùm vnico vti potuerit, si idem significant: rationem enim esse diximus, quia diuersis Philosophis diuersæ placuerunt appellationes. Placuit maximè Aristoteli appellatio elementi, ipsi enim visum est, quòd prima principia interna rerum naturalium valdè propriè vocentur elementa. Antiquis videtur maximè placuisse appellationem principij, vt his verbis significat Aristoteles dicens, [elementa, & ab ipsis vocata principia] quæ enim ipse elementa vocabat, illi principia appellare consueuerant. Alijs fortasse magis placuit appellatio causæ, ideò Aristoteles in proœmio his tribus vocabulis ad idem significandum vti voluit, vt significaret se non facere vim in nominibus, dummodo intelligamus qua de re ipse tractandum proponat. [Differunt autem ab inuicem.] Considerata conuenientia inter antiquos in hoc communi, & confuso, quòd in principijs inest contrarietas, nunc Aristoteles particularius singulorum positiones expediens, considerat etiam differentiam inter eos, & qui melius, & qui peius dixerint. Verum quia diximus Aristotelem per hanc antiquorum inter se comparationem velle nos ducere in cognitionem veritatis, vt hinc cognoscamus qualia contraria sint statuenda omnium naturalium rerum principia; necesse est vt prius declaremus normam & regulam, qua Aristoteles vsurus est ad indicandum quinam antiquorum melius, qui deterius dixerint, ita enim totum Aristotelis scopum, & consilium conspiciemus. Certum est nos in præsentia inuestigare prima principia omnium rerum naturalium, ergo hæc principia debent esse tùm omnibus alijs priora secundùm naturam, tùm omnibus communissima, quia si non essent omnibus priora, sed alia eis priora essent, illa alia essent prima principia non ipsa. Si etiam non omnium naturalium principia essent, non essent illa principia, quæ in præsentia quærimus, non enim hominis principia quærimus, aut animalis, aut plantæ, aut elementorum, sed communiter omnis corporis naturalis, ergo debent esse communissima. Hæc igitur erit norma, qua Aristoteles vtetur, in discernendis melioribus, & deterioribus antiquorum opinionibus, inquiet enim melius eos dixisse, qui contraria attulerunt priora secundùm naturam, & communiora; illos autem peius, qui adduxerunt contraria posteriora natura, & minus communia. Ex hac comparatione, & iudicio hunc fructum vult Aristoteles a nobis esse colligendum, vt dicamus talia contraria esse statuenda prima principia, quæ sint omnium prima secundùm naturam, & omnium communissima; hic est totus Aristotelis scopus; verba percurramus. [differunt autem ab inuicem] Videtur Aristoteles statuere duas inter antiquos differentias, vnam quòd [alij priora, alij posteriora accipiunt] contraria, alteram verò quòd [hi quidem notiora secundùm rationem, hi verò secundùm sensum.] Et Simplicius primò hæc verba exponit vt dicant duo discrimina, alterum de prioribus & posterioribus contrarijs; alterum de notioribus secundùm naturam, & rationem, & de notioribus secundùm sensum; sed postea dicit quòd possumus etiam intelligere in his omnibus verbis vnicum discrimen adduci. Quam sententiam ego sequor, hæc enim omnia in vnicam differentiam, & vnicam diuisionem coincidunt, quia jam vidimus in proœmio huius libri & in primo Posteriorum capitulo secundo quòd prius, & notius pari passu incedunt, quicquid enim est prius natura, est etiam notius secundùm naturam, & quod est posterius secũdùm naturam est vt plurimùm in na-

turalibus notius secundùm sensum, quare vna est diuisio, vnicũ discrimen. Alij antiqui posuerunt contraria priora secũdùm naturam, & notiora secundùm sensum; notiora autem ratione Aristoteles intelligit notiora secundùm naturam, vt in procemio declarauimus, quæ enim secundum naturam priora, & notiora sunt, sunt notiora secundum rectam rationem; recta autem ratio est, quæ in rerum cognitione procedit secundum naturalem rerum ordinem, ideò quę sunt notiora secundum rationem sunt magis intellectualia, & a sensibus remotiora: ideò his contraponuntur ab Aristotele illa, quæ secundum sensum sunt notiora. Cum hac differentia stat coniuncta etiam altera, quæ enim sunt secundum naturam priora, & notiora, sunt etiam communiora; quæ vero notiora secundùm sensum, sunt minus communia, quia magis materialia, materia autem sensibilis limitat, & contrahit, quod in sequenti contextu diligentius cõsiderabimus. Affert deinde Aristoteles exẽpla, & exponit quatuor diuersorũ antiquorũ sententias, qui quatuor cõtrarietates statuebant, vnã eorum, qui ponebant calidũ, & frigidũ; aliã ponẽtiũ humidũ, & siccũ; alia ponẽtiũ par, & impar; alia demum ponentium litem, & amicitiam, inter quas quatuor contrarietates dicit Aristoteles eam conspici differentiam, quam ipse superius dixit, aliæ namque sunt priores secundùm naturam, & notiores secundum rationem, nempè duæ posteriores par, & impar; lis & amicitia; aliæ verò posteriores natura, & notiores secundum sensum, nempè duæ priores calidum, & frigidum, humidum, & siccum. Hæ enim quatuor sunt qualitates sensatæ, quæ non sunt nisi in rebus naturalibus, & in materia sensibili; quibus priores, & notiores secundum naturam sunt alię duæ contrarietates, nam par, & impar significant quantitatem, quæ secundum naturam est prior omni qualitate, & possunt intellectu concipi abstracta ab omni qualitate: non sic qualitas a pari, & impari, imò realiter sine vlla qualitatę sunt par, & impar in substantijs abstractis, & qualitates sine pari, & impari esse non possunt, ergo contrarietas paris, & imparis est prior secundùm naturam illis quatuor qualitatibus, & intellectualior, & a sensibus remotior & communior. Lis etiam, & amicitia videntur esse valdè communia contraria, & omnibus qualitatibus sensibilibus priora, & notiora secundum naturam, dicuntur enim habere litem, quæ simul stare non possunt, vt opposita omnia, præsertim contradictoria, quæ comprehendunt Vniuersum ens; amicitiam verò habent, quæ naturam similem, & conformem habent, quare lis, & amicitia possunt in omnibus entibus considerari, & sine calido frigido, humido, & sicco, non tamen è conuerso, quia hæ sensibiles qualitates, non nisi in rebus caducis reperiuntur, & sine lite & amicitia esse non possunt, nam calidum calido amicum est, cum frigido verò litem habet. Simplicius quærit a quibusnam antiquis hæ quatuor contrarietates positæ fuerint; De pari, & impari, est clarum, quòd ponebantur a Pytagoræis, hi namque decem contrarietates ponebant omnium esse principia, & duos ordines faciebant, vnum decem bonorum, alterum decem malorum eis oppositorum, significantes fortasse per illa bona formam, per mala priuationem; nominabant autem inter illa decem bona impar, & inter decem mala par oppositum impari. Propterea Aristoteles hìc præponit impar pari, vt bonum malo; Lis autem, & amicitia ponebantur ab Empedocle, qui quatuor elementa dicebat esse omnium rerum principia, ex quibus per litem, & amicitiam alternis vicibus imperantes & mundus & singulæ res infinities generentur, & corrumpantur. Calidum & frigidum ponebantur a Parmenide, qui per hæc significauit ignem & terram, quæ volebat esse omnium rerum principia secundum opinionem & apparentiam, vt supra in textu quadragesimoprimo declarauimus. At de humido, & sicco dubitat Simplicius, quia non constat aliquem antiquorum hanc contrarietatem posuisse, ex qua omnia fiant; refert ipse sententiam Alexandri, qui, & ipse hac in re dubitauit, & varia coniectauit. Dixit enim esse posse opinionem eiusdem Parmenidis; posse etiam esse Empedoclis,

qui ponebat quatuor elementa, quæ humida sunt, & ficca. Porphyrius autem existimauit Anaximenis fuisse hanc opinionem, sed hæc mihi videtur quæstio leuissima, credo enim melius esse, si dicamus Aristotelem exempli gratia hęc omnia proferre, nō considerando an omnia ab aliquibus posita fuerint, nec nè, sed solum significando, quod si quis hanc contrarietatem humidi, & sicci ponat principium rerum; ponit eam posteriorem secundum naturam, & notiorem secundum sensum, exemplorum autem non quæritur veritas, sed propositi declaratio.

Textus Quadragesimus Nonus.

Quare est eadem dicere quodammodo, & altera ab inuicem. Altera quidem, quemadmodum, & videtur plurimis: eadem autem secundum analogiam; accipiunt enim ex eadem coordinatione. Hæc enim continent; alia autem continentur contrariorum. Sic igitur similiter dicunt, & aliter, & peius, & melius. Et hi quidem notiora secundum rationem, sicut dictum est prius, illi autem secundum sensum. Vniuersale enim secundum rationem notum est, singulare autem secundum sensum; ratio enim vniuersalis est, sensus autem particularis, vt magnum, & paruum secundum rationem. Rarum autem & densum secundum sensum.

Colligit Aristoteles, & conuenientiam, & differentiam inter antiquos ex dictis, sed vtramque melius, & accuratius declarat, quàm in præcedenti textu fecerit. Dicit primò quòd antiqui dicunt quodammodo eādem sententiam, & non eandem, & dicit [quodammodo] quia neque penitus conueniunt, neque discrepant, [altera quidem quemadmodum & videtur plurimis] possunt hæc verba dupliciter exponi. Primò cum Simplicio quòd antiqui diuersas sententias protulerunt, vt plurimis apparere potest. Est enim res clara & perspicua, quòd non idem ponunt, qui dicunt calidum & frigidum, ac, qui dicunt par, & impar; & hoc modo dictio illa [plurimis] intelligitur de alijs hominibus: possumus etiam eam intelligere de ipsismet antiquis, vt sensus sit, diuersas sententias antiqui protulerunt prout singulis visum est; alijs enim videtur res fieri ex raro, & denso, alijs ex pari, & impari. [eadem autem secundum analogiam] Hic considerat conuenientiam inter antiquos, sed exactius eam declarat, quam in præcedenti textu fecerit, ibi enim solùm considerauit eorum conuenientiam in hoc confuso, quòd omnes contraria principia posuerunt; hìc verò diligentius eorum sententiam expendens considerat quòd si non in eundem formalem sensum coincidunt saltem idem dicunt secundum quandam proportionem. Quod declarans Aristoteles subdit, [accipiunt enim ex eadem coordinatione, alia enim continent, alia continentur contrariorum] quæ verba obscurissima sunt, non enim clarum est, quid intelligat Aristoteles per coordinationem, neque per continere, & contineri, ideò exponentes non parum inter se altercantur. Aliqui dicunt Aristotelem intelligere duas illas coordinationes Pythagoræorum, vnam decem bonorum, alteram decem malorum oppositorum. Quæ expositio admittenda non est, quia alij antiqui non sumpserunt illas contrarietates, quę nominantur in duabus coordinationibus Pythagoræorum; nam lis, & amicitia, rarum, densum non continebantur in illis decem bonis,

 & decem

& decem malis Pythagoræorum, oporteret autem secundùm hanc expositionem vt omnes alij antiqui attulissent aliquam ex illis decem contrarietatibus Pythagoræorum, quod manifestè est falsum. Alij per coordinationem intelligunt, vnum genus prædicamentale, ex quo omnes antiqui principia desumpserint, sed alij superiora, alij inferiora, & minus communia sicuti si diceremus exempli gratia, quòd omnes in prædicamento substantiæ acceperunt contrarietates, sed alij corporeum, & incorporeum; alij animatum, & inanimatum; alij rationale, & irrationale, quæ expositio videtur maximè consona verbis sequentibus, cùm Aristoteles dicit alia contrariorum continere, alia contineri. Deinde etiam dicit Aristoteles alios posuisse contraria vniuersalia, alia singularia, nam contrarietates superiores in prædicamento sunt vniuersaliores, quàm aliæ inferiores, & sunt etiam continentiores, quia continent illas sub se, & inferiores continentur. Hæc expositio secundùm se facilis, & plana est, & admitti posset si modò antiquorum sententijs posset accommodari, quod quidem non est possibile. Antiqui enim ex diuersis prædicamentis non ex eodem contraria acceperunt, nam par, & impar sunt in prædicamento quantitatis; magnum & paruum, vel sunt in prædicamento quantitatis, vel sunt relatiua fundata in quantitate; calidum, & frigidum sunt in prædicamento qualitatis, quare non apparet quomodo ex eodem prædicamento accipiant, & quòd contrariorum alia contineant, alia contineantur, quod euenit ijs, quæ in eodem prædicamento continentur. Alexander referente Simplicio intellexit continere alterum contrariorum, quod formæ locum habet, contineri autem reliquum, quod habet locum priuationis, reducitur enim quodammodo priuatio ad habitum, & ad formam suam, & ab ea continetur, iuxta quam expositionem sententia verborum plana videtur, sic enim Aristoteles conuenientiam claram inter antiquos assignabit, quæ est quòd proportione quadam eadem principia dicunt, quilibet enim duo contraria posuit, quorum vnum est nobilius, & continet, alterum ignobilius, & continetur. Hæc quoque expositio mihi probari non potest, quia mihi videtur contra eam valere argumentum Simplicij, nam in sequentibus verbis videbimus mentem Aristotelis esse, quòd antiquorum alij posuerunt vniuersalia, & continentia, alij singularia, & contenta, & quòd illi melius dixerint, qui posuerint vniuersalia, peius verò illi, qui particularia. At secundùm Alexandrum quilibet antiquorum posuisset continens, & contentum, nempè vnum contrarium nobilius, alterum ignobilius, quod non est ad mentem Aristotelis. Vel debemus dicere quòd Aristoteles tribuat antiquis, quòd vnus posuerit contrarium continens vt calidum, alius contentum vt frigidum, quod tamen est manifeste falsum, quia idem ponebat calidum, qui ponebat frigidum. Aliqui moderni sequentes Alexandrum non mihi videntur bene intellexisse argumentum Simplicij contra Alexandrum, dicunt enim Simplicium attribuere Alexandro, quòd dixerit alios antiquorum posuisse alterum contrarium vt continens, alios verò reliquos vt contentum, sed hoc non dicit Simplicius, si bene ipsum legamus. Alexander enim fatuus fuisset si id dixisset, & multo magis fatuus Simplicius, si hanc fatuitatem Alexandro ascripsisset, quòd enim vnus antiquorum posuerit calidum, alius frigidum, non attribuit Simplicius Alexandro quia est manifeste falsum, sed ducit eum Simplicius ad hoc tanquàm inconueniens & absurdum, quòd sequeretur vnum antiquorum posuisse calidum, alium verò frigidum, & consequentiam deducit ex hoc quòd mens Aristotelis est quòd antiquorum alij ponebant contraria continentia, alij verò contenta, sed non ijdem ponebant, continens, & contentum. Si ergo calidum est continens, frigidum contentum, sequetur, quòd alij posuerint calidum, alij frigidum, quod est manifestè falsum. Hæc est ratio Simplicij quæ apud me valida est. Ego sequendam esse puto opinionem Simplicij, qui ita exponit, Antiqui eadem contraria ponunt, non quidem omninò, sed secundùm proportionem; singuli enim duo contraria

traria posuerint, quorum vnum est nobilius, & habet locum formę, alterum ignobilius, & habet locum priuationis. Hanc eandem sententiam declarauit Aristoteles in textu trigesimosecundo cùm dixit quòd omnia contraria ab antiquis posita continentur sub his duabus communissimis vocibus excessu & defectu, vt excessus dicat contrarium nobilius, defectus verò alterum ignobilius. Omnes ergo antiqui in hoc conuenerunt, quòd posuerunt excessum, & defectum, idest, duo contraria, quorum vnum est nobilius, alterum ignobilius; calidum enim sub excessu ponitur & est nobilius frigido, quod continetur sub defectu, ita impar est nobilius pari, & rarum denso, & magnum paruo, & amicitia lite, ergo secundùm proportionem dicunt eadem principia, quia ita se habet calidum ad frigidum, vt impar ad par, rarum ad densum, amicitiam ad litem, & sic de alijs. Ideò declarans hoc Aristoteles subdit, quod accipiunt omnes ex eadem coordinatione; imaginatur enim duas coordinationes, duas series, in quibus contineantur omnes contrarietates, non quidem decem illæ solæ, quæ a Pythagoræis ponebantur, sed omnes, vt in vna coordinatione ponamus contrarium nobilius cuiusque contrarietatis, quod formæ, & excessus, & boni locum habet; in altera verò omnia mala illis bonis contraria, quæ defectus nomine significantur, id est, partem imperfectiorem omnis contrarietatis. Omnes igitur antiqui ita idem dicunt secundùm analogiam, quia ex iisdem duabus coordinationibus duo contraria desumunt, sumunt enim vnum ex coordinatione bonorum, & alterum ex coordinatione malorum; dicuntur autem alia continere, alia contineri, non quòd contrarium perfectius contineat alterum imperfectius, sed quia ambo contraria simul sumpta, si cum alijs duobus comparentur, sunt communiora illis, vel minus communia, vt cùm dicimus impar, & par communiora esse, quàm calidum, & frigidum, quia ad plura entia extenduntur, hac ratione dicimus par, & impar continere, calidum autem & frigidum contineri. Est autem notandum quòd continere, & contineri, licèt propriè dicantur de illis, quorum vnum de altero prædicatur, vt genus de specie, vel species de indiuiduo, genus enim propriè speciem continet, & species indiuiduum; tamen dicuntur etiam de illis, quorum vnum de altero non prædicatur, vnde possunt conuenire rebus contentis sub diuersis prædicamentis, quando volumus tantùm significare vnam rem ad plura extendi, quam alteram rem, dicimus enim colorem continere animam, quia in pluribus est color, quàm anima, quando enim ita loquimur, non consideramus colorem, & animam secundùm se, sed respicimus ea, in quibus sunt, nempè concretum vtriusque, coloratum, & animatum, id enim cui conuenit color, continet sub se illud cui competit anima, & prædicatur de eo, nam omne animatum est coloratum, non omne coloratum est animatum, ita dicimus impar, & par continere calidum & frigidum, quamuis sit in diuersis prædicamentis, respicimus enim res, quibus hæc omnia conueniunt; impar, & par conueniunt omni enti, calidum & frigidum soli corpori corruptibili, ens continet corpus corruptibile, & de illo prædicatur vt communius de minus communi. Aristoteles autem ea verba proferens [Hæc enim continent, alia autem continentur contrariorum] Declarat conuenientiam illam secundùm analogiam, & simul etiam connotat differentiam inter opiniones antiquorum; quando enim dicimus aliqua conuenire tantùm secundùm proportionem, contrahamus ea differre formaliter, ideò non possumus declarare conuenientiam secundùm proportionem, quin simul dicamus differentiam, quod quidem hic Aristoteles facit, dicit enim contrarietatum alias continere, alias cõtineri, vt simul hæc duo denotet, vnum quod quatenus vnum ab altero continetur in eadem est coordinatione, & ita idem cum eo secundùm analogiam; alterum quod differt ab illo secundùm magis, & minus commune, quæ quidem est differentia, quam dixit Aristoteles esse inter antiquorum sentẽtias, alij enim antiquorum communiora cõtraria attulerunt, alij minus cõmunia, ideò postea subiungit,

iungit,

iungit, Aristoteles alios posuisse contraria vniuersalia, alios vero singularia. Cum igitur Aristoteles innuerit his verbis & conuenientiã, & differentiã inter antiquos, ita tim concludens, facit inter eos comparationem, dùm ait [sic igitur similiter dicunt, & aliter] conueniunt & differunt; ideo quatenus differunt dicunt [& peius, & melius] melius enim putat dixisse eos, qui vniuersaliora contraria posuerunt & continentia, peius verò eos, qui contenta, & minus vniuersalia. Quod vt nos melius intelligamus, declarat magis hanc eorum differentiam, quam etiam in præcedenti textu tetigerat, & dicit [Et hi quidem notiora secundum rationem, sicut dictum est prius] idest, in textu præcedenti, [illi autem secundum sensum] tacet autem Aristoteles alteram differentiam, quam ibi posuerat, videlicet, quòd alij ponebant priora, alij posteriora, vnde colligere possumus id, quod eo in loco diximus, has non esse duas differentias, sed vnam diuersis verbis expressam, idem enim significat prius natura & notius secundum rationem, similiter posterius natura & notius secundum sensum vtrumque autem membrum declarare volens Aristoteles subdit. [Vniuersale enim secundum rationem notum est, singulare autem secundum sensum, ratio enim vniuersalis est, sensus autem particularis] quæ verba clara erunt, si intelligatur quid per vniuersale, & per singulare significet hic Aristoteles, nam dubium est an intelligat vniuersale in causando, an vniuersale in prædicando, quia si consideremus Aristotelem loqui de principijs, videtur eum non posse intelligere aliud vniuersale, quàm in causando, Vniuersaliora enim principia dicuntur quæ plurium principia sunt, minus autem vniuersalia, quæ pauciorum, quòd si respiciamus præcedentia verba cùm Aristoteles dixit contrariorum alia continere, alia contineri, videtur quòd intelligat vniuersalia in prædicando, hoc enim dicitur continere, vniuersale in causando non continet. Propterea ego dicendum puto vtrumque simul verificari, Aristoteles enim præcipuè intelligit vniuersale in causando, quia de principijs loquitur, cum eo tamen stat etiam vniuersalitas in prædicando, sicut superius declarauimus, si enim statuamus principia rerum secundum aliquos par & impar, secundum alios rarum, & densum, certum est par, & impar pluribus conuenire, & ita esse vniuersaliora quàm rarum, & densum in causando, plurium enim sunt causæ quàm rarum, & densum, cum hac autem vniuersalitate stat coniuncta etiam vniuersalitas prædicationis, non quidem quia par, & impar prædicentur de raro & denso, hoc enim verum non est, sed ratione effectuum vtriusque contrarietatis, nam par, & impar conueniunt omni enti in vniuersum, rarum autem, & densum solis corporibus, ens autem est vniuersalius corpore in prædicando, & hac ratione supra diximus Aristotelem intellexisse, quòd principia vniuersaliora in causando, continent alia minus vniuersalia principia, quia effectus illorum continet effectum istorum, vt vniuersale in prædicando continet minus vniuersale. Cum igitur principia vniuersalia hìc intelligantur præcipuè in causando, quia per se ipsa sunt huiusmodi, deinde etiam in prædicando, quatenus respicimus principiata: Aristoteles considerans id, quod principalius est, videlicèt principia vniuersalia in causando, rectè dicit vniuersale esse notum secundum rationem, singulare verò secundum sensum, quia principia vniuersaliora in causando sunt a sensibus remotiora, & magis intellectualia, & abstracta a materia, ideò notiora sunt secundum naturam, & secundum rationem; quæ verò sunt [singularia] idest magis materialia, & consequenter contractiora, sunt notiora secundum sensum. Per [singularia] enim Aristoteles hìc non intelligit indiuidua, sed singularia, quæ ex aduerso respondent vniuersalibus in prædicando, quemadmodum accipit Aristoteles singularia in secundo capitulo primi libri Posteriorum, videlicet pro effectibus sensatis, & materialibus, nam materia sensibilis contrahit, & limitat; sicuti Aristoteles dicebat primo de Cœlo nonagesimosecundo, qui dicit Cœlum dicit formam, qui dicit hoc Cœlum dicit formam in materia, ideò res materiales, & sensibiles

licet

licet acceptæ in vniuersali dicuntur singulares, quia sentiuntur in suis particularibus, quia sumitur singulare vt distinguitur contra causas, quæ dicuntur vniuersales, & quod est materiale respectu eius, quod magis abstractum est a materia,& magis formale, ideò rectè dicit Aristoteles, quòd ratio est vniuersalium, causarum enim immaterialium, & abstractarum cognitionem non habemus per sensum, sed per intellectum, & rationem; sensus autem particularium, idest, materialium & sensibilium, quod patet in exemplis, quæ Aristoteles subdit, cùm inquit [vt magnum, & paruum secundum rationem, rarum autem & densum secundum sensum] nam magnum, & paruum dicunt quantitatem, rarum autem, & densum qualitatem, quantitas est prior secundum naturam qualitate, ideò sine qualitate intelligi, & abstrahi potest, non ita qualitas sine quantitate, quantitatem autem solam contemplari abstractam a qualitate est officium solius intellectus, sensus enim eam ita cognoscere non potest; qualitas autem propriè a sensu cognoscitur. In his autem exemplis patet Aristotelem non sumere singulare pro indiuiduo, sed pro posteriori secundum naturam, & contracto in materia quali, & sensibili, nam sumit rarum, & densum in communi, non in singulari, non enim dicit hoc rarum, hoc densum, tamen dicit esse nota secundum sensum, nihil enim aliud considerat quam quòd sunt qualia, materialia, & sensibilia, & posteriora secundum naturam magno, & paruo, quæ dicunt quantitatem sine qualitate. Ex hoc igitur quòd Aristoteles afferrens exemplum rei singularis non attulit indiuiduum, sed commune quoddam, infertur quòd accipit præcipuè vniuersale in causando; si enim accepisset tantùm in prædicando, nullum poterat afferre singulare sensibile nisi indiuiduum, at sumendo vniuersale in causando potuit afferre exemplum de sensibili in communi, & id vocare singulare, quia singulare respondens vniuersali in causando, potest esse quid vniuersale, dummodo sit causatum, & materiale, & posterius natura, & sensibile in particularibus suis. Sed dicere aliquis posset, videtur Aristotelem intellexisse vniuersale, & singulare in prædicando, quia magnum prædicatur de raro, & paruum de denso, quantò enim res rarior fit, fit maior, quanto autem densior, minor. Ad hoc dico Aristotelem non respexisse quod magnum & paruum prædicentur de raro,& denso, sed solum quòd sint magis formalia, & abstracta a materia sensibili, & priora secundum naturam, si autem etiam prædicantur, est per accidens, quod de alijs antiquorum positionibus non verificatur, nam par, & impar non prædicatur de raro, & denso, & de calido, & frigido. Sententia autem Aristotelis debet verificari de omnibus positionibus antiquorum, quòd alij vniuersalia principia ponunt, alij singularia, non de his tantùm duabus, quæ hic exempli gratia ab Aristotele afferuntur. Hæc igitur est antiquorum comparatio, quam Aristoteles hoc in loco fecit, in qua notare debemus, quòd Aristoteles non vult in hac parte detegere omnes errores, qui in his omnibus antiquorum positionibus reprehendi poterant; alias enim diximus Aristotelem non intendere confutare separatim omnes antiquorum sententias, quia satis est si cognita veritate ex ea cognoscemus omnes aliorum defectus. Hic autem ad hunc tantum scopum tendit hæc comparatio, vt ex ea hunc fructum colligamus, quòd talia contraria sint statuenda principia rerum, quæ sint maximè ampla, & communia, & priora secundum naturam, quia Aristoteles in hoc solo hìc considerauit, quinam antiquorum melius, & qui peius dicant.

Textus.

Textus Quinquagesimus.

Quòd igitur contraria oportet esse principia manifestum est. Consequens autem erit dicere vnum, duo, tria, aut plura sint. Vnum enim impossibile est, quoniam non vnum contraria; infinita autem non, quoniam neque scibile, quod est, erit. Et vna contrarietas in omni genere vno, substantia autem vnum quoddam genus est. Et quia contingit ex finitis: melius autem ex finitis, quemadmodum Empedocles, quàm ex infinitis, omnia namque assignare opinatur, quemadmodum Anaxagoras ex infinitis. Amplius sunt alia alijs priora contraria, & fiunt altera ex alijs, vt dulce, & amarum, & album, & nigrum, principia autem semper oportet manere.



OSTENDIT hactenus Aristoteles necessarium esse, vt principia sint contraria, quemadmodum ipse in primis verbis huius textus concludit, sed adhùc non scimus quot sint statuenda principia rerum naturalium, cùm enim plurimæ sint contrarietates in rebus, ignotum adhùc est, an illę omnes debeant vocari principia, an aliquæ tantùm, an potius aliqua alia ratione omnes ad aliqua pauca contraria debeant reduci, ignoramus etiam an sola contraria principia sufficiant ad rerum naturalium generationem, an potius aliquod aliud principium requiratur, quod nulli sit contrarium. Propterea Aristoteles hìc dicit consequens esse, vt distinctiorem principiorum cognitionem requiramus, & certum eorum numerum habeamus, nam diximus aliàs in sexto contextu, quòd cognitio certi numeri principiorum includit cognitionem omnium aliarum conditionum ipsorum principiorum, quia non potuit Aristoteles docere tria tantùm esse principia omnium rerum naturalium, quin doceat duo tantùm contraria, & vnam subiectam materiam ad cuiusque rei generationem requiri. Vult ergo Aristoteles in sequentibus docere, quòd non sunt ponenda tot principia, quot sunt contraria, neque sola contraria sufficiunt, sed aliud quoque præter contraria principium requiritur. Hæc autem omnia proponit proponens inquirendum certum principiorum numerum, quod in hoc textu facit, dùm dicit. [Consequens autem erit dicere vtrum duo, aut tria, aut plura sint.] Vbi notandum quòd de numero principiorum quinque membra diuersa pronuntiari possunt, quorum quatuor falsa sunt secundùm Aristotelem, & vnum verum: aut enim vnicum est principium, aut duo, aut tria, aut plura tribus, aut infinita, ex quibus membris duo sunt manifeste falsa, vt ex dictis hactenus ab Aristotele patet. Nempè duo illa membra extrema, vnum esse principium, & esse infinita, adeò vt sola tria reliqua media maneant consideranda, nondum enim aliquid dictum est vnde colligi possit, quod nam ex eis verius sit; Aristoteles igitur his duobus omissis, quorum falsitas iam ex dictis patet, tria sola consideranda proponit, an duo sint principia, an tria, an plura tribus; nè quis autem obijciat insufficientem esse hanc enumerationem, cùm duo alia membra omittantur, statim Aristoteles afferens cur ea duo non sint consideranda, dicit ea esse manifestè falsa, & impossibilia, quod statim in hoc textu probat. Vt ijs duobus membris relictis transferat se ad considerationem, & comparationem illorum trium, quæ ipse hic proposuit, ideò in hoc textu Aristoteles reijcit illa duo membra, quibusdam rationibus

bus partim desumptis ex superius dictis, partim nouis, vt mox in sequenti textu incipiet reliqua tria considerare, quæ maiorem videntur continere obscuritatem, & difficultatem. Probat primò vnica ratione, quòd non possit vnicum statui principium deinde probat quatuor argumentis quod non possunt esse infinita; cùm enim dicit [Vnum enim impossibile, quoniam non vnum contraria] probat ex dictis non posse vnicum esse principium tali ratione. Contraria non sunt vnum, principia sunt contraria, ergo principia non sunt vnum, minorem sumit vt claram ex dictis, maiorem verò vt per se notam, patet enim quòd dicendo contraria non dicimus vnam rem, sed ad minus duas, contrarium enim non est idem cum suo contrario. Si igitur principia contraria sunt, non potest vnicum esse principium. Notandum est ex Aristotele quinto Metaphysicorum in capitulo de contrarijs, quòd contraria sunt, quę cùm sub eodem genere contineantur inter se maximè distant, & se mutuo pellunt ab eodem subiecto, vnde colligitur, quòd contraria tùm genere, tùm subiecto vnum sunt. Aristoteles igitur hìc dicens contraria non esse vnum, non intelligit genere, neque etiam subiecto, falsum enim diceret: sed intelligit secundùm proprias naturas, & rationes. Nam calidum, & frigidum ratione generis vnum sunt, ratione etiam subiecti, quia versantur in eodem subiecto corpore naturali caduco, at formaliter accepta, & secundùm proprias, ac speciales naturas sunt inimica, & se mutuò destruunt, & hoc modo ea sumit Aristoteles in præsenti loco. Notanda est autem particula illa [enim] dùm Aristoteles ait [Vnum enim impossibile] quæ est redditiua causæ; & rationem reddit cur Aristoteles præcedentibus verbis non proposuerit consideranda hæc duo membra sequentia. Ratio enim cur ea non proposuerit, est, quia sunt manifestè impossibilia, & sensus est, non proposui vtrum sit vnum principium, quia id patet impossibile esse ex eo quod ostensum est principia esse contraria; non proposui etiam an sint infinita, quia id quoque est manifestè falsum, vt statim probat Aristoteles breuiter quatuor rationibus quarum primam ijs verbis ponit [infinita autem non, quoniam neque scibile, quod est, erit] quæ est eadem ratio, qua supra Aristoteles in textu trigesimoquinto vsus est contra Anaxagoram peculiariter, hìc autem eadem vtitur vniuersaliter contra quoscunque dicentes principia esse infinita, ideò hìc paucis verbis eam exponit, facit enim solam hanc consequentiam, si principia essent infinita, nihil sciri posset, quam non probat, quia vult vt eius probationem capiamus ex trigesimoquinto contextu, quæ talis fuit, infinitum quatenus est infinitum, non est scibile, animus enim noster non potest complecti id, quod nullos terminos habet, ergo si principia sint infinita, non sunt scibilia, sed principijs ignoratis necesse est, omnia ignorari, quæ ex ijs principijs pendent, quia in principio libri dictum est, totam scientiam rei habentis causas, & principia acquiri tantùm ex causarum & principiorum cognitione, nullum igitur ens erit scibile. [Et vna contrarietas in omni genere vno, substantia autem vnum quoddam genus est.] Hic ponit Aristoteles secundam rationem ad idem probandum, quæ difficultatibus plena est propter interpretum controuersias, ratio talis est, in vno quoque genere vno est vna prima contrarietas, ad quam omnes aliæ eius generis contrarietates reducuntur, & sic duo tantùm contraria erunt, quæ mereantur dici principia rerum non plura, tantùm abest vt infinita principia poni possint. In hac ratione dubium est quid intelligat Aristoteles per genus, quid per substantiam, & quid per primam contrarietatem; nam expositores in his omnibus varij sunt, & tres sunt præcipuę eorum interpretationes. Vna est Ammonij (vt Simplicius refert) & Ioannis Grammatici, & eandem Ammonius Alexandro attribuit, cùm tamen alia sit Alexandri expositio, quam postea ex Simplicio referemus. Hi dixerunt Aristotelem per genus non intelligere genus prædicabile, sed genus subiectum, per substantiam materiam primam, in qua inest, hæc prima, & communissima contrarietas formæ & priuationis, vt argumentum Aristote-

lis

lis tale sit, in omni genere subiecto vna est prima contrarietas, ad quam aliæ omnes educuntur: & at materia est vnum quoddam subiectum genus, ergo in materia prima est vna prima contrarietas. Hæc expositio habet contra se argumentum Simplicij apud me efficacissimum, materia prima adhuc est incognita, quia Aristoteles in sequenti parte eam demonstrabit, ergo hìc eam supponere non potest. Sed Marcus Antonius Ianua Ammonium sequens ad hoc respondebat, quòd materia prima est cognoscenda in sequenti parte cognitione distincta, hìc autem supponitur nota cognitione confusa; habemus enim hac confusam cognitionem, quòd omnis transmutatio inter contraria in subiecto aliquo fit. At, pace Præceptoris dicam, argumentum Simplicij non soluitur, quia cognitio rei simplicis duplex est, vt habetur in principio secundi Posteriorum. Vna est confusa, quando solum cognoscimus an sit; altera distincta, quando etiam cognoscimus quid sit; Aristoteles autem in sequenti parte tùm demonstrabit materiam primam esse, tùm docebit etiam quid sit, ergo tradit nobis vtramque materiæ cognitionem tam confusam, quam distinctam, ergo neutram hìc habemus materiæ cognitionem. Quòd autem dicit nos habere quandam rudem cognitionem, quòd omnis transmutatio fit in subiecto aliquo, hoc nihil est, eo enim concesso quòd licet cognoscam hoc commune & confusum, quòd est subiectum omnis transmutationis communiter sumptum, tamen non cognosco separatim materiam primam, vt subiectum ab alijs diuersum. Aristoteles autem in textu duobus terminis vtitur, dicit enim genus, & dicit substantiam, per genus intelligit secundum Ammonium subiectum communiter sumptum, qua appellatione complectitur in confuso etiam materiam primam simul cum alijs subiectis; deinde per substantiam intelligit apud Ammonium materiam primam solam; dicere igitur quòd habemus rudem cognitionem, quòd omnis transmutatio fit in subiecto, est dicere quòd sit cognitum confusè id, quod significatur per illam vocem genus, sed non id quod significatur per illam vocem, substantia, quam Aristoteles accipit vt terminum distinctum a termino illo, genus, cùm dicat, substantia est vnum genus. Maior quoque Aristotelis secundum hanc expositionem esset parum manifesta, non enim patet, quomodo in vno quoque subiecto vnica sit prima contrarietas ad quam aliæ omnes reducantur, & possem contra eam afferre plures arduas difficultates; quas omittere volo, ne in re manifesta tempus conteram. Simplicius aliam affert expositionem, vult omnia entia in duo præcipua genera diuidi, quorum alterum sit genus rerum immaterialium, & æternarum, alterum verò rerum materialium, & mobilium; substantiam autem vult significare non quidem prædicamentum substantiæ distinctum contra prædicamenta accidentium, sed essentiam acceptam in communi ad totum genus entium materialium, idest, ad omnia decem prædicamenta, omnia enim dicuntur materialia, & mutationi obnoxia. Vult igitur Syllogismum Aristotelis esse hunc, in omni entium genere est vna prima contrarietas: at substantia, idest, essentia omnium prædicamentorum est vnum quoddam entis genus, genus nempe mutabile, & materiale: ergo in ipsa natura materiali est vna prima contrarietas, quæ est formæ, & priuationis, hæc enim communissima est, & in singulis prædicamentis locum habet. Id autem, quod Simplicium mouet, fuit, quia ipse putat Aristotelem in hoc libro non quærere principia substantiæ solùm, sed omnium prædicamentorum, propterea non vult accipere substantiam vt prædicamentum ab alijs distinctum, sed in communi ad omnia; vt significet essentiam & naturam omnem materialem tam substantię, quam accidentis, & in hanc sententiam nititur Simplicius trahere etiam verba Eudemi. Contra Simplicium est ratio efficacissima, & meo iudicio insolubilis, nam Aristoteles sumit hanc maiorem, in omni genere est vna prima contrarietas, ergo si duo sint genera entis eo modo, quo Simplicius dicit, necessario sequetur in vtroque esse vnam primam contrarietatem, quia maior Aristotelis

telis est vniuersalis, & extenditur ad omne genus entis: sed notum est in genere entium immaterialium, & æternorum nullam reperiri contrarietatem: ergo absque dubio maior Aristotelis falsa erit. Debilis etiam est ratio quæ mouit Simplicium, vt in sequentibus ostendemus. Ego puto accipiendam esse tertiam expositionem, in qua vt mihi videtur consentiunt Themistius, Alexander, Magnus Syrianus, & Auerroes. Quamuis enim Simplicius afferat expositiones Alexandri, & Magni Syriani, vt diuersas, & communiter pro diuersis habeantur, mihi tamen videtur eas facillimè in vnam, & eandem trahi posse, vt mox ostendam. Auerroes igitur vult Aristotelem hìc per genus intelligere genus prædicamentale, vt maior Aristotelis sit hæc, in omni prædicamento est vna prima contrarietas, ad quam aliæ reducuntur; per substantiam exponit prædicamentum substantiæ distinctum a prædicamentis accidentium, vt minor sit, substantia est vnum ex prædicamentis, vnde sequitur conclusio, ergo in prædicamento substantiæ est vna prima contrarietas, quæ continet alias omnes, videlicet, oppositio inter formam, & priuationem; cùm enim in prædicamento substantiæ sint multæ oppositæ differentiæ, vt animatum, inanimatum, sensitiuum, insensitiuum, omnes tamen continentur sub hac communi contrarietate formæ, & priuationis, quæ dicitur prima primitate communitatis, quia de omnibus contrarietatibus prædicatur, quæ sunt in prædicamento substantiæ; eiusmodi contrarietas est in quolibet alio prædicamento, in quolibet enim est forma & priuatio formæ, ideò vera est maior Aristotelis dicens in omni prædicamento esse vnam primam contrarietatem, quæ sua communitate continet alias, non dixit autem Aristoteles vnicam esse contrarietatem amplectentem omnia prædicamenta, videlicet formæ, & priuationis communissimè acceptarum ad omnia prædicamenta, quia vidit nomen formæ esse æquiuocum ad formam acceptam in vno prædicamento, & formam acceptam in alio; alia enim est ratio formæ in prædicamento substantiæ, alia in prædicamento quantitatis, alia in prædicamento qualitatis, ideo in singulo prædicamento vnam statuit primam, & propriam contrarietatem, quæ quidem non esset prima, si alia esset prior, & communior omnia prædicamenta complectens. Hac in re errauit Simplicius, qui videns formam & priuationem habere locum in quolibet prædicamento putauit Aristotelem æque omnium prædicamentorum communiter principia quærere, ideò per substantiam voluit interpretari omnem naturam prædicamentalem communiter; quam expositionem verbis Aristotelis aptari non posse iam demonstrauimus. Non est etiam verum quòd Aristoteles æque omnium prædicamentorum principia quærat, quia prædicamenta omnia non conueniunt nisi cõmuni æquiuoco, vel saltem analogo; quare nomen formæ non potest accipi in cõmuni ad omnia prædicamenta æqualiter, sed semper necesse est, vt intelligatur primò de forma substantiali; secundario autem & secundum proportionem de alijs; hæc enim est natura æquiuoci analogi vt semper accipiatur pro primo analogato, non pro communi æqualiter ad multa. Rectè igitur Aristoteles concludit in prædicamento substantiæ esse vnam primam contrarietatem, quia principaliter vult inquirere principia substantiæ, quæ postea inuenta possunt per proportionem etiam accidentibus accommodari; sed secundario, & fortasse præter intentionem Aristotelis: nam scientia naturalis subiectum habet corpus naturale, quòd est in prædicamento substantiæ ex materia, & forma constans, huius principia hìc ab Aristotele quæruntur vt hìc ait Auerroes, quod etiam Alexander cognouit, consequitur autem vt eadem principia possint etiam accidentibus accommodari. Sed id est contra principalẽ Aristotelis intentionem, qui quamuis exempla omnia in accidentibus afferre videatur, id tamen non facit, quia de accidentibus loqui velit, sed vt per exempla faciliora, & notiora nos melius intelligeremus idem in prædicamento substantiæ. Debemus autem hìc notare quòd cũ Auerroes hìc nomine substantię intelligat prędicamentum

substantiæ distinctum ab alijs, non potest ipsum sumere nisi eo modo, quo ipse illud declarauit in expositione Porphyrij in capitulo de specie, vbi ostendit quòd genus generalissimum in prædicamento substantiæ non est substantia, sed corpus, quia substantia est nomen commune æquiuocum; imò neque corpus vniuersaliter acceptum vniuocum est, ideò non potest poni genus generalissimum, si cęlum simul cum inferioribus corporibus contineat, quia non datur commune genus vniuocum æterno, & corruptibili, corpus igitur, quod est summum genus in prædicamento substantię, est quod continet corruptibilia solùm, & hoc debemus hìc intelligere nomine substantiæ, quod tali ratione probatur, in hoc libro quæruntur principia generationis ex quibus naturalia corpora generantur, ergo principia corporis tantùm generabilis, & corruptibilis, quia cœlum ex nullis principijs generatur, quare nulla alia corpora considerat Aristoteles in hoc libro, quàm generabilia, & corruptibilia. Hoc videtur hìc significasse Aristoteles dicens [in omni genere vno] vnum autem dicitur verè quando est vniuocum, vnde patet veritas maioris propositionis, quam hìc Aristoteles ponit, in omni genere vno vnitate vniuoca necesse est vnam esse primam contrarietatem, ad quam aliæ omnes eius generis reducantur; vniuocum enim vnam naturam sapit, qua res multæ participant, ergo omnes differentiæ, quæ ex ea communi natura fluunt, sunt vnius rationis, & naturę, & sic in tali genere vniuoco vna est natura, & ratio formæ, similiter, & priuationis, quare omnes formæ, quæ in tali prædicamento vniuoco sunt, eiusdem sunt rationis, & sub vno communi nomine formę continentur, & sic vna est contrarietas prima primitate communitatis, quæ alias omnes continet, & vnam dicit naturam communem formæ diuersam a ratione formæ in alijs prædicamentis. Est igitur vera maior, quia si genus sit vnum, idest, vniuocum, oportet vnam quoque, & eiusdem naturæ contrarietatem communem in eo reperiri, quæ sua communitate alias complectatur. Hæc igitur est expositio Auerrois, secundùm quam vis argumenti Aristotelis talis est, principia quæruntur ex quibus generatur corpus naturale caducum, hoc autem est genus vnum, quia est vniuocum, at in omni genere ita vno est vna prima contrarietas, quæ est inter formam, & priuationem in eo genere communissimè acceptas, ergo in prædicamento substantiæ est vna prima contrarietas continens omnes alias sua communitate sed contraria quæ vt principia sumuntur, non debent esse alia quàm prima, ergo hæc erunt tantùm duo, videlicèt forma, & priuatio in genere substantiæ communissimè sumptæ, ergo parua sunt principia, tantùm abest vt sint infinita. Debemus maximè notare pro horum confirmatione modum loquendi Aristotelis, quando ait, [in omni genere vno] hæc enim verba non idem significant, ac si diceretur, in omni genere, sed significant in omni genere, quod sit vnum, habet enim emphasim hæc locutio, & significat id, quod superius diximus. Est etiam aduertendum, quòd ratio hæc Aristotelis non ad id dirigitur, vt ostendatur duo tantùm esse prima contraria, quæ debeant appellari principia, nam Aristoteles id inferius demonstrabit, in textu quinquagesimosexto hac eadem ratione vtens, sed scopus rationis in præsenti loco est solùm ostendere, quòd principia non sunt infinita, si enim principia sunt contraria, & contrarietates omnes, quæ sunt in genere substantiæ, continentur sub vna prima, & communissima contrarietate, patet eam solam esse appellandam principium, non omnes alias contrarietates, si enim quamuis signatam formam accipiamus, vt hominis, ea non erit principium omnium corporum naturalium, sed hominis tantùm, hìc autem communissima omnium principia quęrimus; quod si quis dicat omnes simul naturales formas & omnes contrarietates esse accipiendas, omnes enim simul sumptæ erunt omnium corporum principia; hic aberrat a mente Aristotelis, qui hìc non quęrit particularia singulorum principia, quæ solùm collectim accepta dicantur principia omnium esse, sed ita quęrit omnium principia, vt tàm omnia simul sum-

pta,

pta, quàm singula separatim accepta dicantur, & sint principia communia omnium corporum naturalium, ideò forma accepta in communi, & priuatio pariter in communi sunt principia omnium corporum naturalium, quia continent omnes signatas formas, & ita cuiusque corporis naturalis principia sunt duo contraria. Videlicet, forma eius, & priuatio propria, quæ illi formæ opponitur. Sequitur vt ostendamus quòd hæc Auerrois opinio fuerit etiam, Syriani, Themistij & Alexandri. Syrianus per genus intellexit genus prædicamentale, per substantiam, prædicamentum substantiæ distinctum ab accidentibus, & dicit maiorem propositionem Aristotelis esse hanc, in omni prædicamento est vna prima contrarietas; minorem verò hanc, substantia est vnum ex prædicamentis, quare hactenus in nullo videtur ab Auerroe, discrepare, sed addit vnum Syrianus, quod fecit vt eius opinio diuersa ab alijs esse videretur. Declarans enim quæ nam sit hæc prima contrarietas, dicit eam esse inter excessum, & defectum, quæ in omni prædicamento locum habet, vt dicit Aristoteles in maiore, addidit tamen hanc conditionalem, si modo alijs prædicamentis hæc oppositio conuenit. Simplicius in hoc ipsum reprehendit dicens, vel sumis excessum, & defectum propriè, vt soli quantitati conueniunt. & ita non conueniet substantiæ, neque alijs, & maior Aristotelis erit falsa; vel sumis communiter pro oppositione, quæ est inter perfectum, & imperfectum, & hoc modo ita est clarum, quòd cōuenit omnibus prædicamentis, vt non fuerit addenda illa conditionalis, si alijs prædicamentis aptari potest. Sed ego puto facillimè posse defendi Syrianum ab instantia Simplicij, cùm enim Syrianus hæc dicat exponens Aristotelem, cui dubium quòd per excessum, & defectum nihil aliud voluit intelligere, quam formam, & priuationem? hæc enim sunt prima contraria ab Aristotele posita, sed voluit ipse alludere ad modum loquendi Aristotelis, qui in textu trigesimosecundo, & quinquagesimoquinto huius primi dicit omnes antiquorum opiniones de contrarijs reduci ad hanc communissimam opinionem excessus, & defectus, quia omnes ponebant vnum contrarium sub excessu contentum, alterum sub defectu, per hæc autem significare voluit Aristoteles formam, & priuationem, quæ etiam Syriani intentio fuit, dùm eas similiter appellauit. Ideò ad argumentum Simplicij dico quòd excessus, & defectus a Syriano amplè sumuntur prout omnibus prædicamentis aptari possunt: quòd verò Syrianus addat illam conditionalem, dicimus id non esse, quia significare velit dubium esse an alijs prædicamentis conueniant, hoc enim aduersaretur maiori Aristotelis acceptæ iuxta expositionem Syriani, sed vult significare præcipuam Aristotelis intentionem esse de substantia & eius principijs loqui, & substantiæ primò conuenire formam & priuationem, alijs secundario, & fortasse contra Aristotelis mentem, qui substantiæ tantùm principia quęrit; quare non potest reprehendi Syrianus. Themistius autem, & Alexander dicunt, quòd cùm tres sint substantiæ, materia, forma, & compositum, quod ex vtraque fit, & constat; Aristoteles hìc per substantiam intelligit substantiam compositam, quam dicit esse vnum quoddam genus entis, genus enim dicunt appellari ab Aristotele id, quod diuiditur in species, & non in genera, cùm enim omne tale genus vnum sit, Aristoteles dicit in omni tali genere vnam esse primam contrarietatem. Si hæc Alexandri, & Themistij verba bene intelligantur, non possunt aliud intelligere, quàm id quod voluit Auerroes. nam illa substantia composita generabilis, vt eam ponunt, non potest aliud significare, quam genus prædicabile de omnibus naturalibus corporibus caducis, de omnibus enim reuera prædicatur, quare est generalissimum in prædicamento substantiæ vniuocum, sicut Auerroes ponit; nec possunt per genus intelligere cum Ammonio subiectum, quia substantia composita non est subiectum formę, sed ex ea constans, & ex materia, est enim forma in materia vt in subiecto, sed in composito vt in toto, quare patet eos idem intelligere per substantiam compositam, quod Auerroes

O 2 per

per prædicamentum substantiæ, quod vult esse corpus, nam in prædicamento substantiæ omnia, quæ in linea media continentur, sunt substantiæ compositæ, etiam corpus generalissimum, simplices autem substantiæ in prædicamento non habent locum generis, vel speciei, sed vt partes ipsorum essentiales. Sed difficultatem faciũt ea verba Alexãdri, & Themistij, cum dicant Aristotelem intelligere tale genus, quod diuidatur in species, non in genera, videntur enim significare genus illud, quod de speciebus specialissimis proximè prædicatur, quæ sententia ita esset vana, vt si hoc Alexander, ac Themistius voluissent, certè defendi non possent. Ideò mihi videtur eorum verba trahenda esse ad meliorem sensum, vt etiam quibusdam placuit, qui existimarunt eos per hæc verba nihil aliud significare voluisse, quàm quòd Aristoteles est intelligendus de genere vniuoco, non de æquiuoco, vel analogo, nam nomen entis, vel substantiæ, cum sit commune analogum, diuiditur in genera, non vere genus, species non habet, ideò solent prædicamenta vocari genera entis, non species entis, idest genera significata per nomen entis: at genus vniuocum species vere habet, & diuiditur in species, quando igitur Themistius, & Alexander dicunt Aristotelem intelligere tale genus, quod diuidatur in species, non in genera, significant genus vniuocum esse debere, quia si non sit vniuocum, non erunt omnia vnius naturæ, ergo non vnica erit prima contrarietas. Possunt autem eorum verba dupliciter intelligi; Primò quòd cùm dicant, non in genera, intelligant non in genera solùm. Nam genus vniuocũ potest esse tale, quod in genera diuidatur, & in species simul, sed non potest in genera tantùm diuidi, vt non in species; Secundò possumus etiam intelligere, quòd dicant genus vniuocum nullo modo in genera diuidi, sed solùm, in species, quando enim diuiditur viuens in animal, & plantam, quæ sunt genera, non tamen diuiditur vt in genera, sed vt species solùm, animal enim & planta respectu viuentis habent tantùm rationem specierum, non generum, ideò Porphyrius quando de generis diuisione loquitur, semper dicit genus diuidi in species, nunquam dicit in genera. Sed quęritur hìc, cùm multæ oppositæ differentiæ sint in prædicamento substantiæ, & proinde plures oppositiones inter diuersas substantiales formas, & priuationes, quænam ex eis est vocanda prima contrarietas, quã Aristoteles hìc significat esse inter principia statuendam? San. Thomas dicit quod Aristoteles intelligit illam esse primam contrarietatem in prædicamento substantiæ, quæ est primarum differentiarum immediatè diuidentium genus generalissimum, secundùm quam opinionem deberemus dicere quòd animatum, & inanimatum sunt prima contraria hìc ab Aristotele significata, quod cùm falsum sit, & sententia admittenda non est, quia hæ duæ differentiæ non possunt dici causę communes omnium naturalium corporum, cùm per animatum significemus vnam certam, & determinatam formam, quæ est anima nutritiua, ex qua non constituuntur omnia corpora naturalia, neque omnia in huius animæ priuationem corrumpuntur, sed principium cuiusque naturalis corporis est propria eius forma, non potest vna certa forma esse principium omnium. Id autem dixit D. Thomas, quia non animaduertit Aristotelis mentem esse vt hæc prima contraria dicantur prima primitate communitatis, & prædicationis, non primitate tantùm causationis, in toto enim genere corruptibilium corporum notum est quòd primæ formæ primitate tantùm naturæ, & causalitatis sunt formæ elementorum, tamen nõ possunt dici principia communia omnium corporum naturalium in genere causæ formalis, hæ namque non continent alias formas naturales, sed potius cum eis comparantur vt causæ, & priores secundum naturam, quare eas nominando, non omnium naturalium formas nominaremus. Dico igitur, vt supra declaraui, quòd Aristoteles nullam sumit signatam formam in prædicamento substantiæ, quam dicat esse principium omnium, sed omnes formas vult esse principia propriorum compositorum, eas autem redigit ad duo cõmunissi-

munissimà nomina forma, & priuatio, quæ prædicantur de omnibus, & continent omnes, & ita sunt prima contraria primitate communitatis. Et quemadmodum in prædicamento substantiæ datur nomen formæ, & nomen priuationis communissimè acceptæ, ita dantur etiam in singulis alijs prædicamentis, licèt diuersæ rationis sit forma in prædicamento substantiæ, & forma in prædicamento quanti, & similiter eius priuatio. Aristoteles autem substantiæ tantùm principia in hoc libro quærit, non accidentium, nec tamen prohibet, quin secundum proportionem eadem principia applicemus etiam accidentibus. Ita puto esse intelligendam secundam rationem Aristotelis, sic enim efficax est, & necessaria ad probandum, & quòd principia non sunt infinita, & quòd duo tantùm contraria sunt principia rerum omnium. Sed quãuis necessaria sit, videtur tamen ratio communis, quia terminos habet communes, qui sunt hìc contrahendi ad scientiam naturalem, vt ratio fiat propria. Habet enim medium terminum vnitatem prædicamenti vniuoci, maiorem autem axtremitatem negationem infinitatis, seu vnitatem primæ contrarietatis, qui omnes termini etiã in Metaphysica locum habent. [Et quia contingit ex finitis.] Hìc tertiam rationẽ ponit Aristoteles talem, melius est per pauciora idem absoluere, quàm per plura, si per pauciora æque bene fieri potest; sed per principia finita possumus saluare generationem rerum non minus quàm per infinita, ergo melius est ponere finita quàm infinita. Maior sumitur vt per se nota stante eo fundamento, quòd nihil frustra est in natura. Minor probatur ab Aristotele sola authoritate Empedoclis, ideò ratio hęc leuis, & probabilis est, supponit enim Aristoteles Empedoclem æque fide dignum esse, ac Anaxagoram, vel quamuis alium ponentem principia infinita. Empedocles autem putat per principia finita posse saluari rerum generationem sempiternam, illi verò per infinita, ergo melius est adhærere Empedocli, quàm illis. [Amplius sunt alia alijs priora.] Quarta & vltima ratione probat Aristoteles principia non esse infinita; supponit Aristoteles hoc fundamentum, quòd inter diuersas contrarietates datur ordo prioris, & posterioris secundum naturam, vna enim ab alia pendet, vt effectus a causa, sicuti primæ elementorum qualitates calidum, frigidum, humidum, & siccum si comparentur cum contrarietatibus odorum, saporum, colorum, & alijs multis, sunt illarum causæ; hę namquè omnes contrarietates saporum, odorum, & colorum, causantur vere a primis Elementorum qualitatibus tanquam a causis, & prioribus secundum naturam; tunc Aristoteles ita argumentatur, non omnia contraria sunt dicenda principia, sed solùm illa; quæ sunt prima, & non pendent ab alijs vt a principijs secundum naturam prioribus, quæ enim producuntur ab alijs prioribus principijs, non possunt dici omnium principia, ergo principia non possunt esse infinita, & consequentia est clara, quia minor est numerus principiorum, quàm contrariorũ, contraria enim posteriora, & causata non possunt dici principia, ergo dato etiã quod contraria sint infinita, non potest principiorum numerus esse infinitus, quia quod minus est infinito, necessariò est finitum, infinitũ enim alteri infinito æquale est, non potest esse minus. Notãdum autem, quòd Aristoteles dicens in textu, alia contraria priora esse, alia verò posteriora, & ex alijs prioribus pendentia, vt a causis, postea afferens exempla non affert nisi contrariorum posteriorum, nam [dulce, & amarum, album, & nigrum] sunt contraria causata a primis elementorum contrarietatibus, quas Aristoteles non nominat, ideò non rectè exponit hæc exempla Auerroes, qui dicit Aristotelem hìc intelligere alia fieri ex alijs, vt sapores medios ex extremis dulci & amaro; & colores medios ex extremis albo, & nigro, sed hoc nihil ad propositũ pertinet, quia Aristoteles cõparat contrarietatẽ cũ contrarietate alia vt priorẽ, & causã cum posteriore, & causata, non media cum extremis, ideò omnia exempla saporũ, & colorũ sunt tanquã contrariorũ causatorũ, contraria verò priora nos subintelligere oportet vt calidum, frigidum, humidum, & siccum. Continuatio verborum hoc si-

gnificat. Dicebat enim Aristoteles [ſunt alia ex alijs] poſtea ſubdit omnia in nominatiuo caſu [vt dulce,& amarum,& album & nigrum] quæ referuntur ad illam dictionem, [alia] quæ ſignificabat contraria cauſata, ſequens etiam aduerſatiua hoc idem confirmat, quando Ariſtoteles dicit [principia autem] exempla enim fuerunt de contrarijs principiatis, ſubdit poſtea, & contraria, quæ ſunt principia. Ratio hęc Ariſtotelis, & tota litera clara eſſet, ſi modò intelligerentur verba illa [principia autem ſemper oportet manere] in quibus non parua eſt difficultas,& altercatio: videntur enim ſignificare quòd principia debent æterna eſſe, & incorruptibilia, quem ſenſum multi acceperunt, ſed viderunt, contra eum inſtantiam validam, quoniam Ariſtoteles non de alijs principijs loquitur, quàm de contrarijs, hæc autem viciſſim ſe expellunt, & interimunt, quare non ſemper manent, ſed corrumpuntur. Ideò multa excogitare conati ſunt vt æternitatem principiorum ſeruarent, vt Alexander, qui de hac re multa dixit, quemadmodum Simplicius refert, dixit enim primò quòd principia verè æterna duo tantùm ſunt, materia prima & Deus, ſed quia Ariſtoteles hìc de his non loquitur, ſed de principijs contrarijs, ideò poſtea dixit, quòd etiam ipſa principia contraria poſſunt aliquo modo dici æterna, quia ſemper in materia reperiuntur: imò in qualibet parte materiæ ſemper vtrumque ineſt, forma & priuatio, in omni enim parte materię ineſt aliqua forma,& aliqua priuatio. Cōtra quam ſententiam Simplicius inſtat, quia id dicere nihil aliud eſt, quàm dicere principia contraria ęterna eſſe ſecundùm ſpeciem, ſed non ſecundùm indiuiduum, eſt enim ſemper in materia forma aliqua, ſed quælibet particularis forma corruptibilis eſt. At per hoc non diſtinguuntur priora contraria a poſterioribus, nam etiam poſteriora contraria æterna ſunt ſecundùm ſpeciem, imò omnia cauſata,& compoſita ſunt æterna ſecundùm ſpeciem, & homo, & equus: attamen Ariſtoteles dicit principia ſemper manere, vt per hoc diſtingueret prima contraria ab alijs contrarijs,& ab omnibus, quæ non ſunt principia, quare Alexandri ſententia non eſt ad mentem Ariſtotelis. Marcus Antonius Ianua ſeruabat æternitatem principiorum contrariorum per illam, quam vocabat formam corporeitatis, coæternam primæ materiæ, quam dicebat diuerſis modis fungi officio, & formæ & priuationis, & ſic prima contraria eſſe æterna; de qua forma loquemur diligenter in fine primi libri in diſcurſu de prima materia; nunc ea ſententia dimittatur, & ſimul aliæ omnes, quæ in hoc laborant, vt ſeruent in principijs contrarijs æternitatem, quia innituntur falſo fundamento, non enim eſt mens Ariſtotelis per hæc verba ſignificare principia contraria eſſe æterna, cùm ſolùm oſtendere hìc velit principia non eſſe infinita, ad quod demonſtrandum nihil confert accipere, quòd principia ſint æterna. Ego accipiendam puto expoſitionem Simplicij, qui putat eam dictionem, [ſemper] non eſſe referendam ad tempus, ſed ad res ipſas, vt ſenſus ſit, quòd principia debent vbique, & reſpectu omnium appellari principia, ſed non reſpectu aliquorum eſſe principia, & reſpectu aliorum eſſe principiata, debent enim ſemper, ideſt reſpectu omnium retinere naturam principij: hoc modo optimè hæc verba præcedentibus cohærebunt, nam loquebatur Ariſtoteles de contrarijs poſterioribus, quæ fiunt, ideſt, cauſantur ab alijs prioribus contrarijs, quare poſteriora contraria, non reſpectu omnium poſſunt dici principia, imò reſpectu illorum principiorum priorum ſunt potius principiata. Subdit deinde Ariſtoteles, at principia debent ſemper, & cum omnibus comparata dici principia & in omnium generatione inueniri tanquàm principia,& nunquàm reſpectu alicuius dici principiata: hūc ſenſum manifeſtè indicat illa aduerſatiua [autem] ſignificat enim ſenſum oppoſitum verbis præcedentibus, præcedentia autem verba dicebant, quòd poſteriora contraria ab alijs prioribus cauſantur, ergo hìc Ariſtoteles ſignificat contrarium ſenſum ei, quod eſt ab alijs fieri, videlicet non pendere ab alijs prioribus, hoc igitur ſignificauit Ariſtoteles dicens principia ſemper manere, ſicut expoſuimus. Eſt hic conſiderandum


dum

dum in quo differat quarta hæc ratio a secunda, cùm videatur vna ratio esse, non duæ. Nam secunda ratio ostendebat in vno genere vnam esse contrarietatem primam, ad quam reducebantur aliæ omnes, quoniam igitur prima contraria sunt pauca, & alia contraria non merentur dici principia, conclusit Aristoteles pauca esse principia, nec posse esse infinita. Hìc autem videtur Aristoteles eadem vti ratione, cùm dicat alia contraria ex alijs pendere, quare non omnia dicenda esse principia, sed ea tantùm, quæ ex alijs non pendent, quæ dicuntur prima contraria, quare pauca sunt principia non infinita, quia non omnia contraria sunt principia, sed ea sola, quę sunt prima, ideò ratio eadem esse videtur. Et hoc fortasse existimauit Themistius, qui huius quartæ rationis nullam mentionem facit, & videtur eam inclusisse in secunda. Videtur tamen non esse adscribendum Aristoteli hanc confusionem vt secundam rationem ponat, deinde, tertiam, deinde repetat secundam, esset enim manifesta nugatio. Multi etiam sunt, qui non considerantes quomodo differat quarta a secunda ita vtramque interpretantur, vt eas faciant vnam, & eandem rationem. Dico igitur si Aristotelis verba consideremus, differentiam esse manifestam, nam secunda ratio reducebat omnes contrarietates, quæ sunt in prædicamento substantiæ, ad vnam contrarietatem primam primitate communitatis, quæ de alijs prædicaretur, non esset causa earum. Forma enim in communi accepta prædicatur de qualibet forma prędicamenti substantiæ, vt de forma hominis, dę forma equi, & de qualibet alia, nullius tamen illarum dicitur causa; quis enim diceret formam in communi esse causam formæ hominis? confugimus enim ad formam in communi, non vt ad causam aliarum, sed vt vnico vocabulo omnes significemus, & vt corporis naturalis communis principia afferamus, & ipsa communia, sed hæc extra animam non reperitur a singulis formis distincta, quia ponitur ad illas ipsas significandas. At quarta ratio reducit omnes contrarietates ad vnam, vel plures, non quidem communes, vel prædicabiles de alijs, sed aliarum causas, & primas primitate causalitatis, quæ cùm sint signatæ contrarietates, reperiuntur extra animam distinctæ ab alijs posterioribus, quarum sunt causæ, nam calidum, & frigidum reperiuntur extra animam distincta a dulci, & amaro, & albo, & nigro. Considerat etiam quarta ratio omnes contrarietates indifferenter non solùm in prædicamento substantiæ, sed etiam in prædicamentis accidentium; & est ratio Topica, & probabilis, quæ fortasse nihil concludit, quando enim Aristoteles dicit alia contraria ab alijs fieri vt a causa, non potest intelligere nisi vt a causa efficiente, nam primæ qualitates elementorum sunt causæ colorum, & saporum vt efficientes, sed hoc non impedit quominus contrarietates colorum, & saporum sint primæ in genere causæ formalis: certum est enim, quod omnis forma supponit agens, forma tamen inter causas numeratur, & est causa prima, quia ab alia vt formali causa non pendet, idest, non est composita ex forma priore, & sic omnis forma vt forma est simplex, & habet rationem causæ formalis, & non causati in genere causæ formalis, licèt supponat agens a quo educatur, & materiam, ex qua educatur. Patet itaque rationem Aristotelis nihil roboris habere, quia satis est si prima principia semper maneant principia, & respectu nullius sint principiata in eodem genere causæ; quod si quis dicat posteriora contraria non omnium causas esse, is videat, quòd etiam prima contraria, quæ accipiantur prima primitate causationis, nō sunt omnium principia, quia sunt signata contraria, sed nulla signata forma potest esse omnium forma. Notandum tamen est, quod licet ratio Aristotelis secūdùm se nihil valeat, tamen valet & sufficiens est, ad hominem, cùm enim Aristoteles confutet vniuersaliter omnium antiquorum sententias, quæ dicunt principia esse infinita, considerat quòd licet ipse non ponat prima contraria primitate causationis, antiqui tamen omnes nulla alia prima contraria posuere, quàm primitate causationis, & signata contraria. Ideò si Aristoteles sumit hìc quòd sola prima contraria sunt principia,

pia, & intelligit primitate causationis, sumit dictum commune omnium antiquorũ, falsum quidem, sed quo vti possit ad refellendos antiquos. Præterea apud antiquos prima contraria, non magis erant principia in genere causæ formalis, quàm efficientes, vt patet de lite & amicitia apud Empedoclem, quare instantia facta a nobis contra rationem Aristotelis nihil valet; si enim contraria aliqua ab alijs pendeant vt a causa efficiente, apud antiquos non possunt dici principia, nam quocunque modo vna contrarietas pendeat ab alia vt a causa, non potest esse principium iuxta antiquorum sententias, licèt secundum veritatem aliter dicendum sit, vt declarauimus. Patet igitur quòd ratio hæc absolutè accepta, & secundum veritatem nihil valet, sed vt contra antiquos ponentes principia infinita est efficax, quia ex eorum placitis fundamentum sumit, vt dictum est.

Textus Quinquagesimus Primus.

Quod igitur neque vnum, neque infinita sint manifestum est ex his. Quoniam autem finita, non facere duo tantum, habet quandam rationem. Dubitabit enim aliquis qualiter densitas raritatem facere apta nata sit, aut hac densitatem. Similiter autem, & alia quæcunque contrarietas, non enim amicitia litem congregat, & facit aliquid ex ipsa, neque lis ex illa, sed vtraque alteram quidam tertium. Quidam autem & plura recipiunt, ex quibus conficiunt eorum, quæ sunt, naturam:



CONCLVDIT Aristoteles neque vnum posse statui principium, neque infinita: deinde volens prosequi ad illorum trium membrorum considerationem, quæ in præcedenti textu proposuerat, videlicet an sint duo, an tria, an plura tribus, incipit ostendere quòd primum membrũ poni non potest, videlicet, quod duo tantum sint principia, & sic aggreditur hoc in loco inuestigationem primæ materiæ, quæ est tertium principium, sine quo non potest ex duobus contrarijs solis aliquid fieri, & quoniam materia prima est difficilima cognitu, quia recondita est & latet sensus, Aristoteles ad eam inquirendam ea via progreditur, qua in rebus arduis vti solet, prius namque Topicè, & probabiliter probat opus esse præter duo contraria ponere etiam tertium principium subiectum, quod quidem facit ab hoc loco vsque ad textum quinquagesimũ sextum: deinde in quinquagesimoseptimo incipiet eam demonstratiuè inuestigare a posteriori. Quam sententiam Thomas innuere videtur, ideò multi non bene sentiunt, qui putant totam probationem materiæ primæ in hac parte contineri, videlicet a textu hoc vsque ad quinquagesimum sextum. Nos autem tum ex huius partis consideratione, tùm sequentis quæ in textu quinquagesimoseptimo incipiet, ostendemus falsam esse hanc opinionem, nam in præsenti parte non continetur alia probatio, quàm probabilis, quæ quidem duplex erit, altera quidem dubitando contra ea, quæ hactenus sunt ostensa, altera verò ex antiquorum testimonio. Cùm enim Aristoteles hactenus demonstrauerit principia esse contraria, nunc contra hoc multis argumentis instat in hoc textu, & in sequenti, probans principia non esse contraria, quia res ex eis fieri non possunt, quæ argumenta non ad hoc tendent, vt destruatur principiorum contrarietas hactenus comprobata, sed vt probetur, quòd principia

pia contraria si sola accipiantur non sufficiunt ad rerum cognitionem, & propterea cogimur concedere materiam subiectam contrarijs, vt omnia argumenta vitemus, sicuti Aristoteles concludit in textu quinquagesimotertio. Sed clarum est hunc esse modum probandi Topicum, quando ex argumentis in vtramque partem factis ducimur ad aliquam veritatis cognitionem, vt contraria argumenta conciliemus. Inquit igitur Aristoteles quod cùm principia sint plura finita, si velimus vlterius certum habere eorum numerum, & videre an duo tantum sint, an tria tantùm, an plura, videtur primò, quòd [non facere duo tantum, habet quandam rationem] idest, rationabile est quòd non sint solùm duo, sed sit etiam subiectum tertium, quibus verbis significat Aristoteles suam intentionem esse ostendere quod sola contraria nõ sufficiunt, sed non ipsa contraria refellere, significat etiam hanc esse probabilem argumentationem, inquit enim [habet, quandam rationem] idest, probabile est, nunquam enim de ratione demonstratiua hæc verba Aristoteles proferret. Deinde cum dicit, [Dubitabit enim aliquis] Incipit argumentari, & aperte testatur argumentationem esse Topicam, cum eam proponat per modum dubitationis, dubitat enim contra principiorum contrarietatem iam probatam, vt postea colligat probabile esse dari etiam tertium principium, quia ipsum ponendo tolluntur hæc omnia dubia; Primum igitur argumentum, siue dubium tale est, ea, ex quibus nihil fieri potest, non sunt principia, sed ex solis contrarijs nihil potest fieri, ergo sola contraria non sunt principia rerum: maior clara est ex ipsa significatione huius vocis, principium; minorem declarat Aristoteles exemplis, quæ declaratio vim habet inductionis, quauis enim accepta contrarietate, vt densitatis, & raritatis, si ex ea res debeant fieri, id oportet esse vno trium modorum, aut enim ex vtrisque simul iunctis aliquid generatur, aut ex vno contrario tanquam materia alterum contrarium fit, vt ex densitate raritas, vel vnum agens in alterum, ex eo tanquam materia aliquid generat. Primum, vt manifestè impossibile Aristoteles prætermittit, quia certum est contraria simul stare, & simul componi non posse, alia duo membra considerat Aristoteles falsa esse non alia ratione vtens, quam inductione, in exemplis enim ostendit ea quoque esse impossibilia, nam cùm dicit [qualiter densitas raritatem facere apta sit] significat ex densitate, vt materia raritatem fieri esse impossibile manifestum, est autem modus loquendi, quo sæpe vti solemus, cera statuam facit, pro eo, quod est, ex cera, vt materia statua fit, id autem esse impossibile patet ex se, quia materia remanet in re facta, quare si ex densitate vt materia raritas fieret, contraria simul manerent, maluit autem ita loqui Aristoteles quàm dicere ex densitate raritatem fieri, quia sic potuissemus intelligere ex densitate tanquam ex termino, qui sensus non fuisset falsus, nec pertinet ad propositum. Significat etiam simul Aristoteles, quòd densitas vt agens non potest efficere raritatem, nam hoc quoque est per se manifestum, quia contrarium agit in contrarium non vt generet ipsum, sed è conuerso vt interimat, & rectè vtitur Aristoteles vocabulis abstractis densitate, & raritate, supra enim dùm probabat contrarium ex contrario fieri vsus est concretis, dicens album ex nigro, musicum ex non musico, quia voluit simul cum contrarijs implicite connotare subiectũ, quod Aristoteles in sequenti parte vult vt distinctum a contrarijs cognoscatur, quia supra cum eis confusum, & in eis inuolutum fuit, sed in hoc loco vt ostendat quod sola cõtraria nõ sufficiunt, accipit vt in abstracto ne subiectũ connotetur, & vt impossibilia clarius pateant, quæ sequuntur si dicatur ex solis contrarijs res fieri. Alterũ addit exemplum Aristoteles litis, & amicitiæ, quod pertinet ad ostendendũ, quod vnum contrarium non potest, vt agens facere aliquid ex altero, antiqui enim prima contraria ponentes non magis cõsiderabant quod essent principia formalia, quã efficientia, sed confuse ad modum & indistinctè ea accipiebant. Ideò Aristoteles vtrumque ostendit, tùm quòd ex contrario vt principio interno non potest alterum contrarium

generari

generari, tùm quòd ex vnius contrarij actione in alterum nihil generari potest, quod clarum esse ostendit in contrarijs positis ab Empedocle, ipse enim litem, & amicitiam ponebat vt efficientes causas, quæ congregando elementa simul mundum corrumperent, videlicèt per Amicitiam, per litem verò separentur ab inuicem, & generaretur mundus. Certum est autem quòd si præter litem, & amicitiam nullum aliud principium poneretur, nihil ex eis fieri posset, quia neque lis separaret, neque amicitia congregaret, lis enim non separat amicitiam, neque amicitia congregat litem, & omninò nullum contrarium agit in suum contrarium, vt ex eo aliquid faciat, sed vtrumque in subiectum quoddam tertium agit, quod distinctum est ab vtroque contrario, lis enim separat ab inuicem elementa, amicitia verò eadem congregat, ponebat enim Empedocles elementa vt materiam, in quam illa duo contraria agerent, & vult per hæc omnia significare Aristoteles, quòd vnum contrarium non est aptum recipere actionem alterius, sed subiectum tertium, quod subest vni contrario, recipit alterius contrarij actionem, non enim calor agit in frigus, neque frigus est aptum recipere actionem caloris, sed agit calor in subiectum frigiditatis, vt in aquam, vt ab ea frigiditatem pellat, ideò dicimus calidum agere in frigidum non in frigiditatem. Patet igitur quòd ex solis contrarijs sine tertio subiecto nihil generari posset. Addunt etiam Interpretes alia impossibilia, quæ sequerentur, solis enim contrarijs positis sequeretur quòd omnia essent simplicia, & quòd principium & principiatum idem esset, cùm enim vnum contrarium simul cum altero contrario remanere non possit, necesse est, vt vnum destruatur, alterum remaneat solùm, quod quidem simplex est, & est ipsummet principium, & est simul id, quod dicitur fieri, & ita principiatum erit ipsum principium simplex, & nulla erit compositio. [Quidam autem, & plura recipiunt] Quia nominauerat Aristoteles subiectum tertium, addit hìc confirmationem ex antiquorum testimonio, vnde aliqui non contenti vno materiali principio, plura posuerunt, vt Empedocles posuit omnia quatuor elementa esse primam rerum materiam, & Parmenides ignem & terram, ; cognoscentes enim necessitatem principij materialis vno non contenti plura posuerunt. Rectè autem Aristoteles dixit aliquos antiquos ex pluribus materialibus principijs constituisse rerum naturam, quia antiqui totam rei naturam ponebant esse ipsam materiam, contraria autem non putabant esse naturam rei, neque principij nomine ea appellabant, quamuis ea simul cum materia concurrere ad generationem existimarent. ponebant enim ea interuenire, vt dispositiones quasdam, non vt partem substantiæ, & naturæ rei; ideò formale principium ignorarunt, & totam rei naturam putabant consistere in principio materiali, quem ipsorum errorem Aristoteles diligentius considerabit, & confutabit in secundo libro loquens de natura.

Textus Quinquagesimus Secundus.

Ad hæc autem, & hoc aliquis dubitauerit nisi quis aliam supposuerit contrarijs naturam. Nullius enim videmus eorum quæ sunt, substantiam, contraria; principium autem non de subiecto oportet dici aliquo, erit enim principium principij. subiectum enim principium, & prius videtur esse prædicato. Amplius non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ. quomodo igitur ex non substantijs substantia vtique erit? aut quomodo prius non substantia quàm substantia erit?

AFFERT



FFERT Aristoteles secundam rationem, seu dubitationem ad probandum principia non esse contraria, seu contraria non sufficere, nisi eis subijciamus tertium principium subiectum, per hoc enim innuit Aristoteles, quòd ponendo tertium principium dubitatio omnis remouetur, rationem ita puto cum Simplicio formandam esse in Camestres, principia sunt substantia rei, contraria non sunt substantia alicuius rei, ergo contraria non sunt principia. Minorem negatiuam ponit Aristoteles cùm dicit, [nullius enim videmus] quam non probat vt ad sensum notam, cùm dicat, videmus. Maiorem affirmatiuam non ponit, sed loco eius ponit probationem in reliquis verbis cùm dicit [principium autem non] possumus etiam facere syllogismum in Cesare sic, contraria non sunt substantia alicuius rei, principia sunt substantia rei, ergo principia non sunt contraria. Sed vt ratio intelligatur sciendum est prius, quid intelligat hìc Aristoteles per substantiam, quod ex Simplicio hìc desumere possumus, intelligit enim Aristoteles substantiam, quæ extra animam per se subsistit, & alijs substat, veluti dispositionibus, & accidentibus, quæ circa eam sunt; id enim totum, quod extra animam existere videmus, Aristoteles in duo distinguere videtur, in ipsam rei substantiam per se existentem, quæ nulli hæret, & in ea, quæ illi inhærent, vt affectiones, & accidentia eius, inter quæ manifestum est numerari omnia contraria, omnia enim contraria videntur versari circa subiectum aliquod, non esse ipsa rei substantiam, & subiectum aliorum, idque apertissimum est si sumantur in abstracto omnia contraria, & solæ exprimantur ipsæ contrarietates, vt caliditas, frigiditas, albedo, nigredo, sunt enim dispositiones quædam in subiecto aliquo existentes, vnde solemus dicere quòd contraria se mutuò pellunt ab eodem subiecto, propterea Aristoteles sumit minorem illam negatiuam, vt manifestam cùm dicit [nullius enim videmus eorum quæ sunt, substantiam, contraria] non videmus contraria esse substantiam alicuius rei, idest id, quod per se sine subiecto subsistit, sed potius numerari inter illa, quæ in subiecto inhærent, ignis enim non est contrarius aquæ, sed dispositiones, quæ in vtroque sunt, contrariæ sunt inter se. Imò si etiam substantialem formam accipiemus, ea non est substantia rei, idest, non potest per se sine interuentu substantiæ materiæ constituere rem per se actu subsistentem; sed vna cum materia potest constituere substantiam, vnde patet, quòd posita subiecta materia soluitur tota dubitatio. Ideò aduertendum est, quòd tam maior, quàm minor sunt intelligendæ in sensu causali, cùm enim dicit Aristoteles, contraria non sunt substantia alicuius rei, significat quòd contraria sine subiecto non constituunt rem per se subsistentem, quare probatur solum quòd contraria sine materia non sunt sufficientia principia, vt dictum est prius. Similiter est intelligenda maior, quæ est, principia sunt substantia, idest, principia illa interna, quæ in præsentia quærimus, debent esse talia, quæ constituant totam naturam rei, per se subsistentis, non enim dicit Aristoteles principia esse substantiam, sed constituere substantiam, idest, quæ per se subsistat, principia enim quærimus, ex quibus hæc constituitur. Ideò notat hìc Simplicius quòd materia, & forma non propriè dicuntur substantiæ, sed sunt potius substantiales, quàm substantiæ, propriè enim substantia est composita, quæ per se subsistit, ideò ita sumendo substantiam maior est vera causaliter non formaliter. Maiorem probat Aristoteles sic, Si principia non constituunt rei substantiam, ergo accidentia erunt & dispositiones, quæ circa ipsam substantiam sunt, & in subiecto inhærent, consequentia clara est ex ijs, quę diximus, diuisimus enim id, quod subsistit in substantiã rei, quæ dicitur substare alijs & nulli inhærere, & in dispositiones, & accidentia, quæ inhærent in ea; ergo si principia non stant ex parte substãtiæ, & eam nõ constituunt, stabunt in altero membro, videlicèt inter dispositiones, & accidẽtia substãtię; consequẽtis falsitatẽ probat Aristoteles, quia si principia sint in subiecto, & sint accidẽtia, sequitur quòd nõ possunt dici

principia,

principia, quia subiectũ est natura prius accidente, quod in ipso inhæret, & respectu eius habet locũ principij & causę quare si principia sint in subiecto nõ erũt prima principia, quia subiectũ erit principiũ eis prius [prędicatũ] intelligit Aristoteles id, quod est in subiecto, sicuti ẽt [de subiecto dici] sumit pro esse in subiecto. Hac igitur ratione probatũ est quod cõtraria sola nõ possunt esse principia, quoniã sola sine subiecto nõ possunt constituere substantiã rei per se subsistentis; at principia talia quęrimus, quę substantiam per se existentem constituunt, quod si subiectam materiam addiderimus, totum dubium soluitur, nam alterum contrarium, forma ipsa, vna cum materia totam rei substantiam perfectè constituit. Ita intelligendam puto hanc rationem Aristotelis, non vt aliqui, qui eam in duas secant, & alteram putant poni ibi [nullius enim] alteram verò ibi [principium, autem] primam dicunt esse eam, quam nos cũ Simplicio exposuimus; Secundam verò talem, principia non sunt in subiecto contraria sunt in subiecto, ergo contraria non sunt principia; quæ ratio secundum se considerata concludit, & admitti potest, sed non est consona verbis Aristotelis. Aristoteles enim quando vult afferre nouam rationem dicit amplius, vel ad hæc; hìc autem vtitur aduersatiua cum dicit [principium autem] quare hoc non potest esse initium nouæ rationis, sed est probatio maioris, quæ loco ipsius maioris post minorem adducitur. Alexander autem voluit in primis verbis huius texus adductam esse ab Aristotele vnam rationem, deinde aliam cùm dicit [nullius enim] vt Simplicius refert, sed non recta est eius sententia, quando enim Aristoteles dicit [ad hæc autem &c.] in his verbis nullam affert rationem, sed solum problema probandum, quod postea probat dùm ait, [nullius, enim] vt indicat illa dictio [enim] quæ est redditiua causæ, neque potest significare nouam rationem vt patet. [Amplius non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ.] Aliud argumentum affert hìc Aristoteles seù aliud dubium ordine tertium, quo probat contraria non esse principia, ducens ad impossibile hoc modo, substantiæ nihil est contrarium, principia sunt contraria, ergo principia non sunt substantiæ: at conclusio hæc falsa est, & forma argumenti recta, quia est in Cesare, ergo est falsa altera præmissarum, non maior, quia sumitur vt clara ex libro prædicamentorum, ergo minor, quæ dicit principia esse contraria. Falsitatem conclusionis probat Aristoteles dupliciter, & mutat conclusionem negatiuam in affirmatiuam de prædicato infinito, ęquiualent enim, vt ipse ostendit in libro de Interpretatione; primò sic, si principia essent non substantiæ, ergo ex non substantijs substantia fieret, consequens est manifestè falsum, præsertim de internis principijs, & componentibus, qualia nunc consideramus; secundò, si principia substantiæ essent non substantiæ, ergo non substantia esset natura prior quàm substantia, consequentia est clara, quia principium est natura prius principiato, falsitas etiam consequentis patet, quia ostenditur ab Aristotele in septimo Metaphysicorum, quod substantia est prior omni accidente natura, tempore, & perfectione; non possunt igitur principia substantiæ esse non substantiæ, sunt igitur substantiæ, ergo non sunt contraria. Melius videtur vt argumentum formetur ostensiuum sic, substantiæ nihil est contrarium, principia sunt substantiæ, ergo principia non sunt contraria. Minorem probat Aristoteles dupliciter, hìc vocabatur probatio falsitatis conclusionis. Multi tamen volunt, quòd non duabus rationibus probetur hìc ab Aristotele conclusionis falsitas, sed vna, quam ipsi talem esse dicunt, si principia sint non substantiæ, ergo ex non substantijs substantia fieret, hoc autem falsum est, & probatur falsitas, quia si ex non substantijs substantia fieret, sequeretur, quod non substãtia esset natura prior quã substãtia, & ita quæ apud nos erat secũda ratio ad probandam falsitatem conclusionis, apud hos est pars primæ, quare vna est ratio. Quæ sententia admitti potest, sed facilior videtur prior expositio, quam nos secuti sumus, quia Aristoteles dicens, [aut] disiungere videtur quasi alterum impossibile adducens

non

non tanquam probans quæ dixerat. Præterea prius impossibile, est ita notum, vt non videatur indigere probatione, videlicet quod ex nō substantijs substantia fiat vt principijs componentibus. In hac ratione nomen substantiæ debet sumi eodem modo, quo in præcedente ratione sumptum fuit, videlicet pro re, quæ per se extra animam subsistat, principia autem substantiæ debere esse substantias, est intelligendum causaliter vt supra, nempè quod principia substantiæ debent esse apta constituere rem per se subsistentem, rectè igitur dicitur quod contraria non sunt substantiæ nisi subiectum addatur, quia sine eo non possunt constituere rem subsistentem, neque ambo simul, neque alterum separatim; si autem ex contrarijs sine subiecto res fierent, absurdum sequeretur, quòd substantia idest res per se subsistens, componeretur ex non substantijs, idest, ex non valentibus rem per se subsistentem constituere. Item sequeretur quòd ea, quæ apta non sunt esse nisi in alio, essent natura priora substantia, quæ per se subsistit, quod si contrarijs addamus materiam subiectam, omnia hæc absurda euitamus, materia enim non est apta esse in alio, sed in ea sunt omnia, ex ea igitur, & forma potest constitui res per se subsistens, & materia non est principium contrarium vlli, forma autem dùm cum materia accipitur, dicitur substantia, quia cum materia est apta constituere rem per se subsistentem, sed sine materia non est substantia, quia non potest substantiam constituere. Quod autem dicit Aristoteles substantiæ nihil esse contrarium, verum est accipiendo substantiam vt diximus, accipiendam esse: compositum enim per se subsistens, nulli est contrarium, quia saltem materia, quæ eius pars est, nulli est contraria, contrarietas autem est in qualitatibus ipsius compositi, nec non etiam in formis substantialibus est oppositio saltem priuatiua. Vtrum autem in eis detur etiam vna contrarietas, vt existimant aliqui de formis elementorum, quod Auerroes in præsenti Commentario attribuit Alexandro, non est præsentis speculationis, quia Aristoteles dicit de substantia composita per se subsistente quòd non habet contrarium, ex quo inferre vult, quod in eius constitutione debet interuenire aliquid quod nulli contrarium sit, & nulli inhęreat; in formis autem concedit in hoc libro contrarietatem, intelligendo oppositionem inter priuationem, & habitum; sed an quoque vna contrarietas inter formas detur, nihil ad rem.

Textus Quinquagesimus Tertius.

Quo circa si quis, & priorem veram putabit esse rationem, & hanc, necessarium est, si debet saluare vtrasque rationes, subijcere quoddam tertium, quemadmodum dicunt vnam quandam naturam dicentes esse vniuersum, vt aquam, aut ignem, aut medium horum.

EX allatis dubitationibus concludit Aristoteles necessarium esse vt concedatur subiectum tertium pręter contraria, si vtraque contraria argumentatio saluari debet, ea videlicet, qua ostensum est prius principia esse contraria, quam significat Aristoteles dicens, [priorem rationem,] & altera opposita, qua vltimo loco probatum est, principia non esse contraria, quam significat Aristoteles quando dicit [hanc] sunt enim argumentationes oppositę, & repugnantes, ambę tamen verum concludunt, si pręter contraria ponamus materiam subiectam, quę nulli est contraria. Sunt igitur


principia contraria vt prior argumentatio ostendit, non sunt contraria, quia materia est principium tertium, & nulli est contraria, sed est quasi medium quoddam inter omnia contraria, vt Aristoteles eam vocabit in textu quinquagesimosexto, quia vtrique contrario amica est,& cum vtroque stare potest,& omnium contrarietatum est receptiua. Firma igitur manet probatio prior quòd contraria sunt principia rerum, firma etiam manet altera posterior, quòd contraria non sufficiunt, sed oportet addere tertium principium, quod non sit contrarium, & nulli inhæreat, sed omnia inhæreant in eo. Auerroes in Commentario præcedenti, & in hoc notat quòd quandoque argumentatio ad contrarias partes solet ita conciliari vt vtraque pars vera sit, & argumenta vtriusque concludant, quando vtraque est falsa in vniuersali, & vera in particulari, cùm enim supra ostensum sit principia esse contraria, si vniuersaliter intelligatur omnia principia esse contraria, falsum est, & rationes vltimo loco adductæ concludunt, quòd ex eis nihil fieret: at in particulari verum est, quoniam aliqua principia sunt contraria: probatio autem præsens quòd principia non sunt contraria,& ipsa falsa est, si vniuersaliter intelligatur, quòd nulla principia sint contraria; at in particulari vera est, quòd necesse est aliquod esse principium, quod nulli contrarium sit: saluantur in partidulari vtræque probationes, quia aliqua principia sunt contraria, vt forma & priuatio, aliqua non sunt contraria vt prima materia. Sed quis non videat hanc esse Topicam & probabilem rationem ad inueniendam materiam primam, nam ex argumentatione facta ad partes circa principia contraria, elicere dari materiam primam, est probabilem illationem facere, non demonstratiuam, quia nulla fit demonstratio ex natura rei: neque enim a priori, neque a posteriori per effectum aliquem cognita est prima materia. Sed ex ijs, quæ sequuntur, clare ostendam hanc esse Aristotelis mentem. [Quemadmodum dicunt vnam quandam naturam] quòd sit statuendum tertium principium subiectum, confirmat Aristoteles altero probabili argumento, nempe antiquorum testimonio, eorum videlicèt, qui vnicam materiam primam ponebant, vt aliquod ex elementis, vel medium inter elementa, nam illi quoque præter contraria ponebant vnam subiectam materiam, imò ipsi materiæ principem locum dabant in rerum constitutione, hanc enim dicebant esse substantiam & naturam rei, vnde frequens erat apud eos is loquendi modus, quem in textu septimo declarauimus, omnia sunt aqua, omnia sunt ignis, idest, omnia ex aqua constant, omnia ex igne. Quod hìc quoque significat Aristoteles dùm dicit [vnam quandam naturam dicentes esse Vniuersum] Vniuersum enim, idest, omnia corpora mundi dicebant vnam quandam naturam esse, idest ex vno materiali principio constare, sumebant enim nomen entis pro principio, & esse hoc pro esse ex hoc. Debemus hìc notare quòd Aristoteles hoc in loco præfert antiquos illos, qui vnicam ponebant materiam, omnibus alijs, qui ponebant plures, ideò tantum abest vt vnquam confutauerit sententiam ponentium vnicum materiale principium, vt potius ex hac sola sententia desumat propriæ opinionis confirmationem, relictis alijs, quæ cùm plures materias ponebant, erant a veritate remotiores, qua in re quidam recentiores Philosophi errauerunt, vt supra in textu quadragesimoprimo considerauimus.

Textus Quinquagesimus Quartus.

Videtur autem medium magis. ignis enim, & terra, & aer, & aqua contrarietatibus complexa sunt; ideò non irrationabiliter faciunt, subiectum alterum ab his facientes, aliorum autem quidam aerem;

aer

Aer enim minimè aliorum habet differentias sensibiles, consequens autem est aqua.



VM Aristoteles confirmauerit suam conclusionem de principio materiali ex antiquorum testimonio, qui vnam aliquam primam materiam ponebant, nunc vult eorum sententias inter se comparare, & considerare quinam melius, qui deterius dixerint, vt ex hac comparatione nos facilius ducat postea in cognitionem primæ materiæ. Hoc idem fecit Aristoteles supra in textu Quadragesimooctauo, & Quadragesimonono de principijs contrarijs, comparauit enim inter se opiniones antiquorum, vt ex ea comparatione colligeret qualia cõtraria essent ponenda principia rerum. Sic etiam nunc postquàm probabiliter conclusit necessarium esse ponere materiam præter principia contraria, cùm etiam hanc sententiam testimonio confirmauerit, vult eos inter se comparare, vt cùm postea accedere velit ad exactiorem materiæ declarationem possit ex hac comparatione aliquid colligere, quod conferat ad cognitionem veritatis circa naturam ipsius primæ materiæ. Est autem in primis declarandum, qua norma vsurus sit Aristoteles ad discernendum quinam melius dixerint, sicut etiam in textu quadragesimooctauo fecimus, ita enim cognoscemus scopum Aristotelis, & quem fructum velit, vt ex hac comparatione colligamus. Certum est quòd hæc materia subiecta contrarijs, quam hìc quærimus, debet esse communissimum principium omnium rerum naturalium, principium autem non est alio modo quàm, quia forma huius, & illius rei recipit, ergo si omnium principium esse debet, debet omnium formarum esse receptiua, ergo debet ab omnium formarum commixtione secundùm suam naturam libera esse, & nulli certæ naturæ esse alligata, quia si secundùm suam naturam esset alligata alicui formæ magis, quàm alijs, non posset alias recipere, quia (vt Aristoteles dixit textu quarto tertij de anima) intus apparens prohibet extraneum, & ibi Auerroes in Commentario dicit, omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, debet igitur materia esse talis, quæ nulli sensibili qualitati, nulli formæ sit secundùm suam naturam addita, sed libera, & indifferens ad omnes, ita enim omnium principium materiale esse poterit. Et hunc scopum innuens Aristoteles iudicat illos antiquos melius sensisse in statuendo principio materiali, qui materiam magis indifferentem, & liberam attulerunt ab omni sensibili qualitate, & æque ab vtraque parte contrarietatis; ideò omnibus præfert eos, qui posuerunt primam materiam aliquod medium inter elementa, hi enim melius dixerunt, quàm qui aliquid ex elementis posuerunt. Singulum enim elementorum est contrarietatibus alligatum, idest, sub altera parte contrarietatis, cui secundùm naturam est alligatum, hoc enim intelligit Aristoteles quando dicit [contrarietatibus complexa sunt] idest addita, & inuoluta, naturaliter alteri parti contrarietatis; vt ignis naturaliter est additus calori, hunc amat, odit frigiditatem, quare non posset recipere frigiditatem, sic etiam quodlibet ex reliquis elementis est alligatum vni contrario magis quam alteri, sed medium inter elementa magis videtur indifferens ad vtrumque contrarium, & magis liberum ad vtriusque receptionem. Si enim sumatur mediũ inter aerẽ & aquam nõ videtur magis additũ frigori, quàm calori, sed anceps ad vtrũque, ideò magis aptũ ad vtriusque susceptionẽ, cùm neutri sit additũ. Qui igitur medium aliquod inter elemẽta posuerunt principiũ materiale omnium proximè videntur accessisse ad conditiones & naturam primæ materię, post hos comparans Aristoteles inter se, eos, qui aliquid ex elemẽtis ponebant, omnibus præfert eos, qui ponebant aerem, post quos ponit eos, qui ponebant aquam, vt postremi relinquantur, vt pessimè omniũ sentientes illi, qui ponebãt ignẽ, terram enim propter eius ineptitudinẽ nullus antiquorum Philosophorum solam posuit principium rerum. Certum est enim quòd

duo elementa media aer, & aqua habent magis indifferentem naturam quàm duo extrema, videntur enim ad vtrumque extremum vergere, videntur & vtriusque modo quodam preseferre naturam, quia qualitates remissiores habent consequenter minus sensibiles, extrema verò habent qualitates intensiores, & magis extremas, sed maximè omnium indifferens est aer, cum nulli additus videatur sensibili qualitati, sed ad omnes æque aptus, videtur enim modo humidus, modo siccus, modo calidus, modo frigidus, quamuis enim reuera ipse quoque determinatam habeat naturam, & sit additus proprijs, & naturalibus qualitatibus, id tamen est insensibile, vnde alij voluerunt ipsum esse naturaliter calidum, vt Aristoteles, alij frigidum, vt Stoici, ipse etiam aer magis sensum latet, quàm alia elementa, propterea licet neque ipse conuenienter assignetur pro prima omnium rerum materia, cùm sit alligatus certæ cuidam naturæ, tamen comparatione aliorum elementorum conuenientius assignatur aer, quam vllum aliud elementum, quia saltem minus manifestè & minus sensibiliter, quam cætera elementa est alligatus sensibili qualitati, & magis quam alia videtur esse indifferens ad recipiendas contrarias impressiones. Aqua verò minus conuenienter ponitur esse materia quam aer, sensibilior enim est aqua aere, quia est magis sensibiliter alligata sensibili qualitati, omnibus enim patet eam naturaliter frigidam esse, & humidam, conuenientius tamen ponitur, quam ignis, quia naturam habet magis indifferentem, quam ignis, quamuis enim frigida sit, potest tamen fieri calida, vt omnes quotidie experiuntur. Ignis autem cùm summè calidus sit, & siccus, nulla ratione infrigidari, aut humectari potest, quare est ita firmiter alligatus alteri parti contrarietatis, vt nullo modo alterius partis capax sit, quare minimè aliorum habet indifferentem naturam, quare minime conuenienter ponitur materia prima, ex qua omnia fiunt, videtur etiam destructiuus potius rerum quam productiuus, aqua vero generatiua & nutrittiua, quare conuenientius assignatur aqua, quam ignis pro materia rerum. Ex hac antiquorum comparatione vult Aristoteles, vt hunc fructum percipiamus, vt cognoscamus materiam primam omnium rerum debere esse liberam a commixtione alicuius formæ secundum propriam naturam, sic enim erit in potentia ad omnes, & poterit omnes recipere. Hæc est tota mens Aristotelis in hac comparatione. Non enim intendit absolutè laudare aliquem horum antiquorum, quia omnes errarunt ponentes materiam primam esse aliquod corpus formatum, & actuatum, alij tamen magis, alij minus ad primæ materiæ conditiones propè videntur accessisse, & fortasse qui medium aliquod inter elementa materiam posuerunt non intellexerunt illud esse corporeum, sed ipsam materiam significare voluerunt, quam Aristoteles quoque infrà in textu quinquagesimosexto vocabit naturam mediam, cum enim vtriusque contrarij æque susceptiua sit media modo quodam est inter elementa, propterea Aristoteles dicit hos [non irrationabiliter] dixisse non elementum aliquod esse materiam primã, sed aliquod medium inter illa, idest, aliquod prius illis, ex quo æque generari possint omnia elementa, & consequenter res omnes. Videtur contradictio inter Aristotelem hìc, & in primo Metaphysicorum textu tertiodecimo vbi dixit quòd melius dixerunt illi, qui posuerunt ignem primum principium, hìc autem dicit, quod peius dixerunt. Dicendum quòd Aristoteles ipse in eo loco totum dubium soluit, non enim ibi ex propria sententia, aut secundum veritatem loquitur, sed ex suppositione, quod generatio sit congregatio; hac enim opinione supposita melius dixerunt qui ignem posuerunt primum principium, quia partes minutissimas, & subtilissimas habet; si igitur generatio est congregatio, prima omnium principia sunt illa, quæ minutissima sunt, cuiusmodi sunt partes ignis. Alteram contradictionem notat Zimara in Auerroe, qui dicit hìc quod Elementa media habent minus sensibiles contrarias qualitates, quàm Elementa extrema, at in secundo de Generatione dicit in Cõmentario

mentario vigesimotertio, quòd aqua est primò frigida; Terra verò primò sicca, vnde dici solet, quòd aqua est primum frigidorum, ergo frigiditas est maior in aqua quàm in terra, & sic sensibilis qualitas est maior in elemento medio quàm in extremo. Respondet Zimara quòd Auerroes loquitur de medijs per compositionem extremorum, quales sunt colores, de his enim verum est, quòd minor contrarietas est in medijs, quàm in extremis, sed non loquitur de medijs per comparationem ad extrema, cuiusmodi sunt elementa media respectu duorum elementorum extremorum, in his enim non est necessarium minorem, & remissiorem contrarietatem esse, quàm in extremis. Quæ responsio est manifestè falsa quia clarum est Auerroem hic loqui de elementis medijs, & dicere in his esse minorem contrarietatem quàm in extremis; hoc enim dixit interpretans Aristotelem in præsenti contextu, qui de Elementis loquitur, & ipsemet Auerroes apertè nominat elementa, imò, & Aristoteles ipse dicit in textu, quòd post aerem aqua habet minus sensibiles qualitates, quàm alia elementa, minus igitur frigidam facit Aristoteles aquam terra. Hanc instantiam videns Zimara dicit, quòd Aristoteles, & consequenter etiam Auerroes loquuntur secundùm opinionem antiquorum, qui videntes aquam esse medium elementum inter terram, & ignem secundùm situm, & secundùm comparationem, crediderunt etiam eam habere minus sensibiles qualitates. Sed hoc quoque falsum est, Aristoteles enim ex propria sententia, & secundùm veritatem discernit opiniones has antiquorum, & de ijs iudicium profert, non enim posset vnam opinionem alteri præferre, vtendo fundamentis alterius opinionis magis, quàm alterius, sed ex ipsa rei veritate, quæ etiam ad sensum patet, de eorum qualitatibus facit comparationem inter illas. Addit præterea Zimara quòd propositio Auerrois potest etiam absolutè verificari in elementis medijs, si eam intelligamus ratione qualitatum motiuarum, grauitatis, & leuitatis, terra enim est simpliciter grauis, aqua verò secundùm quid, & remissè; de alteratiuis autem non potest verificari. Sed hoc quoque falsum est, quia Aristoteles hìc, & Auerroes præcipuè respiciunt qualitates alteratiuas, hæ namque potissimum sensus nostros mouent. Prӕterea ratione qualitatum motiuarum tantùm non debuit Aristoteles aerem anteponere aquæ, quia ita patet aerem esse leuem, & in aqua ascendere, vt aquam esse grauem & in aere descendere, imò manifestius est aquæ terram subesse, quàm aeri superstare ignem, quare possemus existimare totum locum ab aqua ad cӕlum esse aere plenum. Quidam alij dicunt quòd aliud est loqui de gradu qualitatis in elemento, aliud est loqui de ipsa potentia, & vi actiua, si enim respiciamus gradum, frigiditas non est maior in aqua quàm in terra, sed sunt æquales, quia vtraque est summè frigida, quòd si vim actiuam spectemus, magis est actiua frigiditas aquæ, quàm frigiditas terræ, est enim ad agendum potentior coniuncta cum humiditate, quam cum siccitate; sicuti è contrario caliditas est magis actiua ad extra cum siccitate, quàm cum humiditate, ideò ignis est maximè actiuus. Si igitur intelligamus qualitatem sensibilem ratione maioris actiuitatis ad extra, frigiditas aquæ est magis sensibilis, quàm frigiditas terræ; sed si intelligamus magis sensibilem, idest magis fixam, & minus mutabilem, magis sensibilis est frigiditas terræ quàm aquæ, & ad hoc Aristoteles, & Auerroes hoc in loco respexerunt. In secundo autem de generatione intelligebat Aristoteles, quòd frigiditas est essentialior aquæ, quàm terræ, non quòd sit maior, neque magis sensibilis, quia hoc ibi non considerabat. Hæc quoque responsio mihi parùm satisfacit, quòd enim terra, & aqua sint ӕque frigidӕ ratione gradus, aqua tamē sit magis frigida ratione actiuitatis, ommittamus in præsentia, quia ad propositum non facit. Sequitur namque eandem sententiā Zimara in consideratione præsentis contradictionis, tamen non ea vtitur in solutione, quia reuera cognouit hanc considerationem nihil ad solutionem conferre. Quòd enim qualitas dicatur magis, vel minus sensibilis, id tantum consistit in maiore, vel mi-

nore actiuitate ad extra, eã enim magis sentimus, quæ magis agit, sed non consistit in eo, quod sit magis fixa, vel minus fixa, si enim sit valdè fixa cum parum agat, parum sentietur, dubium igitur viget, quia frigiditas aquæ non potest alia ratione hìc ab Aristotele vocari minus sensibilis quam frigiditas terræ, quam quia minus actiua sit quam frigiditas terræ. Quomodo ergo ipsi dicere possunt, quòd frigiditas aquæ sit magis actiua frigiditate terræ? vel si hoc est verum, vt ad sensum patet, quomodo soluetur dictum Aristotelis hìc? non video etiam quomodo frigiditas in terra sit magis fixa quam in aqua, quia non minus terra, quam aqua potest calefieri, & magis retinebit terra calorem, quam aqua, quare videtur fortasse magis alligata frigiditati aqua, minus autem terra, quæ diutius sub caliditate seruatur. Ego crederem satis pro præsenti ocasione solui hanc difficultatem, si diceremus Aristotelem, & consequenter Auerroem, qui interpretatur præsentem Aristotelis locum, non considerare neque inter se comparare omnia Elementa, sed tantum illa, quæ ab antiquis ponebantur principia rerum. Antiqui autem ponebant alij ignem, alij aerem, alij aquam, nullus terram, vt diximus supra. Aristoteles igitur in principio huius textus nominauit cum alijs elementis terram, quia de omnibus æque verum est, quòd sunt addita, & alligata certis qualitatibus, & naturis; sed postea comparans inter se antiquorum sententias, nõ potest considerare sententiam de terra quòd sit principium, quia nemo eam posuit, quare post ponentes aerem, prefert ponentes aquam ijs tantùm, qui ponebant primam materiam ignem & quæ dicit de aqua, dicit solùm comparatione ignis, non comparatione terræ. Cùm igitur dicit quòd post aerem aqua habet differẽtias minus sensibiles, nõ debemus intelligere quàm terra sed quàm ignis, sensibiles enim intelligit quæ sunt sensibiliter magis alligatæ, at videmus sensibiliter ignem magis esse alligatum calori, quam aquam frigiditati, aqua enim potest fieri calida, ignis frigidus fieri non potest. Hæc est mens Aristotelis, quam respiciens Auerroes in Commentario protulit pingui quadam Minerua verba illa, quòd minor est contrarietas in medijs, quam in extremis, non enim hìc est locus, in quo exquisitè declaret veritatem de qualitatibus Elementorum, an sint in summo nec ne, sed confusè loquitur, Aristoteles non comparat inter se alia elementa, quam aerem, aquam, & ignem, & hoc idem considerauit Auerroes per aquam vt elementum medium dixit minus esse additam, & alligatam frigori, quam ignem calori, vt elementum extremum, extremum enim non ita versatilis, & ancipitis est naturæ vt elementum medium, & ita minorem contrarietatem non intelligit Auerroes ratione gradus neque ratione actiuitatis, sed vti elementum sit minus alligatum, firmius autem alligatum, si secundum apparentiam iudicare velimus, est quod oppositam qualitatẽ recipere non potest, ideo magis est alligatus ignis calori, quam aqua frigori, & aqua magis indifferens, quam ignis ad calorem, & frigiditatem. Quod autem hæc sit sententia Aristotelis eo euidentissimo argumento probatur, quod si Aristoteles compararet aquam cum vtroque simul elemento extremo, tandem etiam comparasset terram cum igne, & considerasset vtrum conuenientius ponatur esse prima materia; quòd enim æqualia sint dicere non possumus, quia certum est terram minus esse alligatam frigiditati, & siccitati, cùm calefieri, & humectari possit quam ignem caliditati & siccitati, qui neque frigefieri neque humectari potest; cùm igitur Aristoteles terram cum igne non comparauerit, sequitur quod neque aquã cum terra, sed cũ igne solo, quia aquam igni anteponit, terram non considerat,

Textus

Textus Quinquagesimus Quintus.

Sed omnes vnum hoc contrarijs figurant, vt densitate, & raritate, & eo, quòd magis, & minus, hæc autem omnino sunt superabundantia videlicet, & defectus, sicut dictum est prius, & videtur antiqua etiam esse hæc opinio, quòd vnum, & superabundantia, & defectus principia entium sint, verum non eodem modo; Sed antiqui duo quidem agere, vnum autem pati, posteriorum autem quidam è contrario, vnum quidem agere, duo autem pati dicunt magis.



VPRA Aristoteles separatim loquens de principijs contrarijs in textu quadragesimoprimo suam sententiam confirmauit de principijs quòd sint contraria, nunc autē loquens de principio materiali similiter hanc sententiam, confirmauit testimonio illorum antiquorum, qui vnam primam materiam ponebant, & inter eos comparationem fecit, modo in hoc textu vult ex eorundem testimonio, confirmare vtrumque simul, videlicet, modum, quo ipse putat ex vna prima materia res fieri, & modum quo ex duobus contrarijs res fieri dicuntur, hic enim est modus secundùm Aristotelem, quòd ex vna prima materia alterata, & affecta a duobus contrarijs omnia fiant, ita enim cognoscimus quomodo materia, & quomodo contraria concurrant in rerum generatione, & proprius accedimus ad cognitionem numeri principiorum. Hunc igitur modumgenerandi res ex vna materia confirmat hìc Aristoteles antiquorum testimonio, & dicit quòd etiam antiqui, qui vnam materiam primam ponebant eam figurabant duobus contrarijs, idest eam informari, & alterari dicebant duobus contrarijs se mutuo ab ea pellentibus, & ita res omnes generari. Dat exempla duorum contrariorum densitatis, & raritatis, sed volens simul omnes antiqorum contrarietates complecti dicit, [& eo quod magis, & minus] vt notet conuenientiam illam secundum analogiam, quam tetigit in textu quadragesimonono, vt vno verbo omnes amplectatur, omnes enim a duobus talibus contrarijs materiam figurari dicebāt, quorum vnum esset nobile, alterum ignobile. Ideò subdit magis declarans [hæc autem omnino,] idest, vt vniuersaliter loquar [sunt superabundantia, & defectus vt dictum est prius,] idest, in textu trigesimosecundo, ibi enim dixit quòd omnia contraria posita ab antiquis continebantur sub his duobus communissimis vocabulis excessus, & defectus, vt in textu quadragesimonono fusè declarauimus, sic enim confirmat Aristoteles suam opinionem de forma & priuatione, forma enim est contrariū nobilius, & significatur per excessum: priuatio verò est contrarium ignobilius, & significatur per defectum. Patet autem hìc illud, quod in textu trigesimosecundo, & trigesimotertio diximus, ibi enim Aristoteles duos posuit modos generandi omnia ex vna materia secundum antiquos, vnus erat per alterationem materiæ a duobus contrarijs, alter verò per segregationem rerum ex vno, in quo erant confusè. Hìc secundus modus maxime Aristoteli displicuit, vt in textu trigesimo tertio considerauimus, ideò in sententia Anaxagoræ eum reffellere voluit, alterum verò acceptauit, quem hoc in loco ponit, vt ex eo suam sententiam confirmet, nam etiam ipse est eius sententiæ quod ex vna prima materia alterata & informata alternatim a duobus contrarijs omnia fiant. [Et videtur antiqua esse.] Notat Aristoteles conuenientiam

nientiam quandã, ac differentiam inter antiquos ponentes hunc ternariũ numerum principiorũ, in hoc nãque cõueniebant quod ex vno tertio principio præter duo contraria simul cũ ijs contrarijs omnia fierẽt. Conueniebant etiã, quòd duo talia contraria statuebant, quorum vnum contineretur sub excessu, & sub perfecto, alterum sub defectu, & sub imperfecto. Sed differentia inter eos erat quòd antiquiores tribuebant duobus contrarijs officium agendi, quare faciebant ipsa esse principia formalia. Tertiò autem principio, quod hìc vocatur vnum, tribuebant officium patiendi, idest, faciebãt ipsum esse principium materiale. Quidam autem ex posterioribus, idest, Plato è conuerso, tria enim principia posuit, ex quibus omnia fierent, & ea vocauit magnum, paruum, & vnum, per magnum, & paruum significans materiam, per vnum formam, a qua res habet vnitatem, duo ergo principia ponebat ex parte materiæ, & ea inter se contraria. Vnum autem principium tertium, quod nulli est contrarium, ponebat ex parte formæ. Antiquiores verò ponebant duo contraria vt principia formalia, & vnum tertium principium, & materiale. Rectè autem significat Aristoteles materiam, per pati, & formam per agere, quia formæ est agere, materiæ autem pati; fortasse etiam respexit contraria ab antiquis posita, quibus tribuebatur officium potius agentis, quàm formæ, quod patet præsertim in lite, & amicitia, quæ erant contraria posita ab Empedocle. Quid autem significauerit Plato per magnum, & paruum in sequenti parte opportunius considerabitur.

Textus Quinquagesimus Sextus.

Tria igitur dicere elementa esse, & ex his, & ex huiusmodi alijs considerantibus videbitur vtique habere quandam rationem, sicut prædiximus, plura autem tribus non amplius, ad patiendum enim sufficiens est vnum. Si autem quatuor existentibus duæ erunt contrarietates, oportebit seorsum ab vtraque esse alteram quandam naturam mediam. Si autem ex se inuicem possint generare, otiosa vtique altera contrarietatum erit, simul autem, & impossibile est plures esse contrarietates primas, substantia enim vnum quoddam genus est entis, quare eo quod prius, & posterius different solùm ab inuicem principia, sed non genere, semper enim in vno genere contrarietas vna est; omnes autem contrarietates reduci videntur ad vnam.



IN hoc textu Aristoteles duo facit, primò concludit numerum principiorum ex dictis, deinde probat quòd principia non possunt statui plura tribus. Concludit tria principia esse, & hæc vocat [elementa] quia confundit hæc omnia vocabula, vt fecit etiam in textu primo, sed quia principia non sunt tria nisi connumerata materia, & materia nõdùm est demonstrata, sed solùm probabiliter inuenta, ideò Aristoteles dicit [Ex his & huiusmodi considerantibus] significans rationes factas fuisse probabiles. Tribus enim argumentis vsus est, & quartum adiecit ex antiquorum testimonio, hìc autem addit quòd multis quoque alijs similibus vti possumus, ergo omnia fuerunt probabilia argumenta, non demonstratiua, nam argumenta Topica ad eiusdem rei confirma-

firma-

firmationem plurimà afferri possunt, demonstratiua non sic, si enim de demonstratione a priori loquamur, ea non nisi vna est de vno quæsito; a posteriori autem videretur fortasse multas fieri posse demonstrationes eiusdem quęsiti, cùm vna causa possit habere multos effectus, & per eos singulos demonstrari, non tamen sic est, quia rarò contingit vt effectus plures vno sint, qui sint notiores, & idonei ad demonstrandam causam. Aristoteles enim in sequentibus demonstrabit materiam primam, per transmutationem, vt per effectum, neque alium effectum poterat inuenire, per quem eandem demonstraret, sic in octauo Physicorum demonstrabit primum motorem esse per hunc vnicum effectum motum æternum, neque aliud medium habuit ad demonstrandum motorem, quàm motum æternum, tamen plurimos alios effectus habet primus motor, cum sit omnium causa, sed non plures habuit aptos ad ipsius demonstrationem, idcirco etiam demonstratio a posteriori in singulo quæsito, vel vnica est, vel valde paucæ. Sed cum postea subdit Aristoteles [videbitur habere quandam rationem] apertissimè significat materiam leuiter tantùm, & probabiliter inuentam fuisse, verbum enim [videbitur] significat rem adhuc dubiam, nondùm certam esse, deinde [habere quandam rationem] absque dubio probabilem rationem significat, neque vteremur vnquam hoc loquendi modo de ratione demonstratiua, etiamsi esset demonstratio a posteriori. Addit Aristoteles, [sicut prædiximus] significans textum quinquagesimum primum, in quo vsus est his eisdem verbis. [Plura autem tribus non amplius.] Proposuerat Aristoteles in textu quinquagesimo tria membra consideranda, an duo tantùm principia essent, an tria tantùm, an plura tribus, deinde leuibus argumentis ostendit duo contraria non sufficere, sed requiri tertiam subiectam materiam; attamen quia nullam adhùc veram materiæ cognitionem habemus, incerti sumus an duo principia sufficiant, an tertium requiratur. Aristoteles igitur in reliqua parte huius textus vult reijcere postremum membrum quod facilius ad refellendum est, videlicet, principia esse plura quàm tria, vt deinde tota altercatio maneat in reliquis duobus, videlicet, an principia sint duo, an tria, quod in sequenti textu discutere incipiet, & demonstratiuè probabit necessarium esse dari vnam primam materiam, & ita principia ad summum tria esse, nec plura, nec pauciora. Hæc sententia Auerrois est, qui in principio huius Commenti, dicit quòd Aristoteles hactenus est vsus propositionibus famosis, vt apparuit ex disputatione quod principia sunt tria: posterius autem Aristoteles perscrutabitur demonstratione an sint duo, an tria. Vult igitur Auerroes quòd Aristoteles hactenus disputatiuè tantùm, ac topicè processerit, adeò vt nondum sit perfectè cognitum an duo sint principia, an tria, sed Aristoteles id velit in sequentibus inuestigare demonstratiuè. Probat igitur hìc Aristoteles principia non posse esse plura tribus, & quia qui poneret principia plura tribus, necesse est vt vel ex parte contrariorum, vel ex parte materiæ principia multiplicaret: Aristoteles probat neutro modo posse principia multiplicari, & materiam non esse ponendam nisi vnam, & contraria nisi duo. Quòd non sint ponendæ plures materiæ, probat ijs verbis [ad patiendum enim sufficiens est vnum,] & ratio nititur fundamento illi vulgato, nihil est frustra in natura, sed officiũ materiæ est pati, & recipere omnium rerum formas, & vna subiecta materia sufficit ad eas omnes recipiendas, & consequenter ad omnium generationem, ergo plures ponendæ non sunt, quia cæteræ essent frustra, quod dici non potest. Quòd autem ad patiendum vna subiecta materia sufficiat, Aristoteles non pobat, seu sumit vel ex eorum antiquorum testimonio, qui vnicam omnium materiam ponentes optimè existimabant ex ea vna posse omnia fieri, vel vt notum ex ijs, quæ dicta sunt supra in textu quinquagesimoquarto de horum antiquorum comparatione; ibi enim significauit Aristoteles materiam primam debere esse liberam, & immunem a quacunque contrarietate, & nulli determinatæ naturæ alligatam, vt

omnes

omnes recipere valeat. Si igitur omnis talis materia statuatur, omnia ex ea fieri poterunt, quare superuacaneum est plures materias ponere. Sed id, quod ab Aristotele breuiter & confusè significatum est in eo textu quinquagesimoquarto, magis in sequẽtibus declarabitur: propterea dicere possumus Aristotelem nunc hoc supponere, non modò vt in eo loco leuiter insinuatum, sed etiam vt in sequentibus melius declarandum, cùm de natura primæ materiæ sermo fiat. Possumus hoc in loco considerare, quòd Aristoteles simul refutat omnes sententias antiquorum, qui plures primas materias ponebant, vt Empedocles, qui quatuor Elementa dicebat esse materiam primam, & eos tantùm probat, qui vnicam statuebant materiam, cùm dicat vnam ad patiendum sufficere. Non est igitur verum, vt aliàs quoque notauimus, quod aliqui dicunt Aristotelem simul cum Parmenide, & Melisso voluisse confutare omnes qui vnum principium ponebant, vt aerem vel aquam, & omnibus prę-ferre in textu quadragesimoprimo Empedoclem, qui plura & finita principia posuit; plura enim principia posita ab Aristotele erant plures materiæ, & vnum principium ab alijs primis positum erat vna materia, quam sententiam hìc probat Aristoteles, & illam refutat. Possumus etiam hìc notare id quod aliàs diximus in textu trigesimosecundo, Aristotelem nõ confutare separatim omnes antiquorum sententias, sed quasdam nimis a veritate remotas, quia nimis obstabant inuestigationi veritatis, alias verò satis habuit si ex ipsa veritatis cognitione earum falsitas appareret, vt euenit hoc in loco, non est enim seorsum confutata Empedoclis opinio, sed dùm cognoscimus hanc veritatem, quòd vna materia sufficit, cognoscimus eam sententiam falsam esse; & alios melius sensisse, qui vnicam primam materiam posuerunt; sed in quo etiam hi defecerint, cognoscimus ex ipsa veritatis inuestigatione, nam si vna materia prima debet sufficere ad omnium generationem, oportet eam esse immunem, & liberam ab omni determinata, & actuali natura, male igitur etiam hi fecerunt statuentes pro prima, & communi omnium materia aliquod corpus actuatum per aliquam determinatam formam: hæc enim non est materia idonea ad omnium generationem, sed in sequenti parte melius hos errores cognoscemus, cùm maiorem ipsius materiæ primæ cognitionem erimus assecuti. Deinde cùm dicit Aristoteles. [Si autem quatuor existentibus duæ erunt contrarietates] probat principia non esse multiplicanda ex parte primorum contrariorum. Sed an duobus argumentis, an potius tribus in hoc textu ad hoc probandum vtatur dubium est, videtur primò facere argumentum tale, si quatuor sint prima contraria, & sic duæ primæ contrarietates, oportebit vtrique contrarietati respondere propriam subiectam materiam, & sic duæ quoque erunt primæ materiæ, at hoc est falsum, quia iam dictum est quòd ad omnia recipienda sufficit vna prima materia, ergo si vnica est prima materia, vnicam quoque esse primam contrarietatem necesse est. Vocat autem Aristoteles primam materiam [naturam quandam mediam] non quia propriè media sit inter principia contraria, sed per quandam metaphoram, est enim vtrique contrario ęquè amica, cùm sub vtroque esse possit, & ipsa nulli est contraria, est igitur veluti mediatrix quædam inter contraria, ideò Aristoteles nõ absolutè dixit naturam mediam, sed naturam quandam mediam, quia non est verè media, sed per translationem, & similitudinem. Ratio hæc Aristotelis valdè dubia est, quia non videtur valida illa consequentia, si duæ sint contrarietates, duæ erunt subiectæ materiæ, plurimas enim habet instantias, cùm in eodem subiecto appareant plures contrarietates; videmus enim in vno, & eodem corpore reperiri contrarietates odorum, saporum, & alias, quæ multæ & diuersæ sunt. Multi ad hoc multa dicunt, sed alijs omissis ego dicendum puto, quòd consequentia Aristotelis non valet de omnibus contrarietatibus, sed de primis solùm, illæ autem multæ, quæ in dubitatione nominantur, non sunt primæ; si igitur duæ accipiantur contrarietates primæ, Aristoteles rectè dicit, quòd duas quo-

que materias ponere necesse est, nam duæ contrarietates æquè primæ intelliguntur illæ, quæ a nulla priore contrarietate pendeant, neque altera ab altera. Si enim vna ab altera pendeat, vel vna alteram contineret tanquam communior, illa sola, quæ prior, & communior esset, diceretur prima primitate communitatis, & prædicationis, altera non esset prima, imò vnica esset contrarietas, non duæ, quia in altera communiore, altera minus communis comprehenditur, si verò cuiusque esset alia tertia contrarietas prior, & sub qua ambæ continerentur, neutra esset prima, sed illa tertia esset dicenda prima. Si igitur duæ contrarietates ponerentur æquè primæ, quarum altera alteram non contineret, sed penitus distinctæ, & diuisæ essent inter se, necesse esset duas quoque materias ponere, quia materia dirigitur ad formam vt ad finem, & vt perfectibile ad perfectionem, vnius autem rei perfectio vna est, nec potest vnum perfectibile ad duas penitus distinctas perfectiones dirigi, sed ad vnam vt finem adæquatum, vt cùm materia prima sit materia communissima omnium naturalium corporum, finis igitur ei adæquatus vnus est, videlicet, qui significatur per hoc genericum nomen forma materialis, hinc est quod materia nullam formam amat, vt talem formā, quia nulli magis est addita quàm alteri, sed omnes æquè amat, quia singulam amat absolutè vt formam. Quod si quis dicat, materia prima dirigitur ad omnes formas tàm substantiales, quàm accidentales recipiendas, at nomen formæ vt commune omnibus prædicamentis non potest significare vnum, non enim eadem est formæ ratio in prædicamento substantiæ, & in prædicamento accidentis, ergo dirigitur in diuersos fines, non in vnum, & ita recipit diuersas primas contrarietates, cùm ipsa vna sit. Ad hoc dico quòd materia ordinatur primo in formam substantialem, vt in proprium perficiens, a quo fit ens in actu, accidentia verò non perficiunt, sed rem perfectam consequuntur, ideò non comparantur materiæ, vt finis, quamuis materia reciperet etiam ea, recipit enim omnes formas primò substantiales, accidentales secundario, & mediantibus substantialibus. Est igitur ordo in his formis, & materia ordinatur ad formas substantiales, & ad earum genus tanquam vnum scopum, & finem. Omnes namque continentur sub hac communi appellatione formæ, & sunt vnius rationis, & naturæ. Si igitur duæ statuerentur contrarietates æquè primæ, quarum neutra contineret alteram, vt vna inter formam, & priuationem, altera inter aliqua alia duo, quæ nec forma, nec priuatio essent, & nullum ordinem, nullam pēdentiam inter se haberent, necesse esset duas quoque diuersas materias ponere, quia materia est propter formam, vt Aristoteles docet in primo libro de partibus animalium. Sicuti enim vna determinata forma, vt hominis, requirit determinatam, & propriam materiam, sic totum formarum genus, quæ vnius sint rationis, vnam communem materiam requisiuit, quæ omnes reciperet tanquàm formas eiusdem generis, & rationis. Si igitur duo distinctæ contrarietates ponantur, quæ non sint vt in substantia, & in accidentibus, sed vt æquè primæ, vt dictum est, necessario duas distinctas materias requirent, quia materia ordinata ad vnam non erit idonea ad alteram, si non sunt vnius generis, neque vllum inter se cōtrarium habent. Hoc modo puto validam esse Aristotelis consequentiam. Possumus etiam dicere argumentum Aristotelis non esse adhùc cōpletum, sed continuari sequentibus verbis cùm dicit [si autē ex se inuicem possint generare] quę verba vel sunt alterum nouum argumentum, vel sunt complementum primi; si itaque sint complementum primi, tota ratio ita formabitur, si duæ sint contrarietates primæ, aut vtraque habebit propriā materiā, aut vnicam materiā vtrisque substantē, non primū, quia iam dictū est vnam ad patiendū sufficere; nō secundū, quia si illa materia poterit cū altera sola cōtrarietate omnia generare, reliqua contrarietas erit ociosa, & frustra; sin aūt materia cū vna contrarietate nō poterit omnia generare, sed aliqua entia tātū, & cū alia reliqua entia, tūc sequetur neutram contrarietatem esse primū principium

com-

cõmunissimũ omnium corporum naturalium, principia enim talia quęrimus, quę nõ modò coniũctim sumpta, sed singula separatim sint omniũ principia. Sed secundum hoc membrum non exprimit Aristoteles, quia supponit clarum esse, quòd talia principia quęrimus, quæ etiam diuisim sint omnium principia, si igitur hoc modo formetur ratio Aristotelis euitamus illam consequentiam dubiam, duæ contrarietates, ergo duæ materiæ, erit enim dilema, duæ contrarietates, ergo vel duæ materiæ, vel vnica, & vtrumque consequens destrueretur ab Aristotele, vt probatum maneat nullo modo duas contrarietates primas statui posse. Sed possumus etiam sequi priorem expositionem, vt hæc omnia duas rationes contineant; quarum secunda incipiat in ijs verbis [si autem ex se inuicem] & formetur vt dictum est, videlicet, si duæ sint primæ contrarietates, vel altera continebit vtrumque terminum omnium transmutationum, vel non omnium; si omnium, & omnia ex ea sufficienter generentur, altera erit ociosa; si non omnium, neutra erit omnibus rebus communis. Quæ expositio mihi magis placet, quàm quòd hoc sit membrum primæ rationis, si enim ratio Aristotelis est hæc, duæ contrarietates, ergo vel vna materia, vel duæ, & secundum membrum consequentis destruitur ab Aristotele ibi [si autem ex se inuicem] oporteret Aristotelem ibi vnam materiam supponere, & ex supposito argumentari, quod tamen verum non est. Ratio enim concludit tàm ponendo vnam materiam, quàm duas, nam vtrouis posito possumus dicere sic, vel vna contrarietas est ad omnia generanda sufficiens, vel non, & reliqua vt supra, quare Aristoteles his verbis non confutat alterum membrum dilematis, videlicet quòd duæ materiæ sint, sed confutat propositum principale, quòd sint duæ contrarietates, ideò est secunda ratio, non pars primæ rationis. Auerroes autem & ipse vult vnicam rationem esse, non duas, quia quando Aristoteles dicit [si autem ex se inuicem] ipse in suo codice habuit, igitur, loco illius dictionis, autem, quare patuit esse complementum primæ rationis, quàm ita firmauit, si duæ sint contrarietates, oportebit duas esse materias, sed hoc est falsum, quia vel altera contrarietas cum sua materia est sufficiens ad omnium generationem, vel non; si sufficiens, ergo altera contrarietas cum sua materia erit ociosa. Quæ Auerrois expositio duas patitur instantias, vnam quòd dubium adhuc viget contra primam illam consequentiam, duæ contrarietates, ergo duæ materiæ, hanc enim consequentiam quomodo sumat Aristoteles neque Auerroes declarat, neque alij, qui Auerroem sequuntur. Alteram instantiam pariter iam dictam, quia ratio, quam ibi Aristoteles facit, [si autem ex se inuicem] non magis valet suppositis duabus materijs quàm vna, sicut declarauimus, quare non fuit opus Aristoteli declarare prius consequens, ergo duæ materiæ, vt mox hoc confutaret, quia non confutatur, quòd sint duæ materiæ, sed solùm quòd sint duæ contrarietates, siue cum vna materia, siue cum duabus ponantur. Tutiorem igitur ego puto primam expositionem quòd hæ sint duæ rationes distinctæ; sed ratio, cur multi hanc sententiam non sequantur, est, quia nesciunt videre quomodo illa consequentia valeat, si duæ contrarietates, ergo etiam duæ materiæ, quia non profundè rem speculantur, sed solam superficiem intuentur. [Simul autem & impossibile] Noua ratione probat Aristoteles vnicam esse primam contrarietatem non plures, & est tertia ratio in ordine, & postrema, & est eadem ratio, qua Aristoteles vsus est in textu quinquagesimo, alio tamen proposito, ibi enim ea vtitur ad probandum principia non esse infinita, hic verò ad probandum prima contraria duo tantum esse, non plura. Et ratio talis est, in omni genere vno vna est prima contrarietas, ad quàm aliæ omnes reducuntur, at substantia est vnum quoddam genus, ergo in substantia est vna contrarietas prima, ad quam reducuntur omnes aliæ. Syllogismus in textu integer habetur, sed prius conclusio, quando Aristoteles dicit [simul autem impossibile] deinde minor cùm dicit [substantia enim] tandem maior cùm dicit [semper enim in vno genere]

nere] verba autem illa antepofita maiori, [quare eo quod prius, & posterius] pertinent ad declarationem maioris, quia in textu quinquagesimo non fuit declarata, ideò tota ratio hìc diligentius ab Aristotele explicatur, quàm ibi, nam ibi allata est ad reprobandam falsitatem, quòd principia sint infinita, hìc verò adducitur ad confirmandam veritatem quòd prima contraria sint duo tantùm. [impossibile est duas esse contrarietates primas] Hæc est conclusio hìc probanda ab Aristotele, cuius sensus est, necessario vnicam esse primam contrarietatem, clarius autem loquitur Aristoteles quàm fecerit in textu quinquagesimo, ibi enim dixit in vno genere vnam esse contrarietatem, hìc verò declarat se intelligere contrarietatem primam, nempè primitate communitatis, vt in eo textu declarauimus, vbi considerauimus expositionum varietatem in intelligentia huius rationis, quas nunc non repetam, sed supponam Aristotelem hìc per primam contrarietatem intelligere eam, quæ est inter formam & priuationem; per genus autem intelligere genus prædicamentale; per substantiam verò prædicamentum substantiæ distinctum ab alijs nouem, ita tamen vt sumatur vniuocum, videlicet, corpus generabile, & corruptibile, quod est genus generalissimum in prædicamento substantiæ, ratio enim hæc Aristotelis eadem penitus est, quæ ibi quoque facta est, & eodem modo intelligenda. [substantia autem vnum quoddam genus est entis] Hæc est minor, in qua debemus animaduertere id, quod in textu Quinquagesimo notauimus, genus æquiuocum, seu analogum non diuidi in species, sed in genera, vnde prædicamenta dicuntur genera entis, non species entis, vt sit sensus, genera significata nomine entis. Patet igitur Aristotelem per [substantiam] intelligere prædicamentum substantiæ, idest genus generalissimum, in prædicamento substantiæ, quod est corpus caducum, ita enim rectè vocatur ab Aristotele genus entis vnum quia verè vnum est, cùm sit vniuocum. [Quare eo quod prius, & posterius different solùm ab inuicem principia, sed non in genere] Hæc videtur esse illatio quædam ex dictis, non tamen est illatio, sed est quædam declaratio maioris sequentis per solutionem obiectionis, quæ contra maiorem fieri poterat; maior enim illa [semper enim in vno genere contrarietas vna est] quam eandem posuit Aristoteles in textu quinquagesimo, sed quod ille dixit ibi in omni genere, hìc dicit semper, quod aduerbium patet hìc non pro tempore sumi, sed pro re quod cõfirmat nostram expositionem in vltimis verbis textus quinquagesimi. Poterat autem fieri instantia contra maiorem Aristotelis, quia non videtur verum, quòd in vno genere sit vna contrarietas, nam in genere substantiæ corporeæ corruptibilis sunt plures contrarietates, quæ sunt inter se diuersæ, & alia est prior natura, alia posterior, animatum enim, & inanimatum sunt differentiæ prioris natura, quam sensitiuum, & insensitiuum, & hæ priores, quàm rationale, & irrationale, forma enim generis est prior secundùm naturam forma speciei, plurimæ igitur formæ sunt in prædicamento substantiæ, & plurimæ earum priuationes, quare plures contrarietates, quę omnes videntur esse principia, nam quælibet forma est principium respectu sui compositi. Soluit hanc obiectionem Aristoteles omnibus tùm præcedentibus, tùm sequentibus verbis, dicit enim quòd principia non differunt propterea genere, licèt secundùm prius, & posterius differant, nam omnes formæ, quæ sunt in prædicamento substantiæ, sunt eiusdem generis, & eiusdem rationis, & licèt differant, quia alia est prior secundùm naturam, alia posterior, tamen cùm eiusdem generis sint, reducuntur omnes ad vnam, idest ad primam cõmunitate, non ad aliquam signatam, quę causalitate, & natura prima sit, vnicũ enim nomen cõmune formę significabit omnes formas, quę sunt in prędicamẽto substãtię, & sunt eiusdem naturę, licet alia prior, alia posterior sit. Cõuenire enim in genere est cõuenire in natura quadam cõmuni; nec esse est igitur vt sicuti species omnes in cõmuni genere vnũ fiunt, & in vnam naturam cœunt, ita omnes formę reducantur ad cõmune nomen formę, quod cõtineat omnes

eius generis,& ita omnes cōtrarietates,quæ sūt in prædicamēto substātiæ, reducūtur ad vnā,idest,ad hæc duo cōmunissima cōtraria,formā,& priuationē.Hęc enim possūt dici principia cōmunissima omniū naturaliū corporū generabiliū, & corruptibilium, quia continent omnes cōtrarietates,quę sunt in prædicamēto substantię:sed si vnicā accipiamus signatam formam in prædicamento substantiæ, etiam primam secundū naturam, ea non erit causa omnium, sed aliquius, ideò dicit Aristoteles impossibile esse plures contrarietates in vno genere, idest, primas primitate communitatis. Sed hęc necessariò vna est.Hęc est expositio huius loci,quam veram esse puto. Notā dum tamen quòd cum Aristoteles dicit [quare quoniam prius,& posterius differenę principia] verba hæc ab Auerroe dupliciter exponuntur. Prior expositio est Simplicij quoque, quod Aristoteles per [principia] intelligat omnes contrarietates omniū prędicamentorum, inter quas est differentia prioris, & posterioris, nam contrarietates, quæ sunt in prædicamento substantiæ, sunt natura priores contrarietatibus, quæ sunt in prædicamentis accidentium. Quæ expositio non est consentanea verbis Aristotelis. Aristoteles enim dicit quòd licet secundum prius, & posterius differant hæ contrarietates, tamen non differunt genere, at contrarietates diuersorum prædicamentorum differunt genere, quare non potest omnes complecti Aristoteles. Propterea refellitur hæc sententia ex cōsideratione illius dictionis [vnum] sæpe ab Aristotele positæ, loquitur enim de genere, quod vnum sit, & vniuocum, & in tali genere dicit omnes contrarietates ad vnam communem reduci; at omnia prædicamenta sub nullo communi vniuoco continentur. Propterea accipienda est altera expositio, quam addit Auerroes, quam nos supra declarauimus, vt Aristoteles intelligat illas tantum contrarietates, quæ sunt in genere substantiæ compositæ, & has dicat differre inter se secundum prius, & posterius, quia formæ substantiales differunt inter se, quia alia est prior natura, & causalitate, alia posterior, omnes tamen ad duo communissima nomina reducuntur, & notandum est Aristotelem omnes contrarietates vocare principia, cùm dicat [secundum prius, & posterius different principia] quia alias diximus quòd omnis signata forma in prædicamento substantiæ est principium sui compositi, & quòd nomen formæ in communi non significat vnam formam, quæ sit causa aliarum, sed vnum commune nomen, quod significat omnes, omnes enim sunt principia, sed nos significamus vnico nomine eas omnes,dum dicimus formam communiter acceptam, & ita priuationem in communi. Dubitare hìc aliquis posset, quoniam diximus Aristotelem non accipere nomen formæ ita communiter, vt amplectatur formas, quæ sunt in prædicamentis accidentium, quia hæ non sunt vnius naturæ, & sub nullo communi vniuoco continentur. Videtur enim idem dici posse de formis, quæ sunt in prædicamento substantiæ, nā Aristoteles asserit eas differre inter se secundum prius,& posterius, ergo sequitur eas non conuenire in aliquo vniuoco genere, quia vbi est prius, & posterius, non potest esse conuenientia in communi vniuoco, sed in analogo, si igitur vnitas analogiæ sufficiat ad hoc vt dicantur esse vnius generis,similiter dici poterit quòd forma in communi sumpta ad omnia prædicamenta erit vna,quia etiam prædicamēta conueniunt in vno communi analogo. Dicendum est, quod formæ, quæ sunt in prædicamento substantiæ, non habent reuera commune nomen formæ vt vniuocum, cum inter eas sit ordo prioris, & posterioris, sed satis est quod res, quarum dicuntur formæ, conueniunt in communi genere vniuoco, hoc enim sufficit ad hoc vt omnes dicantur esse eiusdem generis, & eiusdem communis naturæ, & conditionis, quia ab eadē communi natura tanquam a communi fonte omnes ortum ducunt, licet cum ordine quodam, aliæ enim priores sunt, aliæ posteriores, eadem autem est earum omnium conditio, quòd eundem habent essendi modum, omnes enim formæ, quæ sunt in prædicamento substantiæ eundem habent modum essendi & generationis,

formæ

formæ autem accidentales ex alia radice profluunt, & aliam communem naturam insequuntur, quare alius est earum essendi modus, & longe diuersus a modo essendi formarum de prædicamento substantiæ. Patet igitur Aristotelem de solis substantiæ corporeæ principijs loqui, ea tamen nos possumus secundum proportionem aptare etiam accidentibus, vt alias in textu quinquagesimo declarauimus.

Textus Quinquagesimus Septimus.

Quòd igitur neque vnum sic elementum, neque plura duobus, vel tribus, manifestum est. Horum autem vtrum quemadmodum diximus dubitationem habet multam. Sic igitur nos dicamus principium de omni generatione aggredientes. Est .n. secundum naturam, communia primum dicentes, sic circa vnumquodque propria speculari.

IN continuatione huius partis cum præcedente expositores varia dicũt, vt apud Simplicium, & Ioannem Grãmaticum, & alios multos, recentiores præsertim legere possumus. Cum enim Aristoteles inquirendum proponat, an duo sint principia, an tria, quia dicit dubium esse vtrum duorum asserendum sit; statim difficultas oritur quomodo id possit esse dubium, si Aristoteles iam inuenit principiorum numerum, & demonstrauit duo tantùm esse prima contraria, & vnam subiectam materiam præter illa, quare patet tria esse principia, non duo tantùm. Alij dicunt Aristotelem hìc respicere priuationem, quæ est principium per accidens, ideò dubitare an duo tantùm principia sint, videlicet, reiecta priuatione, an tria priuationem connumerando. Quę expositio non est admittenda, quia de priuatione, an sit principium per se an per accidens, nihil hactenus habemus, vnde possimus dubitare, an principijs sit annumeranda, nec ne. Aristoteles autem hìc dicit rem hanc esse plenam dubitationis, & subdit, [quemadmodum diximus] quare significat talem esse dubitationem, quæ etiam superius tacta fuerit, at superius nulla fuit tacta difficultas propter priuationem quia sit principium per accidens, sed cognouimus solùm quòd duo prima contraria sunt principia. Alij dicunt Aristotelem significare dubitationem, quæ oritur propter sententiam Platonis, qui materiam a priuatione non distinguens habuit eas pro vnico principio, non pro duobus, ideò Aristoteles dicit dubium esse an duo tantum sint principia, si videlicet materia, & priuatio pro vno principio sumantur, vt putauit Plato, an potius tria, si materia distinguatur a priuatione. Hæc quoque expositio non est consona mentis Aristotelis propter eandem rationem, Aristoteles enim dicit dubitationem eam esse, quam tetigit etiam prius, sed prius ne verbum quidem fecit de opinione Platonis confundentis materiam cum priuatione, de hac enim loquetur in sequentibus; quare hæc non potest esse dubitatio, quam his verbis innuit. In hoc errore videtur fuisse etiam Marcus Antonius Ianua præceptor meus, qui hunc textum ita continuabat cum præcedentibus, de re simplici duo solent quæri, prius an sit, postea quid sit, cum igitur Aristoteles hactenus demonstrauerit materiam primam dari, nunc incipit inuestigare quid sit, & in hoc versabitur vsque ad finem libri; vt autem essentiæ materiæ nota fiat, incipit eam distinguere a priuatione, quia idem cum ea esse videtur, & hinc est, quod Aristoteles dicit dubium esse an principia duo sint, an tria. Hìc vir peccat primò, dùm dicit dubitationem hanc

Aristotelis esse propter priuationem, quæ videtur idem esse cum materia, vt nos nunc demonstrauimus. Peccat secundò dùm dicit Aristotelem hactenus inuenisse materiam esse, & nunc incipere inuestigare quid sit, & est communis multorum error, cùm enim vulgata sit sententia, in qua omnes conueniunt, quòd Aristoteles in hoc primo libro demonstret existentiam primæ materiæ a posteriori per transmutationem, quærendum est ab his vbi nam Aristoteles hanc demonstrationem fecerit, certè hactenus hac demonstratione non est vsus, vidimus enim qualia fuerint argumenta Aristotelis, quibus supra probauit materiam dari, probabilia enim fuere, & nũquàm Aristoteles accepit pro medio transmutationem, quare necesse est vt idem faciat in sequenti parte, ergo non est verum quòd Aristoteles hactenus existentiam materiæ demonstrauerit, & in sequenti parte incipiat inuestigare quid sit, imò & in sequentibus ad hùc demonstrandum manet materiam primam dari. Mihi optima videtur illa cõtinuatio huius loci, quã S. Thomas ponit, quam possumus etiam apud Auerroem legere, in Commentario præcedenti, postquam Aristoteles probabiliter ostendit dari materiam primam distinctam a duobus contrarijs principijs, vult in sequenti parte eandem demonstratiuè a posteriori probare, & eam demonstrationem facere, quam celebrant omnes, sed vbi fiat, ignorant, ideò rectè dicit dubium adhùc esse an duo tantùm principia sint, videlicet, duo contraria, an tria, si etiam vnam materiam connumeremus, quia de materia nihil adhùc certi habemus, cùm solùm probabiliter inuenta sit, ea autem certius demonstrata iam erit inuentus certus principiorum numerus, & quod tria sunt. Potest hic textus diuidi in duas partes, in quarum prima concludit Aristoteles quid nam ex hactenus dictis habeamus de principijs, & quòd nam dubium remaneat, quod sit in sequentibus considerandum. In secunda proponit methodum, qua ad hanc demonstrationem progredi vult. Duo colligit Aristoteles clara ex dictis, vnum est, [quòd non vnum sit elementum] idest primum principium internum, quibus modis non respicit Aristoteles aliquam aliorum sententiam, vt quidam putant, non enim significat sententiam Parmenidis, & Melissi de vno ente iam confutatam, quia elementum non potest significare illud vnum ens ab his positum, neque in tota ea parte vnquam vsus est Aristoteles nomine elementi, quia significat principium internum, & modo naturali acceptum. Non etiam respicit Aristoteles sententias illorum naturalium, qui vnam materiam primam ponebant, vt aerem, vel aquam, has enim non confutauit, quia quantum attinet ad numerum principiorum partim benè, partim malè dixerunt, bene, quia reuera vnica est prima materia; malè, quia solam materiam principium vocabant, cùm etiam contraria sint principia rerum. Ideò dicere debemus, quòd Aristoteles nihil aliud in his verbis respicit, quàm ipsam veritatem a se antea demonstratam, concludit enim hoc ex dictis, quia dixit in textu quinquagesimo non potest esse vnum principium, si contraria sunt principia, & sic respicit veritatem a se demonstratam, non antiquorum opiniones. Alterum quoque ex dictis colligit Aristoteles vt manifestum, cùm dicit [neque plura duobus, vel tribus] iam enim ostendit in textu quinquagesimo quòd non sunt infinita principia; in textu autem præcedenti ostendit duo tantùm prima contraria esse principia, quia omnia contraria ad duo prima redegit, & supponens etiam dari principium materiale ostẽdit vnicam materiam sufficere, vnde conclusit non esse plura tribus principia, sed quoniam materiam debiliter inuenit, & ea potest in dubium reuocari, ideò Aristoteles dicit principia non esse plura duobus, vel tribus, & statim subdit, [Horum autem vtrum, quemadmodum diximus, dubitationem habet multam] quòd enim plura tribus principia non sint, iam in textu præcedenti fuit demonstratum, sed horum duorum membrorum vtrum verum sit adhùc non est clarum, videlicèt, an duo tantùm, an tria sint; dixit autem p[illegible] de hac dubitatione in textu quinquagesimoprimo, & quinquagesimosecundo, [illegible] ma-

t[illegible]iam

teriam primam probauit dubie, & potius per modum dubitationis, vt ipse ibi clarè testatur: dubitatio autem consistit in illis oppositis probationibus. Prius enim ostensum fuit omnia ex contrarijs fieri,& sic principia esse contraria : postea ostensum fuit necesse esse ponere aliquod principium, quod nulli contrarium sit, quam dubitationem Aristoteles supra leuiter soluit : in sequentibus autem vult eam demonstratiue dissoluere, & videbimus manifeste Aristotelem eam soluturum in textu sexagesimoseptimo, quare sine vllo dubio hic dicere debemus, Aristotelem nullam aliã dubitationem intelligere quàm ea, quæ occurrit de ipsius materiæ primæ existentia, quæ leuiter est cognita, vnde adhuc perplexi sumus an detur materia nec ne. [Sic igitur nos dicamus de omni generatione aggredientes.] In hac secunda parte proponit Aristoteles ordinem, seu methodum, qua ad propositam dubitationem discutiendam progredi vult. Vt autem sentẽtia Aristotelis intelligatur, sciendum est, Aristotelem in sequenti parte ad demonstrandam primam materiam vsurũ esse pro medio demonstrationis transmutatione secundum substantiam,& accepturum hanc propositionem, transmutatio secundum substantiam requirit subiectam aliquam materiam, quæ quidem propositio non satis nota erit, quia subiectum transmutationis substantialis, latens & absconditum est, ideò Aristoteles, vt ad ignotiora nos ducat per ea quæ nota sunt, id declarabit in transmutatione accidentali, & per inductionem ostendet quòd omnis transmutatio accidentalis fit in aliquo subiecto,& illud esse per se notum, vt inde colligamus idem esse asserendum etiam in transmutatione substantiali. Quoniam igitur pro medio vsurus est sola generatione substantiali, huius enim principia quærit, quæ tamen est obscurior, quia subiectum latentius habet, ideò Aristoteles dicit se velle prius loqui de omni generatione communiter sumpta, idest quæ extendatur ad generationem accidentalem, quæ dicitur secundùm quid, vt ex hac vt notiore ducamur ad cognitionem generationis substantialis, idest, principiorum eius. Et addit rationem huius ordinis, quando ait [est enim secundum naturam communia prius dicentes] est enim naturalis hic ordo, & nobis insitus, vt communia sint nobis notiora, quàm propria,& ita a magis cõmunibus transeamus ad minus communia, quare cum generatio communissimè sumpta notiores, & manifestiores habeat conditiones, quàm generatio secundum substantiam, prius dicendum est de omni generatione communiter, quæ est nobis notior, postea transibimus ad dicendum propriè de generatione substantiali, de qua loqui intendimus, quia est proprium medium ad demonstrandam materiam primã. Hic est horum verborum sensus,non quem aliqui putant, qui dicunt ordinem a communioribus dici secundum naturam, quia natura procedit a communioribus ad minus communia,quod quidem verum non est, natura enim nihil vniuersale operatur, sed sola singularia facit; vniuersalia autem in prædicamento sunt opera nostra, & penitus ignota naturæ, ideò melius est vt dicamus Aristotelem hic non loqui de natura rerum prout sunt extra animam absolutè; sed naturam nostrùm cognoscentium, seu eorum cognoscibilium respicere : natura enim nostra cognoscitiua talis est, vt communiora sint nobis faciliora cognitu, & euidentiora, & viam paret ad cognitionem eorum, quæ propria, & particularia sunt, sicuti abunde declarauimus in proœmio huius libri, & in quæstione de primo cognito. Hunc sensum significat hic clarè Aristoteles cum dicat, est secundum naturam vt dicentes prius communia, postea propria speculemur, de nobis enim cognoscentibus loquitur, non de ipsa rerum natura,quare per [communia] intelligit omnem generationẽ cõmuniter acceptã tàm ad substantialẽ,quàm ad accidentalẽ; per [propria]generationẽ substantialẽ,quã postea in hoc eodẽ primo libro est accepturus vt mediũ terminũ ad ostẽdẽdã existentiã primæ materiæ. Ideo Auerroes quoque in expositione horum verborũ deceptus est,qui putauit Aristotelem per[cõmunia] significare omnẽ generationem

vnius ex vno, siuè sit substantialis, siuè accidentalis. Per [propria] verò generationem vnius ex pluribus, quæ dicitur mixtio, de qua Aristoteles in libris de generatione loquitur, & sic vult Aristotelem hìc non notare aliquem ordinem in hoc eodem libro seruandum, sed tantùm ordinem inter hunc librum, & librum de generatione, & alios etiam libros naturales, in quibus de generatione habendus est sermo particularior,; in hoc autem primo Physicorum agitur de generatione communissimè accepta, quæ est vnius ex vno, formæ ex priuatione. Quæ expositio est alienissima ab Aristotele, & a veritate, quia de generatione accepta communissimè loquitur Aristoteles in primo de generatione, vt patet ex proœmio eius libri, vbi proponitur agendum de generatione in communi, & quæ omnibus naturalibus conueniat, idem patet ibi in definitione generationis, cùm Aristoteles dicat esse transmutationem totius in totum, hoc enim significat vnius in vnum: in hoc autem primo libro Physicorum non est locus agendi de generatione, sed de principijs corporum naturalium, generatio autem est passio quædam naturalis, quæ hìc proponitur vt effectus confusè cognitus, quo inueniamus ipsa principia, non vt eam hìc distinctè cognoscamus, vt passionem naturalem, & per suas causas, si enim hìc de generatione ageretur, oporteret omnes eius causas considerare, etiam externas efficientem & finalem, quod tamen Aristoteles hìc non facit, sed id proponit in proœmio primi de generatione, & ibi etiam exequitur, ibi igitur de generatione agitur propter se, hìc non propter se, sed pro inuentione primæ materiæ. Quare hìc non debet Auerroes dicere, quòd agatur de generatione, sed quòd de principijs, id enim dicitur tractari cuius gratia tractatur; ordo autem inter libros tractantes de generatione est attendendus inter eos tantùm libros, qui tractant de generatione secundùm se, vt de passione naturali cognoscenda, sicuti inter libros de generatione, & libros Meteorum, & libros de generatione materialium: at liber primus Physicorum non est liber de generatione, sed de principijs, & Aristoteles de generatione agendum proponens prius communiter, deinde propriè in hoc primo libro significat eam tractandam non propter se, sed sumendam vt medium ad inuentionem primæ materiæ. Aristoteles enim prius considerabit omnem generationem communissime sumptam, videlicet, tam in substantia, quàm in accidentibus, tam in naturalibus, quàm in artificialibus, quia de ea in communi facilius cognoscemus, quod requirit subiectum aliquod, vt postea colligat generationem substantialem eiusmodi esse, & proinde dari primam materiam subiectam duobus contrarijs. Hæc enim est methodus, quam Aristoteles seruabit in sequentibus.

Textus Quinquagesimus Octauus.

Dicimus enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum, aut simplicia dicentes, aut composita, dico autem hoc sic: Est enim fieri hominem musicum, est autem & non musicum quippiam fieri musicum, aut non musicum hominem, hominem musicum. Simplex igitur dico quod factum est, hominem, & non musicum, & quod fit simplex, musicum, compositum autem, & quod fit, & quod factum est, cùm non musicum hominem dicimus fieri musicum hominem: Horum autem hoc quidem non solùm dicitur hoc aliquid fieri, sed etiam ex hoc, vt ex non musico musicus, hoc autem non dicitur in

omnibus,

omnibus, non enim ex homine factus est musicus, sed homo factus est musicus.



GGREDITVR Aristoteles declarationem totius veritatis, & solutionem dubitationis iam dictæ, an detur materia distincta a contrarijs, an non detur. Sed vt bene intelligamus methodum demonstratiuam, qua Aristoteles vtetur, & quo omnia tendunt, sciendum est Aristotelem facturum esse hanc demonstrationem, vbicunque est transmutatio de contrario in contrarium, ibi est subiectum distinctum ab vtroque contrario, sed in corpore naturali est transmutatio secundùm substantiam de contrario in contrarium, ergo in corpore naturali est subiecta materia generationis substantialis a priuatione, & a forma distincta. Huius demonstrationis maiorem propositionem Aristoteles est declaraturus in sequentibus, vt videbimus, per inductionem perfectam, in omnibus, quæ generantur quouis modo, sicut ipse in præcedenti textu se facturum dixit, sed antequàm hoc faciat, vult tollere difficultatem, quæ fuit causa totius præsentis dubitationis. Prius enim longo sermone demonstrauit quòd omne, quod fit, fit ex suo contrario, quare omnium principia sunt contraria, vnde videtur colligi quòd non dentur alia principia, quàm contraria, quare non dabitur materia. Aristoteles igitur vult in hoc textu, & sequenti declarare illud, quod ibi confusè ostendit, videlicèt, quomodo contrarium ex contrario fiat, hoc enim declarato patebit quòd datur præter duo contraria tertium subiectum, hoc autem facit Aristoteles distinguens materiam a priuatione, & ostendens, quòd quando dicimus fieri contrarium ex contrario, terminus, a quo non est vnus, neque simplex, sed significat duo principia, videlicet, materiam subiectam & priuationem, dicimus enim nomine concreto album ex non albo fieri, & illud non album duo significat priuationem albi, & subiectum, cui illa priuatio inest. Ideò Aristoteles postea in textu sexagesimoseptimo totam dubitationem soluens dicet, quòd modo quodam duo tantùm contraria sunt principia, & alio modo sunt tria, si enim materiam cum priuatione confundamus, vt faciant vnicum terminum a quo, duo tantùm principia sufficiunt. Fit enim musicus ex immusico, homo ex semine, & ibi duo tantùm principia interueniunt, immusicus, & musica forma; semen, & forma humana, sed immusicus significat, & priuationem musicæ, & hominem subiectum; sic semen significat & priuationem formæ hominis, & materiam subiectam, ideò si hæc distinguemus, tria erunt principia, videlicet duo contraria, & vnum subiectum. Notandum autem quòd cùm subiectum stet tam sub forma, quàm sub priuatione, Aristoteles tamen distinguit ipsum a priuatione, non a forma, quia loquitur de generatione & principijs ex quibus res fiunt, dùm autem res fiunt, non dum dicuntur factæ, & tunc materia stat cum priuatione, non cum forma, & sub termino a quo includitur simul priuatio, & materia. Præterea non defuerunt alij Philosophi qui materiam cum priuatione confuderunt, vt Plato, qui vtramque vt vnum principium statuit, non vt duo, ideò non fuit opus materiam a forma distinguere, quia nemo eas confudit, sed operę prętium fuit distinguere materiam a priuatione, quia aliqui eas confuderunt, & quia priuatio nullam habens entitatem non videtur dicere aliquid distinctum a materia; propterea Aristoteles ostendere voluit, quòd alterum contrarium significans terminum a quo, continet duo principia significata a nomine concreto, non enim dicimus formam ex priuatione fieri, sed formatum ex priuato, nam compositum dicitur fieri, & ex materia priuata, dùm enim dicimus ex priuato, dicimus simul, & priuationē, & subiectū, vt cùm dicimus ex non albo, ex immusico. Duobus autem modis Aristoteles distinguit terminum a quo generationis in duo, idest, materiam a priuatione, prius

enim


enim differentiam statuit inter eas ex parte modi loquendi, deinde in textu sequenti ponit etiã differentiã ex parte rei, adeo vt tũ ratione sumpta ex modo loquendi, tùm ratione sumpta a seipsa videamus manifestè quòd priuatio distinguitur a subiecto. In hoc autem textu Aristoteles duo facit, prius declarat communem modum loquẽdi, quo solent homines vti ad significandum generari aliquid ex aliquo; deinde ex eo modo colligit differentiam inter materiam, & priuationem. Primò dicit quòd quando dicimus aliquid ex aliquo fieri vtrumque terminum possumus intelligere, vel simplicem, vel compositum, intelligendo simplicitatem, & compositionem secundum vocem, non secundum rem, vt ipse statim declarat, nam si dicamus, fit musicus ex immusico, seu homo fit musicus, dicimus simplex ex simplici, idest, vnũ ex vno, quod si dicamus ex immusico homine fit musicus homo, dicimus compositum ex cõposito, si vero ex immusico homine fieri musicum dicimus simplex ex composito, & sic è conuerso. Hoc autem dicit Aristoteles vt videamus in communi modo loquendi hos tres distinctos terminos, qui significant materiam, formam, & priuationem, vt hominem, musicum, & immusicum, & sicuti terminum ad quem aliquando nominamus per vocem compositam, & denotamus compositum ex materia, & forma, ita quando terminum a quo per vocem compositam nominamus significamus compositum ex materia, & priuatione. Considerant aliqui Aristotelem dicere [ex alio aliud, & ex altero alterum] ad significandum se communiter de omni generatione loqui, sicut pollicitus est, dicendo enim [ex alio aliud] significat generationẽ substantialẽ, deinde dicendo [ex altero alterũ] significat generationẽ accidentalẽ, nã Porphyrius dicebat in cap. de differẽtia, quòd differẽtia substãtialis facit aliud, differẽtia verò accidẽtalis facit alteratũ; quæ admonitio admitti potest. Aduertendũ tamen, quòd licet Aristoteles per hæc verba cõplexus sit etiã generationẽ substantialẽ, tamen exẽpla subiecit postea de sola accidẽtale, quia in hac res est euidẽtior, ideò Aristoteles prius totam veritatem in accidentibus declarabit, postea eandem considerabit etiam in substantijs. Si dicamus Aristotelem hic velle distinguere materiam a priuatione, sic præoccupabit illud, quod postea demonstraturus est dari materiam distinctam a duobus contrarijs. Melius ergo, est vt dicamus Aristotelem distinguere velle illa quæ in vtriusque generatione concurrunt, & ostendere ea tria esse. Propterea quod cum cõtrariũ fiat ex contrario, terminus a quo non est vnus, sed duplex, & hanc distinctionem hìc declarat ex manifestis, & sine vlla probatione, postea verò horum trium necessitatem demonstrabit. Vel dicas Aristotelem vidisse aliquem potuisse ad sequentem materiæ demonstrationem respondere, concedo dari materiã sed dico hanc non distingui ab altero contrariorum, ex quo res fieri dicitur, & ita non plura duobus principia dantur. Ideo prius voluit in hac parte docere distinctionem inter hæc duo, ita vt non possint esse vnum & idem principium. Hoc .n. discrimine declarato ostendit postea necessarium esse in omni mutatione tali subiectum distinctum a priuatione, quæ est alterum contrarium, licet ei iunctum sit. In verbis notandum etiam est, quando Aristoteles dicit [quod factum est] deinde [quod fit] intelligit, quod factum est tam materiam, quam priuationem, & quod fit ipsam formã, seu ipsum compositũ formatũ, quia dicimus fit homo, vel fit musicus, vel fit homo musicus, sed participiũ Græcum γιγνόμενον, cum sit præsentis temporis, non bene traducitur hìc, quod factum est, in tempore præterito, ita enim significatur res iam facta, quod est contrarium intentioni Aristotelis. Vult enim significare rem nondũ factam, sed in fieri, & denotare materiam, & priuationem, facta enim re, non amplius est priuatio, ideò melius esset si diceremus, fiens, sic enim significatur, & subiectum & priuatio. Sensus ergo verborum est, quòd illud, quod dicitur fiens, idest, terminus a quo potest dici simplex, potest etiam dici compositum, simplex quidem, vt homo vel non musicus, materia enim fit subiectiuè, & nomen etiam priuationis

eadem

eadem ratione dicitur fieri, quoniam connotat materiam; compositum verò, vt homo non musicus, ita de eo quod fit, idest, de termino ad quem, dicitur enim vel simplex, vel compositus, simplex vt musicus, compositus vt homo musicus. Sic igitur declarauit Aristoteles communem modum loquendi, quo significant homines ea omnia, quæ in omni generatione internè reperiuntur, non considerando causas externas, neque accidentalia, per hunc enim loquendi modum significant omnes tria internè in omni generatione interuenire, priuationem, materiam, & formam. [Horum autem] nunc Aristoteles colligit differentiam inter materiam, & priuationem ex modo loquendi, nam hactenus audiuimus solùm tria illa vocabula, hominem, & immusicum, & musicum, non tamen propterea cognouimus ea significare res diuersas, sed possumus credere quòd per hominem, & per immusicum eadem res significetur. Ideò Aristoteles ratione sumpta ex modo loquendi ostendit eorum differentiam, quæ in hoc consistit, quòd de priuatione loquentes vtimur solùm & casu recto, & obliquo, dicimus enim, & hoc fieri hoc, & ex hoc fieri hoc, vt immusicum fieri musicum, & ex immusico fieri musicum, sed non dicimus ex homine fieri musicum, differunt igitur homo, & immusicus. Notandum autem quòd quandoque etiam materiæ conuenit locutio per obliquum casum, vt Aristoteles dicet infra in textu sexagesimoprimo, sed tamen tunc non possumus vti casu recto, quare differentia est perpetua, nam materiæ alter tantùm modus loquendi conuenit, nunquam vterque simul, priuationi verò vterque simul. Cùm autem Aristoteles dicit [Horum autem hoc quidem] priuationem intelligit, cui vterque simul modus conuenit, cùm autem dicit, [hoc autem non dicitur in omnibus] intelligit, quòd vtrumque simul non dicitur de ipso subiecto, vt de homine, sicut exempla declarant.

Textus Quinquagesimus Nonus.

Eorum autem, quæ vt simplicia dicimus fieri, aliud quidem permanens fit, aliud verò non permanens, homo enim permanet factus musicus homo, non musicum autem, & immusicum, neque simplex, neque compositum permanet.



LTERAM differentiam sumptam ex parte rei affert Aristoteles inter materiam, & priuationem: & est differentia manifesta, materia enim post generationem remanet, priuatio verò non remanet, postquàm enim homo ex immusico factus est musicus, homo remanet cum musica, immusicum verò non remanet, sed recessit, ergo differt homo ab Immusico. Et quoniam in præcedenti textu Aristoteles hominem solùm, vel immusicum solùm simplices appellauit, ideò etiam nunc volens vnum ab altero distinguere, & vnum sine altero accipere, dicit, [Eorum quæ vt simplicia dicimus fieri,] intelligens subiectum, & priuationem, vtrumque enim dicitur fieri, vt in fine textus præcedentis dixerat, homo enim fit musicus, & immusicus fit musicus, ad maiorem autem declarationem addit Aristoteles, quòd priuatio nullo modo remanet, neque enim vt simplex, neque vt composita, idest accepta cum subiecto, quando enim homo factus est musicus, non solùm immusicum dicitur non remanere, sed neque homo immusicus remanere dicitur, licèt remaneat homo. Quādo enim aliquid ex multis cōpositum est, totum corrumpi dicitur etiam si vnicum ex cōponentibus corrumpatur, totalitas enim illa non remanet quamuis aliqua pars remanserit, quare totum hoc, homo immusicus dicitur corrumpi, licèt solùm immusicum corrumpatur, homo

mo verò solus absque immusico remanet. Cum autem dicit Aristoteles [non musicum autem, & immusicum] verba hæc possunt intelligi, vt Aristoteles ad maiorem efficaciam dicat quòd in aduentu musicæ corrumpitur tàm priuatio, quàm negatio, quæ per non musicum significatur. Sed melius est vt dicamus secundum esse declaratiuum prioris, in præcedenti enim textu Aristoteles priuationem significauit per non musicum, quod poterat significare etiam negationem, sicut declarauimus supra in textu quadragesimotertio; ideò Aristoteles seipsum declarare volens, dicit non musicum, idest, immusicum, vt intligamus priuationem, non negationem.

Textus Sexagesimus.

Determinatis autem his, ex omnibus, quæ fiunt, hoc est accipere, si aliquis inspexerit, sicut diximus, quod oportet semper aliquid subijci, quod fit, & hoc, & si numero est vnum, at forma quidem non vnum, forma enim dico, & ratione idem; non enim idem est homini, & immusico esse, & illud quidem permanet, hoc verò non permanet, etenim non oppositum permanet; homo enim permanet; musicum autem, & immusicum non permanet, neque ex ambobus compositum, vt immusicus homo.

DECLARATA differentia inter materiam, & priuationem hìc Aristoteles proponit illam maiorem Syllogismi formandi, quam in sequentibus inductione confirmabit, quòd in omni transmutatione datur subiectũ distinctum ab vtroque contrario, & cum dicit [ex omnibus, quæ fiunt, hoc est accipere si aliquis inspexerit] significat se vsurum inductione, ad hanc maiorem confirmandam, cum sit per se nota ex sola particularium inspectione. Deinde cùm dicit [quod oprtet semper aliquid subijci, quod fit] significat subiectum, quod dicitur fieri subiectiue. Fit enim tale vel tale, quando huic, vel illi formæ subijcitur, & dicit necesse esse dari tale subiectum in omni transmutatione, [& hoc, & si numero est vnum,] subiungit Aristoteles distinctionem huius subiecti in duo, sicut diximus in materiam, & priuationem, quarum differentiam ex dictis collegit, & dicit quòd licet hoc subiectum, quod dicitur fieri tale, sit [numero vnũ] idest vnum subiecto, tamen [forma non est vnum] secundum essentiam, & formaliter non est vnum, sed duo, non enim hìc accipit formam pro tertio principio, sed pro essentia, vt sensus sit, materia & priuatio sunt vnum subiecto, duo autem formaliter, sicuti dicimus, dulcedinem & pomum esse vnum subiecto, seu numero, duo autem secundum essentiam, & definitionem. Quòd & ipse Aristoteles seipsum declarans subdit, dum ait [forma autem dico, & ratione idem] intelligo forma, idest ratione ac definitione, omne enim quod fit, fit ex subiecto priuato, quare simul sunt materia, & priuatio, & dicuntur vnum subiecto, sed differunt definitione cum alia sit definitio subiecti, alia priuationis, quod ipse Aristoteles exemplo declarat, dicens, [non enim idem est homini, & immusico esse] non est essentia eadem materiæ, & priuationis, quod probat ex dictis quia subiectum permanet post aduentum formæ, at priuatio non permanet, cuius rationem affert Aristoteles cum dicit, [etenim non oppositum permanet] ratio enim est, quia materia non est opposita formæ, ideò

ideò potest cum ea simul remanere: at priuatio est opposita formæ, ideò cum ea permanere non potest, & homo non opponitur musicæ, at immusicum musico opponitur; ideò priuatio neque sola dicitur permanere, neque composita, idest, simul accepta cum materia, factus enim musicus non permanet immusicus homo, sicut in præcedēti textu declarauimus. Habemus igitur in hoc textu hanc propositionem, quòd in omni transmutatione necesse est aliquam materiam subijci a contrarijs diuersam, quæ licèt vnum & idem numero, & subiecto esse videatur cum altero contrario, nempe cum priuatione, tamen formaliter & secundum definitionem dinstinguitur ab ea. Aliqui sunt qui confutant illam communem aliorum expositionem quòd materia, & priuatio sint duo ratione idest definitione, dicunt enim rationem esse per se non ens, quare non habet definitionem, neque per rationem hìc possumus intelligere definitionem, ipsi autem exponunt ratione, idest, vt statim Aristoteles subdit ratione, qua materia permanet, & priuatio non permanet, quam dicunt esse differentiam in modo principiādi. Sed sunt in errore, & vana est hæc eorum expositio, & nimis violenta, Aristoteles enim dixit quòd materia, & priuatio differunt forma, & ratione, & non video quomodo differre secundum formam, & rationem sit vnam permanere, alteram non permanere, hoc enim est quidem signum quòd differant secundum rationem, sed non in eo consistit differentia rationis, quòd vna permaneat, altera non permaneat. Eorum quoque instantia contra communem, & nostram expositionem vana est, nomen enim definitionis latè sumendum est, prout eam quoque complectitur, quæ dicitur nominalis, & etiam non enti potest conuenire, talis definitio priuationi conuenit, quæ licet sit non ens, est tamen ens aliquo modo per reductionem ad habitum oppositum, nec non ratione materiæ cui est coniuncta, ideò potest describi, & declarari eius nomen, per quam declarationem tota eius essentia intelligatur, & totum eius esse priuatiuum. Hæc est sententia Auerrois in proœmio suo in primum librum Posteriorum in fine, vbi dicit quod priuatio definitur per habitum, quia est ens per reductionem ad habitum, est enim ens, quia priuatio talis entis est, potest igitur priuatio difinitione aliqua declarari, vt si dicamus, priuatio est absentia formæ cum potentia ad eam, alia ergo est definitio priuationis, alia materiæ, quod hìc voluit significare Aristoteles. Dubitant etiam aliqui quomodo materia & priuatio possint dici vnum numero, idest subiecto. Ea enim dicuntur vnum subiecto, quæ eidem inhærent, vel quorum vnum alteri inhærere, vt dulcedo, & pomum, at priuatio cum sit non ens, non potest dici inhærens, materiæ, quia si inhæreret, esset ens aliquod. Respondent quòd argumentum hoc concludit materiam non esse subiectum inhærentiæ respectu priuationis, est tamen subiectum denominationis, quia materia ex absentia formæ denominatur priuata, forma igitur absens denominat materiam priuatam, & nihil propterea positum materiæ dicitur inhærere. Sed aliud oritur maius dubium, quia Aristoteles dixit materiam & priuationem esse vnum numero, sed non specie & ratione, quod falsum esse videtur, quia vbi est maior conuenientia, ibi est etiam minor: maior autem est conuenientia in numero, quàm in specie, vt apud Porphyrium patet, multa enim specie conueniunt, quę numero differunt, ergo quę numero cōueniunt, conueniunt etiā specie, ergo si materia & priuatio sūt idē numero, sūt ēt idē specie, & cōsequenter difinitione, quod tamen Aristoteles negat. Confirmatur ex Aristotele quinto Metaphysicorum textu duodecimo, vbi dicit vnum dici quatuor modis, videlicet vnum analogia, vnum numero, vnū genere, & vnū specie, & subiungit, quæcūque sunt vnū specie, sunt etiā vnum genere, non è conuerso, & quæcunque sunt vnū numero, sunt etiā vnum specie, non è conuerso, ergo si materia, & priuatio sunt vnū numerò, sūt etiam vnum specie, quia vnitas maxima est vnitas numeralis, quā reliquę consequuntur, vt clarè vult Aristoteles ibi. Ad hoc aliqui dicunt, quòd vnum numero dupliciter sumitur,


mitur, vel per se, vel per accidens, de vno numero per se loquitur Porphyrius, & Aristoteles quinto Metaphysicorum duodecimo, nam hæc est maxima vnitas, quæ alias continet, & de hac dubium habet locum; per accidens verò vnum numero dicuntur quæ sunt in eodem subiecto, vt albedo, & dulcedo in pomo, vel quorum vnum in alio est vt in subiecto, vt albedo, & pomum, quam vnitatem numeralem non consequitur vnitas specifica, & de hac loquitur hìc Aristoteles dùm dicit materiam & priuationem esse vnum numero. Hæc solutio videtur difficultatem pati, quia necesse est vt hi dicant vnum numero per se esse substantiam indiuiduam non comprehensis accidentibus, vel accidens indiuiduum non comprehensa substantia, neque aliquo alio accidente. Sed non est verum quòd Porphyrius ita indiuiduum, & vnum numero acceperit, imò accepit substantiam simul cum accidentibus, dixit enim quòd vnum numero differt ab alijs per collectionem accidentium, quæ in alio nunquam reperietur eadem. Præterea dùm substantiam accipimus sine accidentibus non dicitur vna numero, sed specie, quia substantia Socratis non differt a substantia Platonis, & sic vnum numero per se in nullo differt ab alio vno numero per se, ergo non poterit dici duo numero, sed erunt penitus idem. Videtur tamen ea responsio defendi posse, quia substantia indiuidua potest accipi, vel vt contracta per accidentia indiuiduantia, vel vt non contracta. Si accipiatur vt non contracta, tunc non potest dici indiuidua, & vna numero, sed est vna specie, si verò sumatur vt contracta, & iam facta, hæc sub accidentibus indiuiduantibus adhùc dupliciter sumi potest, vel enim comprehendimus simul & contractum & contrahentia, & ideò dicitur vnum numero per accidens, quia est aggregatum per accidens substantiæ & accidentium, sicut hìc Aristoteles accipit vnum numero; vel substantiam accipimus contractam ab accidentibus, nec tamen accidentia comprehendimus, quia accipimus contractum vt contractum, sed non comprehendimus contrahentia, & hoc dicitur vnum numero per se, de quo Porphyrius loquitur, hoc enim differt ab alio per accidentia vt extrinseca ab eius substantia, non vt per partem ipsius, quod vnum numero dicitur, imò neque verum omninò est, quòd distinctio vnius indiuidui ab alio sit solùm per accidentia, non enim accidentia sunt, quæ indiuiduant, vt alias diximus in quæstione de principio indiuiduationis, sed est forma in materia, quæ facit hoc, quare indiuiduum substantiæ est prius hoc secundùm naturam, quàm aduenìant accidentia, quæ postea indiuiduum ipsum consequuntur, ideò illud dicitur vnum numero per se, aggregatum autem omnium accidentium dicitur vnum numero per accidens. Porphyrius autem non tetigit aliam differentiam indiuiduorum inter se, quàm in accidentibus, quia hæc est euidens, & nota, omisit differentiam principaliorem, quæ est per formam hanc existentem extra animam, dùm igitur accipimus vnum numero per se, sequitur necessariò quòd sit etiam vuum specie, & vnum genere, sed de vno numero per accidens non licèt facere hanc consequentiam, est enim id, quod solet etiam vocari vnum subiecto. Et quod dicitur vnum specie, solet etiam vocari vnum ratione; at non valet, est vnum subiecto, ergo vnum ratione, vt patet de pomo & albedine, neque valet è conuerso vnum ratione, ergo vnum subiecto, quia Plato, & Socrates sunt idem specie, & ratione, non tamen idem subiecto, quare etiam de differentia similiter. Non enim valet, differunt subiecto, ergo etiam ratione; neque valet, differunt ratione, ergo subiecto, sunt enim duo diuersissimi modi conueniendi, vel differendi, quorum neuter alterum infert, nisi addatur, solùm, quæ enim solùm subiecto conueniunt, non conueniunt ratione; quæ solùm ratione conueniunt, non conueniunt subiecto, & de differentia similiter. Auerroes autem in illo textu duodecimo quinti Metaphysicorum aliam dat expositionem satis violentam, quando enim Aristoteles dicit vnum numero, sunt vnum etiam specie, Auerroes dicit hunc esse sensum, si aliqua sunt, quorum singulum sit vnum numero, & inter se solo numero

mero

mero differunt, necessario sunt vnum specie, vt Socrates, & Plato; sed prior responsio tuta videtur, & melius accommodatur verbis Aristotelis, in eo loco quam expositio Auerrois, quæ vix potest accommodari.

Textus Sexagesimus Primus.

Sed ex aliquo fieri aliquid, & hoc non fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus, vt ex immusico musicum fieri; ex homine autem non. At verò & in permanentibus aliquando dicitur similiter, ex ære enim statuam dicimus fieri, non æs statuam: Hoc tamen ex opposito, & non permanente, vtroque modo dicitur, & ex hoc, hoc, & hoc, hoc namque ex immusico, & immusicus fit musicus, quo circa, & in composito similiter, & enim ex immusico homine, & immusicus homo fieri dicitur musicus.



ARISTOTELES supra in textu quinquagesimooctauo breuiter & concise tetigit differentiam ex parte modi loquendi inter materiam, & priuationem, ideò vult eam hìc melius declarare, & corrigere quæ ibi dixit, corrigit autem duo. Alterum quòd priuationem significemus vtroque modo loquendi; videlicet, & per casum rectum, & per obliquum. Alterum quòd subiectum per solum casum rectum significemus. Circa primum addit hoc Aristoteles, quòd licèt de priuatione vtamur vtroque modo loquendi; tamen magis est conueniens locutio per casum obliquum, melius enim est dicere, quòd ex immusico fit musicus, quam quòd immusicus fit musicus. Huius ratio affertur a Themistio, quoniam dictio illa, ex, quamuis materiæ quoque significandę accommodetur, tamen magis propriè significat illud, quod abit, & recedit, videlicet priuationem, casus autem rectus propriè significat id, quod permanet, nempè materiam. Circa secundum ponit Aristoteles exceptionem quandam, & inquit, quòd quamuis dixerit supra quòd subiectum solum significamus per solum casum rectum, tamen quandoque ipsum etiam significamus per obliquum, dicimus enim ex ære statuam fieri; & ita melius declarando differentiam inter materiam, & priuationem discrimen in hoc consistit, quòd priuationi vterque simul modus loquendi conuenit, licet magis propriè vnus, quàm alter, materiæ verò nunquam vterque simul, sed alter tantùm indistinctè tamen; quandoque enim conuenit casus rectus, & tunc non conuenit obliquus, dicimus enim hominem fieri musicum, non dicimus ex homine fieri musicum; quandoque conuenit casus obliquus, & tunc rectus non conuenit, dicimus enim ex ære fieri statuam, non dicimus æs fieri statuam. Themistius autem notat quòd non vteremur de materia hoc modo loquendi per casum obliquum, si notum haberemus nomen priuationis oppositæ, fit enim statua ex propria priuatione figurationis, quæ nomine caret, ideò dicimus ex ære, quasi ex infigurato, omninò enim illud, ex, denotat aliquid, quod recedit, ideò cum priuationi propriæ conueniat ea locutio tribuitur quoque ipsi aggregato priuationis, & materiæ, vt dùm dicimus ex immusico homine fieri musicum hominem, siue tribuitur materiæ, quia subintelligitur priuatio, vt cùm dicimus ex ære fieri statuam, id enim est merito priuationis, sic etiam vsitatio casus recti in ipsis compositis est gratia materiæ, quòd enim dicamus, homo immusicus fit musicus, subiecto attribi-

tur propriè hæc locutio, quia significat aliquod permanens in forma, quòd si quandoque de sola priuatione vtimur casu recto, vt dicentes, immusicus fit musicus, id non fit ratione priuationis, sed quatenus nomine priuationis connotamus etiam subiectum, cuius signum est, quia si priuationis nomen proferamus in abstracto, non amplius conueniet locutio per rectum casum, nõ enim ipsa priuatio musicę fit musica, sed homo, cui priuatio inest, fit musicus. Hæc est tota literæ sententia. Textus in tres particulas diuidi potest, in prima corrigit Aristoteles primum dictum, in secunda secundum, deinde in tertia colligit vnam differentiam inter materiam & priuationem; correctio primi dicti ponitur ijs verbis, [sed ex aliquo aliquid fieri, & non hoc fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus] idest, in priuatione, quæ dicitur non permanens; magis propriè dicitur ex hoc fieri hoc, quàm hoc fieri hoc. Ideò aduertendum quòd quando Aristoteles dicit [& non hoc fieri] non absolutè negat, vsitari in priuatione casum rectum, si enim hoc vellet non diceret postea [magis] sed est modus quidam loquendi, qui nil aliud, significat quam si Aristoteles diceret, in priuatione magis dicitur ex aliquo fieri aliquid, quã hoc fieri hoc; dicitur tamen etiam hoc secundum, vt postea Aristoteles manifeste confitebitur in tertia parte. Sed videtur potius quod dictio [magis] dicat comparationem priuationis cum materia, vt sensus sit, ex hoc fieri hoc, dicitur magis in priuatione quàm in materia. Ideò subdit [ex homine autem non] at verò & in permanentibus. Deinde cùm dicit [ex homine autem non] ponit Aristoteles alterum dictum, quod etiam in textu Quinquagesimo octauo positum fuit, quòd locutio per casum obliquum non conuenit subiecto, non enim dicimus ex homine fieri musicum: postea subdens [at postea & in permanentibus] ponit correctionem huius secundi dicti, & dicit quòd aliquando etiam de materia, quam hic vocat permanentem, dicimus in casu obliquo ex hoc fieri hoc, vt ex ære statuam, sed tunc non vtimur casu recto, quia non dicimus ęs fieri statuam: [hoc tamen ex opposito] Hic tandem exponit Aristoteles in quo consistat differentia inter materiam & priuationem ex parte locutionis, & dicit quod in priuatione dicitur simul vtroque modo, priuationem autem vocat oppositam, scilicet, formæ, & non permanentem, vnde infert, quòd eadem locutio conuenit etiã aggregato priuationis, & materiæ, dicimus .n. ex immusico homine fit musicus homo, & immusicus homo fit musicus, & hoc propter priuationẽ, cui vtraque simul locutio aptatur, vt supra declarauimus, nos autem addamus, materiæ nunquam conuenit vterque modus simul, sed alter solus, & modò vnus, modo alter, quare distinguitur materia a priuatione in modo locutionis.

Textus Sexagesimus Secundus.

Multiplicetur autem cum dicatur fieri, & horum quidem non simpliciter fieri, sed hoc aliquid fieri, simpliciter autem fieri substantiarum solum, manifestum est. quòd secũdum alia quidem necesse est subijci aliquid quod fit, et enim quantum, & quale, & ad alterum, & quando, & vbi fiunt subiecto aliquo, propterea quod sola substantia de nullo alio dicitur subiecto, sed alia omnia de substantia. Quòd autem substantia, & quæcunque alia simpliciter entia ex subiecto quodam fiunt; consideranti fiet vtique manifestum, semper enim est aliquid

aliquid quod subijcitur, ex quo fit quod fit vt plantæ, & animalia ex semine.

HIc Aristoteles vult inductione probare propositionem illam vniuersalem propositam in textu Sexagesimo, quod in omni generatione necessarium est subiectum preter duo contraria. Et hac methodo vtitur, diuidit generationē in generationē simpliciter, quæ est substantiarū, & generationē secundùm quid, quæ est accidentiū, deinde sumit tanquā per se notum quòd generatio accidentium requirit subiectum, hoc enim per se ad sensum patet in omnibus accidentibus per inductionem: tandem sumpta similitudine ab accidentibus, declarat idē esse asserendum in generatione substantiarum in qua nō ita erat manifestū. Dicit primò quòd fieri, dicitur [multipliciter] idest dupliciter, duos enim tantum affert generationis modos. Aduertendum circa illud verbum [fieri] quod sumitur fieri tripliciter, vt alias diximus, dicitur enim fieri materia subiectiuè, vt homo fit musicus, dicitur etiam forma fieri terminatiuè, idest, vt terminus motus, vt musicus fit ex immusico. Dicitur tertio modo compositū fieri, quæ est maximè propria acceptio, & vocant fieri completiuè. Aristoteles autem in toto hoc libro, cum omnibus his modis sumat fieri, vt in diuersis locis animaduertere potuimus, hìc sumit fieri tertio modo, idest, completiuè, compositum enim dicitur generari, & corrumpi, vt Aristoteles docet octauo Metaphysicorum tertio, vbi dicit quòd solius compositi est generatio, & corruptio, hoc igitur modo sumendo ipsum, fieri, dicit Aristoteles, quòd dicitur duobus modis, [& horum quidem] idest, accidentium [non simpliciter fieri, sed hoc aliquid fieri] simpliciter enim significat totam rem fieri, hoc aliquid autem significat aliquid in re fieri, non rem totam, cū enim dicimus aqua fit, simpliciter dicimus, aquam fieri, & totam aquæ substantiā, cum vero dicimus aquam fieri calidam, dicimus aquam fieri secundum aliquid, & aliquid in aqua fieri, non aquā totam, ideò simpliciter fieri (vt dicit Aristoteles) [est substantiarum solùm] sumendo substantiam pro substantia composita. [Manifestum quod secundum alia quidem necesse est subijci aliquid, quod fit] Diuisa generatione in duas hìc Aristoteles dicit, quod de altero mēbro res est clara, videlicet, de generatione accidentali, est enim manifestum quòd accidentia omnia fiunt in subiecto aliquo, cum enim dicit Aristoteles, alia, intelligit alia preter substantiam, idest, accidentia omnia, & cùm dicit (subijci aliquid quod fit) sumit fieri subiectiuè, vt conuenit materiæ, vt cum dicimus, aqua fit calida, homo fit musicus. Adducit deinde rationem, cur sit manifestum accidentia fieri in subiecto aliquo, ratio enim est, quia accidentia omnia sunt in subiecto, & in hoc differunt a substantia, quia non est in subiecto, accidentia verò sunt in substantia ipsa composita vt in subiecto, vnde fit quod de accidentibus apparet quòd fiunt in subiecto, de substantia verò non sic apparet, quia non est in subiecto, accipit autem hìc Aristoteles dici de subiecto pro esse in subiecto, sicuti sæpè aliàs accipere solet. Dubium hìc faciunt exempla accidentiū, quæ hìc Aristoteles affert, nominat enim, [quantū, & quale, & ad aliquid, & quando, & vbi] quæ omnia prędicamenta dicit fieri in subiecto aliquo, ergo significat in prædicamentis relationis, & quando, motū reperiri, quod tamen negatur in quinto Physicorū, vbi dicit, quod in tribus tantùm prædicamentis datur motus, videlicet, quanto, quali, & vbi. Aliqui dicunt in his tribus prędicamentis esse motum per se, per accidens tamen esse in alijs quoque prædicamentis, & Aristotelem hìc confundere motū per se cum motu per accidens. Quæ responsio mihi nō probatur, quia Aristoteles non loquitur hìc de motu, sed de generatione, ideò dicendū potius est, quòd licet motus propriè sumptus in tribus tantum sit prędicamentis, tamen generatio habet

pcum in omnibus prędicamentis, omnibus enim conuenit verbũ fieri, de quo hìc loquitur Aristoteles, differentiam autem inter fieri, & moueri declarauimus supra in textu quadragesimoquarto. Responsio igitur mala est, quæ concedit Aristotelem de motu loqui, quo negato dubium tollitur. Et notandum est, quòd in substantia & alijs sex prædicamentis, in quibus non est motus, forma acquiritur in instanti, quia si in tempore, tunc in alijs quoque prædicamentis esset motus propriè sumptus, attamen non fieret acquisitio formæ subita in illis septem prædicamentis, nisi præcessisset aliquis verus motus in aliquo trium prædicamentorum habentium propriè motum. Sicut enim forma de prædicamento substantiæ, supponit præuium motum alterationis, ita relatio, situs, & alia prædicamenta acquiruntur post motum factum vel in vbi, vel in alio prædicamento habente motum, & ita omnibus prædicamentis conuenit, fieri, sed non omnibus conuenit motus. Notandum præterea quod sicut in substantia intelligit Aristoteles fieri compositum ipsum, non formam, ita in accidentibus debemus intelligere; propriè enim non dicitur calor fieri, sed calidum, non fit quantitas, sed quantum, ideò Aristoteles hìc omnia accidentium exempla profert in concreto, non in abstracto, neque dicit hæc prædicamenta fieri in subiecto, sed fieri subiecto aliquo, idest, existente aliquo subiecto, quod dicitur fieri. Est etiam notandum quòd in litera est error quidam leuis momenti, qui tamen si animaduertatur, confert ad meliorem verborum intelligentiam, vbi enim legimus, [& horum quidem non simpliciter fieri] Codex Græcus non habet illam dictionem, simpliciter, sed sic, [horum quidem non fieri, sed hoc aliquid fieri] quoniam nihil aliud significat fieri, quàm fieri sine aliqua additione, quod dicitur fieri simpliciter, de accidentibus enim non dicimus quòd fiant, sed quòd fiant aliquid, vt cùm aqua calefit non dicimus fieri aquam, sed fieri calidam; fieri autem [simpliciter] idest, sine huiusmodi additione est substantiarum solùm, quia significat totam rem fieri. [Quod autem substantia, & quæcunque alia simpliciter entia ex subiecto quodam fiunt] transit Aristoteles ad generationem substantialem, & declarat in ea quoque idem contingere, quòd ex subiecto aliquo fit, & notanda est differentia inter substantiam, & accidentia, quam hìc innuit Aristoteles, vnde de accidentibus dixit esse manifestum quòd ex subiecto fiunt, de substantia autem non dicit sic, quia non est per se notum, sed dicit [consideranti fiet vtique manifestum] & vtitur verbo futuri temporis, quia subiectum generationis substantialis non est ita per se notum, vt nobis appareat, & inspiciatur, non enim est sensibile, sed post aliquam mentis considerationem, & discursum fit nobis notum, quod ita est etiam in substantia, dùm enim consideramus omnes accidentales generationes non solùm cognoscimus eas in subiecto aliquo fieri, verùm etiam cognoscimus esse necessarium, & essentiale generationi, & transmutationi omni vt habeat subiectum deferens transmutationem de contrario in contrarium, & hoc modo facimus inductionem demonstratiuam, quia cognoscimus necessarium esse vt ita se habeat etiam in generatione secundùm substantiam, quia quod est per se, est de omni, quare omnis generatio siue in substantia, siue in accidentibus sit, requirit subiectum, quæ fuit propositio illa vniuersalis posita ab Aristotele supra in textu sexagesimo. Hìc igitur est discursus, seu consideratio, quam his verbis innuit Aristoteles, dùm enim consideramus accidentales transmutationes, fit nobis manifestum quòd est necessaria conditio omnis generationis, & ducimur in cognitionem subiecti generationis substantialis, quod insensibile est. Hanc
„Aristotelis methodum expressit hìc optimè Auerroes his verbis [postquam vidimus,
„quòd in alijs prædicamentis manifestum est per se quòd tranmutatio fit in subiecto,
„ex natura generationis apparet, quòd in substantia idem dicendum est, quia cogno-
„uimus quòd omnia generabilia indigent in generatione in eo quod generatio aliquo
„subiecto.] Significat enim quòd discurrendo per accidentales generationes cognoscimus

scimus talem esse generationis naturam vt sit ei essentiale, & necessarium subiectum, & sine eo fieri non possit, quare omnis generatio debet esse eiusmodi, quam vniuersalitatem Aristoteles hic significat, quando ait [semper enim est aliquid quod subijcitur] dictio enim illa, semper, non accipitur pro vniuersalitate temporis, sed rei, sicuti etiam supra in fine textus quinquagesimi notauimus, quare significat quòd in omni generatione necessarium est aliquam materiam subijci, ex qua fit ipsum compositum. Dubium hic faciunt verba Aristotelis quando dicit, [quod autem substantia, & quæcunque alia simpliciter entia] nullum enim datur aliud simpliciter ens præter substantiam, quid ergo intelligit Aristoteles per simpliciter entia? Vicomercatus, & alij quidam dicunt Aristotelem intelligere artefacta, hæc enim ita fiunt, vt nouum nomen, ac nouam definitionem acquirant, quare saltem secundùm apparentiam, & secundùm modum appellationis tota fiunt, & cùm per se existant dicuntur simpliciter entia, dicimus enim, domus fit sine aliqua additione. Hæc expositio primò hanc instantiam contra se habet, quòd Aristoteles per simpliciter entia, hic non potest alia significare, quam quæ supra dixerat simpliciter fieri, ibi autem dixit fieri simpliciter substantias solùm, quomodo ergo hic addit alia præter substantiam? Præterea Aristoteles distinxit generationem accidentium a generatione substantiarum, vt notam ab ignota, quantum attinet ad subiectum, prius enim dixit accidentia omnia fieri ex subiecto, idque esse per se manifestum, quoniam accidentia habent subiectum in actu, & ideò sensibile, postea dicit in substantia in simpliciter entibus subiectum non esse ita manifestum, sed manifestum fieri per considerationem. Si igitur velimus considerare sub vtro duorum membrorum artefacta collocentur, cui dubium quòd sunt collocanda sub primo? habet enim subiectum in actu, & sensibile, & quod ab arte fit, non est nisi accidens, licèt det rei nomen, & definitionem. In secundo autem membro ponit Aristoteles illa per se entia, quorum subiectum est occultum, cuiusmodi non sunt ipsa artefacta, si etiam consideremus ipsa artefacta, prout per se sunt extra animam, sunt substantiæ propter materiam naturalem, & corporea nuncupantur, quare sub nomine substantiæ comprehenduntur, neque oportebat addere illa verba [& quæcunque alia simpliciter entia] quia arte facta simpliciter sunt, quatenus sunt substantiæ, non quatenus sunt aliquid diuersum a substantijs, quatenus verò sunt quid diuersum a substantia sunt accidentia, nec dicuntur simpliciter entia, quare nullo modo ea expositio admitti potest. Ego credo, cum Auerroe, particulam, &, non esse coniunctiuam, sed declaratiuam, vt sensus sit, substantia, idest, omnia alia simpliciter entia præter substantiam; vel est quidam loquendi modus similis conditionali, qui nihil ponit in esse, quasi dicat Aristoteles, & si quæ alia sunt simpliciter entia. Est etiam notandum exemplum, quod affertur ab Aristotele in prædicamento substantiæ cùm dicit [vt plantæ, & animalia ex semine] Cùm enim dicat Aristoteles subiectam materiam in generatione animalium, & plantarum esse semen, hoc non est ita intelligendum, quòd semen integrum maneat in animali genito, & in planta genita, materia enim in composito iam facto permanet, sed per semen nihil aliud vult significare Aristoteles quàm materiam cum priuatione formæ animalis, vel plantæ, tria enim sunt in semine, exempli gratia, humano, forma seminis, materia subiecta, & priuatio formæ hominis, quæ perpetuo annexa est formę seminis. Est enim absentia formę hominis cum potentia propinqua ad eam, sed Aristoteles non considerat semen vt semen, idest, ratione formæ seminis prout forma est, sed ratione qua per illam formam connotatur priuatio formæ hominis necessario coniuncta cum forma seminis, & sic accipit formā seminis vt priuationem, nō vt formam. Infra enim in quæstione de materia prima ostēdemus quòd priuatio est modo quodam forma de prædicamento substantię, quare semen hic non significat aliud quàm materiam priuatam forma animalis, vel plantæ. Auerroes

roes quoque in Commentario considerans exemplum hoc de materia animalis, & plantæ, quæ est semen, notat quòd Aristoteles non vult totum semen esse materiam animalis, vel plantæ, sed significare voluit, quòd in semine est aliquid, quod respectu animalis geniti habet talem proportionem, qualem habet subiectum in actu, vt homo, vel lignum ad formas accidentales, seu ad composita ex formis accidentalibus,non enim totum semen est materia animalis, sed in eo est aliquid, quod est materia animalis. Declarat etiam Auerroes, quomodo fiat ex ex semine generatio substantialis, & dicit quòd partes formæ seminis paulatim & per successionē recedunt, & paulatim aduenniunt partes formæ hominis donec tota & perfecta fiat hominis forma, & tota forma seminis sit corrupta, sed quoniam hæc dicens significabat Auerroes formam substantialem esse diuisibilem in gradus, & sic intendi, & remitti posse quod de formis mixtorum est apud omnes falsum, licet dubium sit de formis elementorum, ideo corrigens dictum suum statim subdit, & hoc si forma recipit partitionem, quòd si non recipit erit saltem ista successio in accidentibus,nā paulatim, & per gradus introducuntur ab agente accidentia hominis, & simul paulatim recedunt accidentia seminis, donec forma seminis recedat, & introducatur forma hominis, vnde patet non rectè eos facere, qui disputant,an forma substantialis possit intendi, & remitti. Auerroes enim hoc non dicit, sed sub dubio loquitur, quia cognouit alienam esse a proposito hanc considerationem. Est tamen propter iuuenes declarandum hoc Auerrois dictum,quia ad multa confert huius rei cognitio; supponendum est nunc quod Auerroes innuere videtur, formam substantialem nō recipere magis, & minus, saltem formam mixti, vt hominis, de qua hìc loquitur, vnde sequitur generationem hominis nihil aliud esse, quam introductionem formæ hominis in instanti, ideò generatio si ita accipitur non est motus, quia omnis motus in tempore fit, & hæc est propria acceptio generationis pro subita mutatione, quæ non est motus, sed finis motus, sed cùm forma substantialis introducatur tota simul in momento temporis, id fieri non posset, nisi præcederet alteratio in accidentibus conuenientibus illi formæ, agens enim antequam formam seminis remoueat, & introducat formam hominis, remouet prius paulatim accidentia seminis,& inducit accidentia hominis, quæ materiam disponunt ad recipiendam formam hominis, hìc autem est verus motus in qualitatibus; quæ intenduntur, & remittuntur,& paulatim aduenniunt per gradus, & alteratio præuia, in fine cuius alterationis aduenit forma substantialis in instanti. Hinc est, quòd generatio substantialis solet etiam alio modo accipi pro introductione formæ substantialis cum tota præuia alteratione & hoc modo generatio est motus, & habet continuitatem merito præuiæ alterationis, & sic vltimus generationis terminus est introductio formæ substantialis, sed generatio propriè accepta pro sola introductione formæ substantialis non habet primū neque vltimum, quia fit tota simul in instanti.

Textus Sexagesimus Tertius.

Fiunt autem quæ fiunt simpliciter; alia quidem transfiguratione, Statua ex ære; alia verò appositione,vt quæ augumentantur; alia verò substractione, vt ex lapide Mercurius; compositione autem alia, vt domus: alia verò alteratione, vt quæ vertuntur secundū materiam, omnia autem, quæ sic fiunt, manifestum est quòd ex subiectis fiunt.


EXTVS hic varijs modis cum superioribus connectitur. Suessanus dicit, cùm Aristoteles ostenderit in transmutatione naturali tàm accidētali quàm substantiali, quod requiritur subiectū, nunc vult idem ostēdere in arteficiali; Quæ continuatio non est consona verbis Aristotelis, qui in hoc textu loquitur etiam de naturali transmutatione, vt videbimus. Fallitur etiam Suessanus attribuens Themistio hanc opinionem, cùm Themistius aliter senserit; Themistius enim sequitur expositionem, quam dicit Simplicius fuisse Alexandri, & Syriani, & quam sequitur etiam Ioannes Grammaticus, & eandem videtur sequi etiam Auerroes, videlicet quòd Aristoteles amplissimam faciat inductionem in hoc textu in omni generatione tàm naturali, quàm artificiali, tàm in accidentibus, quàm in substantia, ad ostendendam hanc vniuersalem propositionem, quòd omnis generatio requirit subiectum, ideò hi omnes exponunt illam dictionem [simpliciter] idest, vniuersaliter, & Auerroes loco eius habuit in suo textu, vniuersaliter, vt sensus sit, omnia quæ fiunt omnibus modis, & vniuersaliter loquendo. Simplicius vero, quem multi recentiores sequuntur, dicit Aristotelem inductione probare illud, quod vltimo loco dixerat, videlicet, generationem simpliciter postulare subiectum, vltimo enim loco dixerat generationem simpliciter, quæ est substantiarum in subiecto fieri, nunc autem enumerat quinque modos generationis simpliciter, vt ostendat in omnibus requiri subiectum propterea exponit Simplicius [quæ fiunt simpliciter] idest, quæ fiunt secundum substantiam, accipiendo, simpliciter, eodem modo, quo in textu præcedenti, & quia in his quinque modis Aristoteles nominabit aliquos, qui sunt artificiales, dicit Simplicius quòd generatio simpliciter dicta conuenit etiam artefactis, quamuis enim artificialia sint accidentia, tamen dant nouum nomen, & nouam definitionem, & sunt loco formæ substantialis. Figura enim statuæ est veluti forma substantialis, & habet rationem formæ dantis esse respectu statuæ, vnde est quòd secundum appellationis figuram dicuntur artefacta simpliciter fieri, sine vlla additione, non fieri aliquid, dicimus enim, domus fit, statua fit, quod vocatur simpliciter fieri. Sumit pro sua expositione, & contra expositionem Alexandri Simplicius argumentum primo ex verbis Aristotelis, qui dicit, [quæ fiunt simpliciter] quare non loquitur de omnibus ijs, quæ fiunt, sed de ijs tantùm, quæ simpliciter fiunt, deinde addit etiam rationem, quoniam non opus erat Aristoteli aliquid amplius repetere de generatione accidentali, quæ dicitur secundum quid, est enim res satis nota, & de qua Aristoteles adeò multa superius dixit, vt non sit opere pretium hìc repetere, quare loquitur solùm de generatione simpliciter. Ego credo meliorem esse Alexandri, & aliorum Græcorum expositionem, quòd Aristoteles communissimè amplectatur omnia, quæ fiunt, & amplissimam faciat inductionem ex omnibus, vt ostendat omne quod fit ex aliquo subiecto fieri. Ad rationes Simplicij, facile est respondere. Quòd enim Aristoteles dicat, [quæ fiunt simpliciter] ratio nulla est contra nos, quia dicimus Simpliciter hìc significare vniuersaliter, quod confirmatur ex modo loquendi Aristotelis. Nam si voluisset significare generationem substantialem, sicuti in textu præcedenti, oportebat aduerbium illud ἁπλῶς poni ante participium γινόμενα, idest, inter participium, & articulum hoc modo, τὰ ἁπλῶς γινόμενα. Hic enim modus loquendi significasset generationem secundum substantiam, sicuti etiam in textu præcedenti Aristoteles locutus est; sed Aristoteles post ponit aduerbium, & dicit τὰ γινόμενα ἁπλῶς, qui loquendi modus alium sensum habet, vt facile potest intelligere quilibet in Græca lingua versatus, & qui proprietatem Græcæ locutionis intelligat, quod fortasse mouet omnes alios Græcos expositores præter Simplicium, nam hic loquendi modus significat quæ fiunt simpliciter, idest, quæ fiunt vniuersaliter loquendo, hoc enim aduerbium est seiunctum a participio, cum sit extra positum. Cum

verò dicit Simplicius nō opus fuisse aliquid repetere de generatione accidētium, quę dicitur secundùm quid, quia erat res satis nota, & satis etiam declarata. Primò torqueo argumentum contra Simplicium, nam similiter non oportebat aliquid repetere de generatione artificialium, quia est notissimum, quod hæc habet subiectum, est enim sensibile, & ens in actu perfecto. Respondeo autem ad argumentum, quòd hæc non est dicenda repetitio, sed est collectio, & perfectio totius inductionis, nam in præcedenti textu distinxerat fieri in secundùm quid, & simpliciter, & de ambobus separatim dixerat, quòd requirunt subiectum aliquod, quia voluit, vt intelligeremus, de quibus nam clarum erat, & de quibusnam erat obscurum, & videremus in omnibus eandem rationem vigere. Hoc igitur cognito nunc Aristoteles rursus accipit ipsum fieri, & diuidit ipsum communissimè acceptum in quinque modos, sub quibus omnis generatio continetur tam secundùm substantiam, quàm secundùm accidentia, tàm artificialis, quàm naturalis, vt pateat in omnibus quòd requiritur subiectum. Sumuntur autem hi quinque modi ex eo, quod apparet, & prout hominibus videtur, vt cùm nullus alius modus generationis sit hominibus cognitus, concludamus omnem generationem habere subiectum; diuisio enim generationis in secundùm quid, & simpliciter est diuisio philosophica; diuisio autem præsens in quinque illos modos est potius vulgaris, & omnes penitus generationes comprehendit, vt videbimus, patebit enim quòd aliqui modi inter hos erunt, qui non possunt dici generationes simpliciter, non modò secundùm vnitatem, sed neque secundum appellationis figuram, sed sunt generationes secundùm quid, quod est firmissimum argumentum pro Alexandro, & contra Simplicium. Continuatio igitur huius textus est manifesta, nam Aristoteles poterat ex dictis in textu præcedenti de duplici generatione inductionem concludere, attamen, vt eam manifestiorem, & proinde efficaciorem concluderet, voluit quod per hos quinque modos omnem generationem complecti, vt omnibus notos, vt perfectissimam inductionem concluderet, & efficacissimam ex ijs, quæ omnibus patent. Primus modus generationis est, quando aliquid fit per [transfigurationem] vt cùm statua fit ex ære, accipit enim nouam figuram, & hic modus videtur proprius artis, quia subiectum integrum manet, & nihil noui recipit, nisi solam figuram, quam prius non habebat; [alia verò appositione] hic est secundus generationis modus, quando aliquid fieri dicitur per additionem materiæ, quæ hìc dicitur appositio, qui quidem modus potest reperiri in artefactis, si quis enim multos circulos faciat coire in vnum, fiet magnum flumen per appositionem, vocatur autem appositio potius quàm compositio, quia est partium homogenearum, sed maxima in naturalibus locum habet, hic secundus modus, & hæc præcipuè respicere videtur Aristoteles in textu, nam subdit [vt quæ augmentantur] & Auerroes in Commentario ait, vt augmentum, & diminutio. Hi autem sunt motus naturales, qui fiunt ab anima in corporibus viuentibus, non enim vnquam inuenimus Aristotelem vsum esse nomine augmentationis in rebus artificialibus, sed in naturalibus solùm. Sumitur hìc argumentum contra Suessanum, qui putabat Aristotelem omnes hos quinque modos considerare in artificialibus, non in naturalibus. Sumitur etiam argumentum clarum pro nostra expositione, & contra Simplicium; ipse enim volebat Aristotelem hìc considerare ea tantùm, quæ simpliciter fiunt, non quæ secundum quid; sed augmentatio non potest appellari generatio simpliciter non modò secundùm veritatem, sed neque secundùm appellationis figuram, id enim quod augetur, non dicimus fieri absolute, sed cum additione fieri tantum, vel tantum, quare sub his modis continetur etiam generatio secundùm quid. [alia verò subtractione] Hic est tertius generationis modus, quando per subtractionem materiæ aliquid fit, vt ex lapide figura Mercurij. Videretur fortasse alicui hunc tertium modum a primo non differre, quia etiam hæc est transfiguratio, quia est acquisitio

nouæ

nouæ figuræ, sed differunt, quoniam primus modus est pura transfiguratio per infusionem metalli in corpus cauum figuratum, in quo transfiguratur metallum sine vlla appositione, vel detractione; at ex lapide fit alio modo figura Mercurij, non enim transfiguratur in figuram alterius corporis, sed per detractionem acquirit illam figuram. [compositione autem alia vt domus] Hic est quartus modus generationis, quando ex multorum compositione aliquid fit, vt domus, ex compositione laterum, lignorum, & cæmentorum, hæc enim vocatur potius compositio, quàm appositio, apponi enim dicuntur, quæ sunt eiusdem generis, & inter se, & cum toto; componi autem quæ sunt diuersi generis, vel inter se, vel saltem a toto, vnde etiam si ex solis lapidibus aut solis lignis fieret domus, esset compositio, non appositio. Hic modus videtur proprius artis, sicut primus, & tertius, quia licèt possimus dicere generationem mixti ex elementis esse quandam compositionem, tamen est cum alteratione, quare videtur mixtio potius sub quinto membro contineri, quàm sub hoc quarto, quia in hoc non videtur Aristoteles aliud considerare, quàm solam multorum compositionem sine alteratione, vt quartum modum a quinto distingueret; [alia verò alteratione, vt quæ vertuntur secundùm materiam] Hic est quintus generationis modus, qui (vt Themistius ait) continet tùm alterationem propriè dictam, quę est in qualitatibus, vt cùm aqua fit calida; tùm etiam generationem substantialem, quæ dicitur alteratio, quia non sine alteratione fit; vel etiam quia sicuti forma substantialis vocatur quandoque ab Aristotele qualitas, ita etiam transmutatio secundùm formam substantialem potest vocari communi nomine alteratio quædam facta in substantia. Quòd autem Aristoteles dicit verti secundùm materiam est ipsum sensibile corpus transmutari, quod hic ab Aristotele appellatur materia, hæc autem sensibilis materia cùm transmutatur, duobus modis transmutari potest, aut enim tota substantia vertitur in aliam, & dicitur simpliciter transmutari, aut solùm secundùm aliquod accidens, & dicitur transmutari secundùm quid, de quibus duabus transmutationibus Auerroes hìc digressionem facit, quam nos postea considerabimus in discursu de materia prima. Certum est autem quòd hic quintus generationis modus est proprius naturæ, & non potest competere arti; ars enim non potest transmutare materiam, sed solùm potest auxiliari naturæ, vt materia transmutetur; ideò miror quòd Suessanus hìc nitatur declarare hunc quintum modum in artificialibus. Dicit enim quòd generatio frumenti fit ab arte Agricultoria, quod tamen falsum est, si benè consideremus, generatio enim germinis ex semine est merè naturalis & omninò alteratio omnis fit ab agente naturali, non ab arte, quia ars solùm potest applicare actiua passiuis, sed non alterare, vt si vas aqua impleamus, & ponamus ad ignem facimus aquam ab igne calefieri, non tamen nos reuera calefacimus artificio nostro aquam, sed ignis vt agens naturale, sic etiam terram colimus, impartimus semina, sed natura ipsa germen producit. Sed illi, qui Simplicium sequuntur, sumunt ex his verbis argumentum pro Simplicio ad probandum, quòd Aristoteles non loquitur hìc de generatione accidentali, sed solùm de substantiali, quia cùm dixerit hunc quintum modum esse per alterationem, statim declarat quam alterationem intelligat, & dicit [vt quæ vertuntur secundùm materiam] hæc autem verba non possunt significare alterationem in accidentibus, sed solam substantialem, quia in hac sola dicitur verti materia, idest, substantia rei, & in aliam substantiam transmutari. Ad quod argumentum possumus dupliciter respondere; primo dico non esse verum, quòd verti secundum materiam significat solùm transmutationem secundùm substantiam, quia etiam in alteratione accidentali materia vertitur, & transmutatur de vna qualitate in aliam. Pręterea cōcedamus, quòd verti secundùm materiam non significat aliam transmutationem quàm substantialem, nō propterea sequitur, quòd Arist. hanc solam intellexerit nomine alterationis, accepit .n. alterationem in communi

muni ad vtraq; & potuit postea exemplū afferre in altera tantū,vt in ea,in quā res oc cultior erat,ac difficilior cognitu,dimittēdo exēpla alterius,quæ subiectum habet manifestum. Quando enim exempla afferimus,non tenemur afferre omnia, sed sufficit vnum; vt supra Aristoteles dicebat aliqua fieri per subtractionem,vt ex lapide Mercurius,non tamen dicere possumus quòd de sola figura Mercurij intelligat, non de figura Iouis, vel Cæsaris; patet igitur verba Aristotelis non fauere Simplicio, imò potius nobis fauent, quia nomen alterationis magis propriè significat transmutationem in qualitatibus, quàm in substantia, ideo non fuit opus afferre exemplum aliquod de alteratione accidentali, sed de substantiali, quia fortasse non intellexissemus nomen alterationis in communi fuisse acceptum, ideò exemplum ab Aristotele ad ductum significat reuera propriè generationem substantiarum, tamen non possumus negare, quòd significet etiam aliquo modo alterationem accidentalem; quia etiam in hac materia dicitur verti secundum quid, vt prius declarauimus. Dubitant hìc aliqui, quia videtur primus modus generationis sub vltimo contineri, primus enim modus fuit transfiguratio, hæc autem est transmutatio ad qualitatem quartæ speciei, ergo est alteratio. Respondent negando consequentiam, quia alteratio, quæ est species motus, dicitur quidem esse in prædicamento qualitatis, non tamen in omnibus speciebus qualitatis, sed in tertia tantùm specie, vt ait hìc Themistius, quæ dicitur qualitas passiua; transmutatio igitur quæ fit ad figuram in quarta specie qualitatis, non dicitur alteratio, neque est motus, nisi prout motum aliquem supponit. Dubitatur etiam, quia non videtur Aristotelem sufficienter enumerasse omnes transmutationum modos, nam in tertio & in quinto Physicorum docet quatuor esse species transmutationis, in substantia, in quantitate, in qualitate, & in vbi, hìc autem eam, quæ est in quantitate, & dicitur augmentatio, Aristoteles accepit in secundo modo; in quinto deinde complexus est simul eam, quæ fit in substantia, & eam quæ fit in qualitate, sed ea, quæ fit in vbi, in nullo horum quinque modorum continetur, ergo non est complexus omnes modos transmutationum naturalium, cùm motum localem omiserit. Ad hoc dicendum est, quòd Aristoteles non loquitur de ijs, quæ mouentur, sed de ijs,quæ fiunt; non enim idem sunt generatio, & motus, sicut superius ostendimus, transmutationes autem, quæ sunt in substantia, & in quantitate, & in qualitate, non minus dicuntur generationes, quàm motus, & in eis vtimur tàm verbo fieri, quàm moueri. Dicimus enim plantam, quæ augetur, fieri tantam, & dicimus aquam fieri calidam, vel fieri simpliciter,at motus localis dicitur quidē maximè propriè motus, sed generatio nō dicitur,neque vtimur de eo loquētes verbo fieri,sed verbo moueri. Arist. igitur,qui ea,quæ transmutantur,considerat quatenus dicuntur fieri,nō quatenus dicūtur moueri,non potuit hìc comprehendere localē motum,neque vnquam in hoc primo libro facit de ipso mentionem, quia etiam alias species motus considerat, non vt motus sed vt generationes, quare hìc sufficiens sit enumeratio omnium modorum, quibus res fieri dicuntur. [Omnia autem quæ hìc fiunt, manifestum,quòd ex subiectis fiunt.] Enumeratis omnibus modis generationum Aristoteles concludit quòd omnia,quæ his modis fiunt, ex subiecto aliquo fiunt. Aliquid enim est,quod transfiguratur, vel cui apponitur,vel a quo subtrahitur vel quod componitur, vel quod alteratur,dicit autem [manifestum] quia in generationibus accidentalibus,& artificialibus subiectum est manifestum sensui, in generatione autem substantiali factum est notum per considerationem,& per collationem ad generationem accidentalem,vt in textu præcedenti declarauimus. Hactenus absoluta est demonstratio Aristotelis, qua a posteriori demonstratum est dari materiam generationis substantialis, & processit Aristoteles a generatione in communi ad generationem propriè sumptam, vt a notiore, sicuti in textu quinquagesimoseptimo pollicitus erat. Demonstratio

ſtratio autem talis eſt, vbi tranſmutatio ſecundum ſubſtantiam, ibi eſt ſubiectum generationis ſubſtantialis, at in corpore naturali eſt tranſmutatio ſecundum ſubſtantiam, ergo in eodem eſt ſubiecta materia. Cuius ſyllogiſmi ſolam maiorem poſuit Ariſtoteles, quia in ea conſiſtebat tota difficultas, minorem omiſit vt per ſe notam, quis enim ignorat in corpore naturali eſſe tranſmutationem ſecũdum ſubſtantiam? Concluſio quoque non ponitur, quia poſitis præmiſſis in eis ponitur cõcluſio, & in ſola maiore, & in eius virtute totus ſyllogiſmus continetur. Quoniam autem maior erat obſcura, nec ſatis nota, ideò Ariſtoteles ad eius cognitionem nos duxit tranſeundo ab vniuerſalibus ad particularia, videlicet prius conſiderando communiter omnem generationem etiam accidentalem, etiam artificialem, vt ex his cognoſceremus idem in generatione ſubſtantiali, vnde colligeremus hanc vniuerſalem inductione perfecta, quod omnis tranſmutatio requirit ſubiectum, ſub qua poſtea accipimus hanc maiorem quòd in generatione ſecundum ſubſtantiam tranſmutatur, requiritur ſubiecta materia. Quare addita minore per ſe nota quòd naturalia corpora ſecundum ſubſtantiam tranſmutantur, inde colligitur concluſio quæſita quòd in naturalibus corporibus ineſt materia ſubiecta formæ ſubſtantiali, ex qua res naturales, & generantur, & conſtant.

Textus Sexageſimus Quartus.

Quare manifeſtum eſt ex dictis, quòd omne quod fit, ſemper compoſitũ eſt, et eſt quidem aliquid, quod fit, eſt autem aliquid, quod hoc fit; & hoc duplex, aut enim ſubiectum, aut compoſitum. Dicitur autem opponi immuſicum, hominem autem ſubijci, & inſigurationem quidem, & informitatem, vel inordinationem oppoſitum, as autem, vel lapidem, vel aurum ſubiectum.

POSTQVAM Ariſtoteles demonſtrauit dari præter contraria materiam ſubiectam, hic concludit numerum eorum, quæ neceſſaria ſunt in generatione cuiuſque rei: & dicit ea tria eſſe, nam ex dictis colligitur quòd compoſitum, quod dicitur fieri, ex duobus principijs, conſtat, dictum enim eſt dari materiam, quæ prius erat, & poſt generationem manet, præter hanc adeſt forma, quæ per generationem eſt acquiſita, ergo id, quod fit, eſt compoſitum ex duobus principijs, videlicet materia, & forma, ita exponunt Græci omnes, Auerroes, & alij multi. Quæ duo principia ſtatim nominat Ariſtoteles cùm dicit [& eſt quidem aliquid quod fit] intelligens formam ipſam, quam hìc γινόμενον vocat, & formam cum ipſo compoſito confundit, compoſitum enim habet a forma vt ſit, & compoſitum fieri eſt formam fieri, & formam fieri, eſt compoſitum fieri. Ideò Ariſtoteles vtrumque indiſtincte ſignificat dicens τὸ γινόμενον. Deinde ſignificat materiam dum dicit [eſt autem aliquid quod hoc fit] materia enim eſt illud, quod dicitur fieri hoc, vt homo fit muſicus, & ſic Ariſtoteles volens colligere ternarium numerum principiorum, in primis diuidit generationem in duos terminos, eum, qui fit, & eſt forma, ſeu ipſum compoſitum (idem enim dicimus) & eum ex quo fit, videlicet, materiam, ſed quoniam materia, ex qua res fit, eſt adhuc priuata, ideò ſtatim Ariſtoteles eam ſubdiuidit in duo principia, cum dicit, [& hoc duplex] hoc enim quod dicitur fieri hoc, ſeu ex quo res dicitur fieri, diſtinguitur in duo, in ſubiectum, & priuationem, quam Ariſtoteles vocat [oppoſitum] quia tàm dictio [ſubiectum] quam dictio [oppoſitũ] ad formã refertur, materia

eſt

est subiecta formæ, & ita compositum, quod fit, ex ijs duobus constant, priuatio verò est opposita eidem formæ, propterea non remanet post generationem. Et affert Aristoteles exempla vtriusque dicens priuationem esse vt immusicum, materiam vt hominem, & alia exempla, quæ in textu sunt per se manifesta. Notandum autem quòd quando Aristoteles dicit quòd id, quod fit, est compositum ex materia, & forma, sumit materiam sine priuatione, quia tunc priuatio recessit, deinde verò volens hoc declarare, sumit materiam non amplius sub forma, quia sic non posset eam diuidere in subiectum, & priuationem, sed eam sumit ante aduentum formæ, quia separat id, quod fit, ab eo, ex quo fit, quod est materia ipsa priuata, ideò Aristoteles dicit eam esse duplicem, idest, continere subiectum, quod postea substabit formæ, & priuationem, quæ ipsi formæ opponitur. Hæc est communis huius loci expositio, quæ tamen quibusdam modernis Philosophis non placet, dicunt enim non esse verisimile Aristotelem hìc vti contrario modo loquendi quàm vsus est supra in textu quinquagesimo octauo, ibi enim dicens τὸ γινόμενον significauit materiam, & priuationem, formam verò vocauit ὃ γίνεται, ergo etiam hìc credendum est easdem dictiones idem significare, non è conuerso, vt vult communis opinio, ipsi ergo sic Aristotelem interpretantur omne γινόμενον semper est compositum, idest, materia est composita ex subiecto, & priuatione, [& est quidem aliquid γινόμενον] idest, materia ipsa priuata, [& est aliquid quod hoc fit,] idest, est etiam ipsa forma, quæ est illud, quod fit. Quam expositionem confirmant, quia γινόμενον est participium temporis præsentis, & significat rem, quæ adhuc fit in fieri, at compositum est in facto esse, quare ei non conuenit hæc dictio γινόμενον, sed potius materiæ adhùc priuatæ, hæc enim est in fieri, & potest vocari fiens. Præterea si Aristoteles intelligeret compositum ex materia & forma, non posset postea dicere subiectum esse duplex, quia habet priuationem coniunctam, nam materia dùm est in composito, non habet amplius priuationem, sed formam. Mihi tamen videtur accipiendam esse alteram communem expositionem, quæ est facilior, & planior, primò, quia materia priuata, quamuis dicatur duplex, vel duo, tamen nunquàm Aristoteles eam vocat compositam, quia priuatio est purum non ens, quare non potest facere compositionem. Præterea licet forma possit dici ὃ γίνεται tamen non potest dici. ὃ τοῦτο γίνεται sed materiæ propriæ conuenit hæc locutio, materia enim est, quæ fit hoc, vel illud. Præterea verba statim sequentia hæc ostendunt, quando Aristoteles dicit, [& hoc duplex] dicit enim materiam esse duplicem, quia eam diuidit in subiectum, & priuationem, ergo verba immediatè præcedentia significant materiam, non formam, quia dictio illa, hoc, debet referri ad proximum, non ad remotum. Ad argumenta illorum facilè respondetur, ad primum enim dico nullam rationem cogere, vt hæ dictiones sumantur hìc eodem modo, quo in textu quinquagesimo octauo, quia reuera idem significant τὸ γινόμενον & ὃ γίνεται sicuti ambulans, & qui ambulat, vtroque enim modo significamus rem in fieri, non in facto esse, ideò Aristoteles neque hìc, neque in textu quinquagesimo octauo considerauit quòd altera locutio magis conueniat materiæ, altera verò magis formæ, sed id solùm respexit, vt euitaret confusionem, & dùm vnam appellat vno modo, alteram appellet altero, ideò quando materiam vocat, τὸ γινόμενον, formam vocat ὃ γίνεται, & vbi materiam vocat ὃ γίνεται, formam vocat τὸ γινόμενον, id solùm respiciendo, vt eas in locutione distinguat, sed non considerando proprietatem locutionis, quia (vt diximus) idem reuera significant hæ duæ locutiones, & passim in hoc libro vidimus verbum, fieri, accommodari ab Aristotele diuersis modis, & materiæ, & priuationi, & formæ, & composito. Ad aliam rationem cùm dicunt τὸ γινόμενον significare id, quod est in fieri, quare non potest dici de composito, quod iam est factum, torqueo primò argumentum contra ipsos: nam pari ratione ὃ γίνεται significat id, quod est in fieri,

ergo

ergo neque id potest dici de forma, qua præsente iam res dicitur facta, neque vnquam potest dici de composito, quod tamen in Aristotelis schola maximè propriè dicitur fieri. Dico igitur ad argumentum quòd est locutio vulgatissima, & probatissima quòd compositum dicatur fieri, dicimus enim homo fit, homo enim est compositum ex materia, & forma, quod dicitur factum quando iam forma accessit; dicitur autem esse in fieri antequam forma adueniat, respicimus enim finem generationis, a quo tota ipsa generatio denominatur, finis autem est forma, & compositum ipsum, hoc igitur dicitur generari, & fieri antequam sit factum, quia ad ipsum fit transitus, sicuti dico me Romam ire, antequàm Romæ sim; quando igitur Aristoteles dicit τό γινόμενον esse compositum ex materia, & forma, sumit fiens complectiuè, compositum enim est illud, quod ad complementum tendit, vt potentia homo fit actu homo, eadem ratione potest compositum vocari ὃ γίνεται quando autem Aristoteles materiam primam vocat τό γινόμενον vel ὃ γίνεται accipit fiens vel fieri subiectiuè. Ad aliud cùm dicebant, si sumeret Aristoteles compositum ex materia & forma, non posset postea dicere materiam esse duplicem, idest, continere priuationem, iam supra respondi, dùm literam interpretabar, & est responsio Auerrois in Commentario, quòd cùm Aristoteles dicit subiectum esse duplex, non accipit amplius materiam sub forma, & manentem in composito iam facto, sic enim non habet priuationem, sed absolutè materiam sumit vt principium, ex quo ipsum compositum genitum fuit tanquàm præexistente; est enim conditio materiæ necessaria vt non solùm subiecta sit formæ in composito iam facto, sed sumit etiam ante compositum cum priuatione illius formæ. Quòd autem in hoc textu Aristoteles locutus sit de composito ex materia, & forma, vt nos cum alijs exposuimus, argumentum etiam desumetur ex textu sequenti, in quo Aristoteles colliget aliquid ex hoc textu, vt mox videbimus.

Textus Sexagesimus Quintus.

Manifestum igitur quòd si quidem sunt causæ, & principia eorum, quæ natura sunt, ex quibus primis sunt, & facta sunt, non secundùm accidens, sed vnumquodque, quod dicitur secundùm substantiam, quòd omne, & ex subiecto, & forma sit. Componitur enim musicus homo ex homine, & musico quodam modo dissoluens etiam rationes in rationes eorum.



CONTINVATIO huius partis, quam nemo animaduertit hæc esse debet; postquàm Aristoteles demonstrauit materiam primam dari, & tria esse ad summum quæ in omni generatione necessariò interueniunt, duo contraria, & subiectam materiam, nunc se confert ad declarandam horum principiorum naturam, & essentiam, vt distinctam tradat eorum cognitionem, cùm solùm confusè sit nobis hactenus cognita, cognoscere enim rem esse est confusè eam cognoscere, ideò oportet cognoscere etiam quid sit, quæ est cognitio distincta. Debemus autem intelligere declarandum esse quid nam singula hæc principia sint vt principia sunt, & respectiuè ad principiata, non absolutè quatenus entia sunt; hæc enim non esset consideratio naturalis, sed docebit solum Aristoteles quòd hæc, quę ostensum est in omni generatione reperiri, sunt principia, ex quibus fiunt corpora naturalia, & quomodo singula ad principiandum


dum concurrant, alio enim modo concurrit forma, & dicitur principium, alio modo materia, alio modo priuatio, quare cognito, quòd hæc sunt principia, & quis sit singulorum proprius modus principiandi, erit cognita principiorũ essentia pro occasione satis, videlicet, quatenus principia sunt. Possumus autem hìc animaduertere ea, quæ alias diximus in quęstione de Regressu in libris Posteriorum. Diximus enim in omni regressu tres fieri processus, & primum esse demonstrationem a posteriori, qua ex effectu confusè cognito causam confusè cognoscimus, scilicet quòd sit solùm, non quid sit, neque quòd sit illius effectus causa. Secundus autem est quædã negotiatio intellectus, & consideratio ipsius causæ inuentæ, ipsam enim considerando, & conferendo cum effectu cognoscimus eam esse illius causam, & inuenimus conditiones eius essentiales, & sic cognoscimus eam distinctè, & quid sit. Tertius demum est demonstratio propter quid, qua ex distincta cognitione causæ cognoscimus distinctè effectum, idest, eius inhærentiam in subiecto proprio. Primus horum trium processuum factus est hactenus ab Aristotele, quo principia confusè cognouimus, & solùm quòd sint; Secundum incipit facere Aristoteles in præsenti parte, in qua vult inuestigare quid sint; Tertium non facit in his libris, hìc enim solùm principia cognoscere quærimus per generationem, vt per effectum, non quærimus cognoscere adhùc ipsam generationem, sed id faciet Aristoteles in libris de generatione, ibi enim ex his principijs Aristoteles tradit distinctam cognitionem generationis, quæ hactenus confusè cognita per sensum fuit ab Aristotele accepta vt medium, quo in cognitionem principiorum duceremur. Cum igitur Aristoteles in præcedenti textu concluserit tria esse, quæ in omni generatione interne requiruntur, hìc vult ostendere, quod ea sunt principia rerum naturalium, & quomodo sunt principia. Et primum in hoc textu loquitur de materia, & forma, & ostendit ea esse principia rerum per se, deinde in textu sequenti loquitur etiam de priuatione, & docebit eam esse principiũ per accidens. Est itaque in hoc textu Aristotelis intentio docere, quod materia, & forma sunt principia rerum per se, & facit syllogismum talem, illa, ex quibus primis naturalia corpora fiunt, & constant, sunt principia, & causæ ipsorum corporum naturalium per se, non per accidens, sed ex materia, & forma res fiunt, & constant, ergo materia, & forma sunt naturaliũ rerum principia, per se, non per accidens. Maiorem ponit Aristotelem manifeste in principio textus, vbi est notandum quòd dictio [si] sumitur pro, quia, non pro conditionali, quasi dicat, quoniam illa, ex quibus primis & c. [causæ, & principia] hìc sumuntur vt idem, significantia, sæpe enim ostendimus in hoc libro Aristotelem confundere, & pro eadem accipere hæc tria vocabula principia, causas, & elementa; [sunt & facta sunt] idest, constant ex ijs, dùm sunt iam perfecta, & ex ijsdem etiam pependerunt in fieri, quando facta fuere, quasi dicat, ex quibus constant, & ex quibus fiunt. Particula [igitur] significat Aristotelem hoc colligere ex textu præcedenti, quare necesse est, vt ibi locutus sit de composito ex materia, & forma, si enim tale compositum non intellexisset, non posset nunc ex dictis maiorem hanc colligere. Notandum est etiam quòd post illa verba, facta sunt, debet poni coma, vt seiungantur a sequentibus verbis, [non secundum accidens] quæ stant ex parte prædicati, non ex parte subiecti, sunt enim referenda ad illa verba, causæ, & principia, vt probetur materiam & formam esse principia non per se, sed per accidens. Ideò cum Aristoteles subdit [sed vnumquodque quod dicimus secundum substantiam] hæc verba sunt declaratiua præcedentium a contrario sensu, quasi dicat, non secundum accidens, sed per se, nam secundum substantiam significat essentialiter, quod est idem quod per se. Maior autem est nota ex sola terminorum vi, nam illa, ex quibus non solùm res fiunt, sed etiam componuntur, & constant post quàm sunt, substantiam rei totam constituunt, & sunt partes substantiæ, quare sunt interna principia

cipia rerum, non per accidens, sed per se, quod quidem de priuatione dicere non possumus, ex ea enim res fit, sed non ex ea constat post quàm est facta, ideò cum substantiam rei non constituat, est principium per accidens. [quod omne, & ex subiecto, & forma fit] Videtur Aristotelem hæc verba inferre vt conclusionem syllogismi, quia ad hæc refertur dictio illa, [manifestum] in principio textus posita, sed reuera est minor syllogismi potius, quàm conclusio, & eam Aristoteles ad modum conclusionis subdit, quia vult sub ea intelligi simul ipsam conclusionem, vt totus sensus sit talis, quoniam illa, ex quibus primis res naturales fiunt & constant, sunt earum principia non per accidens, sed per se, manifestum est quod cum ex materia & forma res naturales fiant, & constant, materia, & forma sunt earum principia per se, non per accidens, ideò minor concisa affertur ab Aristotele, qui dicit omne ex subiecto & forma fieri, & vult subintelligi etiam quòd ex ijsdem constet; non .n. concluderetur hæc esse principium per se, si sumeretur solum, quòd res fiunt ex eis, nisi etiam sumeretur quòd ex eis constant. Deinde cum dicit [componitur enim musicus homo] probat minorem, seu potius eam declarat exemplo in accidentibus, vt notioribus, hoc enim totum, musicus homo, componitur, & constat ex homine, vt subiecto, & musica tanquam forma, vnde patet quòd in minore non est accipiendum solum verbum, fit, sed supplendum est etiam verbum, constat, quia Aristoteles nunc minorem declarans dicit, componitur, & quod dicit in accidentibus, debemus nos intelligere in substantijs, videlicet, quod compositum naturale, vt homo, equus, constat ex materia, & forma tanquam partibus componentibus, dicit autem Aristoteles [quodammodo] quia verissima compositio est, quæ fit secundum qualitatem, quando multa quanta corpora componimus, vt oximel ex aceto, & melle, vel vt totum ex partibus integrantibus dicitur compositum, est enim euidentissima hæc compositio, ex materia autem, & forma fit compositio vel minus propriè dicta, vel saltem minus manifesta, quia non cognoscitur sensu, sed solo intellectu, non enim possunt componentia stare actu separata, quod in altera sensata compositione contingit, videmus enim seorsum acetum, & seorsum mel, quare est sensata eorum compositio, ideò dicit Aristoteles res componi ex materia, & forma quodammodo, quia est modus compositionis magis reconditus, & obscurus, qui dicitur ex partibus essentialibus. [dissolues enim rationes in rationes ipsorum] Hæc est probatio minoris ab opposito sensu, compositione enim ostendit ex resolutione hoc pacto, ex illis res est composita, in quæ dissoluitur, sed compositum naturale resoluitur in materiam & formam, ergo ex ijs est compositum. Quòd autem dissoluatur in materiam & formam, Aristoteles supponit vt notum in eo accidentali exemplo, a quo est postea transferendus idem sensus ad substantiam, est enim notum, quòd tota natura huius compositi, musici hominis, in duas naturas dissoluitur, naturam hominis, & naturam musicæ separatim. Notandus autem est modus loquendi Aristoteles, qui dicit corpus dissolui in materiam & formam, sed eius rationem dissolui in rationes materiæ & formæ, quia non potest compositum ita dissolui realiter in suas partes essentiales, vt maneant ambæ actu separatæ ab inuicem, sed intellectus solus facere potest hanc dissolutionem, & diuisionem materiæ a forma, & vtramque separatim considerare, hoc autem vocat Aristoteles dissoluere rationẽ compositi, idest, essentiam, ac definitionem, essentia enim, & definitio eius ex his duabus partibus cõstat, & quoniam dissolutio hæc non est realiter facta, sed per intellectum, ideò dicitur facta non in materiã, & formã, sed in rationes materiæ, & formę, idest, in earum cõceptus, seu essentias, & definitiones, quæ mente concipiuntur. Quoniam igitur corpora dissoluuntur hoc modo per intellectum in materiam, & formam Aristoteles infert [manifestum igitur est, quòd quæ fiunt, fiunt ex his] idest, componuntur etiam ex his, & est minor syllogismi probata a contrario sensu, vt dictum est. Vi-

comercatus aliter videtur hunc textum interpretari, maiorem enim syllogismi, quam nos diximus de tertio adiacente, ipse facit de secundo adiacente, & nullum aliud prædicatum habere, quàm illud verbum, sunt, hoc modo, quoniam sunt, seu dantur principia, & causæ, ex quibus &c. Quæ expositio non est ita aliena a Græca locutione, vt verba ea non admittant, neque etiam sensus Aristotelis valde immutatur, erit enim in textu hæc consequentia, si dantur principia, & causæ, ex quibus res naturales fiant, & constent, per se, non per accidens, manifestum est eas esse formam, & materiam. Clarior tamen videtur nostra expositio, quam etiam alij sequuntur, euidenter enim probatur quòd materia & forma sunt principia per se, quod videbatur esse probandum.

Textus Sexagesimus Sextus.

Manifestum igitur est, quòd quæ fiunt, fient ex his, est autem subiectum numero quidem vnum, forma vero duo, homo enim, & aurum, & omninò materia numerabilis, nam hoc aliquid magis, & quod fit non secundùm accidens, ex ipso fit, priuatio autem, & contrarietas accidens, vnum autem forma, vt ordo, aut musica, aut aliorum aliquid sic prædicantium.



TRANSIT hìc Aristoteles ad loquendum de priuatione, & docet eam esse principium per accidens, considerando duo discrimina inter ipsam, & materiam: deinde differentiam etiam ponit inter formam & materiam. Dicit primò quòd subiectum est numero vnum, sed duo secundùm formam, & rationem, sicut etiam supra dixit in textu sexagesimo, subiectum enim est materia priuata, quare duo habet diuersa inter se, materiam, & priuationem, inter quas affert Aristoteles primam differentiam, quando dicit [homo enim & aurum, & omninò materia numerabilis]. Deinde declarat quid intelligat per numerabile quando ait, [nam hoc aliquid magis] nam esse hoc aliquid, & esse numerabile idem significant hoc in loco, hoc aliquid autem sumitur hìc vt in prædicamento substantiæ, quando Aristoteles dixit primam substantiam significare hoc aliquid, idest, rem, quæ digito ostendi, & numerari possit, qua hic vocatur etiam numerabilis, dicit igitur Aristoteles materiam a priuatione differre, quoniam materia est hoc aliquid, & numerabilis, priuatio verò minimè, nam cum dicit [homo enim & aurum] hæc sunt exempla de materia, non considerando priuationem, & quoniam exempla hæc sunt de materia sensibili, quæ est ens in actu, volens Aristoteles significare se de omni materia loqui, adiecit statim, [& omnino materia] idest, & materia quælibet, quasi dicat, etiam materia prima. Sed de hac fortasse alicui dubium videretur quomodo possit vocari hoc aliquid, cùm sensibilis non sit, quomodo enim potest digito ostendi, & vocari numerabilis? Dicendum est cum Græcis Aristotelem non absolutè dicere materiam esse hoc aliquid, sed comparatione priuationis, quæ nullo modo est hoc aliquid, vt Aristoteles significat quando seipsum declarans dicit, [nam hoc aliquid magis] materia est hoc aliquid magis, quàm priuatio, priuatio enim cùm sit non ens per se, & merè nihil, ideò vel non est vllo modo hoc aliquid, vel valde impropriè: materia verò cùm sit pars substantiæ compositi, potest digito ostendi, & numerari saltem ratione compositi, dùm enim compositum digito ostendimus, simul materiam ostendimus, quæ est eius pars in eo

permanens,

permanens, quare compositum est verè hoc aliquid, materia verò ratione composi-ti: at priuatio nullo modo, quia nihil est, & in ipso composito numerabili non remanet. His omnibus voluit hanc differentiam significare Aristoteles quòd materia est ens, & pars compositi, at priuatio est non ens, neque pars compositi est; ex qua differentia infert statim alteram differentiam, quam precipuè intendit cùm ait, [& quod fit non secundùm accidens ex ipso fit] idest, materia est principium per se, non per accidens, quia cùm simul cum composito ostendatur, & numeretur (eius enim pars est) compositum per se & essentialiter ex ea fit, & constat, [priuatio autem & contrarietas accidens] idest, priuatio autem, quæ est contraria formæ, est principium per accidens: accidens enim hìc significat per accidens, quia ex aduerso respondet illis verbis, non secundùm accidens, & idem hìc affirmatur quod ibi negatur. Hæc igitur est altera differentia, penes modum principiandi, materia enim cùm in re maneat, tanquàm pars componens, est principium per se: priuatio cùm nihil ipsius rei sit, & in re non permaneat, dicitur principium per accidens, [Vnum autem forma] quoniam dixerat Aristoteles compositum ex duobus principijs per se constare, scilicet, ex materia, & forma, deinde materiam sumens dixerat eam esse vnum subiecto, sed duo ratione, hìc declarat etiam vnitatem formæ, ne credamus, ipsam quoque esse vnum subiecto, & duo ratione, ideò inquit formam esse vnum, idest, verè vnum, & omninò vnum, etiam ratione, & dat exempla de formis, vt [ordo aut musica] & aliæ eiusmodi perfectiones, quæ solent vocari formæ, & actus rerum, quælibet enim res habet a sua forma vnitatem naturæ, & rationis, vt per se patet, ideò Aristoteles vt notum sumit quòd forma est verè vnum. Videtur etiam similiter Plato formæ vnitatem, & materiæ duplicitatem significasse, cùm principia rerum tria posuerit, magnum, & paruum, & vnum; per magnum, & paruum significans materiam, per vnum verò formam. Breuiter ergo Aristoteles expressit horum principiorum naturam, & eorum diuersos principiandi modos, dixit enim compositum constare ex materia & forma vt principijs per se, quia sunt eius essentiales partes, & materiam cócurrere vt subiectum, formam verò vt perfectionem, a qua res sumit nomen, & esse specificum; dixit etiam quòd materia antequam accipiat formam, habet priuationem, quæ quidem est non ens, & opponitur formæ, & in composito non manet, ideò est principium per accidens. Tria igitur principia esse cognouimus & quomodo sint principia. Notare autem debemus quòd Aristoteles materiam a priuatione distinxit, tùm supra in textu quinquagesimooctauo, quinquagesimonono, & sexagesimo, tùm etiam hìc, alio tamen, & alio scopo, ibi enim existentiam principiorum inuestigabat, & ostendere volebat dari subiectum a priuatione distinctum, hìc verò essentiam horum principiorum quærit, quatenus principia sunt, quam docet conferendo ipsa principia, tùm cum ipso composito, tùm inter se, ideò differentiam posuit inter materiam, & priuationem, vt cognoscamus alio modo materiam, alio priuationem esse principium rerum naturalium, quare dicendum est quòd ibi nihil aliud ostendere vult, quàm quòd differunt, hìc verò ostendit in quo differant, illud quidem ad existentiam pertinuit, hoc verò ad essentiam ipsarum. Auerroes in Commentario considerans id, quod Aristoteles dixit, priuationem esse principium per accidens, notat quòd per accidens duplex est, alterum rarum quod potest esse & non esse, alterum verò necessarium, & hoc modo priuatio est principium per accidens, quia licet priuatio non remaneat in composito, tamen est necessaria generationi, quia necessariò præcedit generatum. Sed ad plenam rei intelligentiam sciendum est, quòd priuatio potest comparari vel generationi, vel ipsi rei genitæ, si generationi comparetur non solùm est principium necessarium, sed etiam per se, nam supra in textu quadragesimoseptimo ostendimus, quod est conditio essentialis, & omninò necessaria generationi vt ex priuatione fiat, necesse est enim vt

id, quod fit, non fit, non est ergo principium per accidens generationis, sed necessarium, & per se, rei autem genitæ, idest, compositi est principium per accidens, sed necessarium (vt ait Auerroes) non quidem, quia necessario insit, imò necessariò non inest in compositq priuatio, sed quia necessariò præcessit rem genitam, quare ipsius rei genitæ est principium per accidens, quia non constituit eius substantiam, sed recessit, est tamen principium necessarium, vt quæ necessariò præcessit, sicut Auerroes dicit. Aliqui tamen sunt, qui nituntur ostendere, quòd priuatio est necessaria composito etiam vt necessariò inhærens, dicunt enim, quod & si adueniente forma priuatio eius formæ recedit, accedit tamen priuatio alicuius formæ, quare est semper in materia priuatio aliqua, & ita patet omni composito semper inhærere priuationem aliquam. Sed hæc consideratio mihi probari non potest, quia non loquimur nunc de priuatione in specie, sed de qualibet particulari, & vna numero priuatione. Si enim de forma in specie, ac de priuatione secundum speciem loquamur verum est, quòd materia semper habet formam, & semper habet priuationem, sed hoc modo non possumus dicere quòd materia transeat a priuatione ad formam, neque quòd priuatio non permanet, sic enim permanet, & perpetua est, & simul stat in materia cum forma, forma enim in specie, & priuatio in specie non sunt oppositæ, sed opponitur singula forma propriæ priuationi, & de his loquitur Aristoteles quamuis enim de omni forma, & de omni priuatione communiter loquatur, tamen vult, vt, quæ dicuntur, aptentur singulæ formæ, & singulæ priuationi, sed non speciei communi. Accepto igitur quocunque composito naturali Aristoteles comparat ei sua tria principia materiam, formam, & priuationem, & dicit priuationem non remanere in composito, idest, illam, quæ est eius principium, quare non est ad propositum consideratio alterius priuationis aduenientis composito, illa enim non est principium illius compositi, sed alterius postea generandi, quare de hac non loquitur Aristoteles, imò qui hoc dicunt repugnant Aristoteli manifestè, quia Aristoteles regulam vniuersalem omni priuationi assignauit quòd non permanet in composito, isti autem ponunt eam perpetuò permanentem in materia, & in composito, quia non animaduertunt quòd hæc tria principia non considerantur ab Aristotele, nisi vt principia sunt, ideò cum respectu ad compositum, cuius principia sunt, ergo non possunt comparari cum aliquo, cuius non sint principia, sicuti hi comparant priuationem aduenientem composito simul cum sua forma, hæc enim priuatio eius compositi non est principium, quia quæ est principium, recessit necessariò, neque potest ipsi principiato inesse.

Textus Sexagesimus Septimus.

Quocirca est quidem, vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria, & est quidem vt contraria, vt si aliquis dicat, musicum, aut immusicum, aut calidum, & frigidum, aut congruens, & incongruens, est autem vt non a seinuicem enim contraria pati impoßibile. Soluitur autem & hoc, propterea quòd aliud est subiectum, hoc enim non est contrarium. Quare neque plura contrarijs principia quodammodo, sed duo (vt sic dicam) numero; neque iterum penitus duo, propterea

rea

rea quod alterum est esse ipsis, sed ita; alterum enim est homini, & non musico esse, & infigurato, & æri.

COLLIGIT ex dictis Aristoteles quid dicendum sit de numero principiorum, de quo prius dubitabatur; hic enim plenè cognosci non poterit, nisi prius cognitum esset & quòd sint, & quòd sint principia, & quomodo sint principia; his igitur cognitis nunc Aristoteles tollit omne dubium de numero principiorum, & omnes controuersias conciliat. Prius enim ostensum fuerat principia esse contraria, postea quòd non possunt esse contraria, quia ex solis contrarijs nihil fieri potest, & contrarium a suo contrario pati non potest, quæ fuit ratio Aristotelis in textu quinquagesimo primo, quam hic repetit, quare ex priore probatione apparebat principia esse duo, ex posteriore autem quod tria, soluit Aristoteles totam hanc difficultatem & dicit hæc omnia vera esse, principia esse contraria, & non esse contraria, esse modo quodam duo tantùm, & esse modo quodam tria. Sunt enim contraria vt ostensum est prius, quia ad sensum patet quòd omne quod fit, fit ex suo contrario; non sunt contraria si materiam subiectam spectemus, quæ nulli est contraria, hæc enim iam certa demonstratione est inuenta, & est cognitum quomodo ad principiandum concurrat, prius enim est cum priuatione, deinde ea dimissa recipit formam, quare vtrique est amica, & nulli contraria. [Quare neque plura contrarijs principia quodammodo.] Soluit alteram difficultatem de numero, & ostendit quòd modo quodam duo tantum sunt principia, scilicet duo contraria sola, modo quodam tria, dum enim contraria proferuntur in concreto alterum contrarium in se duo continet. Significat enim priuationem, & connotat materiam, vt cùm dicimus ex immusico fieri musicum, duo tantum principia, idest, duo hæc contraria sola principia sunt, sed immusicum est vnum subiecto, duo autem secundum rationem, quare si materiam, & priuationem vt vnum subiecto sumamus, duo tantum sunt contraria principia, priuatio, & forma, sed dum consideramus quod nomen priuationis continet & priuationem & materiam, quæ distinguuntur ratione, tria sunt principia. Dicit autem Aristoteles [quodammodo] quia non omnino verum est, duo tantùm esse principia, sed dum sano modo sumuntur, videlicet, dum ex altera parte sumimus formam, ex altera vero aggregatum priuationis, & materiæ vt vnum subiecto. Idem significauit Aristoteles per illa verba [vt sic dicam] quia oportet sano modo principia accipere si verum esse debeat, quod duo tantum principia sint, ideò subdit quòd non sunt [penitus duo] quia materia, & priuatio differunt essentia, & ratione, alia enim est hominis subiecti essentia, alia immusici priuationis, & sic alia subiecti æris, alia infigurationis, quæ est priuatio. Hæc est sententia clara Aristotelis in præsenti loco, vnde magna confirmatio sumitur eorum, quæ diximus in expositione textus quinquagesimi septimi, quando Aristoteles dicebat dubium esse, an principia duo sint, an tria, quod quidem dubium multi ad priuationem referebant, quæ est principium per accidens, ideò principijs non videtur connumerãda. Alij & iam ad Platonem, qui materiam cum priuationem confudit. Nos autem diximus dubium illud non referri nisi ad materiam, quæ tunc probabiliter solùm ac leuiter erat inuenta, propterea dubij eramus an duo sola contraria essent principia, an daretur materia subiecta præter contraria vt tertium principium. Hoc proculdubio fuit ibi dubium Aristotelis, quia hoc in præsentia soluitur, & nullum aliud, dicit enim quòd modo quodam duo sola contraria sunt principia, & modo quodam duo sola contraria non sufficiunt, sed subiectum tertium requiritur, non enim dicit Aristoteles, quòd principia sunt tantùm duo, videlicèt per se, & sint tria, si priuationem connumeremus, quæ est princi-

principium per accidens. Dicit enim duo esse, idest, duo contraria, non dicit duo, idest, formam & materiam, vt male hic Auerroes exponit, qui dicit principia dici duo tantùm dùm sumuntur sola principia per se. Quod tamen patet esse alienum a verbis Aristotelis hic. In eodem errore sunt Græci interpretes, qui dicunt Aristotelem significare quòd principia sunt tantùm duo, si principia sola per se accipiamus. Sed viderunt contra se verba Aristotelis dicentis [neque plura contrarijs principia quodammodo] ideò hæc ita exposuerunt, numerus principiorum per se non est maior numero contrariorum, sed ei æqualis, sicuti enim contraria duo sunt ita principia per se duo sunt, materia, & forma; quæ expositio quàm sit ex torta, & violenta, quilibet videre potest, Aristoteles enim non dicit principia non esse plura numero contrariorum, sed non esse plura contrarijs, idest, duobus contrarijs principijs quorum alterum dicit postea esse duo secundùm rationem, & essentiam.

Textus Sexagesimus Octauus.

Quot igitur sint principia rerum naturalium quæ circa generationem, & quomodo tot dictum est. Et manifestum est quod oportet subijci aliquid contrarijs, & contraria duo esse, quodam autem modo alio non necessarium est; sufficiens enim erit alterum contrariorum absentia, & præsentia facere mutationem.

HAEC est conclusio ex præcedenti textu collecta; colligit enim Aristoteles dictum esse quot sint principia, & [quomodo tot] quia cognitus est etiam diuersus eorum principiandi modus, non enim solùm quòd sint cognouimus, sed etiam quid sint, prout vt principia sunt, ideò cum certa rei cognitione inuenimus quot sint principia, & numerum habemus & rationem eius numeri, quod Aristoteles significauit dicēs [quot sint principia, & quomodo tot.] Aliqui fuere qui considerantes illa verba [rerum naturalium quæ circa generationem] existimarunt subiectum totius naturalis philosophiæ esse corpus generabile, & corruptibile, cùm enim huius subiecti principia hic ab Aristotele quærantur, & ipse dixit se dixisse quot sint principia rerum naturalium generabilium, sequitur sola generabilia subiectum esse, quare cælum sub subiecto scientiæ non continetur, sed est principium subiecti. Alij verò, qui tenent corpus mobile in communi vel corpus naturale esse subiectum totius scientiæ, sub quo etiam cælum contineatur, ad hanc instantiam respondent, & est responsio Simplicij hoc in loco, quòd Aristoteles quærit hic principia rerum naturalium, & modo quodam etiam cæli, sunt enim principia propriè, & formaliter rerum corruptibilium, vt hic significat Aristoteles, sed secundùm quandam proportionem conueniunt etiam Cęlo, quia Cęlum transmutatur saltem secundum locum, in qua transmutatione reperitur subiectum, quod dicitur transmutari, & terminus a quo, qui habet locum priuationis, & terminus ad quem, qui habet locum formæ, quare etiam in Cęlo sunt duo contraria, & tertium subiectum contrarijs. Ego credo vtramque sententiam falsam esse, & hæc principia non posse vllo modo conuenire Cęlo, tamen Cęlum sub subiecto totius scientiæ tamquàm speciem contineri, sicut in exordio huius libri demonstraui. Credo enim verum principium totius scientiæ naturalis esse secundum librum Physicorum, vt ostendam postea fusius quando declarabo vltima verba huius primi libri. Primus autem liber pertinet potius ad libros de generatione quàm ad libros Physicos, cùm sit solùm de generabilibus, sed propter faciliorem

liorem nostram cognitionem fuit ab Aristotele antepositus, rectè ergo Aristoteles hìc dicit se dixisse quot sint principia rerum generabilium, quia Cœlo hæc principia non conueniunt, nec tamen sequitur, quòd solum generabile corpus sit subiectum, quia neganda est illa maior propositio, cuius principia in primo Physicorum quęritur, illud est subiectum, non enim solum primum librum inspicere debemus, qui huius tractationis non est proprius, sed etiam alios septem libros Physicorum, imò eos tantùm, in alijs nãque septem libris tractantur principia, & passiones omnis corporis naturalis, etiam Cœli, ergo corpus naturale in communi est subiectum, definitur enim natura communissimè accepta, & pro natura Cœli, quare ea definitio est principium cognitionis totius scientiæ naturalis; motus autem, & aliæ passiones in libris Physicorum consideratæ conueniunt Cœlo. Quòd autem principia in primo hoc libro considerata non conueniant Cœlo, patet ex ijs, quæ diximus supra in textu sexagesimotertio, vbi distinximus generationem a motu, & diximus Aristotelem nõ quærere principia motus, sed generationis, & considerare ea, quæ fiunt, non ea, quæ mouentur: alijs autem speciebus motus potest etiam accommodari nomen generationis, licèt alia, & alia ratione, excepto motu locali, cui verbum fieri, & nomen generationis aptari non potest, quod enim loco mouetur non dicitur fieri. Cùm igitur Aristoteles hìc non consideret alia principia quàm ipsius fieri, vanum est ea Cœlo accommodare, quia solo locali motu mutabile est. Est quidem verissima eorum consideratio in ipso nomine naturæ, natura enim est principium motus, & sumitur in communi etiam ad naturam cęlestem & cœlestem motum, sed de principijs generationis admittenda non est, stante præsertim Aristotelis testimonio hìc, qui dicit se dixisse quot sint principia rerum naturalium, quæ generationi, & interitui sunt obnoxiæ. [Et manifestum est, quod oportet subijci aliquid contrarijs] Subdit Aristoteles alium nouum modum quo possumus defendere, & tria esse principia, & duo, quæ talis est, principia sunt tria, quia demonstratum est duo esse principia contraria, & vnam materiam subiectam ipsis contrarijs, & ab eis diuersam; possunt tamen dici duo tantùm, videlicèt, materia, & forma, vt forma duobus modis accepta fungatur officio duorum principiorum; priuatio enim nihil aliud est, quàm absentia formæ, quare solæ, materia, & forma sufficiunt ad omnium generationem, & corruptionem, cum materia enim forma præsens causabit generationem, absens autem corruptionem; duo igitur sunt principia materia, & forma vt præsens, & vt absens, quod si illam absentiam formæ velimus a præsentia distinguere, & vocare priuationem formæ, & eam vt tertium principium numerare, tria erunt principia, vt dictum est. Est autem animaduertendum, quòd tribus modis possumus tueri hanc sententiam quòd duo principia sufficiant, quos omnes significauit hactenus Aristoteles vnus est quòd duo tantùm contraria sufficiant, dummodo sub altero contrariorum comprehendatur materia, quæ est vnum numero, & subiecto cum priuatione, quare duo tantùm contraria sunt principia, sed sub nomine alterius, idest, priuationis includitur, & connotatur subiecta materia, quare alterum duorum erit, tùm vnum principium, tùm etiam duo. Hunc modum Aristoteles expressit in textu sexagesimoseptimo, & is pertinebat ad solutionem dubitationis tactæ in textu quinquagesimoprimo, quinquagesimosecundo & quinquagesimoseptimo. Est alius secundus modus, si dicamus duo tantùm principia esse materiam, & formam, quæ sunt principia per se, & priuationem dimittamus vt principium per accidens, vel eam reducamus ad materiam, cum qua est vnum subiecto; quodlibet enim fit ex materia priuata; quem modum significauit Aristoteles in textu sexagesimoquinto, & sexagesimosexto. Est tertius modus dicendi duo tantùm esse principia materiam, & formam, & reducendo priuationem ad formam, priuatio enim non est ens, nisi per reductionem ad habitum, est enim absentia habitus

bitus, quem modum Aristoteles in hoc textu expressit, & omnes in vnum sensum cadunt; si enim duo tantum contraria dicimus esse principia ad nomen priuationis expressum reducimus materiam, quæ per illud connotatur. Si verò materiam, & formam dicamus esse sufficientia principia: priuationem reducimus vel ad materiam, cum qua est subiecto vnum, & quam denominat priuatam, vel ad formam, vt ad habitum oppositum.

Textus Sexagesimus Nonus.

Subiecta autem natura scibilis est secundum analogiam, vt enim ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam materia, & informe se habet, priusquam accipiat formam, sic hæc ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est se habet. Vnum igitur principium hæc, non sic vnum existens, neque sic ens, vt hoc aliquid; vnum autem Ratio; amplius autem contrarium huic Priuatio.

POSTQVAM Aristoteles nos duxit in cognitionem primæ materiæ, hic declarat nobis viam, qua ad eius cognitionem ducti sumus, nullam aliam viam fuisse, qua ad materiæ cognitionem peruenire potuerimus, quam eam, qua ipse vsus est, dicit igitur [subiectam naturam] idest, primam materiam cognoscibilem a nobis esse, [per analogiam] quam analogiam multi intelligunt analogiam ad formam, idest, habitudinem ad formam, forma enim est actus, & principium cognoscendi, vt habemus nono Metaphysicorum vigesimo, ideò materia per formam cognoscitur. Ita exponit hunc locum Scotus secundo Sententiarum distinctione duodecima, quæstione prima, & S. Th. in opusculo trigesimosecũdo. Sed hęc expositio admittenda nõ est, quia inter duo non est analogia, quare nulla esse potest analogia materiæ ad formam. Analogia enim vt dicit Euclides in quinto libro Elementorum, est identitas rationum, ratio autem est inter duo, quare analogia est ad minus inter quatuor, nam si numerum secundum cum quatuor comparemus, nulla est analogia inter eos, sed dicitur ratio dupla quartæ ad secundam, sic etiam decimæ ad quintam est ratio dupla, inter has autem duas rationes est analogia, quia sicut se habẽt decem ad quinque, ita quatuor ad duo, & dicitur identitas rationis, ideò cum ratio duos terminos contineat, analogia continebit quatuor, vel saltem tres, dummodo vnus ex eis fungatur officio duorum, vt si dicamus, eadem est ratio octo ad quatuor, quæ quatuor ad duo. Patet ergo non esse tribuendum Aristoteli hunc errorem vt habitudinem materiæ ad formã vocet analogiam; sed clarè loquitur Aristoteles, & ostendit quam analogiam intelligat, quando subdit, [vt enim ad statuam æs] dicit enim analogiam hanc esse ad materiam accidentalis transmutationis, sicut Græci interpretes, & alij plurimi cognouerunt. Sunt enim quatuor termini hìc ab Aristotele constituti, in quibus conspicitur hæc identitas rationum, quam vocat analogiam. Primus est compositum genitum per accidentalem transmutationem, seu artificialem, vt statua. Secundus est eius materia, vt æs. Tertius est compositum naturale, vt homo. Quartus est ipsa prima materia. Sicuti enim ad statuam se habet æs, ita ad substantiam composi-

tam se habet materia prima, æs autem antequam formam statuæ accipiat, se habet vt materia habens priuationem formæ statuæ, & potentiam ad illam, ita materia prima antequam ex ea homo fiat, habet priuationem formæ humanæ cum potentia ad eam, ideò eadem est ratio æris ad statuam, quæ materię primæ ad compositum naturale, quæ rationis conuenientia appellatur hìc ab Aristotele analogia, & verba apertissimè demonstrant. Errant etiam aliqui, qui dicunt, sicuti æs ad statuam, ita prima materia ad formam; non enim Aristoteles dicit ad formam, sed ad totum compositum, aliter non esset recta comparatio, forma enim non benè comparatur cum statua, vel cum lecto, quia hæ non sunt formæ, sed composita ex materia, & forma artificiali. Præterea Aristoteles subdit, [& ad aliud habentium formam materia, & informe se habet] idest, sicut se habet materia informis antequam formam recipiat ad habens formam, habens autem formam est ipsum compositum, non est forma ipsa, idem significat Aristoteles cum subdit, [ita hæc ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est se habet] hęc enim tria videntur hoc in loco pro eodem sumi, videlicet pro substantia composita, quæ per se subsistit, nam substantia hìc sumitur pro composito, similiter [hoc aliquid] non dicitur nisi de substantia composita, vt patet in prædicamentorum libro, idem videtur hìc significare [id, quod est] idest vnum ens, quod per seipsum subsistit, ita enim accepit etiam Aristoteles nomen entis in primis verbis secundi libri Physicorum, quoniam nomen entis est analogum, & quando vniuersaliter profertur sine vlla additione, sumendum est pro principali analogato, ideò Aristoteles in textu sexagesimosecundo, substantias vocauit simpliciter entia, idest quæ absolutè, & sine vlla additione entia vocantur. Possemus etiam dicere Aristotelem nomine entis significare cōmunissime omnia entia tam substantias, quàm accidentia, idest, tàm compositum de prædicamento substantiæ, quàm cōpositum accidentale, quia materia prima est in potentia ad omnes formas, tàm substantiales, quàm accidentales, quare est potentia vt fiat omnia prædicamenta, sicuti Aristoteles ait septimo Metaphysicorum textu octauo, id tamen est intelligendum cum ordine quodā esse, materia enim primò recipit formas substantiales; deinde per eas recipit etiam accidentales, erit igitur sententia verborum talis, sicuti se habet æs ad statuam, & quælibet sensata materia antequam recipiat formam ad compositum formatum, ita prima materia se habet ad substantiam compositam, & vniuersaliter ad ens omne, est enim in potentia vt omnia fiat. Quæri hìc solet de cognitione primæ materiæ quot modis acquiri possit, videtur enim quòd pluribus modis acquiratur, Aristoteles enim supra materiam demonstrauit per trasmutationē vt iam declarauimus, nunc dicit quòd cognoscitur per analogiam. In septimo autem Metaphysicorum textu octauo Aristoteles eam declarat per negationem dicens materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, neque aliquid aliud prædicamentum. Quare videtur aliis modis cognosci posse sine hac analogia. Aliqui etiam dixerunt materiam cognosci per formam, quia actus est ratio cognoscendi, vt supra dictum est. Scotus etiam tenet materiam esse cognoscibilem per se ipsam, & posse per seipsam existere actu sine vlla forma, vt patet secundo Sententiarum distinctione 12. quæst. 1. & 2. Ego igitur in primis ostendam quomodo per transmutationē, & per analogiam duxerit nos Aristoteles ad cognitionem materiæ, postea demonstrabo nullam aliam viam esse, qua ad materię cognitionem peruenire valeamus. Sunt aliqui, qui dānant hìc communem omnium expositionem, omnes enim, qui hunc tex. Aristotelis declarauerunt, putarunt Aristotelem significare, quod per hanc analogiā cognoscimus materiam dari, quod isti dicunt falsum esse, dicunt enim existētiam materię inuentam fuisse solum per transmutationem, per analogiam verò cognosci non existentiam materię, sed essentiam, & quid materia sit, non quòd sit, idq; probant per verba ipsius Aristotelis, qui dicit, sicuti se habet æs ad statuam, ita hęc ad substantiam compo-

compositam, cùm enim dicat Aristoteles, ita hæc ad compositum, supponit ipsam esse, quia non posset eam comparare, & dicere, hæc, nisi eam vt notam sumeret quo ad quæstionem an sit; supponit igitur eam iam esse inuentam, & dicit quòd eius naturam, & essentiam cognoscimus per analogiam cum materia in *actu*, sicuti enim si habet æs ad statuam, ita dicimus primam materiam ad compositum se habere, æs autem ad statuam se habet vt imperfectum ad perfectum, vt ens in potentia ad ens in actu; æs enim non sumitur hic vt corpus secundùm se completum, & actuatum, sed vt in potentia ad statuam, & vt statua incompleta, quæ postea fit completa per formam statuæ, ergo etiam materia prima ita ad omne ens se habet, est enim omnia entia in potentia, & secundum esse incompletum, nullum tamen est actu, sed fit singula actu per receptionem formæ; per hanc igitur analogiam cognoscimus naturam materiæ, videlicèt, quod ens est in potentia, & veluti rerum omnium inchoatio, & nullum actu completum, sicuti æs est statua in potentia, & inchoatio quædam statuæ. Hæc consideratio docta est & ingeniosa & aliqua ex parte eam admittendam censeo, aliqua verò ex parte mihi non probatur, quòd enim per analogiam hanc cognoscatur essentia materiæ primæ, non nego, quia id verissimè dicitur, sed credo per eandem nos duci etiam in cognitionem existentiæ ipsius, & hanc quoque respicere Aristotelem in præsenti loco, si enim per analogiam Aristoteles nos ducit in cognitionem primæ materiæ, quando eam dari demonstrauit, manifestum est quòd hic idem vult significare, demonstratio autem, qua vsus est Aristoteles ad probandam existentiam primæ materiæ, talis fuit, vbi est transmutatio secundùm substantiam ibi est subiecta materia; sed in corpore naturali est transmutatio secundùm substantiam, ergo in corpore naturali est prima materia, certum est in demonstratione hac medium terminum fuisse transmutationem, non quidem omnem, sed eam, quę est secundùm substantiam; quia ex transmutatione in communi, non concluderetur nisi subiectum in communi, non materia prima, quæ ens est in potentia, quàm in præsentia quærimus; hæc enim non demonstratur nisi ex transmutatione in substantia, quare non potest negari quòd existentia materiæ primæ fuerit inuenta per transmutationem substantialem, hæc enim fuit medius terminus demonstrationis. Sed quæro quãdo fit nota maior illius demonstrationis, & vnde Aristoteles eam accipiat, si quis enim ignorat materiam primam dari, negabit illam maiorem quòd vbi est transmutatio secundùm substantiam, ibi sit subiecta materia, sed dicit totum transmutari in totum, vt totum vas aquæ in aerem, & totum semen in hominem, quare inutilis fuisset demonstratio Aristotelis negata maiore. Aristoteles igitur hoc videns laborauit solùm in probatione maioris, quia ea probata nihil in ea demonstratione dubium manet. Si autem bene consideremus viam, qua Aristoteles nos duxit in cognitionem illius maioris, videbimus eam nullam aliam fuisse quàm hanc analogiam, cuius hic mentionem facit, nam in textu sexagesimo accipiens generationem in communi vt quiddam notius, de ea vniuersaliter pronuntiauit, quòd requirit subiectum distinctum a duobus contrarijs. Deinde in sexagesimosecundo eam diuidens in accidentalem, & substantialem, in accidentali accepit vt per se notum, quòd requirit aliquod subiectum, deinde colligit ex ea per quandam similitudinem ac proportionem idem dicendum esse de substantiali, hoc autem quidnam fuit aliud quàm facere hanc analogiam subiecti generationis substantialis cum subiecto generationis accidentalis? Hanc autem analogiam declarauit ibidem optimè Auerroes in Commentario dicens, [& dicit hoc, quoniam perfectè apparet, quòd in spermate est ali„quid, cuius proportio ad animal generatum ex ipso est sicut proportio substantiæ „demonstratæ ad album, & nigrum] quibus verbis significat Auerroes, quod per hanc proportionem cognoscimus existentiam primæ materiæ, & eandem Analogiam facit, quam Aristoteles in præsenti loco. Hac eadem analogia vtuntur Arith-

metici

metici practici ad inueniendum numerum proportionalem ignotum, tribus enim notis propositis quartum inquirunt quem ignorant, & dicunt si quatuor dant decem, sex quot dabunt? & inueniunt quòd dant quindecim, vnde patet quòd hac proportione possumus inuenire etiam existentiam rei, quam ignoramus. Neque obstat argumentum illorum, quando dicebant, Aristoteles hìc dicit, vt æs ad statuam, ita hæc ad substantiam compositam, quare supponit eam existentem, & de sola eius essentia loquitur. Ad hoc enim respondeo, quòd Aristoteles loquitur de materia vt iam a se inuenta, & cognita, non vt de inuestiganda posterius, dicit enim modum, quo fuit inuenta, tàm quòd sit, quàm quid sit, quare eam potest nominare vt causam cognitam, & dicere hæc, & exprimere qua via eam inuenit superius, quasi dicat per analogiam inuenimus, quod hæc materia datur, & quid est. Præterea considerandum est quod Aristoteles non modo de cognitione existentiæ loquitur, sed etiam de cognitione essentiæ materiæ, ideò solam nominauit analogiam, quia per hanc cognoscimus essentiam ipsius materiæ, & eadem confert ad cognoscendam eius existentiam. Sed quærere aliquis posset, cùm materia prima fuerit inuenta per analogiam, & per transmutationem, cur Aristoteles nominat analogiam, & transmutationem tacet? dico quòd transmutatio reuera fuit medius terminus, quo materiam esse fuit demonstratum, analogia verò fuit modus cognoscendi maiorem propositionem illius demonstrationis, quoniam igitur sola maior dubia erat, & tota difficultas in ea consistebat, ideò Aristoteles totam hanc demonstrationem cognoscens ab illa analogia pendere, quæ maiorem declarauit, analogiam nominat inter transmutationem, nec tamen eam excludit, sed vult significare quòd facta illa analogia statim per transmutationem substantialem cognouimus materiam primam. Possumus autem simile quoddam considerare apud Aristotelem in fine secundi libri Priorum in capit. de exemplo. Declarans enim quomodo fiat exemplum, dicit ipsum constare ex inductione imperfecta, & syllogismo perfecto, in prima figura tamen, postea in definitione exempli dicit ipsum esse inductionem perfectam, nec nominat syllogismum, quoniam ille syllogismus concludit quidem, sed maiorem habet ignotam, quare inutilis est nisi probetur maior, quoniam igitur propositio maior illius syllogismi probatur inductione perfecta, sequitur totam exempli vim consistere in inductione imperfecta, syllogismus enim nullam habet vim nisi ex suppositione maioris vniuersalis, cuius nulla alia cognitio habetur quàm per inductionem imperfectam. Hæc est via qua sola puto nos posse duci in cognitionem primæ materiæ, videlicet, per transmutationem in substantia, & analogiam, vt est sententia clara Auerrois contra Auicennam in vltimo Commentario huius primi libri. Et hoc idem significat Aristoteles hìc, qui non dicit materiam a se inuentam & cognitam fuisse per analogiam, sed dicit esse cognoscibilem per analogiam, illo enim modo poteramus credere eam alia etiam via cognosci posse, sed hoc modo significatur absolutè tota eius cognoscibilitas, quæ consistit in hac analogia. Perpendenda est etiam Græca dictio ἐπιςητὴ nomen enim ἐπιςήμη non sumitur vnquam ab Aristotele nisi pro perfecta scientia rei, quare significat hic quòd materia per analogiam perfectè scitur, & nulla alia est ipsius cognitio, quamuis enim non cognoscatur per causam, imò debiliter cognoscatur, satis est si cognoscitur quantùm cognosci potest. Quare tribuit Aristoteles analogiæ totam materiæ cognitionem, subintelligens tamen transmutationem simul, quemadmodum etiam Auerroes in vltimo Commentario huius libri, nominans transmutationem non exclusit analogiam, sed simul eam comprehendit, quia nihil probat vna sine altera. Hoc idem ostendo refutando omnes alios modos, quibus alij dicunt materiam inueniri, & cognosci posse. Errant primo, qui dicunt Aristotelem in septimo Metaphysicorum, octauo declarasse materiam per negationem, & ita hoc alio modo posse materiam cognosci, in quo errore fuit

hìc Simplicius, cum quo Vicomercatus simul deceptus est. Putant enim esse diuersos modos cognoscendi materiam, per negationem, & per analogiam, quod tamen verum non est, quia per negationem non inuenitur materia ignota neque notificatur, sed solùm exprimitur eius natura, postquam per analogiam fuit inuenta. Quod patet, quia si materia ponatur ignota nunquam per negationem nota fieret, ideò rectius sentiunt illi, qui dicunt definitionem illam materiæ per negationem traditam colligi ex ijs quæ hìc dicuntur, veluti conclusionem quandam, nam hìc quoque Aristoteles eam videtur significare materiæ essentiam inuentam per analogiam quam ibi per negationem significauit: ibi enim Aristoteles dicit materiam non esse substantiam, nec quantum, nec quale, nec vllum aliud prædicamentum, sed esse omnia in potentia, & in esse quodam incompleto, natura enim materiæ est, vt non sit ens ullum completum constituens vnam speciem entis, sed sit entia omnia in potentia, accipiens enim formam hominis fit homo, & sic de alijs, est enim in potentia ad omnes formas, primò quidem ad substantiales, secundariò autem ad accidentales. Hàc eandem materiæ naturam inuentam per analogiam hìc Aristoteles significat dum dicit, vt se habet æs ad statuam ita prima materia ad ens omne, æs enim respectu statuæ est quid potentiale, & in completum, est enim statua incompleta, & in potentia, sic materia est omnia entia incompletè, & in potentia, quare per analogiam ducti sumus in cognitionem, & existentiæ, & essentiæ materiæ primæ, quam essentiam ita inuentam exprimimus per negationem omnis perfectionis, quare nihil diuersum ab his, quæ hìc dicuntur, dicit Aristoteles in eo textu octauo septimi Metaphysicorum, & id est conclusio potius per analogiam inuenta, quàm medium, quo materiam ignotam inuenerimus. Notandum autem quòd quamuis Aristoteles in eo loco, & hic eandem exprimat materiæ primæ naturam, ibi tamen magis Metaphysicè hoc facit, hic magis naturaliter, hìc enim dicens, vt ad statuam æs se habet ita materia ad ens, considerat materiam potius cum priuatione, quæ dicit potentiam, vt ex ea aliquid fiat, quàm cum negatione, fieri autem, & transmutari sunt termini naturales, ibi verò negationem significat, non priuationem, quia dicit materiã non esse vllum ex entibus, sed quoddam omnibus subiectum, negat enim a materia entitatem perfectam, non entitatem omninò, & considerat eam vt substãtem omnibus perfectionibus, & formis, quare magis ipsam abstrahit a transmutatione non considerans potentiam, vt res ex ea fiant, illam enim in ea definitione non exprimit. Quòd verò dicunt aliqui materiam cognosci per formam, & per analogiam, seu habitudinem ad formam, cum forma sit ratio cognoscendi, aliquo modo est verum, aliquo modo est falsum, si enim absolutè formam & actum accipiant, non est verum quod per formam cognoscamus materiam, sed cognoscimus compositum ipsum, quod per formam est in actu, & potest mouere sensum, & intellectum, cognoscimus etiam per formam causas omnium accidentium essentialium, quæ ipsi composito inhęrent, sed naturam ipsam materiæ incompletam non cognoscimus per formam vt formã, nisi dicamus per formam vt transmutabilem, idest vt est terminus transmutationis, si enim homo esset incorruptibilis, & perpetuus, non cognosceremus ipsum constare ex materia, & forma, sicuti de cœlesti corpore nullam possumus habere cognitionẽ quòd seclusa intelligentia constet ex materia, & forma, nec possumus aliud existimare quàm esse corpus simplex, & carens omni compositione, sed forma vt adueniens materiæ, & recedens, facit nos cognoscere materiam, idest, transmutatio de priuatione ad formam, & de forma ad priuationem, totum enim transmutari in totum non potest, sed oportet partem rei corruptæ remanere, cui forma adueniat, sola igitur transmutatio in substantia cum illa analogia adhibita cum materia sensata fecit nos cognoscere materiam. Quod autem nunc de forma diximus, dicitur ab ipso Aristotele hic, inquit enim, vt ad statuam æs ita materia ad substantiam composi-

tam,

tiam, antequam accipiat formam, quare comparat Aristoteles materiam informem cum composito formato, vt prius absentiam formæ respiciamus, deinde ipsam formam aduenientem, & ita materiam subiectam cognoscamus, id autem est dictum per transmutationem ad formam. Falsa est etiam sententia Scoti, quòd materia sit per se intelligibilis, & cognoscibilis, & possit per se existere actu sine vlla forma: sed de actu hoc entitatiuo, quem Scotus materiæ tribuit, loquemur postea in quæstione de prima materia, nunc quo ad eius cognitionem attinet, satis est si dicamus, quòd etiã si materia secundum se sit ens, & propriam habeat entitatem, non tamen per se existere potest, neque per se cognosci, neque etiam per se intelligi. Cum enim sit ens in potentia pura non potest per se existere, neque etiam mouere intellectum, quia non mouet intellectum nisi quod est in actu formali, quare solùm per aliud cognoscitur, imò quando cognoscitur, non cognoscitur per propriam speciem, sed per speciem alterius, quia cùm non sit apta mouere intellectum, non potest formare in ipso intellectu proprium conceptum, sed intelligitur per conceptum alterius, & ita per analogiam, per hanc enim & materiam inuenimus & intellectu concipimus, & quidnam sit cognoscimus. Cogitamus enim materiam tale quiddam esse, quod ad ens in actu ita se habet vt æs ad statuam; concedimus itaque ipsam esse intelligibilem, quia est ens, non tamen per se intelligibilem, quia cum sit ens in actu per aliud, est etiam per aliud intelligibilis, non per se, neque potest comprehendi directè per proprium conceptum, sed oblique per conceptum alterius. Ideò Plato quoque in Timæo dixit materiam non cognosci nisi adulterina cognitione; quam Platonis sententiam declarat Plotinus libro quarto Enneides secundæ capit. decimo. Pythagorici quoque dicebant materiam non cognosci per εὐθυωρίαν, idest, per rectam inspectionem, sed per obliquam, quia non potest acies nostri intellectus rectè in ipsam ferri, sed oblique per inspectionem alterius. [Vnum igitur principium hæc.] Concludit Aristoteles principiorum numerum, & dicit vnum principium esse ipsam materiam: addit tamen eam non esse ita vnum, neque ita ens, [vt hoc aliquid] idest, vt ipsum compositum, hoc enim verè dicitur hoc aliquid, & habet esse demonstratum, quia est in actu, & est vnum per formam, materia verò est ens in potentia, quare neque ita ens est, neque ita vnum vt compositum. Quod materia sit ens, minus tamen ens, quàm compositum, manifestum est. Est enim ens in potentia, quod est minus ens quàm ens in actu. Sed de vnitate materiæ dubium est, quia vnitas prouenit a forma, ergo si materia secundùm seipsam sine vlla forma sumatur, nullam habet vnitatem, si verò cum forma, plurimæ sunt materiæ sub diuersis formis. Ad hoc possumus duobus modis respondere, primo quod vnum numero potest accipi duobus modis, positiuè, & priuatiuè, vnum numerum positiuè nõ est nisi per actum & formam, quam vnitatem materia secundum se habet, quia secundum se nullam habet formam, sed est vna numero priuatiuè, quia per priuationem omnium formarum, idest, per intellectualem separationem omnium formarum ab ea materia totius inferioris mundi vna numero manet, quia igitur est vna numero priuatiuè, seu negatiuè per negationem formarum, & vnitas priuatiua minor est, quàm positiua, Aristoteles rectè dicit materiam esse minus vnum, quàm ipsum compositum, quod positiuè est vnum. Altero modo possumus dicere quòd Aristoteles intelligit vnum positiuè non priuatiuè, neque respicit vnam numero esse omnium rerum materiam, sed communiter de omnibus loquens dicit materiam cuiusque rei vnam esse, quia sicuti est ens, ita etiam est vna, at est ens in potentia, ergo etiam potentia vna est vnitate positiua, quatenus est in potentia ad formam, a qua fiet positiuè vna, sicuti igitur minus ens est quod est ens in potentia, quàm quod est ens in actu, ita etiam minus est vnum, quod est vnum potentia, quàm quod est vnum actu. Et hæc responsio videtur conuenientior, quia materiam considerare per intellectualem negationem

hic Simplicius, cum quo Vicomercatus simul deceptus est. Putant enim esse diuersos modos cognoscendi materiam, per negationem, & per analogiam, quod tamen verum non est, quia per negationem non inuenitur materia ignota neque notificatur, sed solùm exprimitur eius natura, postquam per analogiam fuit inuenta. Quod patet, quia si materia ponatur ignota nunquam per negationem nota fieret, ideò rectius sentiunt illi, qui dicunt definitionem illam materiæ per negationem traditam colligi ex ijs quæ hìc dicuntur, veluti conclusionem quandam, nam hìc quoque Aristoteles eam videtur significare materiæ essentiam inuentam per analogiam quam ibi per negationem significauit: ibi enim Aristoteles dicit materiam non esse substantiam, nec quantum, nec quale, nec vllum aliud prædicamentum, sed esse omnia in potentia, & in esse quodam incompleto, natura enim materiæ est, vt non sit ens ullum completum constituens vnam speciem entis, sed sit entia omnia in potentia, accipiens enim formam hominis fit homo, & sic de alijs, est enim in potentia ad omnes formas, primò quidem ad substantiales, secundariò autem ad accidentales. Hãc eandem materiæ naturam inuentam per analogiam hìc Aristoteles significat dum dicit, vt se habet æs ad statuam ita prima materia ad ens omne, æs enim respectu statuæ est quid potentiale, & incompletum, est enim statua incompleta, & in potentia, sic materia est omnia entia incompletè, & in potentia, quare per analogiam ducti sumus in cognitionem, & existentiæ, & essentiæ materiæ primæ, quam essentiam ita inuentam exprimimus per negationem omnis perfectionis, quare nihil diuersum ab his, quæ hìc dicuntur, dicit Aristoteles in eo textu octauo septimi Metaphysicorum, & id est conclusio potius per analogiam inuenta, quàm medium, quo materiam ignotam inuenerimus. Notandum autem quòd quamuis Aristoteles in eo loco, & hìc eandem exprimat materiæ primæ naturam, ibi tamen magis Metaphysicè hoc facit, hìc magis naturaliter, hìc enim dicens, vt ad statuam æs se habet ita materia ad ens, considerat materiam potius cum priuatione, quæ dicit potentiam, vt ex ea aliquid fiat, quàm cum negatione, fieri autem, & transmutari sunt termini naturales, ibi verò negationem significat, non priuationem, quia dicit materiã non esse vllum ex entibus, sed quoddam omnibus subiectum, negat enim a materia entitatem perfectam, non entitatem omninò, & considerat eam vt substãtem omnibus perfectionibus, & formis, quare magis ipsam abstrahit a transmutatione non considerans potentiam, vt res ex ea fiant, illam enim in ea definitione non exprimit. Quòd verò dicunt aliqui materiam cognosci per formam, & per analogiam, seu habitudinem ad formam, cum forma sit ratio cognoscendi, aliquo modo est verum, aliquo modo est falsum, si enim absolutè formam & actum accipiant, non est verum quod per formam cognoscamus materiam, sed cognoscimus compositum ipsum, quod per formam est in actu, & potest mouere sensum, & intellectum, cognoscimus etiam per formam causas omnium accidentium essentialium, quæ ipsi composito inhærent, sed naturam ipsam materiæ incompletam non cognoscimus per formam vt formã, nisi dicamus per formam vt transmutabilem, idest vt est terminus transmutationis, si enim homo esset incorruptibilis, & perpetuus, non cognosceremus ipsum constare ex materia, & forma, sicuti de cœlesti corpore nullam possumus habere cognitionẽ quòd seclusa intelligentia constet ex materia, & forma, nec possumus aliud existimare quàm esse corpus simplex, & carens omni compositione, sed forma vt aduenniens materiæ, & recedens, facit nos cognoscere materiam, idest, transmutatio de priuatione ad formam, & de forma ad priuationem, totum enim transmutari in totum non potest, sed oportet partem rei corruptæ remanere, cui forma adueniat, sola igitur transmutatio in substantia cum illa analogia adhibita cum materia sensata fecit nos cognoscere materiam. Quod autem nunc de forma diximus, dicitur ab ipso Aristotele hìc, inquit enim, vt ad statuam æs ita materia ad substantiam compositam,

tam,

tiam, antequam accipiat formam, quare comparat Aristoteles materiam informem cum composito formato; vt prius absentiam formæ respiciamus, deinde ipsam formam aduenietem,& ita materiam subiectam cognoscamus,id autem est dictum per transmutationem ad formam. Falsa est etiam sententia Scoti, quòd materia sit per se intelligibilis, & cognoscibilis, & possit per se existere actu sine vlla forma: sed de actu hoc entitatiuo, quem Scotus materiæ tribuit,loquemur postea in quæstione de prima materia, nunc quo ad eius cognitionem attinet, satis est si dicamus, quòd etiã si materia secundum se sit ens, & propriam habeat entitatem, non tamen per se existere potest, neque per se cognosci, neque etiam per se intelligi. Cum enim sit ens in potentia pura non potest per se existere, neque etiam mouere intellectum, quia non mouet intellectum nisi quod est in actu formali, quare solùm per aliud cognoscitur, imò quando cognoscitur,non cognoscitur per propriam speciem,sed per speciem alterius, quia cùm non sit apta mouere intellectum,non potest formare in ipso intellectu proprium conceptum, sed intelligitur per conceptum alterius, & ita per analogiam, per hanc enim & materiam inuenimus & intellectu concipimus,& quidnam sit cognoscimus. Cogitamus enim materiam tale quiddam esse,quod ad ens in actu ita se habet vt æs ad statuam;concedimus itaque ipsam esse intelligibilem,quia est ens, non tamen per se intelligibilem, quia cum sit ens in actu per aliud,est etiam per aliud intelligibilis, non per se, neque potest comprehendi directè per proprium conceptum, sed oblique per conceptum alterius. Ideò Plato quoque in Timæo dixit materiam non cognosci nisi adulterina cognitione; quam Platonis sententiam declarat Plotinus libro quarto Enneides secundæ capit. decimo. Pythagorici quoque dicebant materiam non cognosci per εὐθυωρίαν, idest, per rectam inspectionem, sed per obliquam, quia non potest acies nostri intellectus rectè in ipsam ferri, sed oblique per inspectionem alterius. [Vnum igitur principium hæc.] Concludit Aristoteles principiorum numerum, & dicit vnum principium esse ipsam materiam: addit tamen eam non esse ita vnum, neque ita ens, [vt hoc aliquid] idest, vt ipsum compositum, hoc enim verè dicitur hoc aliquid, & habet esse demonstratum, quia est in actu, & est vnum per formam, materia verò est ens in potentia, quare neque ita ens est, neque ita vnum vt compositum. Quod materia sit ens, minus tamen ens, quàm compositum, manifestum est. Est enim ens in potentia, quod est minus ens quàm ens in actu. Sed de vnitate materiæ dubium est,quia vnitas prouenit a forma, ergo si materia secundùm seipsam sine vlla forma sumatur, nullam habet vnitatem, si verò cum forma, plurimæ sunt materiæ sub diuersis formis. Ad hoc possumus duobus modis respondere, primo quod vnum numero potest accipi duobus modis,positiuè,& priuatiuè,vnum numerum positiuè nõ est nisi per actum & formam, quam vnitatem materia secundum se habet,quia secundum se nullam habet formam, sed est vna numero priuatiuè, quia per priuationem omnium formarum, idest, per intellectualem separationem omnium formarum ab ea materia totius inferioris mundi vna numero manet, quia igitur est vna numero priuatiuè, seu negatiuè per negationem formarum, & vnitas priuatiua minor est, quàm positiua, Aristoteles rectè dicit materiam esse minus vnum, quàm ipsum compositum,quod positiuè est vnum. Altero modo possumus dicere quòd Aristoteles intelligit vnum positiuè non priuatiuè,neque respicit vnam numero esse omnium rerum materiam,sed communiter de omnibus loquens dicit materiam cuiusque rei vnam esse, quia sicuti est ens, ita etiam est vna, at est ens in potentia, ergo etiam potentia vna est vnitate positiua, quatenus est in potentia ad formam, a qua fiet positiuè vna,sicuti igitur minus ens est quod est ens in potentia, quàm quod est ens in actu, ita etiam minus est vnum, quod est vnum potentia, quàm quod est vnum actu. Et hæc responsio videtur conuenientior,quia materiam considerare per intellectualem negationem

omnium formarum videtur potius officium diuini Philosophi quàm naturalis. Et præterea Aristoteles non dat formæ vnitatem numeralem, quando hìc subdit formam esse Vnum, non enim vna numero est omnium rerum forma; ergo neque de ipsa materia talem vnitatem intelligit, sed loquitur in communi de materia, & de forma cuiusque rei. Forma verò dicitur vna & specie, & numero, quatenus dat composito vnitatem, & specificam & numerabilem, ideò etiam materia cùm sit in potentia ad formam, dicitur in potentia ad vtramque vnitatem, & dicitur vna ea vnitate, quam recipit a forma, & ita est in potentia ens, & in potentia vnum ens, non intelligendo vnum, & ens, nisi quod est completum in specie, & ens actu, sic enim materia in numero entium non ponitur, nisi a forma sumat nomen, & naturam specificam certi entis. Secundùm hanc interpretationem manifesta est connexio secundæ partis textus cum prima, cùm enim dixisset materiam cognosci per analogiam: analogia autem ostendat esse ens in potentia, & nullum entium actu, ideò quomodo docet eam non esse verè vnum, priuationem verè ens, cùm non sit actu? [Vnum autem ratio] etiam forma est vnum principium & vocatur ratio, quia est quidditas & definitio rei, ita enim solet Aristoteles appellari propriam causam rei, a qua habet res vt sit, quæ quidem in substantia composita est propria eius forma, in accidentibus autem est causa externa, ideò Aristoteles hanc in secundo libro Posteriorum sæpè vocat rationem, quia dat esse rei, & constituit eius definitionem. Græcis difficultatem fecerunt Græca verba μία δὲ ἡ ὁ λόγος, cùm Aristoteles duos simul articulos apponat illi dictioni λόγος vnum fœmininum, alterum masculinum; neque defuerunt qui putauerint alterum articulum esse delendum; mihi tamen videtur non fuisse operæ precium hac de re dubitare, & miror quòd Viris in lingua Græca peritis hæc locutio difficultatem fecerit, quæ tamen cum vtroque articulo simul conueniens est & optimè exprimit Aristotelis mentem; articulus enim fœmininus ἡ refertur ad illam dictionem ἀρχή, & sensus est, vnum autem principium est illud, quod est ipsa rei ratio, & essentia, quare videtur subintelligendum principium illud οὖσα, & dicendum μία δὲ ἡ οὖσα ὁ λόγος, hic est absque vllo modo sensus verborum Aristotelis. In quibus etiam est notandum quòd dictioni λόγος, quæ est prædicatum, articulus opponitur, quod nunquam Græci facere consueuerunt, nisi quando significare volunt conuersionem propositionis, & prædicatum cum subiecto reciprocari, sicuti hìc, forma enim est ipsa ratio rei, quia ratio est ipsa forma [Amplius autem contrariorum huic priuatio] Affert tertium principium, quod est priuatio, vbi notandum quòd eam non vocat vnum, quia sumendo vnitatem positiuam, quæ conuenit enti completo, hæc propriè conuenit formæ, materiæ minus propriè, quia est in potentia vnum, non actu vnum: priuatio verò nullo modo est vnum, quia est non ens per se, ideò neque actu, neque potentia est ens, neque Vnum, ideò Aristoteles non dat ei talem vnitatem.

Textus Septuagesimus.

Hæc autem quomodo duo, & quomodo plura dictum est in præcedentibus. Primum igitur dictum est quòd contraria solum principia sunt, posterius autem quòd necesse est aliud quippiam subijci, & esse tria. Ex ijs autem, quæ nunc manifestum est, quæ sit differentia contrariorum, & quomodo se habent principia ad inuicem, & quid subiectum. Vtrum autem substantia forma,

aut

aut subiectum sit, nondum manifestum est, sed quod principia tria sint, & quomodo tria, & quis modus eorum manifestum est.

IN hoc textu Aristoteles duo facit, primò facit Epilogum omnium, quę dicit de principijs. Secundò respondet, quæstioni tacitæ, quæ fieri poterat. Dicit primùm se declarasse quomodo hæc principia possint appellari duo, & quomodo tria, inquit enim se prius determinasse quòd sola contraria sunt principia, & ita duo tantùm principia sunt, significans per hæc verba omnia, quæ dicta sunt, a textu quadragesimoprimo vsque ad quinquagesimum. Posterius autem dicit se ostendisse necessarium esse addere tertium principium subiectum contrarijs, & ita tria esse principia, significans ea, quæ dicta sunt a textu quinquagesimoprimo vsque ad quinquagesimumsextum. Deinde cùm inquit. [Ex ijs autem quæ nunc] significat omnia proximè dicta, videlicèt, a textu quinquagesimoseptimo, seu a sexagesimoquinto vsque ad præsentem locum, in qua parte dicit se docuisse, [quæ sit differentia contrariorum,] quæ verba possumus duobus modis interpretari, primò cum Auerroe, quòd ostendit inter duo principia contraria hanc esse differentiam, quòd forma est principium per se, priuatio verò est principium per accidens: possumus etiam dicere quòd inter formam, & priuationem est hoc discrimen, quòd forma est verò vnum principium, priuatio verò distinguitur in duo principia, quia simul connotat etiam subiectum, dictum enim est quòd subiectum, & priuatio sunt idem numero, sed ratione distinguuntur. Dicit etiam se docuisse [quomodo se habeant principia ad inuicem] in postrema enim parte Aristoteles docuit etiam quòd sint ista principia quatenus principia sunt, vt existentia cognita, essentiam quoque cognoscemus, id autem fecit comparando ipsa principia, & cum composito ex eis genito, & etiam inter se inuicem, sic enim declarauit diuersos ipsorum modos principiandi, in his enim consistit cognitio naturæ & essentiæ horum principiorum, quatenus principia sunt, ideò Aristoteles subiungit [& quid subiectum] materiam enim nunquam hactenus definiuit, sed declarauit quomodo sit principium, vnde possumus nos facilè colligere eius definitionem. Ex dictis enim patet materiam esse primum subiectum ex quo fit aliquid, cùm in re facta permaneat, & non per accidens, quæ est definitio materiæ posita ab Aristotele in textu penultimo huius libri, vbi non est intentio Aristotelis definire materiam, sed vtitur ibi ea definitione vt superius tradita, hactenus enim eam docuit, licèt non expresserit vt definitionem, ideò rectè dicit se docuisse quid sit materia. Possumus enim dicere, quòd hactenus fuerit declarata definitio materiæ, quia declarata est eius essentia, quatenus est principium generationis. Patet etiam ex dictis definitio priuationis, quæ potest esse talis, priuatio est absentia formæ in materia cum potentia ad eam; vel sic, priuatio est principium contrarium, ex quo non permanente compositum generatur, quæ posterior definitio magis exprimit naturam principij, hæc tamen omnia sunt ex dictis manifesta. Formæ autem cognitionem leuem in hac scientia habere possumus, magis enim ad Metaphysicum quàm ad Physicum pertinet, nam Physicus considerat omnia cum habitudine ad motum, & mutationem; propterea materia, & priuatio in ipsa mutatione dicuntur principia, quia sunt in ipso fieri: at forma non est, dùm mutatio est, imò ipsa adueniente omnis mutatio desinit, quare comparatur generationi, vt causa finalis, quæ nondùm est, composito autem vt essentia, & quidditas ipsius, quæ est consideratio sine aliqua mutatione, & est metaphysica, ideò Aristoteles aliquando se excusat, cur non ita de forma agat, vt de materia, materiæ enim, vt materia est, conuenit motus, & fieri, at formæ, vt forma est, conuenit potius vt sit quidditas ipsius compositi, ideò Themi-

stius secundo de Anima textu secundo dicebat, a materia res habet vt fiat, a forma verò vt sit, si quid igitur de forma dicere possumus, est quòd forma est finis mutationis, quo præsente mutatio cessat, & compositum dicitur generatum & perfectum, quæ omnia ex dictis hactenus ab Aristotele possunt facile colligi, & cuilibet esse manifesta. [Vtrum autem substantia forma, an subiectum sit.] Hic Aristoteles respondet tacitæ quæstioni, sed qualis ea quæstio sit, interpretes non consentiunt, vnde Simplicius, Antonius, & Latini dicunt dubium proponi ab Aristotele comparatiuum, an forma sit magis substantia quàm materia, an è conuerso; inter se tamen discordes sunt. Nam S. Thomas dicit Aristotelem dimittere hanc quæstionem vt in secundo Physicorum soluendam. Simplicius autem dicit eam reijci ad septimum & octauum Metaphysicorum, in quam sententiam magis inclinare videtur Auerroes. Sed hæc expositio non benè videtur aptari verbis Aristotelis, qui non dicit vtra sit magis substantia forma an materia, sed an forma sit substantia, an materia sit substantia, quare quæstio videtur absoluta, non comparatiua. Sed absque dubio errauit Auerroes dicens comparationem esse inter formam, & compositum, quia si aliqua sit in his verbis comparatio, est inter formam & materiam, vt alij dicunt, non nominatur ipsum compositum, vt in textu patet. Potest tamen defendi Auerroes si per subiectum intelligat materiam, vt est credendum, non ipsum compositum, vt quidam ei tribuunt, non enim dicit compositum, sed dicit subiectum. Themistius autem nullam videtur facere comparationem, sed absolutè quærere an materia, an forma sit substantia, non dicit vtra magis, neque aliud dicit præter id, quod ab Aristotele dicitur. Ego puto nomen substantiæ non sumi vt absolutum, sicuti quando Aristoteles diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum, quare nihil est alienius a mente Aristotelis hìc quàm quærere, an forma sit magis substantia, quàm materia, an è conuerso, nulla enim data est ocasio huius quæstionis, neque est quæstio naturalis, sed omnino Metaphysica, & non modo hìc non soluenda, sed neque attingenda, ad propositum enim nihil facit. Sed credo nomen substantiæ hìc sumi vt respectiuum pro essentia, essentia enim est alcuius essentia, neque absolutè respicit Aristoteles essentiam ipsam rerum, sed essentiam rerum naturalium, quatenus sunt naturales, quæ dicitur etiam natura; natura enim est id, quo naturale corpus naturale est, innuit ergo dubiũ a se postea soluẽdum in 2. libro Physicorum, quod hìc dicit nondùm esse manifestum; in tex. enim 7. secundi libri proponit Arist. quæstionẽ hanc, an natura, & substantia, idest, essentia rerum naturaliũ sit materia an forma. Antiqui.n. ocasionem dederunt huic quęstioni, quia totã rei naturã & substantiã putabant esse materiam, quam sententã ibi Aristoteles confutabit, & ostendet naturam rerum esse formam. Hic igitur Aristoteles considerans se ostẽdisse quod naturalia corpora ex materia, & forma fiunt, & constant (ex his enim duobus dicuntur composita) & videns se quoque formæ dedisse nomen principij, & elementi, vidit quæstionem hanc statim exoriri, an natura, & substantia corporis naturalis sit materia, vt antiqui putarunt, an forma, quæ & ipsa est internum principium rem constituens; ideò dicit hoc nondum esse manifestum, quia declarabitur in secundo libro. Hic autem loquendi modus, [nondum manifestum est] non videtur posse significare aliquid in alia scientia considerandum, sed quòd in hac ipsa scientia tractandum manet, & nondum tractatum est. Quòd autem nomen substantiæ accipiat Aristoteles vt respectiuum, & pro essentia, non vt absolutum pro genere communi analogo, patet etiam ex modo loquendi, cùm enim hoc modo & materia & forma sit substantia, debuisset Aristoteles vti coniunctione, & dicere, an forma, & materia sint substantiæ, non disiunctione ἤ, quia vnam esse substantiam non impedit aliam quoque esse substantiam; sed sumendo substantiam pro natura, & essentia rei naturalis, conueniens est locutio hæc alternatiua, vnius enim rei natura, & essentia vna est, me-

ritò igitur quæritur, an hæc sit materia, an potius forma? Antiqui putarunt eam esse materiam, at Aristoteles ostendet formam potius esse dicendam naturam rei quàm materiam, qua de re in secundo libro fusius loquemur. [Sed quod principia tria sunt] cum adhuc non sit manifestum, an forma, an materia sit natura, & essentia rei, hoc solum est manifestum ex dictis, (inquit Aristoteles) quòd principia tria sunt, & quomodo sunt tria, distinguendo enim materiam a priuatione tria sunt principia nam nisi distinguantur, duo tantum sunt, & quis sit modus principiandi his singulis conueniens, materia enim est principium vt subiectum in re facta permanens; forma verò vt perfectio rei in fine transmutationis aduenienss; quæ dicuntur duo principia per se, quia sunt partes substantiæ rei genitæ, priuatio autem vt terminus a quo, præcedens necessariò rem genitam, & in ea non manens, quare est principium per accidens; hæc omnia dicit Aristoteles esse manifesta ex dictis, ideò subdit, [quot igitur, & quæ sint principia ex his consideretur] distinctam enim habemus principiorum cognitionem, & quot numero sint, & quænam sint.

Textus Septuagesimus Primus.

Quot igitur, & quæ sint principia, ex his consideretur: Quod autem vnico modo sic soluitur, & Antiquorum dubitatio dicamus post hæc, quærentes enim Philosophi primi veritatem, & naturam entium, conuersi sunt in viam quandam aliam, depulsi ob inexperientiam, dicunt, quæ neque fieri, quæ sunt vllum, neque corrumpi, propterea quod necessarium est fieri, quod fit, aut ex eo quod est, aut ex eo, quod non est, ex his autem vtrisque impossibile esse, neque enim quod est fieri, esse enim iam: & ex eo quod non est, nihil vtique fieri, subijci enim quippiam oportet:



OSTQVAM Aristoteles declarauit quot sint principia rerum naturaliũ & quæ, nũc vult ex ipsa veritate iam cognita soluere dubia, quæ antiquos Philosophos in errorem traxerunt, quia ea soluere nequiuerũt. Hæc autem erit maxima confirmatio veritatis, cum enim veritatis cognitio omnia dubia remouere soleat, & detegere oppositã falsitatem propterea quando contingit vt dubia facile soluantur, est magnum inditium veritatis inuentę. Vult igitur Aristoteles veritatem iam declaratam cõfirmare per hoc quod ex ea soluuntur omnia dubia, quæ aliter solui non possint. Auerroes in Commentario pręsenti notat, quod sermo demonstratiuus natus est soluere omnia dubia, quę in re contingunt. Simile dictum apud Auerroem legimus quarto Physicorum 31. quod ex illo textu Arist. desumitur, vbi dicit quòd perfectæ definitiones debent hæc munera exhibere, vt declarent causas accidentium, quæ sunt in re, & soluant quæstiones, quæ circa res contingunt: eadem enim est Auer. sententia ibi, & hìc, quamuis ibi de definitione loquatur, hìc verò de sermone demonstratiuo, non .n. sumit hìc demõstrationẽ propriè, vt est instrumentũ exhibens cognitionẽ accidentium, quia hoc modo non possemus appellare tractationẽ de principijs demonstratiuam, principia .n. non sunt accidentia, sed substantiæ, quare demonstrari non possunt: neque etiam intelligit Auer. per sermonẽ demonstratiuum illã demonstrationẽ a posteriori, qua ma

teriam

teriam primam dari demonstrauit per transmutationem, illa enim fuit confusa materiæ cognitio, non distincta, quare per ea non possunt solui dubia, sed per distinctam rei cognitionem soluuntur dubia, & quæstiones. Sumit igitur sermonem demonstratiuum pro omni scientiali tractatione cuiuscunque rei, siue sint substantia, siue accidens, solemus enim appellare demonstratiuam tractationem omnem speculationem factam ex proprijs, & ex natura rei, vt si de homine tractemus per essentialia & per propria principia procedentes, dicimur demonstratiuè tractare, vnde patet quòd omnis sermo demonstratiuus est sermo definitiuus, quia declarat essentiam totam rei, quod est munus definitionis. Hoc propriè dicitur de tractatione accidentium, eorum enim demonstratio est definitio sola positione differens, quia totam accidentis naturam declarat, vt Aristoteles in secundo libro Posteriorum docet; quoniam igitur perfecta definitio accidentis est eius demonstratio, & dicitur propriè sermo demonstratiuus, transfertur per similitudinem eadem locutio etiam ad substantiam, quando enim eius essentia plenè declaratur, & habetur eius definitio, ille solet vocari sermo demonstratiuus, huius ergo officium est soluere omnes quæstiones in re contingentes, quia plena essentiæ rei cognitio, quę per definitionem perfectam habetur, tollit omnia dubia, quæ in re contingere possunt; vt nobis in præsentia contingit, qui hactenus distinctam adepti sumus principiorum cognitionem quatenus principia sunt, & quantum locus, & ocasio præsens postulauit. Aristoteles igitur prius ponit ipsam dubitationem, quæ antiquos Philosophos traxit in errorem propter ignorantiam solutionis, & simul tangit absurda, in quæ ob dictam causam incidere coacti sunt, & hoc facit in textu septuagesimoprimo, & septuagesimosecundo, deinde in septuagesimotertio vsque ad septuagesimumoctauum soluit totam difficultatem ex veritate a se inuenta de prima materia, quam antiqui non cognouerunt, deinde in textu septuagesimonono, & octuagesimo tangit etiam Platonis defectum, qui naturam primæ materiæ non plenè videtur fuisse assecutus. Inquit primùm Aristoteles se dicere velle quòd [Vnico modo sic soluitur antiquorum dubitatio] Latini quidam dicunt Aristotelem significare primum modum soluendi dubitationem, quia postea eandem soluet etiam alio modo. Sed hæc non est mens Aristotelis, quia dictio illa Μοναχῶς non potest significare primum modum ad differentiam secundi, sed significat vnicè, hoc modo tantùm, non alio, quasi dicat, secundùm hanc veritatem, quam de prima materia inuenimus, dubium antiquorum potest solui, quod alio modo solui non posset. Quando dicit [Philosophi primi] Auerroes intelligit Parmenidem, & Melissum, aduersus quos Aristoteles in principio primi libri disputauit; sed Græci melius dicunt Aristotelem intelligere omnes antiquos Philosophos, quos vocat primos, idest, antiquiores, ad differentiam Platonis, quem vocare solet posteriorem, seu posteriores, vt vidimus supra in textu quinquagesimoquinto, quia etiam Platonis defectum Aristoteles infra considerabit seorsum ab alijs omnibus, quos hìc vocat primos, & credendum est Aristotelem idem intelligere hìc per Philosophos primos, quod in textu quinquagesimoquinto per antiquiores, idest omnes alios præter Platonem, cùm præsertim dubitatio, quam nunc affert, illis omnibus communis extiterit, non Parmenidi ac Melisso solis. [quærentes veritatem, & naturam entium] idest, veritatem quærentes de natura entium, intelligit autem per naturam illud, vel illa, ex quibus res fiunt, & constant, iam enim dixerat quòd singulus antiquorum illud putabat esse rerum naturam, quod pro principio materiali statuebat, [conuersi sunt veluti in viam quandam aliam] idest, in viam remotam a veritate, & diuersam ab ea sententia, quæ a nobis inuenta, & declarata fuit; [ob inexperientiam] aliqui intelligunt ob inexperientiam rerum particularium; quæ generantur, & corrumpuntur; quam expositionem ego non probo; quia non est attribuendum illis magnis Philosophis, quod illa non viderint, quę quilibet

libet vulgaris homo quotidie experitur, vt ex auro statuam fieri, ex lapidibus domum, ex semine animal, vel plantam, ex aqua aerem, & alia similia; hi enim sunt effectus notissimi, & ob oculos omnium positi: quod si de inexperientia causarum loquantur, a quibus hi effectus producuntur, absurda est locutio, quia causæ non sunt sensibiles, experientia verò dicitur solùm in rebus sensibilibus. Nos igitur cum Themistio, & Auerroe, intelligamus inexperientiam artis disputandi, & regularum logicarum, quia reuera videbimus hos peccasse, propterea quòd distinguere nesciuerunt: ignorantia autem distinguendi est ignorantia logicæ, quæ est ars rationalis tradens regulas, quibus verum distinguamus a falso, ideò Themistius dicit antiquos errasse ob inexperientiam τῦ διαλέγεσθαι, idest, disputandi, disputantibus enim maximè est necessarium scire distinguere, vt argumenta soluant. Antiqui igitur, qui distinguere nesciuerunt, ducti sunt argumento quodam in hunc errorem, vt dicerent non dari generationem, neque corruptionem secundùm substantiam, quod tamen est absurdum manifestum. Argumentum eorum subdit Aristoteles quòd tale fuit, si aliquid fit, vel fit ex ente, vel ex non ente, & vtrumque est impossibilie, ergo nullo modo potest aliquid fieri; Non ex ente, quia ex nihilo nihil fit; fuit enim apud omnes Philosophos veluti axioma notissimum quòd ex nihilo sit impossibile aliquid fieri, sed semper necesserit aliquam materiam subijci, ex qua dicatur fieri, vnde patet omnes antiquos Philosophos impossibilem existimasse creationem de nouo, quæ nullam materiam præsuponat, & perpendenda sunt verba hæc Aristotelis [sed subijci quippiam oportet] quæ significant qualis creatio dicatur impossibilis; oportet enim aliquam materiam præcessisse, ex qua res facta dicatur, & eandem in re facta remanere, quæ dicatur subijci, & esse materia ex qua res non modo sit facta, sed etiam constet, ideò fieri aerem, vel aliud ex nulla præsuposita materia, apud Philosophos est impossibile; Similiter ex aqua aerem fieri; ita vt tota aquæ substantia corrumpatur, & nihil eius in aere remaneat, & totus aer de nouo fiat, est impossibile, quia etiam hæc est creatio, imò duo continet impossibilia, alterum quòd aqua tota in nihil transeat, & nihil eius remaneat; reliquum quòd totus aer de nouo fiat, & nihil eius præcesserit, sic enim ex nihilo dicitur factus, ideò oportet aliquam præcessisse materiam, ex qua fiat res, & quæ maneat in re, hæc enim est propria conditio materiæ; quod cognoscentes antiqui non potuerunt saluare transmutationem substantialem, moti ea dubitatione, quam modo cum Aristotele recensuimus. Patet autem eam dubitationem non solùm fuisse Parmenidis, & Melissi, sed omnium antiquorum Philosophorum, omnes enim negauerunt generationem substantialem, & dixerunt substantiam rei mutari non posse, sed fieri esse solùm segregari ab alio, vel commisceri cum alio, vel alterari, quare tota transmutatio secundùm eos in accidentibus erat, manente eadem substantia, quæ quidem substantia erat ipsa rerum materia, ideò materiam ponebant incorruptibilem, præter quam cætera omnia dicebant esse accidentia, & in eis esse generationem.

Textus Septuagesimus Secundus.


Et sic itaque quod consequenter accidit augentes, neque esse multa dicunt, sed tantum ipsum quod est. Illi ergo talem acceperunt opinionem propter ea, quæ dicta sunt.


LTERUM absurdum Aristoteles commemorat, quod antiqui Philosophi confessi sunt propter vim dubitationis dictæ, dixerunt enim non esse multa entia, sed vnum tantùm, & sic magis absurditatem augebant, alia adiecta absurditate, vno enim posito inconuenienti multa sequuntur. Hoc mouit fortasse Auerroem ad dicendum in præcedenti textu Aristotelem non de alijs antiquis loqui, quàm de Parmenide, & Melisso, hi namque fuerunt, qui dixerunt vnum tantùm esse ens. Ego tamen credo Aristotelem hic quoque non de solis Parmenide, & Melisso loqui, sed etiam de alijs antiquis naturalibus, qui sumentes ens pro principio, vnum ens posuerunt, idest, vnum omnium materiam, vt aquam, vel aerem, imò credo Aristotelem in præsenti contextu hos præcipuè respicere. Oportet enim respicere quòd ad ponendam entis vnitatem coacti sint argumento superius facto, quod de his facile ostendere possumus stante enim eorum positione quòd vna esset prima omnium rerum materia, quam ponebant esse ens in actu, & completum, sequebatur necessario omnia esse vnum ens, materia enim omnium debet esse incorruptibilis, & in omnibus manere integra, cum igitur hæc sola sit substantia rei, omnium substantia vera est, & sic omnia sunt vnum ens; omnia enim, quæ huic substantię adueniunt, sunt accidentia. Mouet autem eos ad hęc dicenda argumentum in præcedenti textu declaratum, si enim diuersa esset seminis & animalis substantia, sequeretur animal ex nihilo fieri, videlicet, ex non animali & ita substantiam rei de nouo fieri ex nulla subiecta materia, & substantiam seminis transire in nihil, quæ sunt impossibilia: Vel si semen quoque est animal ens erit antequam fiat, fiet enim animalis substantia, quæ non prius erat; hoc igitur mouet eos ad dicendum nullius rei substantiam generari, quæ prius non fuerit, sed vnam esse omnium substantiam intransmutabilem, & in solis accidentibus alterabilem, hoc igitur modo isti intulerunt entis vnitatem propter argumentum dictum. Parmenides autem & Melissus certum est quod alio modo entis vnitatem deduxerunt, non est tamen satis clarum quomodo ad eam ostendendam vsi sint eodem argumento. Aristoteles enim in principio huius libri declarauit vtriusque rationes probantes vnitatem entis, sed nullam fecit mentionem argumenti tacti in textu præcedenti. Possumus autem nos dicere quòd ratio Parmenidis erat hæc, quod est præter ens, est non ens, & non ens est nihil, ergo ens est vnum, quæ ratio non concludebat, nisi stante supposito quòd ipsum ens sit ingenitum, & incorruptibile. Si enim corrumpatur, & generetur, non sequetur excluso non ente quod ens remaneat vnũ: ex eo igitur quod negauit transmutationem secundum substantiam, induxit vnitatẽ entis; ad negandum autem transmutationem secundum substantiam potuit vti argumento superius declarato. Ratio autem Melissi quam declarauimus in textu vigesimotertio probans vnitatem entis, sumebat primo id fundamentum, quod ens non est factum, quod, vt creditur, comprobabat hoc eodem argumento, quia si esset factum, vel ex ente esset factum, vel ex non ente, & reliqua vt in textu præcedenti declarauimus. Hac igitur dubitatione patet motum fuisse Melissum; de Parmenide non ita patet. Est autem animaduertendùm quod cum hæc dubitatio compulerit antiquos ad pronuntianda duo absurda, vnum quòd negauerunt generationem substantialem, alterum quòd dixerunt vnum tantum esse ens; prius illud commune fuit omnibus antiquis, omnes enim veram generationem ignorarunt, sed alterum non est omnibus commune, non enim omnes vnum ens posuerunt, neque omnes vnum principium; sed plures fuerunt, qui plura principia posuerunt, vt Empedocles quatuor elementa; imò, & alij posuerunt infinita. Sententia igitur Aristotelis est, quòd cum omnes antiqui generationem veram ignorauerunt, argumento illo decepti, plures quoque eorum processerunt vlterius ad pronuntiandam vnitatem entis, quæ positio est manifeste falsa. Notandum est etiam

quòd si inter se conferamus eos, qui vnam materiam ponebant; & eos quo plures, partim hic, partem illi melius dixerunt, dùm enim vtimur nomine principij melius est vnum ponere principium materiale, quam plura, dùm verò vtimur nomine entis melius est multa entia confiteri quàm vnum, cum pateat multa entia esse, & diuersa secundum substantiam.

Textus Septuagesimus Tertius.


Nos autem dicimus, quòd ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est, fieri autem quod non est, aut quod est, facere aliquid, aut pati, aut quodcunque hoc fieri, vno quidem modo nihil differt, aut Medicum facere aliquid, aut pati, aut ex Medico esse, aut fieri.



AGGREDITVR Aristoteles responsionem ad argumentum antiquorum eamque duplicem affert, & vtramque colligit ex dictis de principijs, ac de eorum differentia, soluet enim primo per distinctionem in per se, & per accidens, deinde secundò soluet in textu septuagesimooctauo per alteram distinctionem in potentiam, & actum. In hoc autem textu, & in sequenti declarat Aristoteles priorem distinctionem in per se, & per accidens, postea eam solutioni applicabit. Sententia horum duorum textuum clara est, & verba etiam satis manifesta, dicit enim Aristoteles quod ex ente, vel ex non ente, aliquid fieri, seu ens, vel non ens aliquid facere, vel pati, non habet vnicam significationem, perinde ac dicere Medicum aliquid facere, vel pati, vel ex Medico aliquid fieri.

Textus Septuagesimus Quartus.

Quare, cum hoc dupliciter dicatur, manifestum est, quod ex eo, quod est, & id quod est, aut facere aliquid, aut pati, adificat igitur Medicus, non secundum quòd Medicus, sed secundum quòd adificator; & albus fit, non quatenus Medicus, sed quatenus niger, medicatur autem, & non Medicus fit, quatenus est Medicus; cùm maximè propriè dicamus Medicum facere aliquid, aut pati, aut fieri ex Medico, si secundùm quòd Medicus hæc patiatur, aut faciat, manifestum quod ex non ente fieri, & hoc significat, quatenus non est, quod illi quidem, non partientes, aberrauerunt, & propter hanc ignorantiam tantum insuper ignorauerunt, quod nihil aliorum opinati sunt fieri aut esse, sed auferebant omnem generationem.



VM igitur hæc dicantur de Medico dupliciter, similiter dicentur de ente, & de non ente, Medicus enim & facere, & pati aliquid potest per se, & etiam per accidens, per se quidem quatenus est Medicus, per accidens verò quando quatenus non Medicus, sed quatenus aliquid aliud vt per se medetur, quia vt Medicus; non per se ædificat, quia non vt Medicus, sed vt ædificator; ponitur etiam quando fit albus, non quatenus Medicus, sed quatenus niger, ideò per accidens, fit autem ex Medico non Medicus, si obliuiscatur, per se, quia quatenus est medicus id ei contingit. Similiter igitur de ente, & de non ente dicere possumus; potest enim ex ente, vel ex non ente aliquid fieri tùm per se, tùm etiam per accidens, per se quidem ex ente, quando prout est ens, & per se ex non ente, quando prout est non ens; per accidens verò ex ente fit aliquid, quando non prout est ens; per accidens ex non ente, quando non prout est non ens, & sic Aristoteles in exemplo manifestiore, videlicèt, in Medico declarauit hanc distinctionem etiam in ente, & non ente. Et notandum quod eam declarauit in his tribus in facere, pati, & fieri, non quia de his omnibus loqui velit; solùm enim de ipso fieri loqui vult, & in ipso declarare hanc distinctionem, sed considerauit in facere, & in pati, ad maiorem declarationem, vt eam melius intelligeremus in ipso fieri, agere enim agentis est, & pati materiæ, fieri autem compositi, de quo est dubitatio præsens, non de alijs, dubium enim est quomodo dicatur fieri substantia ipsa composita, an ex ente, an ex non ente. Notanda sunt in textu septuagesimotertio illa verba [Vno quidem modo] significant enim primum modum soluendi per distinctionem in per se, & per accidens, quia postea in septuagesimooctauo soluet etiam altero modo per alteram distinctionem. Sensus enim est, quod cùm dicimus ex ente, aut ex non ente, aliquid fieri, seu hæc facere aliquid, vel pati id secundùm hanc primam distinctionem in per se, & per accidens, non differt a Medico, qui dicatur facere aliquid, vel pati, vel fieri, quia sicut ea distinctio accommodatur Medico, ita etiam enti, & non enti. Affert etiam Aristoteles rationem, cur antiquis non fuerit cognita hæc distinctio, & ita errauerint propter ignorantiam distinguendi, vt prius dictum est; causa autem erroris fuit, quoniam reuera maximè propria locutio est, vt dicamus aliquid fieri ex ente, vel ex non ente, & intelligamus per se, & quatenus est ens, vel non ens, ideo hanc solam significationem antiqui cognouerunt, quæ est magis in promptu; tamen datur etiam altera acceptio, quam ipsi ignorauerunt, quia dicimus etiam ex ente, vel non ente aliquid fieri per accidens, propterea dubium soluere nequiuerunt, & coacti sunt illi locum dare, & non concedere aliud ens præter primum ab ipsis positam materiam, hoc est vt ab illa diuersum secundùm substantiam, & negare omnem generationem; hactenus igitur declarata est prior distinctio.

Textus Septuagesimus Quintus.

Nos autem, & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo, quod non est, vt secundùm accidens; ex priuatione enim quæ est per se non ens, non ex eo quod inest, fit. Mirabile autem est hoc, & impoßibile sic videtur fieri aliquid ex eo, quod non est.

DISTIN-

DISTINCTIONE declarata Aristoteles incipit eam applicare ad solutionem dubitationis, & prius de non ente loquitur in textu hoc, & ostendit quomodo possit, & quomodo non possit ex non ente aliquid fieri, deinde in textu sequente idem ostendet etiam de ipso ente. Vt autem sententiam Aristotelis melius intelligamus, notandum est quòd distinctio Aristotelis in per se & per accidẽs potest accommodari tùm verbo fieri, tùm etiam ipsi non enti, ex quo aliquid dicitur fieri. Vnde quatuor oriuntur combinationes de eo, quod ex non ente fieri dicitur, quarum duæ sunt falsæ, & duæ sunt veræ, quæ totum dubium tollunt, aut enim dicimus aliquid per se fieri ex non ente per se, aut per accidens fieri ex non ente per accidens, aut fieri per se ex non ente per accidens, aut fieri per accidens ex non ente per se: duæ priores sunt falsæ & impossibiles: duæ autem posteriores veræ, & contra quas argumentum antiquorum nihil valet; Termini etiam noti sunt, quia iam Aristoteles declarauit quid sit fieri ex aliquo per se, & fieri per accidens, per se enim fit aliquid ex aliquo permanente in re facta, per accidens verò ex non permanente. Seu dicamus, vt in textu præcedente Aristoteles declarauit, per se aliquid ex aliquo fieri quando ex eo fit quatenus tale est, per accidens verò quando non quatenus tale, per se autem non ens dicitur priuatio, & per accidens non ens est ipsa materia, quia nomen entis in tota hac parte sumitur ab Aristotele pro ente in actu, & completo, quod dicitur hoc aliquid, ideò materia hoc modo secundùm se non est ens nisi in potentia, vel est ens merito compositi, cuius est pars, quando autem est priuata est non ens, sed dicitur non ens per accidens, quia per priuationem, quam habet, a priuatione enim habet vt careat tali forma, & non sit ens in actu, quia sine priuatione esset ens in ipso composito, quare materia vt materia, est aliquid ratione compositi, sed vt priuata, est non ens ratione priuationis, ideò dicitur non ens per accidens, ipsa verò priuatio est per se non ens, quia quatenus priuatio est, dicit carentiam entitatis, & per se opponitur enti. Terminis ita declaratis dico primam combinationem esse falsam, & impossibilem, videlicèt, aliquid fieri per se ex non ente per se, significat enim vel ex priuatione permanente rem fieri, vel ex priuatione sine aliqua subiecta sibi materia, idest, ex nihilo penitus, quæ omnia sunt impossibilia, priuationem enim in re permanente implicat contradictionem, ex ipsa autem rem fieri per se, & quatenus est non ens, est nullam subesse materiam, & sic rem ex penitus nihilo fieri, quod omnes antiqui dixerunt esse impossibile. Secunda quoque combinatio falsa est quòd aliquid fiat per accidens ex non ente per accidens, quia non ens per accidens est materia prima, vt declarauimus, ex qua res non per accidens fiunt, sed per se; Aristoteles tamen de hac combinatione nihil dicit, quia ad solutionem dubitationis non confert, neque eam cognouerunt antiqui, quia non cognouerunt aliquid fieri per accidens, vt Aristoteles in textu septuagesimoquarto dixit, neque aliquod non ens per accidens, quia nullum aliud non ens cognouerunt, quam purum nihil. Duæ autem reliquæ combinationes veræ sunt, quæ alteri parti per se, alteri per accidens apponunt, nam ex non ente per accidens, idest, ex materia res fit per se, quia materia manet in re, & ex non ente per se, idest, ex priuatione res fit per accidens, quia priuatio non manet; fieri autem ex aliquo hic in portat causam materialem, ideò cùm priuatio materiæ accedat, & ex materia res per se fiat, fit ex priuatione per accidens, veluti ex eo, quod accidit ei, ex quo per se fit. Aristoteles autem in hoc textu duas tantùm ponit combinationes, vnam falsam, & alteram veram, quia in textu septuagesimoquarto declarauit distinctionem illam in per se, & per accidens, prout hæc apponuntur solùm verbo fieri, nihil dixit de eisdem prout apponuntur etiam ipsi non enti, necessarium tamen est ad plenam rei intelligentiam vt etiam non enti hanc distinctionem accommodemus, sic enim res clara fit, sicut dictum est, neque omninò est spreta ab Aristotele

in textu hoc, ea enim vtitur hic, licet non declarauerit prius in ipso non ente distinctionem hanc, sed solum in verbo fieri, illam enim videtur vt notam supponere, nam per non ens non intelligit in hoc textu nisi non ens per se, quod est purum nihil, ideo dat nobis intelligere etiam non ens per accidens, quod ponitur in alijs duobus membris omissis. Prætermissa enim materia Aristoteles in sola priuatione declarat quomodo ex ea aliquid fieri possit, & quomodo non possit, ideoque duo membra de materia subijcit, quia materia antiquis cognita non fuit, ponit igitur in primis primam combinationem falsam, & concedit de ea concludere argumentum antiquorum cum inquit. [Dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo quod non est.] Simpliciter enim hic significat idem, quod per se, quasi dicat, concedo etiam ego impossibile esse aliquid fieri per se ex non ente, hoc enim significat fieri ex non ente, quatenus est non ens, & ita sine vlla subiecta materia, & ex merè nihilo, necesse enim est addere ex non ente per se, & ita dubium antiquorum concludit, quòd ex puro non ente res per se fiat, quod etiam ab Aristotele conceditur. Secundam autem combinationem Aristoteles non ponit, quoniam licet falsa sit tamen non fuit posita, neque cognita ab antiquis: deinde ponit quartam veram, quando dicit, [sed tamen fieri ex eo, quod non est, vt secundum accidens.] Idest, dico tamen hanc esse veram aliquid fieri per accidens ex non ente, intelligit autem ex non ente per se, quare vtitur etiam per se, & per accidens ad ipsum non ens, statim enim seipsum declarans dicit [ex priuatione enim quæ est per se non ens, non inexistente fit] fieri ex aliquo non inexistente, idest, non remanente, est fieri per accidens, quare est sensus, ex priuatione enim, quæ est non ens per se, res fit per accidens, quare patet Aristotelem ipsi quidem fieri per accidens, ipsi autem non enti apponere per se, vt per non ens significet priuationem, quæ est quarta combinatio vera. Sub hac tamen videtur etiam significari tertia combinatio vera, quia omne per accidens reducitur ad aliquid per se, quod enim dicimus esse per accidens est merito alicuius, quod dicatur per se, quod igitur ex priuatione, quæ est per se non ens, dicatur res fieri per accidens, est quoniam, ex aliquo alio, cui priuatio accidit, res fit per se, ex materia enim res per se fit, cùm materia permaneat in re, & ipsa materia est non ens per accidens, idest merito priuationis, quæ est non ens per se. Est in litera error quidam, verba enim illa, [non ex eo quod inest] non bene referunt vim verborum Græcorum ὐκ ἐνυπάρχοντος, in quibus dictio, ex, non legitur, quare legendum est, non inexistente, vt ad priuationem referantur, sicuti exposuimus. Subdit Aristoteles mirabile hoc esse, quod aliquis inuenerit modum, quo aliquid dicatur ex non ente fieri, hoc enim ab omnibus impossibile existimatur, attamen benè considerantibus apparet quòd vno modo est impossibile, altero modo est possibile, & sic dubitatio tollitur, nam verum est quod ex nihilo impossibile est aliquid fieri, intelligendo per se, idest, ex omnino nihilo, vt nulla supponatur materia, sed ex priuatione, quæ est nihil, cui tamen materia subest, quæ non est per se nihil, sed per priuationem, res dicuntur fieri, nec fiunt penitus ex nihilo, quia non fiunt ex solo per se non ente, quare non per se ex ipso dicuntur fieri, sed per accidens, quoniam fiunt per se ex alio, idest ex materia, nam materia subest, quæ quidem non est per se non ens, neque est penitus nihil; possumus igitur ad dubium respondere accipiendo illam partem, quòd ens ex non ente fit, hanc enim si nos sano modo intelligamus, argumentum contra eam nihil concludit.

Textus

Textus Septuagesimus Sextus.

Similiter autem neque ex eo quod est, neque id, quod est fieri, nisi secundum accidens, sic autem & hoc fieri eodem modo, vt si ex animali animal vtique fiat, & si ex quodam animali quod dam animal, vt si canis ex equo fiat, fiet enim non solum ex quodam animali canis, sed etiam ex animali, at non quatenus est animal, est enim iam hoc; si autem aliquid debet fieri animal non secundum accidens, non ex animali erit;

HIc Aristoteles vult docere, quomodo ex ente ens fieri possit, vt possimus etiam ad dubium respondere accipiendo illam partem quòd ex ente fit, declarat igitur quomodo falsum, & impossibile fit, quod ens ex ente fiat, vt contra hoc dubitatio antiquorum valeret; necnon quo modo illud verum ac possibile fit, neque aduersum id dubitatio ipsa concludat. Est autem aduertendum in primis, quòd nomen entis non sumitur hìc ab Aristotele nisi pro ente in actu, pro ipso composito perfecto, quare non dicit materiam secundùm se esse ens, quia propriam eius veritatem non considerat, sed illam tantùm quam habet ratione compositi; propterea non potest hìc ipsi enti accõmodari illa distinctio in per se, & per accidens, quoniam enim ens non significat aliud, quàm compositum, hoc non potest vocari ens per accidens, distinctio igitur accòmodatur solum ipsi fieri, & Aristoteles dicit verum esse, quod ens non fit per se ex ente, fit tamen per accidens ex ente, vt si fiat aer ex aqua, est ens ex ente, tamen per accidẽs fit aer ex illa aqua quatenus aqua est, quia aqua est & aqua, & nõ aer, ens, & non ens, aer igitur ex ea fit, non quatenus est aqua, sed quatenus est non aer, & sic ex non ente fit per se, idest, ex non illo, quod fieri debet, ex ente autem per accidens, cũ enim per se ex materia fiat, quæ est in aqua; est per accidens respectu aeris, quòd in illa materia insit forma aquæ, quare fit ex aqua per accidens. Vt autem hoc clarius fieret, Aristoteles sumit exemplum sensatius, & loco entis sumit animal, idem enim est dicere ens ex ente, ac animal ex animali; supponamus enim quòd fiat animal ex animali; vt equus ex cane, non quidem vt ex efficiente, sed vt ex materia, quamuis enim sit exemplum impossibile, nihil refert; fingitur enim ab Aristotele ad rei declarationem; poterat fortasse sumi exemplum verius, vt cùm fit auis ex verme, quod videmus in bombycibus, animal enim ex animali fit tanquam ex materia, inquit igitur Aristotelis, si ex cane equus fiat, fiet animal ex animali per accidens; non enim factus est equus ex eo quatenus canis est, & quatenus alterum animal, sed potius è contrario quatenus est non animal, idest, non illud, quod fieri debet, canis enim ille est & animal, scilicet canis, & non animal, scilicet, non equus, quare equus ex eo per se fit, quatenus est non equus, per accidens autem quatenus est canis, accidit enim illi non equo, ex quo equus fieri potest, vt sit alterum animal, & canis. Sic igitur possumus soluere argumẽtum antiquorum accipiendo illam partem, quòd ens ex ente fiat, quando enim dicebat si ex ente, ergo ens est antequàm fiat, dicit Arist. hoc verum esse si intelligatur per se, si enim animal ex animali fieret vt animali, & per se, proculdubio animal esset antequã fieret, ita.n.dicimus pręexistere illud idem, quod est postea generandum, si enim ex animali quatenus est animal generatur animal, iam est illud, quod fieri vult, quid ergo vult fieri si iam est ani-

mal? sic etiam de ente, fit enim ens ex non ente, sed per accidens, per se enim ex non ente, idest ex non illo, quod fieri debet, cui non enti accidit, vt sit aliud ens, est enim simul & ens, & non ens, idest, non illud ens, quod fieri debet, & contra hoc dubitatio nihil concludit, cùm enim ens fiat per accidens ex ente, non sequitur, ergo est antequàm fiat, cùm non fiat ex eo vt ente, sed potius vt ex non ente, quare cùm per se ex non ente fiat, sequitur potius quòd ens non est antequam fiat: hoc autem non ens, ex quo Aristoteles dicit rem per se fieri, non est non ens purum, pura priuatio, sed est materia ipsa, quæ est non ens per accidens, accidit enim ei vt habeat priuationem formæ venturæ, & vt habeat alteram formam alterius entis, vt materia aquæ, prout ex ea debet fieri aer, habet per accidens & vt sit ens, idest, habeat formam aquæ, & vt sit non ens, idest, habeat priuationem formæ aeris, res igitur vt aer fit per se ex illa materia, quatenus est non ens per accidens, idest quatenus est priuata forma aeris, per accidens autem quatenus est aqua.

Textus Septuagesimus Septimus.

Et si aliquid sit, non ex eo, quod est neque ex eo, quod non est; quod enim ex eo, quod non est, dictum est nobis quid significet, quòd quatenus non est. Amplius autem & esse omne, aut non esse non remouemus.



CONCLVDIT Aristoteles & de ente, & de non ente, quomodo verum sit quòd ex vtroque ens fiat, & quomodo non sit vnum. Dixit enim neutrum esse verum per se, per se autem significat quatenus est ens, & quatenus est non ens, quia neque ex ente quatenus est ens, potest aliquid fieri, neque ex non ente, quatenus est non ens, & hoc tantùm concludit dubitatio antiquorum, sed non concludit si intelligamus per accidens, nam & ex ente, & ex non ente res per accidens fit. Deinde cùm dicit [Amplius autem & esse omne, aut non esse non remouemus.] Adducit instantiam contra antiquos & simul ostendit eorum absurditatem, & propriæ opinionis veritatem; antiqui enim negant principium contradictionis omnibus notissimum quod est, de omni re verum esse affirmare, vel negare, nam simul tollunt affirmationem, & negationem, cùm dicant neque ex ente, neque ex non ente posse aliquid fieri, ens autem & non ens, seu esse & non esse, sunt termini contradictorij, quare cogimur alterum duorum admittere, & cùm videamus res fieri, concedere, vel quod ex ente, vel quòd ex non ente fiant, Antiqui enim remouent a termino generationis vtrumque simul, & negant ipsum ens, negant etiam non ens, quare negant axioma notissimum. Nos autem (inquit Aristoteles) non remouemus omne esse & omne non esse, neque negamus principium contradictionis; ens enim, & non ens accipimus, vt contraria, quibus datur medium, possumus ergo negare ambo contraria simul, quia possunt vtraque falsa esse, & medium esse verum, antiqui verò non cognoscentes aliquod medium acceperunt ens, & non ens, vt contradictoria, inter quæ nullum medium relinqueretur, ideò negauerunt principium contradictionis, tollentes simul omne ens, & omne non ens, ideò magnam merentur reprehensionem. Sciendum autem quod antiqui non cognouerunt aliud ens, quàm ens perfectum, quod est in actu, neque cognouerunt aliud non ens quàm purum nihil, & ita hæc apud eos erant veluti membra contradictoria, inter quæ nullum caderet medium, ideò ex vtriusque ablatione putarunt sublatum esse omnem terminum generationis a quo, & ita nihil posse generari;

netari; Aristoteles autem medium inuenit inter ens perfectum, & purum nihil, videlicet naturam primæ materiæ, quæ neque est ens perfectum, neque est omninò non ens, sed est non ens propter priuationem: concedit igitur Aristoteles argumentum antiquorum valere de illis duobus extremis, res enim non fiunt per se ex puro nihilo, & priuatione, neque etiam ex ente perfecto, sed si ex his fiunt, fiunt per accidens. Quare ad antiquos possumus respondere, concedendo totum argumentum, dum intelligitur fieri per se, quia ex neutro extremo res fiunt per se, sed per se fiunt ex natura quadam media inter ens perfectum, & purum non ens inuenta ab Aristotele, quæ est natura primæ materiæ, quæ dicitur non ens per accidens. Possumus etiam respondere concedendo vtrumque, videlicet, & ex ente, & ex non ente res fieri, si enim intelligamus fieri per accidens vtrumque est verum, Aristoteles igitur a termino generationis ex quo non remouet omne ens, & omne non ens, solùm remouet ens per se, & non ens per se, quæ sunt duo extrema, non remouet non ens per accidens, quæ est natura materiæ media inter illa extrema, ex hac enim ens dicitur per se fieri quatenus est priuata, idest, quatenus est non ens per accidens, [Vnus igitur modus hic est] concludit Aristoteles hunc esse primum modum soluendi dubitationem antiquorum per distinctionem in per se, & per accidens, sicuti declaratum est.

Textus Septuagesimus Octauus.

Alius autem quòd contingit eadem dicere secundùm potentiam, & actum, hoc autem in alijs determinatum est cum diligentia magis. Quare quod quidem dicebamus, dubitationes soluuntur; propter quas coacti remouent dictorum quædam, propter hoc enim tantùm auersi sunt Priores à via in generationem, & corruptionem, & omninò mutationem, hæc enim visa natura omnem soluit hanc ipsorum ignorantiam:

SVBDIT alterum modum soluendi eandem dubitationem per alteram distinctionem in potentiam & actum, quomodo autem per hanc distinctionem soluatur dubitatio ipse non declarat, sed nobis considerandum relinquit, fortasse ob causam, quam ipse subiungit, quia de actu, & potentia loqui est munus Metaphysici, ideò dicit se de his locutum esse diligentius in alijs, idest, in libro nono Metaphysicorum. Vbi debemus annotare modum loquendi Aristotelis, qui dicit [in alijs determinatum est] vtens verbo præteriti temporis, cùm tamen Metaphysica non præcedat Physicam, vt ipsum vocabulum significat, vnde patet inualida esse argumenta, quæ ad demonstrandum librorum ordinem sumuntur quandoque ex similibus verbis Aristotelis, quando enim dicit se de aliqua re egisse, solent inde colligere quod alter ille liber debeat præcedere, sed quàm debile sit hoc argumentum, hic videre possumus; est enim modus quidam loquendi Aristotelis, qui non significat librorum ordinem, sed significat iam scriptos esse libros omnes ab Aristotele, quando nos aliquem eorum legimus, sciebat enim Aristoteles neminem esse lecturum libros hos Physicos, nisi quando etiam libri Metaphysici essent conscripti, & ita scriptio Metaphysicæ est præterita, non respectu scriptionis libri Physici, sed respectu nostræ le-

ctionis libri Physici. Cùm igitur Aristoteles nobis considerandum relinquat, quomodo hoc dubium soluatur per distinctionem in potentiam, & actum, declaremus nos hanc solutionem. Diuidendum est ens in ens actu, & ens potentia, ita non ens actu, & non ens potentia; ens actu est ipsum compositum perfectum, ens in potentia est id, quod non est actu, sed esse potest; non ens actu est, quod actu quidem nondum est, esse tamen potest, non ens potentia est, quod neque est, neque esse potest, vbi enim negatur actus existendi, non tollitur potentia, sed vbi potentia tollitur, tollitur etiam actus. Argumentum igitur antiquorum concludit, quòd ex ente in actu non potest ens fieri, tunc enim sequeretur quòd ens esset antequàm fieret, animal enim ex animali in actu non potest fieri, nisi dicamus per accidens, vt supra dictum fuit, tamen ens actu potest fieri ex ente in potentia, & contra hoc dubitatio nihil concludit, concedam enim quod ens sit antequàm fiat, fit enim equus actu ex equo in potentia, & equus est potentia antequàm fiat actu, alio igitur modo fit, alio modo prius fuit, quare nullum inconueniens sequitur. Similiter dicamus de non ente, nam ex non ente in potentia concedimus nil posse fieri, idest, ex puro nihilo, quod neque est, neque esse potest, hoc enim est impossibile vt fiat, de tali igitur non ente, quod est nihil, dubitatio valet, sed non valet de non ente in actu, dum enim solum actum existendi tollimus, non tollimus potentiam, quare hoc idem, quod dicitur nō ens actu, est id, quod dicebatur ens in potentia, ex quo potest fieri ens actu, & argumentum contra hoc nihil valet. Sciendum est autem quòd ens in potentia non potest esse purum nihil, si enim esse purum nihil, non esset possibile esse, quia ex nihilo nihil potest fieri, dicitur igitur ens aliquod in potentia, vt homo in potentia, equus in potentia, quando pars eius præexistit, non potest fieri in actu; præexistit ergo ipsa materia, quæ dicitur equus potentia, & potentia homo, est enim inchoatio quædam omnium rerum, cui complementum deest, ideo ipsa dicitur equus potentia, equus inchoatus, non tamen perfectus, est igitur impossibile rei inchoatæ, & imperfectæ addere perfectionem, ideò adueniente forma fit res in actu perfecto, quare materia prima est illud ens in potentia, & non ens actu, ex quo fit actu ens, fit enim actu equus ex equo potentia non actu existente, idest, ex materia prima, quæ est medium quoddam ab Aristotele inuentum inter ens actu, & purum nihil, quod neque est actu, neque potentia. Antiqui verò eam non cognouerunt, ideò argumentum ipsorum valet de vtroque extremo, nam neque ex ente in actu, neque ex puro nihilo potest ens aliquod fieri, quod eis concedit Aristoteles, sed fit ex materia prima, quæ est non ens actu, & ens potentia; Ideò aduertendum est quòd hæc secunda solutio argumenti antiquorum non est reuera diuersa a priore, sed est eadem dicta per alia verba, sicut ipse Aristoteles significat dum hìc dicit [contingit eadem dicere secundum potentiam, & actum] idest, dare possumus eandem solutionem per distinctionem in potentiam, & actum, vtraque enim solutio in eundem sensum cadit quòd omnia, quæ fiunt secundum substantiam, fiunt ex materia prima, quæ est medium inter ens perfectum & purum nihil; hanc significauit in prima solutione dum dixit ex non ente per accidens res per se fieri, materia enim est non ens per accidens, & hìc vocatur non ens actu, & ens in potentia, quare per inuentionem materiæ primæ Aristoteles soluit dubitationem antiquorum. Hunc locum ego alias consideraui, dum legerem primum capitulum primi libri Posteriorum, quia sicuti hìc Aristoteles ostendit possibilitatem generationis per naturam mediam inuentam inter ens perfectum & purum nihil; ita ibi declarat possibilitatem acquirendæ scientiæ perfectæ per cognitionem quandam potentialem, & mediam inter perfectam scientiam, & plenam ignorantiam, conclusio enim dicitur cognita in potentia in propositione maiore, ideò sicuti ex materia prima, quæ est potentia, equus potest fieri equus actu per actionem a gentis; ita

ex

ex cognitione maioris propositionis, in qua conclusio cognoscitur in potentia, adhibita minore potest acquiri actualis, & perfecta scientia conclusionis; est igitur possibile per demonstrationem scire, quia nihil aliud est demonstrare, quàm procedere a cognitione potentiali conclusionis, quæ in suis principijs consistit, ad actualem & perfectam eiusdem scientiam, quæ habetur in illatione conclusionis. [Quare quod quidem dicebamus] concludit Aristoteles solutas esse omnes antiquorum dubitationes, quibus coacti negauerunt omnem generationem, & corruptionem substantialem, & multitudinem entium, sicuti supra dictum est, in textu septuagesimoprimo, & septuagesimosecundo. Quomodo autem solutæ fuerint omnes dubitaiones, declarat Aristoteles subdens [hæc enim visa natura omnem soluit ipsorum ignorantiam] cum primum enim natura primæ materiæ ab Aristotele inuenta in lucem prodijt, statim patuit solutio totius dubitationis; patet igitur quòd vterque modus soluendi, quo Aristoteles vsus est, ad vnicam solutionem redigitur, nititur enim vterque in ipsa materiæ natura, per quam tota dubitatio soluta est. Per hæc autem videtur significare Aristoteles errorem communem omnium antiquorum loquentiũ de prima rerum materia, omnes enim eam posuerunt ens in actu perfecto, vt vnum elementorum, vel plura ex eis, tali autem posita non potuerunt saluare generationem substantialem, quia ex ente in actu perfecto non potest aliquid fieri per se, & vt ex materia manente in re facta, sicuti in textu septuagesimosexto declaratum fuit.

Textus Septuagesimus Nonus.

Tangentes igitur, & alij quidam fuerunt ipsam, sed non sufficienter. Primum enim confitentur simpliciter fieri aliquid ex eo quod est; quod Parmenidem rectè dicere; postea videtur ipsis, si quidem est numero vna, & potentia tantum esse, hoc autem differt plurimum. Nos enim materiam, & priuationem alterum esse dicimus, & horum, materiam quidem non ens esse secundum accidens, priuationem autem per se, & materiam quidem propè, & quodammodo substantiam, priuationem autem nequaquam;

TRANSIT Aristoteles ad considerandum Platonis defectum in materiæ primæ cognitione, & Platonem alijs antiquioribus præfert, quoniam illi nullatenus materiam primam cognouerunt; Plato vero aliquo modo tetigit eius naturam, sed non sufficienter, nec plenè eius naturam fuit assecutus. Duos autem tangit Platonis defectus in declaranda natura primæ materiæ, vnum quando dicit [Primum enim.] Plato enim visus est sequi sententiam Parmenidis in eo quod dixit, quicquid est præter ens esse non ens, quare de materia prima loquens Plato eam concessit esse præter ens, & consequenter esse non ens, & ita ex non ente res fieri, intelligendo ex non ente simpliciter, quod tamen supra in textu septuagesimoquinto ostendimus esse impossibile. Est autem notandum quod contradictio videtur inter Aristotelem hic, & in textu trigesimo, & trigesimoprimo huius libri, ibi enim Aristoteles tribuit Platoni, quòd non concesserit materiam esse ita non ens, vt sit nihil penitus. Cum enim Parmenides ita argumentaretur; quod est præter ens, est non ens, & non ens

est

est nihil, ergo ens est vnum. Plato concessit primam propositionem, videlicet, quod est præter ens esse non ens, sed alteram negauit, videlicet, non ens esse nihil, quia dixit non ens esse quodammodo ens, materiam enim appellabat non ens, quæ tamen erat aliquo modo ens, sed non verè ens, ergo Plato non dixit materiam esse penitus nihil, hic tamen Aristoteles oppositum ei tribuit, quòd dixerit materiam esse simpliciter non ens. Aliqui posteriores fortasse hac difficultate moti dicunt eam dictionem [simpliciter] non significare per se, & omninò, sicut significauit supra in textu septuagesimoquinto, quando Aristoteles dixit, nihil fieri ex non ente simpliciter, sed accipi pro eo, quod est sine distinctione. Plato enim dixit sine distinctione aliqua, quod ex non ente, idest, ex materia res fiunt, quia non distinxit materiam a priuatione. Quæ expositio non est admittenda, quia mox Aristoteles considerabit alterum Platonis defectum in non distinguendo materiam a priuatione, quando dicit [postea videtur] quare hic non potest eundem defectum intelligere. Præterea Parmenides non errauit, quia materiam a priuatione non distinxerit, sed quia nullo modo materiam cognouit, quare non oportebat hic aliquid dicere de Parmenide, quia Plato in hoc non est secutus Parmenidem, qui hoc nunquam dixit. Nos igitur possumus dicere quòd Plato licet dixerit materiam esse aliquo modo ens, tamen dixit eam non esse verè ens, sed vnicum esse verè ens, & materiam esse præter verè ens, quare cùm negauerit eam esse verè ens, fecit eam simpliciter non ens, nihil enim est ens, quod non verè sit ens, sicuti dicit Aristoteles in textu trigesimoprimo, si ergo materia aliquo modo esset ens, esset etiam aliquo modo verè ens, quare cùm neget Plato eam esse verè ens, cogitur dicere eam esse nihil, & ita ex penitus nihilo res fieri, non dicit autem Aristoteles Platonem in hoc secutum esse Parmenidem, quia non dixit Parmenides quòd ex non ente res fiant, sed in illa propositione, quòd id quod est præter ens, est non ens. Præterea cùm Plato priuationem a materia distinctam non cognouerit, non potuit dicere materiam esse non ens per priuationem, vt nos dicimus, quare vocando eam non ens, cogitur eam facere non ens per se. Ideò dictio illa [simpliciter] sumitur hic pro per se. Possumus etiam dicere quod ea dictio non annectitur non enti, sed verbo fieri. Plato enim cùm diceret materiam esse non ens, dixit res ex ea fieri per se, idest, quatenus est non ens. Possumus etiam aliter locum hunc planius interpretari, vt Aristoteles vnicum tangat Platonis defectum quod non distinxit materiam a priuatione, & ita illis duabus dictionibus [primùm & postea] non duos defectus notet, sed duo Platonis dicta. Prius enim dixit materiam esse non ens, cùm sit præter verum ens, quippè Parmenidis propositionem, illam admittens, quicquid est præter ens, est non ens, sed postea cùm distinguere debuisset hoc non ens in duo principia nempè in non ens per accidens, quæ est materia, & non ens per se, quæ est priuatio, ipse tamen vnum tantum principium esse existimauit, hoc est & subiecto & ratione idem. Hoc modo nulla est contradictio cum textu trigesimo & trigesimoprimo. Imò huius expositionis comprobatio. Cùm enim ibi fassus sit hoc non ens non omnino esse nihil, sed aliquo etiam modo esse ens, debuit distinguere id, quod per accidens est non ens, ab eo, quod est per se non ens, sed hoc ipse despexit, vt postea dicetur. Possumus etiam dicere quòd [simpliciter] hic sumitur pro sine distinctione, non tamen materiæ a priuatione, quia Aristoteles nugationem faceret, si hoc intelligeret, subdit enim iterum hunc eundem Platonis defectum, & tanquàm diuersum ab hoc primo defectu, sed sine distinctione entis, & non entis in potentiam, & actum, in per se & per accidens, & ipsius fieri in per se, & per accidens. Simpliciter enim protulit Plato, quòd ex non ente res fiunt, non declarans quòd illud non ens sit ens in potentia, & non ens per accidens, quare cùm absolutè prolata verba trahantur ad promptius, & principalius significatum, sicuti significauit Aristoteles in textu septuagesimoquarto, visus est dicere Plato, quòd res

fiant


fiant per se ex simpliciter non ente, idest, per se non ente, quod Aristoteles in textu septuagesimoquinto dixit esse impossibile. Sed videtur Aristoteles potius prauum sensum verborum Platonis reprobare, quàm ipsam Platonis sententiam, Plato enim negans materiam esse verè ens, & negans eam esse penitus nihil, significauit naturam eius mediam inter ens perfectum, & purum nihil, quare veritatem non ignorauit, Aristoteles autem eum reprehendit quòd mancus, & diminutus fuerit in declaranda natura materiæ, eo quod non expressit has distinctiones in per se, & per accidens, & in potentiam, & actum. Sed si Timæum Platonis legamus circiter dimidium illius libri videbimus Platonem optimè declarasse naturam materiæ, dicit enim eam esse incorruptibilem, inuisibilem, adulterina solùm cognitione cognoscibilem, prorsus informem, & semper in potentia ad receptionem omnium formarum, quare formarum locum eam vocat, & ostendit quod si aliquam formam sibi propriam haberet, alias recipere nulla ratione posset. [Postea videtur] tangit Aristoteles alium Platonis defectum, quòd inter materiam, & priuationem non distinxit, cùm enim materialem causam dixerit esse in pura potentia ad omnes formas, & ita omnibus priuatam, vnicum principium putauit esse materiam ipsam priuatam, cùm tamen aliud sit materia subiecta, aliud priuatio, quare non cognouit, quòd licet sit vnum subiecto, sunt tamen duo ratione, sed existimauit quod materia ipsa priuata [si quidem est numero vna] sicuti est vnum quoddam secundùm numerum & secundùm subiectum, [& potentia tantùm esse] etiam ratione & essentia sint vnum tantùm, non tamen sint duo; dictio enim illa δυνάμει significat virtute, essentia, ratione, [hoc autem differt plurimum] scilicet esse vnum subiecto & esse vnum ratione, multa enim sunt vnum subiecto, quæ tamen non sunt vnum ratione. [Nos enim materiam, & priuationem alterum esse dicimus] Refert Aristoteles propriam sententiam de materiæ, ac priuationis differentia, & eam declarat esse duplicem, quam etiam vtramque in solutione dubitationis antiquorum paulò ante considerauit; Differunt primò, quoniam materia est non ens per accidens, idest, per priuationem non per seipsam, ideò enim non dicitur ens perfectum, quia est priuata, & priuatio quatenus est priuatio, est non ens per se, vt supra ostendimus. Differunt secundò, quoniam [materia est propè, & quodammodo substantia, priuatio autem nequaquam] substantia hìc sumitur pro substantia composita, quæ dicitur hoc aliquid sicuti etiam in textu sexagesimonono, quare materia prima hoc modo non dicitur substantia, sed propè, & quodammodo, est enim in potentia vt fiat substantia, est substantia imperfecta, & inchoatio substantiæ, quæ ex incompleta potest fieri completa. Priuatio verò nullo modo est substantia, quia est opposita substantiæ, & est purum nihil, imò (inquit Auerroes) priuatio ne accidens quidem est, tantùm abest vt sit substantia, accidens enim habet esse positiuum, at priuatio secundùm se, & formaliter accepta habet purum esse priuatiuum.

Textus Octuagesimus.

Quidam autem quod non est magnum, & paruum similiter, aut simul vtrumque, aut seorsum vtrumque, quare penitus alter est modus hìc trinitatis, & ille hoc vsque enim processerunt, quod oportet quandam supponi naturam; hanc tamen vnam faciunt; & enim si aliquis dualitatem facit, dicens magnum, & paruum ipsam, non minus idem facit, alteram enim despexit permanens

enim

enim cum forma causa est eorum, quæ fiunt, sicut mater, altera verò pars contrarietatis, sæpè per imaginationem videbitur ad maleficium ipsius intendenti intellectum neque esse penitus.



ROLATA sua opinione hic Aristoteles ad sententiam Platonis reuertitur, quam suæ contraponit, & ab ea diuersam esse ostendit, soluens instantiam ad probandum non differre Platonis sententiam ab Aristotelis opinione: Est autem hæc latina locutio absurda, & parum conueniens, cùm enim de Platone loquatur, de quo in textu præcedenti loquebatur, non conuenit dicere [quidam] sed dicendum potius est, qui autem, vt sensus sit, qui autem dicunt, idest, Plato autem, qui dicit non ens, idest ipsam materiam esse magnum & paruum, hæc enim verba illis [nos enim] ex aduerso respondent; Poterat itaque obiectio Aristoteli fieri talis, videtur tua sententia non differre a sententia Platonis, sicuti enim tu ponis tria principia, materiam, priuationem, & formam, ita ipse tria ponit, videlicet, magnum, paruum, & vnum, vt tria distincta principia; at [dicit Aristoteles] non est verum quòd Plato tria distincta principia ponat, sed duo tantum, quia magnum & paruum non referunt nisi vnicū principium scilicet materiam, siue enim separatim ponantur, siue simul vtrumque, non significant aliud principium, quàm materiam, quam Plato vocauit non ens, priuationem autem prætermisit, tria igitur nomina pronuntiauit, sed principia duo, quia apud eum, hæc duo vocabula magnum & paruum solam materiam significabant, & sic principium vnicum, de priuatione autem nihil dixit; quare duo tantum principia posuit materiam, & formam, quæ tribus vocabulis significauit; Alius igitur trinitatis modus positus est ab Aristotele, & alius a Platone, Aristoteles enim tria principia posuit formaliter a seinuicem distincta, at Plato duo tantum principia per tria nomina significauit, id enim tantum cognouit quod oportet esse aliquam subiectam naturam ex qua res fierent, & hanc vnam esse facit, quia non distinguit ab ea priuationem, & quamuis videatur dicere eam duo esse dum dicat magnum, & paruum, hæc tamen duo idem significant, videlicet, ipsam subiectam materiam, patet igitur Platonis defectus, qui ad hanc vsque veritatem peruenit, qui cognouit necessariam esse aliquam materiam, sed cognouit eam in duo principia esse distinguendam, & cum priuatione eam confudit. [alteram enim despexit] Videtur Aristoteles afferre quandam excusationem defectus Platonis, considerans causam rationabilem cur Plato priuationem omiserit, spreuit nanque eam Plato, quia vidit ipsam non permanere in composito, sed materiam solam permanere, & simul cum forma constituere sufficienter totam substantiam compositi, veluti matrem, vocauit enim Plato in Timæo materiam matrem, & communiter vocatur mater, quia est principium passiuum & receptaculum omnium formarum. [altera verò pars contrarietatis] at priuatio, quæ opponitur formæ, non videbatur ei digna nomine principij, cum sit non ens penitus, non enim videtur esse dicendum principium, quod nullo modo est ens, & hæc est rationabilis ratio, cur priuatio a Platone spreta fuerit. In verborum constructione multi errant, qui ea ita construunt, sæpè videbitur alicui intendenti intellectum quòd priuatio sit ad maleficium, neque sit ens omnino, adeo vt de priuatione duo hic prædicentur, quod sit ad maleficium, & quòd sit penitus nihil; quare dubitatio statim oritur quomodo sit in natura aliquod principium, quod naturaliter solum dirigatur ad malum. Sed hic non est sensus Aristotelis vt in Græcis verbis clarum est, vnicum enim prædicatum hæc verba habet, illud videlicet, [neque etiam penitus] illud verò [ad maleficium] continetur in subiecto propositionis, non in prædicato, & talis esset debet esse constructio, sæpe per imagi-

imaginationem videbitur alicui intendenti animum ad maleficium ipsius priuationis quod ipsa priuatio sit penitus nihil, illa enim particula [neque] non habet hic vim coniunctiuam, sed est simplex negatio ad maiorem efficaciam posita, sicut est in vsu apud Græcos. Aristoteles ergo non dicit priuationem a natura dicens ad maleficiendum, sed dicit quod videtur esse penitus nihil, dum consideramus maleficium ab ea proueniens, ipsa enim adueniente res destruitur, & non est, cum igitur ipsa sit, quæ facit res non esse, sequitur eam esse purum nihil, propterea eam cum aliqua ratione spreuit Plato, vt indignam nomine principij. Hæc tamen est leuis, & insufficiens Platonis excusatio; quod enim priuatio sit penitus non ens, id quidem valet ad probandum eam non esse principium per se, quod in re maneat, & eam constituat, sed non propterea sequitur eam non posse esse principium per accidens, & terminum generationis a quo, sicut Aristoteles declarauit, nam de ratione talis principij est vt sit non ens, quia necessarium est generationi vt non esse præcedat esse, & priuatio præcedat formam; stat ergo quod priuatio sit penitus nihil, & tamen inter principia rerum numeretur, vt dictum est. Perpendenda sunt quædam verba Auerrois in Commentario septuagesimonono, vbi dicit quod omne habens materiam est corruptibile, & affert rationem, quia priuatio est in natura materiæ; quibus verbis videtur Auerroes sibi contradicere, quia & præcedentibus verbis, & sequentibus dicit quod neque forma, neque priuatio est de natura, & substantia materiæ. Ad hoc dicendum quod quando Auerroes dicit priuationem formæ esse in natura materiæ verba hæc habent sensum negatiuum tantum, videlicet quod in natura materiæ non est forma, statim enim huius rationem afferens dicit; quia si in sui natura esset formata, non reciperet alias formas, quod igitur dicit Auerroes de priuatione, nos debemus intelligere de potentia ipsius materiæ, potentia enim est de essentia materiæ dum materia sumitur vt principium rerum naturalium, priuatio autem significat formam de prædicamento substantiæ contrarium quodammodo alteri formæ, & priuatio formæ hominis est forma seminis contraria quodammodam formæ hominis, seu etiam forma cadaueris. De natura igitur materiæ est potentia passiua indifferens ad opposita, ad formam, & ad priuationem, idest, ad contrarias formas, ideò cum Auerroes dicit, quia in natura materiæ est priuatio formæ, significat quod in natura materiæ est potentia etiam ad priuationem formæ, idest, ad formam oppositam, quare sequitur quod omne habens materiam est corruptibile. Hanc eandem sententiam apud Aristotelem legimus in libro de Longitudine, & breuitate vitæ, vbi dicit impossibile est materiam habenti non habere contrarium, ideò omnis forma materialis necessariò habet formam contrariam, a qua potest pelli, & sic corruptibilis est. Sententia ergo Auerrois est quod neque priuatio, neque forma est de essentia, & natura materiæ, sed potentia libera ad vtramque est de natura materiæ, prout est principium rerum naturalium, ideò dicit postea Auerroes, quod materia est quasi composita ex esse, & non esse, idest, habet naturalem potentiam ad contrarias formas, & ad priuationem, & formam, causa igitur generationis, & corruptionis est secundum Auerroem potentia passiua materiæ libera ad opposita, seu potius causa generabilitatis, & corruptibilitatis, omne enim habens materiam habet formam contrariam, ideò omne habens materiam est generabile, & corruptibile, quia potentia naturalis non potest esse frustra, sed necessario reducitur ad actum; hæc autem omnia fusius tractabuntur in fine libri in quæstione de materia prima. Ex his etiam infert Auerroes quod cœlestia corpora non habent materiam huiusmodi, qualem habent hæc inferiora, quia si talem materiam Cœlum haberet, esset corruptibile, sicut ipse declarauit in libro suo de substantia orbis, sed hoc non est præsentis speculationis, nos satis de hac re locuti sumus in primo libro de Cœlo in quæstione de materia Cœli.

Textus

Textus Octuagesimus Primus.

Existente enim quodam diuino, & bono, & appetibili, aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse, aliud autem quod natura aptum est appetere, & desiderare ipsum secundùm suam ipsius naturam, quibusdam autem accidit contrarium appetere suam ipsius corruptionem, attamen neque ipsum suam ipsius possibile est appetere formam, propterea quòd non est indigens, neque contrarium, corruptiua enim sunt sui inuicem contraria, sed hoc est materia, sicut si fœmina masculum, & turpe pulchrum, verùm non per se turpe, sed secundùm accidens, neque fœmina, sed secundùm accidens.

PArticvla illa [enim] habet vim continuandi textum hunc cum præcedentibus, significat enim Aristotelem declarare ea, quæ proximè dixit & eorum reddere rationem. Credo igitur Aristotelem velle declarare naturam maleficam priuationis, quia opponitur bono, ac diuino, & rationem reddere cur hoc non obstante debet priuatio inter principia connumerari, vt tria sint distincta principia non duo tantùm materiam, & formam, quia licet ipsa priuatio sit non ens, est tamen necessaria rebus generandis; & demùm Platonem ad inconueniens ducere, quia materiam cum priuatione confudit, & assignare rationem diuersitatis materiæ a priuatione. Hæc omnia vult hìc significare Aristoteles, ad declarationem, & confirmationem eorum, quæ in duobus præcedentibus dixerat. In primis Aristoteles supra ratione ab appetitu rationem affert cur tria debeant esse principia, & quæ sint singulorum naturæ, cùm enim hæc sint interna principia, & elementa, ex quarum coitu res fiunt, necesse fuit vt natura in eis poneret naturalem quandam inclinationem, qua ad generationem traherentur, quæ inclinatio dicitur appetitus naturalis, cùm igitur in omni appetitu tria requirantur inter se distincta, colligitur necessarius ternarius numerus principiorum. Primum enim oportet adesse aliquod appetibile, & habens rationem boni. Deinde aliquid, a quo appetatur. Tertio debet istud appetens esse priuatum, & carens illo bono, ideò enim appetit, quia caret, & hæc omnia ex Platone in conuiuio colliguntur, Hæc igitur fuit ratio, cur tantum tria principia statuerat generationi necessaria; forma enim est actus, & bonum, & perfectum, ideò est finis generationis, habens rationem appetibilis; materia verò formam appetit vt perfectionem; appetit autem, quia est priuata, si enim eam haberet, non appeteret; tria ergo sunt distincta principia, forma, quæ appetitur, materia appetens, & priuatio, quæ est causa ipsius appetitus, patet igitur ratio ternarij numeri principiorum; patet etiam natura malefica priuationis, quæ est contraria bono, ac diuino, & significat eius absentiam, & ponit in materia imperfectionem. Hæc est Aristotelis sententia in prima parte textus cùm dicit [Existente enim quodam diuino, bono, & appetibili &c.] his autem verbis significat formam, & sensus est; cùm sit quoddam diuinum, bonum, & appetibile, scilicet ipsa forma, aliud est huic contrarium, videlicet priuatio ipsius, aliud verò, quòd secundùm propriam naturam appetit, ac desiderat illud bonum, nempè ipsa

materia,

materia; bono enim ipso constituto non potest idem esse appetens ipsum, & contrarium ipsi, quare aliud est priuatio, aliud materia. Aliqui sunt, qui dicunt Aristotelem in his omnibus verbis loqui non solùm de tribus principijs naturalibus, sed vniuersaliter de omnibus, in quibus sit appetitus, in omni enim appetitu, necessarium est hæc tria reperiri. Mihi expositio hæc non videtur bona, quia si Aristoteles vniuersaliter loqueretur de omni appetibili, non vocaret bonum, ac diuinum, quia multa appetuntur, quæ non sunt bona, vel si dicatur quòd appetuntur sub ratione boni, tamen diuina appellari non possunt; quare Aristoteles determinatè de forma loquitur, non de omni appetibili, & formam vocat bonum, ac diuinum, quia habet rationem finis in omni naturali transmutatione, quare pro comperto sumit quòd sit bona, & diuina, transmutatio enim naturalis non tenderet nisi ad bonum, & ita non considerat aliud appetibile, quàm quod est finis transmutationis naturalis. Ex hoc infert tria esse principia, videlicèt ipsam formam appetibilem, priuationem ei contrariam, & materiam appetentem formam. Quæritur cur Aristoteles his tribus vocabulis formam appellauerit, diuinum, bonum, & appetibile; nonnulli dicunt hęc tria esse idem re, & dici de forma diuersis rationibus, forma enim est quoddam diuinum, ideò est etiam bonum, & cùm sit bonum est etiam appetibile. Sed melior est responsio Marci Antonij Ianuæ, qui dicebat formam tripliciter acceptam his tribus nominibus appellari, nam secundùm se considerata est quiddam diuinum, quia omnes actus, & perfectiones rerum a Deo quodam modo prodeunt, & omne habens actum participat perfectione diuina; ideò Plato dicebat in rebus duo tantum esse, materiam, & Deum, formæ enim omnes aliquid sunt ipsius Dei, est igitur forma secundùm se quoddam diuinum, at respectu compositi dicitur bonum, quia est eius bonum, & eius perfectio dans ei proprium esse specificum, respectu autem materiæ dicitur appetibilis, quia si debuit esse bonum & perfectio ipsius compositi, necesse fuit, vt altera pars compositi, quæ est materia, hanc perfectionem appeteret, vt bonum ipsius compositi, non enim est bonum materiæ secundùm se sumptæ, sed compositi, in quod ipsa materia transire vult. Attribuunt aliqui Auerroi quòd per diuinum, bonum, & appetibile intelligat Deum, & dicat materiam cupere assimilari Deo, quod est primum appetibile, & summum bonum, quam expositionem reijciunt vt ad propositum non pertinentem. Mihi tamen videtur non rectè Auerroem damnari, cùm omnibus eam legentibus patere possit verba ipsius habere bonum sensum, clarè enim dicit quòd materia appetit formam, non enim dicit quòd appetat Deum, sed dicit quòd appetere formam est appetere assimilari Deo, hoc autem a nemine negari potest, naturalis enim appetitus perfectionis omnibus rebus insitus est, vt diuinæ perfectioni similes fiant quantum possunt, Deus enim est omnium rerum vltimus finis, hæc igitur verba Auerroes exponit de forma non de Deo, sed tamen propter Deum, vt diximus, nam Auerroes quoque in suo textu habuit [diuinum] & stultus fuisset, si per diuinum intellexisset Deum; Deus enim non dicitur diuinus, sed quæ Deo participant diuina appellantur. [Quibusdam autem accidit] Hic Aristoteles trahit Platonem ad incommodum sumpto argumento ex proximè dictis, dictum est enim quòd materia appetit formam, idque per se manifestum esse videtur, si igitur idem est materia cum priuatione, & priuatio est contraria formæ, sequetur quòd priuatio appetit formam, & ita appetit sui ipsius interitum, contraria enim se mutuò pellunt, & interimunt. Consequens est manifestè falsum, quia omnia naturaliter cupiunt se permanere quantùm possunt, & nihil appetit proprium interitum. [Attamen neque] Veritatem aperit Aristoteles, & ostendit solam materiam esse illam, quæ appetit formam, priuationem verò non posse appetere formam, vnde distinctio clara maneat inter materiam, & priuationem, si enim materia appetit, & priuatio non appetit, non possunt idem esse, & ita non accidit Aristoteli illud absur-

dum, quod accidit Platoni, videlicet quòd idem appetat, sui ipsius corruptionem; Facit autem argumentum a sufficienti enumeratione sic, forma est bonum, & appetibile & hoc ab Aristotele supponitur vt per se notum, ergo necesse est vt ab aliquo appetatur, hoc autem erit vnum ex tribus, aut compositum, aut priuatio, aut materia; at compositum non potest appetere suam ipsius formam, eam enim iam habet, neque indiget ipsa; neque priuatio potest appetere formam, quia priuatio & formæ sunt contraria inter se, contraria verò se mutuo interimunt, quare non potest priuatio appetere sui ipsius interitum, sequitur igitur quòd appetens formam est materia ipsa, nihil enim aliud relinquitur, a quo forma appetatur, nisi sola materia, ita exponendus est locus hìc; non vt posteriores omnes exponunt, qui loco compositi accipiũt formã, & dicunt, forma, vel appetitur a seipsa, vel a priuatione, vel a materia, nõ à seipsa neque a priuatione, ergo a materia. Sed hoc non dicit Arist. vanũ .n. fuisset cõparare formã cũ seipsa, quis enim ignorat idem non appetere seipsum? Aristoteles autẽ dicit, [neque ipsam sui ipsius formã possibile est appetere] quæ verba non possunt intelligi de forma, sed de composito habente formam, forma enim non potest dici sui ipsius forma. [Sicut si fœmina marem, & turpe bonum.] Cum a sufficienti enumeratione concluserit Aristoteles formam a nullo alio appeti, quàm a sola materia, nunc declarat hunc materiæ appetitum, & duo affert exempla, quorum primum tripliciter exponitur. Primum multi dicunt, sicut fœmina cupit iungi viro, ita materia desiderat se iungi formæ. Quæ expositio contra se plures habet instantias, fœmina enim desiderat coniunctionem maris, non vt perficiatur, sed vt delectetur; materia verò appetit formam vt perficiatur ab ea, quare comparatio non videtur cõueniens. Præterea non magis fœmina appetit marem, quàm mas appetat fœminam ergo Aristoteles faceret nos credere, quòd ita forma appetat materiam, vt materia formam, quod tamen minimè dicendum est. Præterea videtur Aristoteles comparare fœminam materiæ, & fœminitatem priuationi, quia subiungit materiam non esse per se fœminam, neque per se turpem, sed per accidens, videlicet propter priuationem, vt supra dictum est, quare vult fœminitatem, & turpitudinem esse priuationem ipsam, quæ est per se non ens, materiam verò per priuationem dici non ens, & turpem, & fœminam; at certum est quod materia appetit formam vt priuationem dimittat, & ne sit amplius priuata; fœmina verò appetit marem non vt relinquat fœminitatem, & desinat esse fœmina, sed vt sub ipso mare maneat fœmina, quare comparatio non videtur conueniens, quia significat quòd priuatio simul cum forma remanet in materia, sicut in coniunctione maris remanet fœminitas in fœmina. Vicomercatus, qui hanc attulit expositionem videns fortasse has difficultates, attulit etiam alteram quòd fœmina appetit marem, idest, cupit esse mas, sed neque hoc modo esset conueniens comparatio, quia si quæ fœmina desiderat esse masculum, desiderat rem impossibilem, quam habere non potest, quia appetitus animalis quandoque est de re impossibili, sed appetitus materiæ est merè naturalis, quare non potest esse frustra, sed necessario est rei acquisibilis, ideò per hoc exemplum non bene exprimeretur appetitus primæ materiæ. Aliter interpretabatur hunc locum Marcus Antonius Ianua, qui fœminam accipiebat in fieri, non in facto esse dum enim in vtero matris est embryo ad formæ humanæ receptionem transiens, semper naturaliter inclinatur ad formam maris, quia natura trahit ad id, quod perfectius est, quamuis multotiens fiat fœmina propter defectum materiæ, quando igitur Embryo in formam transit, illa materia vellet potius fieri mas quàm fœmina; & sic fœmina appetit marem, idest, materia quæ subest fœminitati in fieri, desiderat se potius in marem transire quàm in fœminam. Hæc quoque expositio videtur verbis Aristotelis accommodari non posse. Aristoteles enim non dicit, quod fœmina cupiat seipsam esse marem, seu fieri marem, sed quòd appetit marem, quare videtur accipere fœminam,

minam, & marem vt res diuersas, non vt eandem, quia per fœminam vult significare rem appetentem, & per marem rem appetibilem. Præterea Embryo dum adhuc non est fœmina non potest vocari fœmina, neque habet fœminitatem actu, materia verò appetens formam iam habet actu priuationem, quare comparatio non videtur recta. Ego aliàs hanc tertiam expositionem secutus sum, sed nunc eam diligenter considerans, cognoui eam nimis violentam esse, & parum conuenientem proposito, & verbis Aristotelis, propterea ductus sum ad credendum meliorem esse primam expositionem, quæ facillima omnium est, vt Aristoteles dicat materiam appetere coniunctionem formæ, veluti fœmina appetit coniunctionem maris. Instantiæ autem contra hanc expositionem adductę hoc vno fundamento soluuntur, quod Aristoteles non in omnibus vult materiam esse sicuti fœminam, & formam veluti marem, non enim in omnibus stat similitudo, sed in hoc tantum quòd materia est perfectior forma, & ipsam appetit vt perficiatur, & fœmina est imperfectior viro, & ipsius coniunctionem appetit, vt sua perfectione potiatur, videtur enim fœmina quatenus est fœmina non ob alium finem esse in natura quàm propter prolem, nisi enim hoc esset, natura certè solum marem produxisset; de viro autem id dicere non possumus, non enim est propter prolem, sed propter sublimiorem finem, & operationem pręstantiorē, vt propter speculationem, & fœlicitatem, qua licet etiā fęmina possit participare, id tamen non est quatenus est fœmina, sed potius quatenus homo, & vnius, & eiusdem speciei cum viro, quare quatenus est fœmina desiderat coniunctionem maris, vt proprium finem, ac perfectionem, non ita mas desiderat fœminam vt propriam perfectionem. Vel etiam si concedamus marem appetere fœminā, Aristoteles tamen id non considerauit, sed solum appetitum, qui est in fœmina, quia solum considerauit imperfectionem fœminæ respectu maris, & exemplum hoc rude accepit, non vt in omnibus simile. Hac eadem comparatione vsus est Plotinus in libro quarto Enneides secundæ capitulo vltimo, vbi dicit, quòd materia dum assequitur formam, assequitur suam perfectionem, sicut fœmina quando potitur masculo, & addit quòd fœminæ natura non perditur per illam coniunctionem cum viro, imò magis est fœmina, fungitur enim iam actu officio fœminæ, & magis efficitur id, quod est, videlicet, fœmina, volens significare quòd propriæ materiæ natura, & imperfectio nō tollitur per formā, sed remanet, quare remanet ea priuatio vniuersalis omnium formarū, seu potius negatio, quæ essentiā materiæ declarat, & nunquā ab ea potest separari, priuatio tamen particularis respectu determinatæ formæ corrūpitur in formę aduentu, sed nihil fęminitatis corrūpitur in fœmina per coniunctionē maris, quare nō est reuera exemplū in omnibus simile, sufficit tamen ad declarandū appetitū materiæ, quæ vt imperfecta appetit bonum, & perfectionem, quamuis non in omnibus sit similis fœminæ, neque priuatio sit in omnibus similis fœminitati. Quod fortasse ipse Aristoteles significare voluit, dum dixit, [neque fœmina, nisi secundum accidens] idest, non tamen in omnibus est materia similis fœminæ, fœmina enim est per se fœmina, materia verò per accidens dicitur fœmina, idest, non ens, quia propter priuationem. In hoc textu oriuntur multæ difficultates, et primo insurgit Auicenna in primo sufficientiæ capitulo secundo contra sententiam Aristotelis asserentis materiam appetere formam, & instat primò sic, si materia appetit formam, vel appetit eam, quam habet, vel eam quam non habet, at neutram appetit, ergo non appetit formam; eam enim quam habet non appetit, quia non eget ea, & est argumentum ipsius Aristotelis in præsenti contextu, aliam verò, quam non habet, non potest appetere, quia cùm simul duas formas retinere non possit, oporteret formam, quam habet, esse in fastidio, & odio, & materiam cupere abijcere eam, & accipere aliam, quod tamen dici non potest, quia materia est indifferēs ad omnes formas, & ad nullā magis inclinata quàm ad aliam, ergo non potest vnam magis amare,

& aliam odio habere. Præterea cùm dici soleat duplicem esse appetitum, vnum animalem, qui est cum cognitione, vt appetitus cibi, alterum naturalem, qui est sine cognitione, vt est appetitus grauium ad descendendum; neuter appetitus in materia esse potest, non animalis, quia certum est materiam non cognoscere, non etiam naturalis, quia hic semper consequitur formam, at materia secundum se caret omni forma, ergo nullum potest habere appetitum. Confirmatur, quia materia debet esse indifferens ad opposita, ergo indifferens ad formam, & priuationem, sed habere priuationem nihil aliud est quàm non habere formam, ergo non magis est inclinata ad habendam formam, quàm ad non habendam, quare non appetit formam. Nos autem pro Aristotele dicimus quòd materia appetit formam, & hic appetitus, vt Auerroes in Commentario notat, non est animalis, sed naturalis, & nihil aliud est quàm inclinatio naturalis ad recipiendum complementum, & perfectionem; videmus enim ignem appetere supremum locum, nihil tamen cognoscere, sed solùm naturaliter est ad eum locum inclinatus, quia ibi conseruatur ei propria perfectio, quæ alibi non conseruaretur; cùm igitur materia prima sit omnium imperfectissima, nec sit aliqua eius species secundum se completa, sed omnium specierum inchoatio, & omnes incompletè, maximè in ea est concedendus iste appetitus assequendæ perfectionis, est enim in rerum natura propter formas, & vt eas recipiat, hæc igitur naturalis ordinatio materiæ ad formam dicitur appetitus, qui non videtur differre ab ipsa potentia materiæ, de qua mox in quæstione de materia prima sermonem faciemus. Est autem duplex potentia primæ materiæ vt in ea quæstione fusius declarabimus, vna vniuersalis ad omnes formas, aliqua particularis ad aliquam determinatam formam, similiter igitur in materia potest considerari duplex appetitus, vnus vniuersalis, alter particularis, dùm enim materiam secundùm se consideramus absolutam ab omni forma, habet appetitum vniuersaliter ad formam, non quidem ad hanc magis quàm ad illam, sed ad quamlibet indifferenter, nihil enim aliud vult, quam habere formam, quæcunque sit illa forma, ordinatur enim a natura in totum genus formarum materialium, ideò hanc inclinationem dicimus appetitum vniuersalem; appetitus autem particularis est, quando materiam consideramus non secundùm seipsam, sed sicut formatam, appetit enim quatenus talis non omnem formam, sed quatenus determinatam, quam immediatè post eam, quam habet, receptura est, vt materia, quæ est in humano semine, habet appetitum particularem ad formam humanam, & ad formas elementorum, non sic ad formam equi, vel lapidis, quia dùm corrumpitur humanum semen necesse est, vt, vel in elementa transmutetur, vel in hominem, quæ quidem determinatio non prouenit ab ipsa essentia materiæ, ipsa enim ad omnes est indifferens, sed a forma, quam habet, quemadmodum in quæstione declarabimus; natura enim vniuersalis ordinauit materiam ad formas cum ordine quodam, non enim voluit vt post quamlibet formam quælibet recipi posset, ita enim quodlibet ex quolibet fieret, sicuti volebat Anaxagoras, sed voluit vt formæ ordine quodam de materia educerentur, vt post hanc determinatam formam aliqua determinata adueniret, vel saltem aliqua inter paucas determinatas, quanto enim perfectior est forma præsens, tanto magis determinat materiam ad certam venturam formam. Aduertendum tamen, quòd quando dicimus materiam seminis appetere formam hominis determinatè, & magis quàm aliquam aliam, non propterea tollimus indifferentiam ipsius materiæ, neque etiam dicimus materiam odio habere formam seminis præsentem; nam determinatio illa appetitus ad formam hominis non prouenit ab ipsa natura materiæ, sed a forma hominis præsente, materia enim secundùm se æque ad omnes est inclinata, formam autem præsentem non odio habet, quia secundùm se omnes æque amat, sed quia nulla forma potest in materia manere perpetuo, ideò materia non potens eam, quam habet, diu retinere, nolens

remanere

remanere fine forma aliam appetit, si enim semper posset vnam formam retinere, non appeteret aliam, quia nihil aliud vult, quàm habere formam, ideò secundùm se est contenta qualibet forma, quam habet, sed cùm natura illius formæ sit talis, vt necessario debeat corrumpi, ideò materia non potens eam retinere amplius, aliam quærit, & tunc dicitur determinatè affectare illam, ad quam a natura vniuersali est directa immediate post formam præsentem, illam enim magis appetit, quam statim potest accipere, quare materia seminis dicitur magis appetere formam humanam, quàm equinam, quia ex lege naturæ vniuersalis non potest post formam humani seminis recipere formam equi, sed formam hominis potest facile recipere. Ad argumentum Auicennæ facilis est responsio ex dictis, ad primum enim dicimus quòd materia appetit eam formam, quam non habet, nec propterea fastidit, vel odit eam, quam habet, quoniam non quærit aliam, quia hanc abijcere cupiat, sed quia hanc non potest retinere, quod euenit propter naturam ipsius formę corruptibilem, non propter materiam, ipsa enim quamlibet indifferenter retineret. Ad secundum dicimus appetitum materiæ non esse animalem, sed esse naturalem, cum autem dicit omnis appetitus naturalis insequitur formam; hoc est negandum, & ratio est, quia omne appetibile est bonum, est perfectio, & actus, nihil enim appetit nisi actum & perfectionem vt enim res primo & purissimo actui similiores fiant, ideo actum appetunt, quem habere possunt, & qui dicitur actus participatus, actus autem duplex est, vt Aristoteles docet in principio secundi libri de Anima, actus primus, & actus secũdus. Actus primus dicitur forma dans esse, & in formans materiam. Actus secundus est operatio formæ, est enim veluti perfectio, & complimentum ipsius formæ, vnde solet operatio appellari vita, forma enim sine operatione est veluti mortua. Si igitur de secundo actu loquamur, concedimus quòd appetitus secundi actus prouenit a forma, sicuti in igne appetitus ascendendi, & quiescendi in proprio loco prouenit a forma ignis, sed appetitus actus primi a forma non potest prouenire, immo potius è contrario prouenit à priuatione formæ, non potest enim negari quòd forma & actus primus sit bonum & appetibile, ergo appetitur ab aliquo carente, & priuato ipsa forma, quare talis appetitus prouenit potius ab absentia formæ, quam a forma ipsa. Huiusmodi est appetitus materiæ, est enim appetitus actus primi, & non consequitur formam. Ad tertium dico quòd materia est indifferens ad opposita, quia priuatio dicit formam quandam de prędicamento substantiæ, ideò potentia indifferens ad formam, & ad priuationem, est ad formam, & formam, stat enim cum priuatione forma alia coniuncta, quæ dicitur forma contraria, vt in quęstione fusius declarabitur, quod si priuatio formaliter sumatur pro mera absentia formæ, verum est, quod secundùm suam naturam est materia indifferens, & æque potens formam & priuationem recipere, appetit tamen formam nõ priuationem, vt homo est indifferẽs, & ęque aptus ad se dimittendum de Turri, & pręcipitandum, & ad non præcipitandum, est enim liber ad vtrumque, tamen non æque appetit vtrũque, sed magis appetit se conseruari quàm pręcipitare, sic materia dirigitur suapte natura ad formã, & ad suam perfectionẽ non ad priuationẽ nisi secũdario, & ratione alterius formæ coniunctæ priuationi, quia cum qualibet forma stat aliqua priuatio cõiuncta, ideò materia quando vnam formam amittit, appetit aliam, & quia cum illa alia stat annexa priuatio formę, quam habet, videtur appetere priuationem suę formæ quod tamen non est verum nisi per accidens, formam enim appetit, non priuationem. Sed hęc consideratio pertinet potius ad primum librum de generatione vbi solet declarari quomodo corruptio dicatur esse naturalis & intendi à natura, nunc sufficiant quæ dicta sunt ad ostendendum quòd materia appetit formam appetitu naturali. Vtrum autem hic appetitus sit essentialis ipsi materiæ nec ne? in quæstione considerabitur, idem enim de eo dicendum videtur, quod de potentia materiæ, de

qua quæremus an sit essentialis an accidentalis ipsi materiæ.

Dubitatur præterea, quoniam Aristoteles videtur significasse quòd materia propter priuationem appetat formam, & priuatio sit causa appetitus materiæ; ex hoc enim sequi videtur, quòd ipsa priuatio magis appetat, quod tamen dici non potest, quia contrarium non appetit suum contrarium, appeteret enim sui corruptionem, vt dicit Aristoteles in textu. Consequentia autem probatur per regulam Aristotelis in primo Posteriorum propter quod vnumquodque tale est, illud est magis tale. Ad hoc aliqui respondent quod priuatio non est causa adæquata appetitus materię, sed causa sine qua non, seu causa per accidens necessaria, regula vero primi Posteriorum non valet nisi de causa adæquata. Sed hæc responsio habet contra se instantiam validam, causa, quæ posita ponit, & ablata aufert, est causa adæquata; at priuatio posita in materia ponit appettitum formæ, & ablata aufert eundem; ergo est causa adæquata illius appetitus. Maior clara est, minor probatur, quia cum priuatio non dicatur nisi de subiecto potente sequitur, quod vbi priuatio est, ibi est potentia ad formam, & consequenter appetitus, ergo posita ponit appetitum, ablata vero vel absentiam formæ tollit, vel potentiam ad eam, necesse est enim per alterius ablationem auferri priuationem. Si primum, ergo forma adest, & ita non appetitur. Si secundum, ergo forma non appetitur, quia appetitus naturalis non potest esse frustra, & de re impossibili, quare ablata aufert, est igitur causa adæquata. Alij vero dicunt quod priuatio nullo modo est causa appetitus materiæ, sed est potius occasio appetendi quàm causa, quam dicunt fuisse Aristotelis sententiam in textu, qui dixit materiam secundum suam naturam appetere formam non propter priuationem, ergo propria natura materiæ est causa appetitus, non priuatio. Sed hi eodem argumento vrgentur, quo aduersus alios vsi sumus ad probandum quòd priuatio est causa adæquata appetitus materiæ, & præterea si natura materiæ esset causa huius appetitus, materia semper appeteret formam, quia quod est alicui essentiale, est perpetuum, & inseparabile; & sic sequeretur, vel quod materia etiam formam, quam habet, appeteret, vel nunquam reciperet formam, si appetitus dicat necessario absentiam rei appetibilis, non est igitur ipsa materia causa adæquata ipsius appetitus, neque hoc dicit Aristoteles in textu, non enim dicit quòd materia appetat formam secundum sui naturam, vt sit ipsa causa adæquata illius appetitus, sed dicit quòd secundum sui naturam est apta appetere, quare dicit esse ipsi naturalem, & essentialem ipsam aptitudinem ad appetendũ, sed non actum ipsum appetendi, hic enim ab alia causa debet proficisci, quia materia non est huius causa adæquata, sed sine qua non, sicuti etiam non est causa adæquata corruptionis rerum, sed corruptibilitatis, nam omne habens materiam, est corruptibile, non tamen omne habens materiam necessario actu corrumpitur. Ego igitur dicerem quòd regula illa primi Posteriorum non valet, nisi quando conditio competit vtrique, tunc enim sequitur, si vni propter alterum, ergo alteri magis, sed non sic est in præsentia, quia appetere conuenit materiæ, sed non conuenit priuationi; sic igitur dubium facilè tollitur. Vel dicamus quod illa regula Aristotelis habet locum in agente vniuoco, non in æquiuoco. Sed considerandum manet, quo modo priuatio dicatur causa appetitus in materia, hoc enim videtur dici non posse, quia priuatio est penitus nihil; quod autem est causa alicuius debet esse aliquid, & in aliquo ex quatuor generibus causarum. Ego puto priuationem esse causam adæquatam appetitus materiæ, si sano modo res intelligatur, qui modus desumitur ex Aristotele in tex. sexagesimooctauo huius primi libri, vbi tantum duo principia esse dixit materiam, & formã, quia forma locũ tenet duorũ contrariorũ, si sumatur vt præsens, & vt absens, priuatio.n. nihil aliud est, quã forma absens, hoc igitur modo priuatio, idest, forma vt absens est, dicitur causa adequata appetitus materiæ in genere causæ

sæ finalis,& priuatio est aliquid prout reducitur ad formam;est enim de ratione omnis finis vt sit & bonum appetenti,& absens ab illo. Possumus autem hoc idem considerare in appetitu cognoscitiuo, qui nullam aliam habet adæquatam causam,qua posita ponatur, nisi externum finem appetibilem, anima enim ipsa non est causa actualis appetitus, sed causa, a qua fluit potentia appetitiua, appetitus enim actualis non producitur nisi a fine absente; sic etiam actionum nostrarum causa est anima, non tamen adæquata causa, quia posita anima non continuo talis actio ponitur, sed causa adæquata est causa finalis, quare etiam materia, & natura ipsius est quidem causa appetitus, quatenus eam consequitur potentia ad formam, & appetitus formæ, idest, vt sit appetitiua formæ, sed actus appetendi causatur a priuatione,idest,a forma vt absente, tanquam a causa finali, sicuti dicimus quòd natura non cognoscens mouetur a causa finali, quia naturaliter inclinatur ad eam. Sed aduersus hæc aliquis instare posset, quoniam Aristoteles in textu dixit tria requiri in omni appetitu,nos autem nunc duo tantum posuimus,materiam appetentem,& formam appetibilem, a qua priuationem non distinximus. Ad hoc respondendum est quòd duo sunt re, tria verò ratione, sicuti declarauit Aristoteles in textu sexagesimooctauo, forma enim prout appetibilis est, duas habet conditiones vnam quòd est bona, alteram quòd est absens, altera enim ablata non diceretur amplius appetibilis, sic igitur fungitur munere duorum principiorum,nam vt bona est dicitur forma,vt absens dicitur priuatio, sic igitur tria reperiuntur in ipso appetitu, ipsa materia appetens, & ipsum appetibile, quod est& bonum, & absens a materia. Alia oritur difficultas aduersus id, quod Aristoteles in textu,& clarius Auerroes in Commentario dixit quòd nihil appetit sui corruptionem, sed omne ens cupit permanere quantum potest; hoc enim falsum videtur,quia multi homines appetunt mortem,multi etiam sibi voluntariam mortem intulerunt. Ad hoc respondebat Marcus Antonius Ianua per illam vulgatam distinctionem appetitus in animalem, & naturalem, appetitu enim animali potest aliquis appetere sui corruptionem, sed non appetitu naturali, de quo hìc Aristoteles loquitur,talis enim est appetitus materiæ. Alij tamen diligentius rem considerare volentes dixerunt quòd etiam animali appetitu non potest aliquis mortem appetere per se, sed per accidens, nemo enim nunquam expetit malum, nisi sub ratione boni, appetimus enim aliquod malum, vel quia putamus esse bonum, vt voluptates,vel quia licet malum esse cognoscamus, speramus tamen nos maius bonum esse consecuturos, vt desideramus pharmacum amarum, & sanguinis missionem propter sanitatem, quare etiam qui mortem expetunt,sciunt quidem eam secundùm se malum esse, appetunt tamen non propter se,sed vt maius bonum inde consequantur, seu quod ipsis maius bonum videtur esse. Sancti enim expetunt mortem propter fruitionem vitæ æternæ;vnde Paulus dixit, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Alij propter gloriam, quam maius bonum esse putant quàm vitam, vt Curtius, qui se in foueam proiecit. Alij desperati non valentes ob mollitiem ferre aduersam fortunam vt eam fugiant,sibi mortem inferunt, non quod per se eam expetant, sed quia maius malum esse putant in ea fortuna viuere quam mori, quia igitur minus malum habet rationem maioris boni, ideò mortem appetunt propter maius bonum, quod est fugere illam aduersitatem. Tota hæc consideratio verissima est, sed mihi videtur ad propositum non pertinere, neque tollere difficultatem,nam quòd mortem multi expetant propter maius bonum,negari non potest, sed sat est quòd expetunt, quare dictum Aristotelis labefactatur, qui nihil vult posse appetere sui corruptionem, quomodocumque id fit, hìc enim non quærimus an aliquis appetat malum, sed an appetat suum interitum, quod hìc Aristoteles, & Auerroes negant. Quare ego meliorem esse puto alteram responsionem, quòd Aristoteles loquitur de appetitu naturali, non de cognoscitiuo, potest enim aliquis appetitu cognoscitiuo

scitiuo mortem appetere super naturaliter affectus, vel contra naturaliter, naturaliter autem nunquam, natura enim inijcere voluit omnibus rebus naturalem appetitum permanendi propter rerum conseruationem, quare etiam illi, qui mortem expetunt, naturali tamen instinctu eam abhorrent, & suam conseruationem desiderant, nam absolutè non negarent viuere bonum esse, sed vis cognoscitiua comparat vitam cum alio bono, quod maius videtur.

Textus Octuagesimus Secundus.

Corrumpitur autem, & fit, est quidem vt sic, est autem vt non, quatenus enim est, id in quo secundùm se corrumpitur, quod enim corrumpitur, in hoc est priuatio, quatenus autem secundùm potentiam non per se, sed incorruptibilem, & ingenitam, necesse est ipsam esse, si enim fiat, subijci aliquid oportet primum ex inexistente fiat, hoc autem est ipsius natura, quare erit, antequam fiat, dico enim materiam, vltimum subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid cum insit, non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum, quare corrupta erit, antequam corrumpatur.

VULT in hoc textu Aristoteles ostendere materiam primam esse ingenitam, & incorruptibilem, quod videtur esse consequens quoddam naturam primæ materiæ, cùm enim iam ipsius materiæ naturam declarauerit Aristoteles, vt in textu septuagesimo ipsemet asserit, conueniens fuit, vt & consequentia declararet, & dubia solueret, quæquidem sunt munera bonæ definitionis; dubitationes hactenus soluit, & antiquorum defectus considerauit; docuit etiam in textu præcedenti, quod in ipsa materia inest appetitus formæ, quod est quoddam consequens naturam materiæ, nunc transit ad hoc aliud declarandum, quod materia est ingenita, & incorruptibilis, quod ex ipsa materiæ definitione superius cognita demonstrabit. Aliqui etiam dicunt Aristotelem sæpè de materia loquentem in præcedentibus attribuisse quod fit id, quod fit, quare significauit eam fieri; dixit tamen eam in re facta permanere, quod indicabat eam esse æternam, & ingenerabilem, & incorruptibilem, propterea in præsentia declarare vult, quomodo materia dicatur fieri, & quomodo non. Possumus textum hunc diuidere in tres particulas, in quarum prima Aristoteles docet in quo sensu materia verè dicatur fieri, & corrumpi, & in quo sensu id verum non sit; In secunda probat eam non esse genitam, neque generabilem; In tertia ostendit eam non esse corruptibilem. De sententia primæ partis omnes conueniunt quòd Aristoteles dicit materiam secundum suam naturam esse ingenerabilem, & incorruptibilem, sed ratione priuationis, quæ in ea corrumpitur, esse generabilem, & corruptibilem, quod dicitur subiectiuè fieri & corrumpi, subijcitur enim priuationi, quæ fit, & corrumpitur, ipsa verò non corrumpitur, quare per accidens, non per se dicitur fieri, & corrumpi. In verbis tamen Aristotelis est aliqua difficultas, dicit enim modo quodam fieri, & corrumpi, idest per accidens, & merito priuationis, alio autem modo neque fieri, neque corrumpi, videlicet per se, tamen postea declarans

subdit,

subdit, [quatenus enim est id, in quo secundum se corrumpitur] quorum verborum sensus est, quatenus materia est id in quo est priuatio, eatenus materia per se corrumpitur, cuius affert rationem cùm dicit, [quod enim corrumpitur in hoc, est priuatio] videtur ergo significare materiam corrumpi per se, cuius oppositum omnes volunt, cùm dicant sentẽtiam Aristotelis esse quòd priuatio per se corrumpatur, materia vero non per se, sed per accidens. Tres possunt adduci expositiones; vna, quòd illa verba [secundùm se corrumpitur] de priuatione dicantur, non de materia dicantur, & sensus sit, quatenus est id in quo aliquid per se corrumpitur, materia quoque dicitur secundum illud corrumpi, illud autem quod in ea corrumpitur, est priuatio, sed verba sequentia non admittunt hanc expositionem: Aristoteles enim subiungit, quod secundum substantiam non per se corrumpitur, oportet igitur de eodem proferri illam negationem, & hanc affirmationem, at ibi Aristoteles non de priuatione loquitur, sed de materia, & dicit quòd nõ per se corrumpitur, ergo de eadem nunc dicit, quod per se corrumpitur. Hoc videns Vicomercatus aliam inuenit expositionem, & dixit verba illa καθ' αὑτό hìc non significare per se, sed secundùm hoc, seu ea ratione, quasi dicatur κατὰ τοῦτο vt sensus sit, quatenus materia est id in quo scilicet, priuatio corrumpitur, ea ratione ipsa materia corrumpitur, & ita non per se, sed per accidens, ratione priuationis, quæ corrumpitur in ipsa. Sed neque hæc expositio admittenda est, quia nunquàm inuenimus Aristotelem dixisse καθ' αὑτό pro κατὰ τοῦτο, sed semper pro per se. Præterea eadem instantia contra hanc expositionem viget, qua contra primã vsi sumus, subdit enim Aristoteles quòd materia secundùm suam essentiam non per se corrumpitur, vbi proculdubio καθ' αὑτό significat per se, nec potest significare secundùm hoc, sensus enim esset absurdus, vt cuilibet consideranti patet, quare etiam in præcedentibus ea verba significare debent per se, vt aduersatiua demonstrat. His itaque expositionibus reiectis mihi videtur tertiam accipiendam esse, quam Simplicius ponit, videlicet, quod hæc verba significent illud idem quod significare videntur, materiam per se corrumpi, quatenus in ea est priuatio, quæ per se corrumpitur, quia si totam materiam priuatam accipimus, idest, aggregatum materiæ, & priuationis, totum hoc corrumpi dicitur per alterius tantùm partis corruptionem, scilicet, priuationis, vt Aristoteles ipse significat. Nam etiam totum cõpositum dicitur per se corrumpi, licet sola forma corrũpatur, & materia remaneat, ergo etiam materia priuata dicitur per se, corrumpi per priuationis corruptionem. Hoc significat Aristoteles dùm dicit [quatenus enim est id, in quo] idest, quatenus est id in quo cõtinetur priuatio, quatenus sumitur vt priuata, ita per se corrumpitur, deinde subdit Aristoteles [quatenus autem secundùm potentiam nõ per se] idest, quatenus autem secundùm propriam essentiam consideratur materia, sic nõ per se corrumpitur, non negat igitur Aristoteles materiam secundùm suam essentiam corrumpi, sed negat quòd secundùm suam essentiam, & substantiam corrumpatur per se, quare concedit quòd secundùm suam substantiam corrumpitur per accidens, quod dicitur subiectiuè corrumpi, primò igitur modo concessit materiam corrumpi per se, quia sumendo materiam pro aggregato materiæ, & priuationis, priuatio est pars ipsius aggregati, quare per corruptionem priuationis dicitur totum aggregatum per se corrumpi, sed sumendo solam substantiam materiæ sine priuatione, hæc non amplius per se corrumpitur, quia nihil eius corrumpitur, per se enim dicitur corrumpi id, cuius saltem aliqua pars desinit esse, sed dicitur corrumpi per accidens ratione priuationis, quæ extra eam est, & in ea inhæreret, est enim extra essentiam materiæ, & in materia inhæret, & in ea corrumpitur, quare materia per accidens, & subiectiuè dicitur corrumpi, quia subijcitur priuationi, quæ corrumpitur per se, ipsa tamen substantia materiæ remanet ingenita, & incorruptibilis, vt ipse Aristoteles subdit. Simplicius rationem reddit, cur Aristoteles per [potentiam] hìc significet essentiam

materiæ,

materiæ, & dicit rationem esse, quoniam potentia est ipsa substantia materiæ, quæ dicitur ens in pura potentia, quæ consideratio mihi non probatur, quia Aristoteles hìc non considerat, an potentia sit substantia materiæ, nec ne, sed sumit absolute nomen δύναμις pro natura & essentia rei, quæ solet quandoque vocari propria rei virtus, non pro potentia, quæ respicit actum, quæ est potentia ad formam, hoc autem modo solet Aristoteles etiam aliarum rerum essentiam appellare potentiam, etiam si sint res perfectæ, & in actu, vidimus hoc supra in textu septuagesimonono, v[illegible] Aristoteles dixit materiam, & priuationem non esse idem secundum potentiam, [illegible] secundum rationem, & essentiam, vt ipse superius declarauerat, nam priuatio [illegible] habet potentiam ad formam, quę sit distincta à potentia materiæ, quare de ta[illegible] potentia non potest ibi Aristoteles intelligere; hoc eodem modo accipit Aristoteles potentiam in primo libro de Cęlo tex. 78. vt legentibus patet; propterea friuolum est ac vanum argumentum, quod aliqui ex hoc tex. desumunt ad probandum quòd potentia sit de essentia materiæ, qua de re postea nos in quæstione loquemur. [Si enim fiat] Hic probat Aristoteles quòd materia per se, & secundum suam substantiam sit ingenita, & vtitur argumento ducente ad impossibile, supponit enim duo fundaméta notissima, ex quorum vno ducit ad oppositum alterius tanquam manifestè falsum, & impossibile; alterũ est quod ex nihilo nihil fieri potest, sed omne, quod fit, fit ex aliquo subiecto præexistente, & permanente in re facta; alterum vero est quòd id, quod fit, ac generatur, antequam fiat non est, hoc autem est notum ex ipsa significatione huius verbi fieri; significat enim, quòd quando aliquid fit, incipit esse, cum prius non fuerit; tunc Aristoteles ita argumentatur si materia fit; ergo ex aliquo subiecto pręexistente, per primum fundamentum; inde sequitur, ergo materia est antequàm fiat, quod est impossibile, quia contra secundum fundamentum. Consequentiam probat Aristoteles per ipsam definitionem materiæ, quam hìc ponit tanquam in præcedentibus declaratam, & dicit per materiam, quam hìc probare volo esse ingenitã, ego nihil aliud intelligo quàm primum subiectum, ex quo per se res fiunt, ergo si hęc dicatur generari, generabitur ex subiecto, quod dicitur similiter primum subiectũ, ex quo aliquid per se fit, at hæc est ipsa materiæ natura, de qua nunc loquimur, ergo materia est antequam fiat; quod est impossibile, materia ergo non potest generari. Considerat enim Aristoteles quòd eadem definitio conuenit, & materię, & subiecto priori, ex quo fieri ponatur, quare eadem est antequam fiat. Definitionem materiæ talem proponit Aristoteles [primum subiectũ vniuscuiusque, ex quo fit aliquid cùm insit, non secũdum accidens,] & est definitio respectiua, quia definitur materia prout est principium, quare non potest definiri aliter quàm per respectum ad principiata, ideò est potius declaratio nominis, quàm vera definitio; per hanc tamen distinguitur materia prima ab omnibus alijs rebus, nam distinguitur primo ab ijs, quę non sunt principia, ipsa enim est subiectum, ex quo res fiunt, & ita est principium. Distinguitur etiam ab omnibus alijs principijs, & causis, quia nullum aliorum concurrit vt subiectum, ex quo res fiunt, sed ipsi soli hæc conditio conuenit, & hic principiandi modus, & quoniam subiectum, ex quo aliquid fit, est priuatum, & habet cõiunctam priuationem, ideò ad distinguendũ materiam à priuatione adiecit Aristoteles ea verbba [cum insit] idest, cum in re facta permaneat vt interna eius pars. Dicit autem [vniuscuiusque] ad significandum cõmunem omnium naturalium rerum materiam, sumit enim omnes in sensu coniuncto, & diuiso simul, est enim primum subiectum tum omnium collectum, tum singulorũ separatim, vt autem distingueret eam a materia secunda, de qua hìc non loquitur, adiecit [primum] hæc enim sola est primum omnium subiectum, alia vero possunt quidem dici subiecta, sed non prima. Hæc igitur definitio distinguit materiam, & ab omnibus ijs, quæ principia non sunt, & ab omnibus alijs principijs, & ab omni materia secunda, & patet has omnes definitionis particulas, esse notas, & iam ab Aristotele de-

claratas

claratas in præcedentibus, quando declarauit naturam ipsius materiæ, vt notauimus in textu septuagesimo, hìc enim non est intentio definire materiam, sed ibi, hìc verò sumitur hæc definitio vt nota ex dictis ad probandum materiam esse ingenitam, & incorruptibilem. Sed difficultatem faciunt postrema illa verba [nõ secundum accidẽs] Simplicius enim existimat hæc idem significare, quod præcedentia verba [cum insit] vt omnia dicta sint ad excludendam priuationem, dicendo enim ex quo fit aliquid cum insit dicimus ex quo fit aliquid per se, per se enim fit res ex eo, quod in re permanet. Aristoteles autem addit negationem contrarij sensus propter maiorem efficatiam, cum dicit [non secundum accidens] vt sensus sit, ex quo fit aliquid per se, non per accidens, sicuti ex priuatione res dicuntur fieri, sed per accidens. Alexander autẽ (referente Simplicio) putauit non propter priuationem dicta esse hęc verba ab Aristotele, satis enim fuit priuationem exclusisse per illa verba [cum insit] sed propter quædam alia, quæ simul cum materia in re facta permanent, per accidens tamen, sicuti si ex cera alba fiat statua manet color ceræ in statua, per accidens autem statua fit ex albo, licet permaneat ille color in statua facta, dicit igitur Aristoteles materiam esse primum omnium subiectum, ex quo fit aliquid cùm permaneat, & insit in re ipsa facta, non tamen per accidens, sicut inest albedo ceræ in statua per accidens, & hoc modo verba, [non secundum accidens] referuntur ad illa verba [cùm insit] at secundũ Simplicium referuntur ad illud verbũ [fit] videlicet ex quo aliquid fit non per accidens, sed per se. Possumus etiam pro Simplicio dicere quod illa verba [non sunt accidens] non sunt pars definitionis, sed extra ponuntur vt declarantia à contrario sensu verba illa [cùm insit.] Quare nulla est nugatio. Multi Alexandrũ sequuntur, & pro eo vtũtur hac ratione, quia in definitionibus non conuenit ponere vocabula idem significantia & superflua, sicuti cum Simplicio dicere cogeremur. Ego reuera puto vtramlibet accipi posse expositionem, si enim Alexandrum sequamur, nihil sequitur absurdi, si etiã sequamur Simplicium nullum errorem committimus, quia secundum hanc expositionem non modò priuatio excluditur, verum etiam illa omnia, quæ Alexander excludere voluit, vt colorẽ ceræ remanentem in statua, quia si illa verba [non secundũ accidens] coniungamus cum verbo illo [fit] sensus erit, ex quo fit per se, non per accidens, ita priuationem excludimus, excludimus etiam albedinem ceræ in statua remanentem, quia ex ea fit aliquid per accidens. Imò hæc sententia videtur verisimilior propter hanc rationem, quia Aristoteles hìc ponit definitionẽ hanc materiæ primę, vt superius declaratam, sicuti ipsemet testatus est, in tex. 70. ergo nihil hic in ea debet ponere, quod superius non fuerit declaratum, quando declarabatur principiorũ natura; superius autem nihil dictum est de ijs, quæ simul cum materia remanent per accidẽs in re facta, sed solum de priuatione, quæ simul est cum materia, & ex ea res fit, per accidens tamen, quia in re non permanet. Ratio autem potest adduci cur Aristoteles non considerauerit ea, quæ per accidens in re permanent, quoniam intentio Aristotelis erat loqui de sola materia prima, non de aliqua materia secunda, at materia prima est penitus inaffecta, & nihil est in ea, quod per accidens in re permaneat, sed id de sola materia secunda verificatur, vt de cera in statua, de qua hìc Aristoteles non loquitur, quare videtur opus non fuisse hæc excludere, si nulla sunt quæ per accidens in prima materia remaneant. Ratio autem allata contra Simplicium nihil valet, quia in definitionibus, quæ sunt potius nominum declarationes non inconuenit vti vocibus idem significantibus ad maiorem declarationem, est quidẽ inconueniẽs in vna definitione, quę per essentiales partes declaret essentiã rei, sed quando per extrinseca declaramus significationem vocis, non est inconueniens si ad maiorem euidentiam vtamur vocibus idem significantibus, sicuti patet Aristotelem fecisse etiam in definitione naturę in secũdo Physicorum tertio, vbi dicit per se, non per accidens. Hanc igitur expositionem ego potius acciperem licet alteram reuera

nil


nil sequatur absurdi, quia licèt materia prima sit penitus inaffecta, tamē cùm aliæ materiæ sint affectæ diuersis accidētibus, quæ per accidens in re facta permanent, potuit Aristoteles sub conditione proferre, quòd si quid cum materia prima permanet in re per accidens, illud non est subiectum hoc, quod in præsentia definitur, definimus enim subiectum, quod in re permanet, non per accidens, conditionalis autem nihil ponit in esse, quare Aristoteles hoc dicens neque affirmat, neque negat aliquid remanere per accidens in re. Dubitare aliquis posset, quoniam videtur satis fuisse dicere, primum subiectum, neque addi debuisse verba illa [ex quo fit aliquid] negationem enim faciunt, quia subiectum est illud, ex quo aliquid fit. Dicendum quòd materia est subiecta, & formæ, & generationi, Aristoteles hic non sumit materiam vt subiectam formæ, sed vt subiectum generationi, hæc enim est cōsideratio naturalis, illa verò est Metaphysica, quia sine motu; ideò non satis fuit dicere subiectum, sed addendum etiam fuit, ex quo fit aliquid, vt significaretur subiectum generationis, quod sumitur vt in fieri, non in facto esse, & in re iam perfecta, & absoluta. Dubitat etiam Simplicius, cùm materia corrumpi dicatur subiectiuè, quatenus aliquid in ea corrumpitur, corrumpitur autem in ea non modo priuatio, sed etiam forma, cur Aristoteles considerauit materiam subiectiuè corrumpi solùm ratione priuationis, nō ratione formæ, quæ in ipsa corrumpitur? Respondit Simplicius non esse eandē rationem, quoniam forma adueniens materiæ facit compositum habens proprium nomen, & propriam definitionem, & ipsi composito attribuitur tota generatio, & corruptio, ipsum enim dicitur per se corrumpi & generari, non materia; at ex materia & priuatione non fit tertium aliquod, quia priuatio est nihil, quare adhùc manet nomen materiæ, cui attribuit fieri, & corrumpi ratione priuationis, quæ in ea corrumpitur. Docta est respōsio Simplicij, & conuenientem affert rationem, cur Aristoteles consideret materiam corrumpi ratione priuationis, non ratione formæ. Possumus tamen aliam quoque addere rationem, quoniam Aristoteles in hoc primo libro, considerauit materiam vt principium rei in fieri, & vt respicit formam nondùm præsentem, sed venturam, sic enim dicitur materia, ex qua res fiunt, in eo autem statu accepta materia formam nō habet, sed habet priuationem, vt enim sit subiectum, ex quo res fiunt, oportet vt in ipso fieri sit priuata, non formata; cùm igitur materiæ vt materiæ rerum, priuatio cōueniat nō forma, Aristoteles considerauit, materiam corrumpi propter priuationem quæ in ea corrumpitur non propter formam, & sic etiam generari, eadem enim ratio est; & Aristoteles cùm dicit, [& si corrumpitur aliquid] eadem ratione probat materiam corrumpi non posse, qua probauit eam non esse genitam, sicuti enim omne quod fit ex aliquo præexistente subiecto fit, quia ex nihilo nihil fit, ita omne quod corrumpitur in aliquod remanens subiectum corrumpitur, quia nihil corrumpitur in nihil, si igitur materia corrumpatur, in tale subiectum corrumpetur, quod erit ipsamet materiæ natura, quare manebit postquàm erit corrupta, seu corrupta erit antequàm sit corrupta, quod est absurdum, ita enim implicat contradictionem, sicuti dicere quòd aliquis sit antequam fiat. Ioannes Grammaticus hìc notat duo. Primum quòd Aristoteles probat materiam non esse genitam ratione temporis, sed non probat nō esse genitam ratione causæ, quia omnia entia pendent a Deo vt a prima causa, vt ipsemet Aristoteles primo de Cœlo centesimo testatur dicēs, a Deo alijs omnibus pendere & esse, & viuere, alijs quidem clarius, alijs verò obscurius, hìc igitur non negat pendentiam materiæ a Deo, sed solùm negat principium temporis, quo vnquàm sit genita. Secundò notat quod ratio Aristotelis, qua probat materiam non esse genitam, neque habere principium vllum temporis, valet solùm supposito illo fundamento quòd nihil potest fieri nisi ex aliqua materia præexistente; at si quis fundamentum illud negaret, ratio Aristotelis nihil concludit, quòd autem falsum sit fundamentum ipse ostendit etiam in doctrina Aristotelis, nam formæ naturales præsertim, quæ nobiliores

biliores sunt, vt partes animæ ex nihilo producuntur, nihil enim sui præsupponitur, neque ex sola elementorum commixtione oriuntur, sed extrinsecus immittuntur, & apponuntur ipsi materiæ; sicut igitur formæ ex nulla materia præsuposita producun tur, potest etiam materia ex nullo præexistente produci. Imò nec probat ratione tem poris absolutè, sed solùm probat materiam non habuisse principium temporis per ge nerationem, sed non probat quod non inceperit esse per creationem. Fuit enim a Deo creata, non quidem ante formas, sed sub formis, & ita concreata potius rebus, quàm separatim creatam, vt ait S. Thomas prima parte Summę, quęstio. 66. articu- lo primo. Primum Ioannis dictum admitti potest; secundum verò licèt secundum ve ram philosophiam sit notissimum, tamen in philosophia Aristotelis reijciendum est, & inualido nititur fundamento, cùm a forma ad materiam argumentetur; peccat enim in duobus, primò, quia sumit quòd formæ immittuntur ab extrinseco agente, quod est omnino falsum, & a Peripatetica Schola alienum; Aristoteles enim vult for mas de potentia materiæ educi, non ab extrinseco induci, vt Auerroes docet septi- mo Metaphysicorum vigesimoseptimo & vigesimooctauo, vbi dicit, agens facit ex alio aliud, non facit aliud in alio: facit enim ex materia formatum, non facit in ma- teria formam; similiter octauo Metaphysicorum quintodecimo, & duodecimo Me- taphysicorum decimooctauo dicit, agens extrahens aliquid de potentia ad actum non largitur multitudinem, sed perfectionem: & addit, quòd imaginatio super ere- ctione formarum induxit homines ad dicendum dari datorem formarum. Secun- dò peccat Ioannes, quoniam non est bona comparatio formæ cum materia, forma enim educitur de potentia materiæ, ideò materiam supponit, e qua educatur, & ita non dicitur creari, sed res eadem, quæ erat imperfecta, & potentialis, ad potentiam & actum ducitur, nō noua res fit; at materia si de nouo produceretur, esset vna crea- tio, quia nullam materiam præexistētem supponeret, hoc autem est impossibile, qua re falsum est primò quod forma nihil supponat, supponit enim materiam, e qua edu catur; deinde ratio a forma ad materiam nihil valet, quia concedendo produci ma- teriam eo modo, quem Ioannes ponit, esset productio, nullo præsupposito, quam ex productione formæ colligere non possumus, cùm forma aliquid præsupponat. Per hæc soluitur etiam aliud dubium aliquorum satis leue, qui dicunt, videtur, quòd ra tio Aristotelis probans materiam esse æternam, probet similiter etiam formam esse æternā, nā sicuti si materia fieret, oporteret eam fieri ex alia materia priore: ita si for- ma fit, oportet eam fieri ex alia forma priore, & ita erit composita ex materia, & for- ma. Ad hoc dicendum, quòd secundùm Aristotelem omne quod fit, supponit non formam præexistentem, sed materiam; huius enim ratio nō sumitur ex materia, quæ dicitur fieri, sed ex natura ipsius fieri, omne enim quod fit supponit materia, siue di- catur forma, siue compositum, siue materia ipsa fieri: si igitur materia fieret, ex præ- existente materia fieret, sicut compositum fit ex præexistenti materia, & forma quo- que fit ex præexistente materia, quia materiam præsupponit, è qua educatur, quare non rectè dicitur, quòd sicuti materia si fiat præsupponit materiam, ita etiam forma, quæ fit, præsupponit formam, sed forma quoque materiam præsupponit, de qua educatur, & hoc sufficit ad euitandam creationem formæ; de composito autem, quod propriè dicitur fieri, alia est ratio: vt enim eius creatio euitetur, oportet ali- quam materiam præsupponi, ex qua fiat, quæ in ea permaneat vt eius interna pars & essentialis, aliter enim diceretur creari, quod apud Aristotelem est impossibile. Est e- tiam hic animaduertendum quòd cùm tripliciter dicatur fieri, vt superius docuimus, solet enim, & materiæ, & formæ, & composito tribui, nam dicunt materiam subie- ctiuè fieri, formam terminatiuè, compositum completiuè: Aristoteles sumit hic fieri per se, prout conuenit communiter & formæ, & formato: id enim esse dicitur fieri per se, quod secundùm suam essentiam incipit esse, cùm prius non fuerit, hoc

autem non soli composito conuenit, sed etiam formæ, quæ & incipit, & desinit esse, ideò per se & fit & corrumpitur, licet eius generatio, & corruptio tribuatur cõposito, cum eadem sit vtriusque generatio, & interitus idem: ideò cum dicimus quòd compositum non forma propriè dicitur fieri, non propterea significamus formam nõ per se fieri, fit enim per se, sed significamus composito potius esse tribuendam illam generationem, quę est generatio ipsius formæ, quarę per se fieri, quod hìc ab Aristote le sumitur, omnibus est commune, quæ secundum substantiam incipiunt esse, non composito soli, hoc autem patet, quoniam Aristoteles etiam priuationi hìc tribuit, vt per se fiat, & corrumpatur, quare similiter conuenit formæ, vt etiam in textu sequenti testatur Aristoteles, dicens formas naturales esse corruptibiles, quare tribuit eis corruptionem, tale fieri & corrumpi non conuenit materiæ, nã subiectiuè fieri non est per se fieri, sed per accidens, est enim subijci alicui quod per se fiat, per se igitur fiunt forma, priuatio, & compositum, & materia quoque vt priuata dicitur fieri & corrũpi; hæc enim omnia secundum se incipiunt & desinunt esse, quod hìc vocatur per se fieri, & corrumpi, sed ipsa materiæ substantia non comprehensa priuatione est æterna, nec dicitur fieri, vel corrũpi, nisi per accidens, & subiectiuè, sicut dictum est, ideò maxime impropria est ea acceptio, cum aliquod dicitur fieri subiectiuè, vel corrumpi, propterea fieri, & corrumpi solum subiectiuè arguit æternitatem secundum essentiã, id enim reuera neque fit secundum se, neque corrumpitur, cuiusmodi est substantia primæ materiæ.

Textus Octuagesimus tertius.

De principio autem secundum formam, vtrum vnum, an plura, & quot, aut quæ sunt cum diligentia primæ Philosophiæ opus est determinare, quapropter in illud tempus reponatur, de Physicis autem et corruptibilibus formis in posterius demõstrandis, dicemus. Quod igitur sint principia, et quæ, & quot numero determinatum sit a nobis sit. Rursus autem aliud principium capientes dicamus.



Respondet Aristoteles cuidã tacitæ obiectioni, poterat enim aliquis postulare vt Aristoteles ita ageret de forma, vt egit de materia, declarauit enim materiam esse æternã, vnde patuit eam etiam vnam numero esse in omnibus rebus naturalibus, at de prima forma nihil dixit, an sit vna, an plures, an æterna, nec ne. Aristoteles igitur se excusat, & hãc considerationem, vt a præsenti loco alienam remittit ad diuinam scientiã, in qua sermo habetur de prima forma. Est autem pro faciliori intelligẽtia aduertendum, quòd in omnibus quatuor generibus causarum necessarium est deuenire ad vnum primũ, vnum numero, quod a nullo alio priore pendeat in eodem genere causæ; dantur ergo quatuor primæ causæ, videlicet, prima materia, prima forma, primum mouens, & vltimus finis, quarum duę considerantur a naturali Philosopho, quia concernunt motum, videlicet, prima materia, & primum mouens: duæ verò à Metaphysico, quia abstrahunt à motu videlicet prima forma, & vltimus finis. Tres autem ex his in vnũ cadunt, quia Deus diuersis modis consideratus dicitur & prima forma, & primum mouens, & vltimus finis omnium rerum, quæ omnia ab Auerroe in prooemio huius primi libri, & in primo Commentario abundè declarantur. Aristoteles igitur, qui vt naturalis posuit agere de prima materia, hìc se excusat cur non similiter potuerit agere

de prima

de prima forma, ea namque ad Metaphysicum pertinet. Textum hunc possumus diui dere in quatuor particulas, in quarum prima facit Aristoteles excusationem dictam; in secunda ostendit de quibus formis acturus sit vt naturalis. In tertia epilogum facit omnium dictorum de principijs. In quarta nouam tractationem proponit, quam mox in secundo libro est aggressurus. Sciendum est autem, quòd duo sunt genera formarum, aliæ namque sunt formæ abstractæ a materia, vt Deus, & intelligentiæ, aliæ sunt formę materiales, quæ sunt formæ omnium corporum naturalium corruptibilium; de abstractis debet agere Metaphysicus, inter quas Deus dicitur prima forma: est .n. prima respectu omnium formarum tam æternarum, quàm corruptibilium, inter formas autem naturalis nulla datur vna numero, quæ dicatur prima forma inter eas, sed diuersæ sunt diuersorum corporum formæ, quæ solum conueniunt in hoc communi nomine, forma; vnde oritur duplex tractatio in Philosophia naturali de formis naturalibus, vna de forma accepta in communi, quæ omnes complectitur, de hac Aristoteles egit in primo libro Physicorum, & de eadem loquetur in secundo libro, prout dicitur natura, & vt numeratur inter quatuor causas; Altera est tractatio de singulis naturalium rerum formis particulatim, quæ habebitur in alijs libris naturalibus: quādo enim tractabit de Elementis considerabit proprias Elementorum formas, animaliū formas tractabit in libris de Animalibus, & sic de alijs. Aristoteles igitur hìc respiciēs primum genus formarum abstractarum dicit nō esse considerandum a naturali, sed a Metaphysico, de forma autem materiali in cōmuni iam egit in hoc primo libro, quare recensens postea qualis tractatio de forma remaneat in scientia naturali, dicit remanere tractandū particulatim de singulis formis naturalibus, in alijs naturalibus libris. [De principio autem secundum formam] principium secundum formam intelligit primam absolutè formam, seu fortasse totum genus formarum separatarum, hæ namque multę sunt, ideo dicit [an sit vnum, an plura, & quot, aut quæ] quærere enim an vna sit forma prima abstracta, an plures, & si plures quot numero, & quæ nā illæ sint, nō est munus Philosophi naturalis, sed Metaphysici, qui primus Philosophus dicitur: rectè autem dicit Aristoteles [cum diligentia] quia etiam Philosophus naturalis agit de formis abstractis, non tamen prout sunt, sed prout sunt motores, nec earum essentiam considerat, sed existentiam solam inquirit, quare eas confusè cognoscit, diuinus autem distinctè, quia docet etiam quid sint, & eas cōtemplatur etiam vt formas. Simplicius ait Aristotelem rectè dicere [an sit vnum, an plura] quia Deus partim est vnus, partim plura, vnus secundum propriam essentiam, plura verò ratione idearum, quas habet. Sed ego puto hanc non esse mentem Aristotelis hìc, cùm vbique ideas impugnauerit, sed potius respicit numerum intelligentiarum, quæ multæ sunt, de quibus omnibus hìc confusè loquitur, quia adhùc non cognoscimus, an vna sit forma abstracta, an plures, & quæ inter eas sit prima, si plures sunt, ideò etiam in octauo libro Physicorum Aristoteles de motore primo loquens non Deum solum intelligit, licet numero vtetur singulari, sed intelligit aggregatum omnium intelligentiarum. De omnibus enim æternis motoribus communiter loquitur, quia nondum ostendit an plures sint, an vnus, sed in duodecimo Metaphysicorum id demonstrabitur, quot enim esse inuenientur ipsis omnibus tribuentur conditiones omnes declaratæ in octauo Physicorum de primo motore: omnes enim intelligentiæ sunt motores æterni, impartibilis, & abstracti a magnitudine, de hoc igitur formarum genere, quod potest dici principiū in genere causæ formalis, vel saltē in quo prima forma cōtinetur, quæ Deus est, tractationē Arist. remittit ad primā philosophiam. [De physicis aūt, & corruptibilibus formis.] Reiectis formis abstractis a consideratione Philosophi naturalis hìc docet Aristoteles de quibusnam formis debeat agere naturalis, & dicit se acturum esse in scientia naturali de formis physicis, & corruptibilibus, vbi dictio, &, declaratiua est, non coniunctiua, quia omnis forma physica est corruptibilis, dicit autem in numero

plurali, formis, significare volens particularem tractationem de singulis formis naturalibus, distinctam a tractatione vniuersali de forma in communi, quam fecit in hoc primo libro; ideò hactenus Aristoteles in singulari numero nominauit sem per formam, vna enim est dùm sumitur in communi, & omnes complectitur, tractatio autem particularis designata, & determinata forma partim est Metaphysica, partim est naturalis. Est Metaphysica ipsa consideratio primæ formæ separatæ a materia, est autem naturalis consideratio formarum corruptibilium, quæ multæ sunt, & nullam habent, quæ dicatur prima, & vna numero sit, ideò Aristoteles in numero plurali locutus est, & loquens in hoc textu de particulari consideratione formæ ad aliam scientiam remittit tractationem primæ formæ. In hac autem scientia dicit maturè considerandas particulares formas naturales, quas dicit esse corruptibiles, quia incipiunt, ac desinunt esse, quando Aristoteles dicit, [in posterius demonstrandis dicemus]. Multi putant Aristotelem intelligere in secundo libro Physicorum, in quo aget de forma, quatenus est natura, vnde etiam argumentum sumunt ad probandum, quòd natura ab Aristotele consideranda in secundo libro sit solùm natura rerum corruptibilium, neque complectatur naturam cœli, cùm Aristoteles hìc dicat se in secundo libro acturum esse de formis corruptibilibus; sed hæc expositio est aliena ab Aristotelis mente, quia dicit se acturum posterius de formis physicis, & in numero plurali loquitur, quare significat tractationem particularem de singulis, quam habiturus est in alijs libris physicis, non in libris Physicorum; in secundo autem Physicorum de Natura autem loquens, & dicens eam esse formam, semper in singulari numero formam nominat, quia adhùc in communi eam sumit, sicuti in primo libro fecit, ideò si benè consideremus modum loquendi Aristotelis dùm dicit se acturum posterius de formis naturalibus, videbimus eum non bene aptari secundo libro Physicorum: in eo enim non agit de formis naturalibus, quia non particulariter singulæ considerantur; Confirmatur, quoniam si tractatio secundi libri potest appellari de formis physicis, non minus tractatio habita in primo libro potest vocari de formis physicis, imò magis, quia tractatio habita in primo libro de forma fuit vt forma est, in secundo autem non prout forma, sed prout natura; Aristoteles igitur male hìc loquitur: debuisset. n. dicere se iam egisse in primo libro de Physicis formis, nec in sequentibus solùm se acturum de illis, quare vanum est etiam eorum argumentum ad probandum, quòd in secundo libro consideretur natura corruptibilium, quia non intelligit Aristoteles secundum Physicorum, imò est aliena horum verborum sententia a secundo libro Physicorum, & potius pertinet ad ea, quæ tractata sunt in primo libro: nam in secundo libro Aristoteles incipiet considerare corpus naturale communissimè acceptum, quod complectitur etiam cœlum: in primo autem libro non egit nisi de principijs corruptibilium, & de forma in communi ad corruptibiles formas tantùm: ideò nunc cõsiderans eas formas, quæ continentur sub illa forma communi, quam in hoc primo libro considerauit, dicit enim se de illis particulatim acturum posterius, idest in alijs libris naturalibus, ideò statim subdit epilogum eorum, quæ de principijs dixit in primo libro, dùm ait, [quòd igitur sint principia] inquit autem se tria de principijs determinasse, videlicet, quòd dentur principia, quæ sint, & quot numero, sed de primo dubitatur, quia Aristoteles non probauit dari principia rerum naturalium, sed vt notum supposuit, & ab omnibus concessum, quòd res naturales habent principia, sicuti nos declarauimus in consideratione propositionis minoris illius Syllogismi, quem Aristoteles fecit in primo textu huius libri. Aliqui dicunt Aristotelem non intelligere quòd sit ostensum vniuersaliter, quòd principia dentur, hoc enim ostensum non fuit, sed quòd sint hæc particulariter, & non alia. Quæ expositio admitti non potest, quia Aristoteles nugationem committeret, & bis idem diceret; idem enim diceret dùm dicit, [quod sint principia] & postea dùm dicit, [quæ sint] quare esset

nugatio.

nugatio. Possumus dicere quod Aristoteles non dicit se demonstrasse quòd principia dantur, sed determinasse, potuit autem determinare non solum demonstrando, sed etiam supponendo: supposuit enim dari principia, & postea inuestigauit quænam sint, & quot numero. Possumus etiam aliter dicere, & sumere responsionem ex ijs, quæ dicuntur ab Aristotele in secundo Posteriorum textu octauo antiquo, vbi dicit, quòd dupliciter possumus cognoscere quòd res sit, vno modo confusè, & sine causa: altero modo distinctè, & per causam, in re scilicet habente causam. quòd igitur sint aliqua principia rerum naturalium suppositum fuit ab Aristotele, vt notum sola confusa cognitione, sed non distincta, quia nondum erat cognita ipsorum principiorum natura, & essentia. acquisita igitur cognitione principiorum distincta, acquisiuimus simul firmiorem cognitionem, quòd sint, sicuti in dicto loco secundi Posteriorum aliàs fusè declarauimus, quia cognoscere rem esse solum confusè est potius ignorare, quàm cognoscere, vt ibi Aristoteles docet; cum igitur Aristoteles determinauerit proprias principiorum conditiones, & naturas, quatenus principia sunt, tradidit nobis formam, & distinctam cognitionem quòd dantur principia, & quænam sint, & quot numero, sicuti nunc in Epilogo Aristoteles colligit, & hoc modo omnem euitamus difficultatem. [Rursus autem aliud principium capientes dicamus.] His vltimis verbis Aristoteles proponit se aggressurum secundum librum, & innuere videtur cõtinuationem huius primi cũ secundo, quæ quidem re vera in his verbis continetur, vt mox ostendemus; sed magna est inter expositores controuersia quidnam sit hoc [aliud principium] quod Aristoteles aggredi vult; Simplicius duas affert expositiones; primũ dicit quòd Aristoteles in primo libro egit de causis internis, ideò in secundo vult agere de externis, quẽ nouum tractatũ vocat, aliud principiũ, quæ expositio falsa est, quia Aristoteles in hoc lib. 2. nõ magis agit de externis causis, quàm de internis, imò magis de internis, vt vidimus; quod vidẽs Simplicius aliã affert expositionẽ, quę est etiã Ioãnis Gram. quòd per [aliud principium] Aristoteles formam intelligat: in primo enim libro egit quidẽ de materia, & de forma, sed de materia multum, & de forma parum, ideò vult in secundo diligentius agere de forma, & dicere de forma multum, & de materia parum; quam expositionem alij multi sequuntur; mihi tamen videtur non esse admittenda, quia Aristoteles de forma prout est principium rerum naturalium iam sufficiẽter egit in primo libro, neque aliquid manet dicendum in secundo. Pręterea verba Aristotelis apertè hanc expositionem reijciunt, nam in præcedentibus fecit Epilogum, in quo dixit se dixisse quæ sint principia, & quot numero, certum est autem in his verbis comprehensam esse etiam formam: debet enim intelligi totus, & completus principiorum numerus. ergo cum Aristoteles statim subdat, [aliud principium capientes dicamus] intelligit, diuersum principium ab his tribus, ergo non potest intelligere formam. S. Thomas dicit Aristotelem in primo libro egisse de principijs rerum naturalium, in secundo autem agere velle de principijs ipsius scientiæ naturalis, videlicet, de eius subiecto, & de modo demonstrandi, quæ expositio proximè accedit ad secundam Auerrois, quam postea declarabimus, & sequemur; licet Sanctus Thomas veritatem plene assecutus non fuerit. Multi posteriores Philosophi dicunt [aliud principium] nil aliud significare, quàm alium librum, vt sensus sit, postquam absoluimus primum librum, ad secũdum accedamus, quę est leuissima expositio, & omni artificio carens, ideò dimittatur. Vicomercatus intelligit aliud initium doctrinæ, quam esse dicit secundam expositionem Auerrois, & eam ita interpretatur, quoniam Aristoteles in secundo libro incipiet de alijs rebus agere, vt de Natura, & de quatuor causis, & de alijs, quare aliud initium sumit, cum de alijs rebus agere aggrediatur; sed hæc quoque expositio omni artificio, & ratione caret: nam cui dubium quòd necesse est in secundo libro alia quædã, & diuersa tractari ab ijs, quæ in primo

tractata fuere? Neque affert rationem cur hæc appellentur aliud principium, tractantur enim in vna scientia multæ res ordinatim, vna post aliam, sed post aliquarum tractationem non videtur rationabile, vt tractatio reliquarum dicatur aliud doctrinæ initium, differt enim initium a medio, & a fine, neque quod medium est, possumus appellare principium. Auerroes duas affert expositiones, vna est, quòd Aristoteles, per [aliud principium] intelligat primum motorem, de quo acturus est in octauo Physicorum, duo enim prima principia tractantur in libris Physicorum, prima materia, & primus motor, quia prima forma, & vltimus finis considerantur a Metaphysico, vt diximus alias; de prima materia actum est in primo libro Physicorum, de primo autē motore agendum est in octauo libro, & ipsum vocat aliud principium. Sed vidit Auerroes instantiam efficacem contra hanc expositionem: nimia enim distantia est ab hoc loco ad octauum librum, Aristoteles tamen ita loquitur vt significet statim, & nulla interposita mora se aggressurum hoc aliud principium, quare non potest intelligere primum motorem, ad hanc respondet, quod omnia, quæ dicuntur in sequentibus libris, secundo vsque ad octauum, diriguntur ad ea, quæ dicentur in octauo libro de primo motore, quare cum id dicatur tractari, cuius gratia tractatur, possumus dicere quòd statim in secūdo libro incipiat Aristoteles agere de primo motore, quia omnia propter ipsum tractantur; cognouit ipsemet Auerroes non esse rationabilem hanc expositionem, quia non est verum quod quæ dicentur ab Aristoteles in secundo libro, & alijs sequentibus, dirigantur omnia ad octauum librum, cū multa tractentur propter se, non propter aliud, præcipuè vero sermo de Natura in principio secundi libri; nulla enim videtur esse naturalior consideratio, quàm de ipsa Natura, vt mox considerabimus; præterea ostendemus etiam in principio octaui libri, quod neque in eo octauo agit Aristoteles de primo motore principaliter, & propter se, sed propter motū æternum, ideò neque alij intermedij libri ad primum motorem diriguntur, neque Aristoteles hic per aliud principium potest primum motorē intellexisse. Ideo Auerroes alteram secundam expositionem affert, quam magis probat, & quæ mihi optima videtur, si bene intelligatur, non vt eam Vicomercatus intellexit; inquit Auerroes Aristotelem per [aliud principium] intelligere aliud initium doctrinę, quod declarās subdit, quia principium doctrinæ est sumendum a secundo libro, quæ postrema verba Vicomercatus non est interpretatus, neque potuit interpretari. Ego igitur dico, quòd verum initium totius naturalis Philosophiæ est secundus liber Physicorum, quod ratione duæ facile cognosci potest: scientia enim ante omnia debet exordiri a definitione subiecti, quia nisi nomen subiecti intelligamus, nihil aliud tractare possumus: est autem subiectum huius scientiæ corpus naturale, cuius præcipua pars quæ formæ locū tenet, & dicitur ratio formalis, est naturale, seu naturam habens. In huius igitur declaratione consistit declaratio nominis subiecti, quod Aristoteles in principio secundi libri facit, declarat enim quid significat nomen naturæ tanquam rationem formalem sui subiecti, dum enim quid sit natura intelligimus, intelligimus etiam quid sit habēs naturam, sicuti Aristoteles ipse in textu quarto secundi libri declarat; nullum igitur aliud fuit totius naturalis scientiæ conuenientius exordium, quàm à sermone de natura, quid enim ipsa natura naturalius esse potest? Sed statim dubium oritur de primo libro Physicorum, quem Aristoteles secundo anteposuit; quare non videtur verū esse quod initium verum sit à secundo libro. Duo igitur ostendenda sunt, vnum quòd primus liber non pertineat ad libros Physicorum, neque sit verum initium naturalis Philosophiæ; alterum quidnam in causa fuerit vt primus liber cum ab his libris fuerit alienus sit tamen antepositus ab Aristotele alijs libris Physicorum, & toti naturali Philosophiæ; primum facile demonstratur si bene consideremus qualis sit tota primi libri tractatio: est enim de principijs generationis, & rerum naturalium, & corruptibiliū, vt ipsemet Aristoteles testatur in textu quinquagesimoseptimo, & sexagesimooctauo

ctauo huius primi, quod etiam sumitur ex textu octuagesimosecundo in definitione materiæ, quã dicit esse primũ subiectũ, ex quo fit aliquid; est igitur principiũ eorũ, quę fiunt, & ijs, quibus non conuenit fieri hæc quoque principia non conueniunt, sed etiam in toto primo libro patere potuit Aristotelem semper loqui de ijs tantùm, quę fiunt, & intereũt. Ergo primus liber potius pertinet ad libros de generatione, quàm ad libros Physicorum, quod possumus duplici argumento demonstrare; Primo, vbi principale propositum est tractare de aliqua re, ibi etiam debent tractari propria, & adæquata eius rei principia, sed in libris de generatione intentio Aristotelis est agere de generatione communissimè accepta omnium rerum, quæ generantur, & corrumpuntur, ergo is est proprius locus, in quo agatur de principijs generationis, & omnium quæ generantur, & corrumpuntur; imò ipsemet Aristoteles in procemio primi de generatione, proponit tractandas causas generationis communissimè acceptę, quæ non sunt aliæ, quàm hæ, quæ in primo libro Physicorum tractatæ fuerunt: patet enim in eo libro Aristotelem multa breuiter repetere, quæ fusius in primo Physicorum dicta erant; Secundò in libris Physicorum subiectum est corpus naturale in sua maxima communitate, ergo in his non debent tractari nisi ea, quæ omnibus naturalibus corporibus communia sunt; sed quę tractantur in primo libro non competunt omnibus, sed solùm corruptibilibus; ergo ea tractatio non est propria horum librorum, quæ si secundum librum, & alios sex consideremus, clarum est eos esse de corpore naturali in communi, quod continet etiam cœlum: nomen enim naturæ est commune analogum, quod etiam cœlestis corporis naturam complectitur, vt in secundo libro apertissimè demonstrabimus; Motus quoque est passio communis tam cœlo, quàm corruptibilibus, tempus autem est propria passio motus cęli, vt patet in quarto libro, & legentibus omnes hos libros patet, quòd Aristoteles sæpè cęli mentionem facit, quare communiter etiam de cęlo loquitur, hoc autem est manifestissimum in octauo libro Physicorum, vbi loquitur de motu cęli æterno, & eius causam inquirit, & versus finem illius octaui facit Aristoteles longum tractatum de motu circulari, & eum solum æternum esse posse demonstrat; primo igitur libro excepto, de alijs septem manifestum est, quòd sunt de naturali corpore in communi, primus nequaquam, sed de corruptibili solum, ideò pertinet ad librum de generatione. Cùm igitur hoc ita se habeat, cur Aristoteles primum librum inter hos posuit, & primum in ordine collocauit? Ego puto Aristotelem id fecisse propter faciliorem doctrinam, vt sæpe facere consueuit; non enim semper ea anteponit quæ secundum rerum naturam essent anteponenda, sed quandoque naturali ordine neglecto, seruat ordinem nostræ facilioris cognitionis, vt ipsemet testatur in principio quinti Metaphysicorum, & vt ego in tractatu de ordinibus abunde demonstraui. Cùm igitur tractatio de principijs propria esset eius libri, in quo propositum sit agere de generatione, tamen Aristoteles voluit eam anteponere libris Physicorum, & toti naturali scientiæ ad nostram meliorem cognitionem duabus de causis, vna est quòd cùm principium scientiæ naturalis non debuerit esse aliud, quàm declaratio nominis huius, Natura, vt tùm quid Natura sit, tùm quænam ea sit cognosceremus, hoc non poterat cognosci, nisi cognouissemus prius naturalia corpora ex materia, & forma constare; est enim natura tum materia, tum forma, ergo nisi materiam, & formam cognouissemus, non potuissemus intelligere naturam; imò videbimus in ipso tractatu de Natura, quòd etiam priuationi tribuit modo quodam Aristoteles nomen naturæ, non poterat ergo Aristoteles de natura tractare, nisi prius de his tribus principijs disseruisset, ideò primum librum anteposuit, nõ vt certum huius scientiæ initium, sed vt initium secundùm nostrum faciliorem cognoscendi modum; cognito enim quòd ex his principijs naturalia corpora constant possumus considerare, quòd eadem principia sunt illa, quæ etiam naturæ nomen in naturali corpore assumunt, & quatenus dicuntur

naturæ accommodantur etiam cœlo secundùm proportionem, quia etiam in cœlo est aliquid tenēs locum formæ, & materiæ, quod dicitur eius corporis natura, & principium motus in eo. Altera causa est, quia nullus antiquorum Philosophorum cognouit aliqua naturalia corpora esse ingenita & incorruptibilia, sed omnes existimarunt omnia corpora vnius esse naturæ, & ex iisdem primis principijs conflata, etiam cœlum, ideò apud eos omnes prima rerum naturalium principia erant omnium principia, & de his tractandum erat in ipso statim initio naturalis Philosophiæ, ideò videns Aristoteles se nondum ostendisse aliqua dari corpora naturalia æterna, quibus prima interna principia non competerent, nō potuit pro constanti sumere, quòd prima interna principia generationis non competerent omnibus corporibus naturalibus, sed a primis principijs exorsus est iuxta antiquorum mentem, quorum sententiam de cœli natura nondum confutauerat; quamuis igitur dicat se loqui de principijs generabilium, non tamen adhùc cognoscimus quòd non omnia naturalia sint generabilia. Voluit igitur Aristoteles incipere naturalem philosophiam, secundùm nostram faciliorem cognitionem a principijs primis generationis, & rerum generabilium; nunc autem aggressurus tractatum de natura in principio secundi libri; quod est initium verum huius scientiæ, vt ipsa scientia secundùm se considerata requirebat, dicit, [nunc aliud principium capientes dicamus] idest, aliud principium doctrinæ, quod absolutè loquendo est verum principium scientiæ huius, ad differentiam primi libri, qui fuit principium scientiæ secundùm nos: hæc est mens clara Auerrois dùm dicit Aristotelem significare aliud initium doctrinæ, quia reuera principium doctrinæ deberet esse secundus liber. Quoniam autem de materia & forma Aristoteles & in primo libro Physicorum, & in secundo etiam loquitur, diuersis tamen modis, sciendum est, quòd hæc principia possunt pluribus modis considerari, quorum alij ad Metaphysicum pertinent, alij ad naturalem. Primò possunt considerari secundùm se prout entia sunt, non vt principia, quamuis enim sint in natura propter principiata, & ita non sint nisi principia aliorum, & propter alia, possunt etiam secundùm se cognosci, non quidem sine habitudine ad principiata, sed cum ipsa habitudine propter sui cognitionem: volumus enim cognoscere materiam primam quid sit secundùm sui naturam, & quamuis cogamur mentionem facere principiatorum, tamen materiæ ipsius cognitionem tunc quærimus, non ipsorum; hæc consideratio pertinet ad Metaphysicum, qui omne ens contemplatur prout ens est, & ita videtur materiam considerasse Aristoteles in septimo Metaphysicorum textu octauo, quando definiens materiam dixit eam non esse quid, nec quantum, nec quale, nec aliorum prædicamentorum vllum, sed subiectū his omnibus; secundum se enim nulla est alia eius essentia, quàm quòd est omnia entia incompletè, nullum completè. Potest etiam considerari materia vel forma prout est principium, idque tribus modis, tamen dicuntur principia ipsius compositi, & in fieri, idest, ex quibus compositum fieri dicitur, & in facto esse, idest, quæ essentiam cōpositi iam facti constituunt, & demum dicuntur principia, & causæ passionum ipsius compositi, præcipuè autem motus, & quietis naturalis, qua ratione solēt vocari nomine naturæ; ex his tribus modis primus pertinet ad naturalem, quia cōcernit transmutationem; dicere enim principia, ex quibus fiunt, est dicere principia transmutationis, & hoc modo considerauit Aristoteles hæc principia in primo libro, vt patet considerantibus definitionem materiæ traditam in textu octuagesimosecundo, materia est primum subiectum, ex quo fit aliquid, &c. Consideratio autem eorundem principiorum, prout constituunt essentiam corporis iam facti, est consideratio Metaphysica, quia quādo compositum iam actu est hæc dicuntur eius principia, idest, essentiales partes sine vllo motu, ideò ad Metaphysicum pertinet in septimo, & octauo libro Metaphysicorum, vbi Aristoteles docet quænam dicatur essentia, & quidditas compositi, & definitio ipsius, mate-

ria, an forma. Postrema consideratio earum est naturalis, & habetur in secũdo Physicorum in tractatu de natura: materia enim, & forma, vt sunt principia motus in corpore naturali iam facto, dicũtur naturæ, & nihil est naturalius quàm ipsa natura, quæ formaliter significat habitudinem ad motum. Patet igitur duas esse considerationes materiæ, & formæ pertinentes ad Metaphysicum, & duas pertinentes ad naturalem, quarum vna habetur in 1. lib. Physicorum, altera verò in secũdo, vt dictum est. Vnde colligitur causa erroris Græcorum continuantium primum librum cum secundo: nam videntes tum in primo, tum in secundo libro agi & de materia, & de forma, putarunt in primo magis agi de materia, in secundo magis de forma, quia non animaduerterunt vtrumque alio modo considerari in 1. lib. & alio modo in secundo, & in vtroque libro sufficiẽter; forma enim prout est principium generationis tractatur sufficiẽter in 1. lib. neque est opus Arist. de ea melius tractare in secũdo; neq; etiam verũ est, quòd de ea agatur in secũdo quatenus est forma, sed quatenus est natura, quę est alia diuersa cõsideratio; sic de materia sufficiẽter agitur in 1. lib. prout est principiũ generationis, sufficiẽter etiã in secũdo prout participat nomine naturę, quare manifestũ est Gręcos æquiuocatione laborasse, dùm vtramque tractationem simul confudere.

Patet etiam alter ferè communis omnium error, dùm enim considerant in 1. lib. tractari principia corruptibiliũ solùm, quæ cœlo non cõpetunt, difficultas eis magna occurrit, quoniam nõ videtur esse conueniens quòd in libris Physicorum aliqua tractentur, quæ non conueniant omnibus corporibus naturalibus, & Cœlo, ideò conantur ostendere quòd illa principia cõueniunt proportione quadam etiam cœlo ratione motus localis, ibi enim potest considerari & subiecta materia, & terminus a quo, habens locum priuationis, & terminus ad quem, habens locum formæ, quare primus liber etiam modo quodam ad cœlum extenditur, hoc modo sublatam putant omnem difficultatem. Sed errant, quia nos ostendimus in tex. 63. huius primi libri, quòd omnes alij motus, & mutationes fuerunt ab Arist. cõsiderati in hoc primo libro præter solum localẽ, de quo nihil vnquàm dixit, neque vnquàm ipsum nominauit, cùm enim loquatur in primo libro de principijs eorum, ex quibus res fiunt, id verbum, fieri, omnibus alijs conuenit, sed locali non aptatur, ideò in cęlo, neque ratione motus localis, neque alia ratione vti possumus verbo, fieri, vt dicamus corpus cęleste vel partem eius aliquam fieri; sed quod ipsi dicunt verũ est de eisdem principijs, prout in secundo libro considerantur: sic enim possunt etiam cœlo per proportionem aptari, quia sicuti in his corruptibilibus natura dicitur principium internũ motus, ita etiam in cœlo, licèt non sit natura eiusdem rationis, sed secundùm analogiam, competit enim cœlo præcipua species motus quæ dicitur latio, & a principio, & inclinatione intrinseca, quæ dicitur natura; at non competit cœlo generari, & fieri, quare tractatio de materia, & forma, quæ habetur in primo libro non potest secundùm proportionem cœlo aptari, vt testatur Arist. clare in tex. 68. non enim dixisset se loqui de principijs corruptibilium, si eadem principia etiam æternis accommodari possent, sed tractatio horummet principiorum prout habetur in secundo libro potest accõmodari cęlo, imò debet, vt secundus liber sit communis, & extendatur ad omnia corpora naturalia, sed primus necessario manet particularis, & proprius corruptibilium tantum. Auer. in Commen. notat duos Auicennę errores, vnũ quod dixit pertinere ad Metaphysicũ probare formas abstractas esse, quod inquit Auer. falsum esse, quoniã formæ abstractę sunt subiectũ in Metaphysica, quare nõ posũt in sua sciẽtia demõstrari, sed demõstrantur a Philosopho naturali in 8. lib. Physicorũ, & de hac re nos diximus fusè in quęstione super tex. 3. octaui libri, quare in pręsentia omittatur. Alterũ errorem Aui. cõmisit quòd dixit naturalẽ accipere a diuino, quòd copora cõponãtur ex materia & forma, cũ potius è conuerso res se habeat, quòd dicimus id accipit a naturali: cũ .n. diuinus consideret materiã, & formã, vt partes essentiales cõpositi, nõ posset eas cõ siderare,

ſiderare, niſi phyſicus hanc demonſtraſſet cõpoſitionẽ, demonſtrauit aũt per transmutationẽ, prçter quã nullũ eſt aliud mediũ, quo materia oſtẽdi poſſit, vt nos ſupra in tex. 69. cõſiderauimus, trãſmutatio aũt ẽ mediũ naturale, ergo demõſtratio hęc ad naturalẽ pertinet, cõſequẽtia patet in dicta noſtra quæſtione de demõſtratione abſtractorũ.

Declaratio digreßionis Themiſtij in textu ſexageſimoprimo.

THEMISTIVS deſumens ocaſionẽ ex iis, quæ ab Ariſt. dicta ſunt de differentia inter materiã, & priuationem digreditur vt declaret quomodo ad materiam ſe habeat priuatio, & potentia, quæ cũ priuatione coniũcta eſt, videlicet, an ſint de eſſentia materiæ, an potius ipſi materiæ accidant. Poſſumus totã digreſſionem diuidere in quinque partes, in prima ipſam rei veritatẽ proponit; in ſecunda dubitat, & argumentatur ad partes, in tertia ſoluit, in quarta declarat duo nomina ipſius materiæ, in quinta dubiũ quoddam proponit, ac ſoluit. In prima parte veritatẽ docet, quæ in duobus dictis conſiſtit, Vnũ eſt quòd priuatio eſt neceſſaria materiæ propter generationẽ, cuius dicti rationẽ afferens dicit, ſi materia non haberet priuationẽ, nihil ex ea poſſet generari; conſequentiã probat, quia ſi materia nũ eſſet priuata haberet formã, ergo res prius eſſet, quã fieret, proinde non oporteret eam fieri, hoc autem manifeſtũ ex iis, quæ multoties a nobis dicta ſunt, videlicet, quòd de neceſſitate generationis, & de eius natura, & eſſentia eſt vt id, quod generatur, antequã generetur non ſit, propterea diximus priuationẽ non eſſe principiũ per accidens generationis, ſed per ſe. Verum quia Themiſtius dixerat priuationem eſſe neceſſariam materię, vnde colligere poteramus eam eſſe de eſſentia ipſius materiæ, ideò ſubiungit alterum dictum, & inquit materiam non ita egere priuatione, vt illa ſit de interna eius natura, & eſſentia, ſed ea egere vt Natura quadam alia quæ materiæ primæ tanquam alii Naturæ accidat; ſunt enim duæ diuerſę Naturæ, non quidem ſecundum ſubiectum & ſecundum ſubſiſtentiam, ſed ſecundum rationem, quæ omnia iam ab ipſo Ariſtotele declarata fuerunt.

In ſecunda parte volens Themiſtius hanc veritatẽ manifeſtiorẽ facere, argumentatur ad partes, & primo ſic, Si priuatio eſſet neceſſaria materię, ſequeretur in ipſa natura materiæ contineri priuationẽ, cũ præſertim dicere ſoleamus eſſentiã materiæ in eo eſſe conſtitutã vt ſit priuata, quod etiã confirmatur argumẽto ſumpto a potentia: ſolemus .n. dicere eſſentiã materiæ in ipſa potentia cõſiſtere, at potentia eſt ſimul neceſſario cũ priuatione illius formæ, igitur priuatio ſimul cũ potentia erunt de interna ipſius materiæ natura, & eſſentia; ſed contra hoc quoque argumentatur Themiſtius, hoc enim dato ſequeretur materiam primã eſſe corruptibilem, quia ſi priuatio eſſet de eſſentia materiæ corrumpetur materia ad interitũ priuationis, corrumpi aũt priuationem certum eſt in aduentu formæ, quare adueniente forma, materia prima neceſſario interibit, hoc idem argumentum apud Auerroem legimus in Commentario ſeptuageſimo primi libri ad probandum, quòd potentia non ſit de eſſentia materiæ: inquit enim ſi potentia eſſet de eſſentia materiæ ergo in aduentu formæ materia interiret, quia tunc ipſa potentia corrumpitur. Hac difficultate propoſita, vt eam ſoluat affert Themiſtius; in tertia parte hanc diſtinctionem, ea quę alicui competunt poſſunt ei cõpetere duobus modis, alia namq; ei cõpetunt ſecundũ eius propriã naturã, & ſecũdũ eſſe ipſius abſolutũ; alia vero quatenus id accipitur in reſpectu, & relatione ad aliud, eidẽ enim homini alia cõpetunt prout homo eſt, alia prout eſt pater: ſimiliter igitur alię ſunt cõditiones materiæ acceptæ ſecũdũ propriã naturã, & prout eſt ens quodã: aliæ verò prout eſt principiũ, & ad alia refertur, quæ duæ receptiones materiæ ſolent vocari duæ ipſius notiores, quando enim materia conſideratur abſolutè vt ens, dicitur conſiderari in ſua prima notione, quando autem ſumitur vt principiũ, & in relatione

latione ad alia dicitur sumi in secunda notione. Soluens autem Themistius dubium ait, materia accepta in prima notione est ens quoddam, & est actu, nec potentiā habet, nec priuationem, hæ namque de eius substantia non sunt, si verò in secunda notione accipiantur, tunc eius esse est in potentia constitutum, & potentia est de essentia ipsius materiæ. Videtur autem dicens materiam in prima notione esse actu Themistius accedere ad opinionē Scoti ponentis in materia actum entitatiuum, de quo postea loquemur. Potentia igitur apud Themistium nō requiritur in ipsa materia vt materia sit ens, sed vt sit principiū rerum, quia sine potentia non posset ex ea aliquid fieri, quare est necessaria materiæ acceptę in secunda sua notione, & ita est de essentia ipsius materiæ, quemadmodum habere filium est de essentia hominis, prout est pater, sed non prout est homo.

In quarta parte considerat Themistius duo nomina materiæ, appellatur enim & materia, & subiectum, & vtrumque nomen reuera conuenit materiæ acceptæ in secunda notione, vtrumque enim significat respectum ad aliud, nam materia est alicuius materia, & subiectum est alicui subiectum. Dicit tamen Themistius nomen subiecti posse etiam aptari materiæ acceptæ in prima notione, sed nomen materiæ nequaquam. Ratio autem est, quia nomen materiæ dicit semper respectum ad futura, idest ad formam venturam, & ad compositum generādum, ideò non potest intelligi vt materia nisi simul intelligatur potentia, & priuatio: tunc enim dicimus æs esse materiam statuæ, quando nondū est facta statua, fieri tamē potest ex materia illa, quare nomen materię nō significat illam nisi prout est principiū rei generandę, cùm autem facta est statua ex ære, æs nō dicitur amplius materia statuæ, sed dicitur subiectū formę, quod nomen etsi dicit respectū ad formam, tamen magis aptatur ad significandā materiā in prima notione, quia non concernit priuationem, neque potentiam: quando enim materia est actu subiecta formę, non habet amplius eius priuationem, nec potentiam ad eā, quia vtraque in aduētu formę recessit. Quoniā igitur materia in prima notione priuationē nō habet, neq; potētiam, cōuenit ei magis nomen subiecti, quàm nomen materiæ, confirmat hoc Themistius authoritate Boethi, qui dicebat materiā iā affectā, & factā qualem non amplius manere materiā, sed factā esse subiectū, quia de ratione materiæ est vt sit inaffecta, & informis, & respiciat formā futurā, appellatio autem subiecti respicit præsentia, quo fit vt appellatio materiæ sit magis naturalis, quia respicit transmutationē: appellationē autē subiecti magis esse Metaphysicā, quia sine motu consideramus materiā esse actu subiectā ipsi formæ. Tandē in postrema digressionis parte proponit Themist. ac soluit dubiū quoddā, quod etiam soluitur ab Alexandro in 2. lib. quæstionum naturaliū cap. 7. & tale est, materia in sua prima notione habet priuationē, ergo non est verum quòd sit inaffecta, imò est affecta, & qualis, probatur assumptū, quia materia in prima sua notione caret omnibus formis, ergo habet vniuersalē priuationē omnium formarum; probatur etiam consequentia, quia priuatio habet necessariò annexā potentiā, quæ est qualitas. Soluunt concordes Themist. & Alexander negādo antecedens, non enim est verū ꝙ materia in prima notione habeat priuationē: ad probationē autē dicunt aliud esse priuationem, aliud negationē, materia .n. in prima notione habet quidē negationē omniū formarum, per quam & definitur Arist. in 8. tex. septimi Metaphysicorū, sed priuationē nō habet; latius enim patet negatio, quàm priuatio, & vbi est priuatio, ibi est negatio, non tñ vbi est negatio ibidē sequitur continuo priuationē esse: materia igitur in prima notione non est qualis, neque habet potentiam, quia negatio nullam potentiam ponit, sed solum negat à natura materiæ omnes formas. Hæc sunt, quæ a Themistio in ea digressione dicūtur, singula postea in quæstionibus diligentius expendentur.

Finis Primi Libri.

IACOBI ZABARELLAE PATAVINI.

In Secundum Aristotelis Physicorum Librum,

COMMENTARII.



PHYSICORVM LIBER SECVNDVS.



AM ex dictis in fine Primi Libri patet, quæ sit continuatio primi libri cum secundo, & quæ sit intentio Aristotelis in hoc secundo: Est.n. in primis tradere definitionem nominalem sui subiecti, idest rationis formalis; hoc autem faciet definiens Naturam. In ipso enim libri huius initio Aristoteles accingit se ad inuestigandam definitionem Naturæ. Sed antequam librum ipsum aggrediamur, opere precium fore videtur, si quædam pauca dicamus de aliquorum opinione, qui putant secundum librum Metaphysicorum, qui a Græcis vocatur primus minor, esse librum Physicum, & interponendum inter primum, & secundum Physicorum, nec recte locari inter libros Metaphysicos, qui sumunt ex verbis Aristotelis duo argumenta pro hac opinione. Primum ex vltimo Textu primi Metaphysicorum, vbi Aristoteles dicit considerandas esse dubitationes; & tertius liber Metaphysicus est totus de dubitationibus varijs; ergo Aristoteles ibi ponit clare continuationem primi Metaphysicorum cum tertio, quare secundus est auferendus. Secundo ponunt argumentum ex verbis Aristotelis in fine eius secundi Metaphysicorum, vbi dicit considerandum esse, quid sit Natura, & hoc in tertio Metaphysicorum non fit, sed in principio nostri secundi Physicorum; ergo Aristoteles continuat illum librum cum principio secundi Physicorum; ideo est interponendus inter primum Physicorum, & secundum. Hæc sententia, sicuti alijs multis, ita quoque mihi vana videtur; idque tum considerando tractationem primi, & secundi Physicorum, quæ nullum patitur medium librum, vt ex discursu a nobis facto manifestum est. Nam verum initium est a secundo Physicorum, sed primus fuit antepositus propter necessitatem doctrinæ, & nulla necessitas cogit, ut anteponamus secundo Physicorum etiam secundum Metaphysicorum. Præterea Aristoteles ipse in fine primi libri continuauit eum cum secundo dicens, aliud principium facientes dicamus: tum etiam idem patet, considerando ea, quæ tractantur in illo secundo Metaphysicorum. Sunt enim res Metaphysicę, quæ ad naturalem nullo modo pertinent, videlicet, an detur status in causis, an processus in infinitum; & ridiculum est sumere argumenta extranea ad probandum illum librum esse naturalem, & despicere eius libri propriam considerationem, Ex ea enim est sumendum argumentum præcipuum, quod ex natura rei, ad videndum an sit liber naturalis, an Metaphysicus; est autem Metaphysicus sine vlla dubitatione. Ad primum eorum argumentum, dicendum est, non valere consequentiam illam, proponendæ sunt dubitationes, ergo statim tertius liber sequitur, quia est de dubitatio-


nibus, potest enim Aristoteles non statim eas dubitationes proponere, sed secundum librum interponere; immo dico, quod ille locus aduersatur eorum opinioni, quia Aristoteles non dicit, agamus de dubitationibus, sed dicit, proponendam esse quandam dubitationem, quæ vtilis erit nobis ad futuras dubitationes, & intelligit illam dubitationem, quam discurrit in secundo, an in causis detur processus in infinitum, nec nè: hæc enim vtilis postea erit ad dubitationes sequentes, quæ afferuntur in tertio libro. Quare patet, quod Aristoteles innuit aliquid aliud superesse considerandum, antequam aggrediatur tertium Metaphysicorum. Ad secundum non accipio responsionem Vicomercati, qui dicit deesse illi secundo Metaphysicorum tractationem de Natura, & Aristotelem proponere agendum de Natura, quia dicendum est, ipsum de Natura egisse in fine libri, sed illam partem desiderari; Hæc enim responsio mihi voluntaria videtur, & sine ratione prolata, dicendum potius puto, quod Aristoteles non dicit, considerandum esse, quid sit Natura, quia velit statim ibi agere de Natura, sed solum dicit, quod non eadem est sermonis certitudo, ἡ ἀκριβολογία in Mathematicis, & in naturalibus, quia naturalia omnia habent materiam, quæ est causa incertitudinis; ad quod cognoscendum dicit esse considerandum, quid sit natura; non quod velit ibi id considerare, sed quod, qui illud videre velit, sumat a naturali, quid Natura sit, idest a proprio loco, vbi de Natura agitur, qui est secundus liber Physicorum, sed ex eo quoque loco sumitur ratio contra istos. Nam statim subdit Aristoteles manifestum fore, an unius scientiæ, an plurium sit causas, & principia contemplari; sed hoc non discurritur ab Aristotele in secundo Physicorum, immo in ipso statim initio tertij Metaphysicorum hæc dubitatio proponitur, ergo Aristoteles ibi indicat sequi tertium Metaphysicorum, non secundum Physicorum. Si etiam legamus ea, quæ dicuntur ab Aristotele, de causis in illo secundo Metaphysicorum, cognoscemus, quod non solum non debent anteponi illis, quę dicuntur in secundo Physicorum, sed potius supponunt secundum Physicorum, sicuti tota Metaphysica supponit naturalem Philosophiam; quare reijcienda est sententia ista, quę fuit, (referente Vicomercato) Iacobi Sadoleti Cardinalis, & Ioannis Francisci Beati, qui dixerunt, secundum Metaphysicæ, esse antepo nendum secundo Physicorum vt eius prohemium, & expositorum errore positum esse inter libros Metaphysicos.

Textus Primus, & Secundus.

Eorum, quæ sunt, alia quidem sunt natura, alia vero propter alias causas. Natura quidem sunt, & animalia, & partes ipsorum, & plantæ & simplicia corpora, vt terra, & ignis, & aer, & aqua, hæc enim, & huiusmodi Natura esse dicimus. Omnia autem quæ dicta sunt, videtur differentia ab iis, quæ non Natura existunt; quæ enim natura sunt, omnia videntur in seipsis habere principium motus, & status, hæc quidem secundum locum, illa vero secundum augmentum, & decrementum, quædam autem secundum alterationem.

Lectus

Lectus autèm, & indumentum, & si quid huiusmodi aliud genus est, secundum quod quidem sortitum est prædicationem vnamquanque, & quatenus est ab arte, ne vnum quidem habet impetum mutationis innatum, quatenus autem accidit ipsis lapidea, aut terrea esse, aut mista ex his eatenus habent.



VM autem in ipso secundi libri initio propositum Aristotelis sit inuestigare definitionem Naturæ, multi rationem assignare voluerunt huius tractatus de Natura, & cur in principio libri Aristoteles de Natura loqui voluerit. Simplicius, & Ioannes Grammaticus videntur multas simul afferre rationes. Nam cum apud eos intentio Aristotelis sit præcipua, agere de forma, & Natura sit principaliter forma, agit de Natura propter formam, idest, vt melius cognoscatur ipsa forma. Addunt etiam quod Aristoteles agit de Natura, ut magis distinguatur forma a materia; nam conuenire videntur in nomine Naturæ. Addunt demum, quod per tractationem de Natura vult distinguere naturalia ab artificialibus, quod faciendum fuit, quoniam in 1. lib. Aristoteles confundit artificialia cum naturalibus, principia tractans tum naturalium tum artificialium, vt multa exempla in primo libro demonstrant; ideo opus fuit in secundo libro distinguere naturalia ab artificialibus; hoc autem facit per definitionem Naturæ. Tandem subiungit Simplicius, necessarium fuisse Philosopho naturali agere de Natura, & cognoscere quid sit Natura, quod solum postremum dictum uerum est, licet ab ipso Simplicio non intellectum: reliqua vero omnia sunt falsa. Quod enim propter formam agatur de Natura, falsum est, quoniam falsum supponit, quod in secundo libro intentio sit agere de forma, ut iam ostendimus; Imo de forma potius agitur propter materiam, quia principalior est in hac scientia vt natura quam vt forma. Falsum est etiam, quod ideo agatur de Natura ut magis distinguatur forma a materia, nàm distinctio patet manifestissima ex dictis in primo libro: Agere autem de Natura, est potius tractare conuenientiam materiæ cum forma, quam differentiam, quia utrique conuenit nomen Naturæ. Falsum est etiam, quod agatur de Natura ad habendam differentiam inter artificialia, & naturalia; nam in textu patebit, quod potius ex differentia inter artificialia & naturalia Aristoteles colligit definitionem naturæ, non autem ex definitione differentiam, sed falsissima est ratio, quam assignant, videlicet, quod in primo libro Aristoteles egerit de principijs tàm rerum naturalium, quàm artificialium, nam de solis naturalium principijs egit Aristoteles, ut ipse testatur textu 68. primi libri; quod si exempla in artificialibus attulit, id non fecit, quia de artificialium principijs loqueretur, sed vsus est ijs exemplis, ut manifestioribus, ut per ea melius intelligeremus principia naturalia. Habent præterea hæc omnia instantiam contra se, quam bene considerauit Pendasius. Nam faciunt considerationem Naturæ secundariam, & in alia ordinatam, cum tamen debeat esse maxime primaria, & propter seipsam. Sed in eundem errorē mihi postea videtur etiā ipse incidere, cum dicat primariam intentionē Aristotelis esse in hoc 2. lib. docere, quomodo effectus naturales resoluantur in suas causas, in quem tractatum dirigitur tractatus præcedens de causis, & ante tractatum de causis debuit poni tractatus de Natura; Natura enim est potissima causa effectūm naturalium, & maxime in prōptu apud omnes; multa enim fiunt, quæ homines dicunt fieri a Natura: quare Naturam faciunt causam multorum.

Hęc sententia Pendasij de tractatu de Natura, quæ eandem instantiam patitur, quia facit tractationem de Natura esse secundariam, & ordinatam in alias tractationes, cum tamen ipse fateatur, eam debere esse primariã. Reiectis ergo aliorum opinionibus, colligamus nos ex superius dictis veritatem, quam etiam Auerroes cognouit, qui optimam rationem attulit tractationis de Natura; dicit enim in principio primi Commentarij: propositum Aristotelis in secundo Physicorum esse, agere de fundamentis, & principijs scientiæ naturalis; quæ Auerrois sententia a Pendasio ita intelligitur, quod Auerroes loquatur de duobus fundamentis, quæ declarantur in hoc secundo; alterum est definitio Naturæ, alterum est differentia, quam Aristoteles assignabit inter philosophum naturalem, & Mathematicum. Sed non est hæc Auerrois mens, qui non particulariter loquitur de his duobus fundamentis, siue tractatibus, sed de omnibus, quæ in hoc secundo libro tractantur, & vult significare, quod Aristoteles loquitur in hoc libro de principijs doctrinæ, & scientiæ ipsius naturalis, nam principia de quibus egit in primo, fuerunt principia rerum, hæc autem sunt principia scientię. Ideo etiam Sanctus Thomas recte dicebat Aristotelem in primo libro egisse de principijs rei; in secundo autem de principijs doctrinæ, licet illud non dicat S. Thomas, quod principia rei, quæ tractantur in primo, non sunt principia omnium naturalium, sed generabilium solum; ideo non erit reuera ab eis inchoandum, si spectemus ordinem doctrinæ, quo ipsa naturalis scientia secundum se disponi deberet, sed conuenit ea tractatio libris de generatione, posita autem est hic propter meliorem nostram cognitionem, vt superius diximus. Ideo secundum ordinem uerum doctrinæ, quem hęc scientia requirebat, initium scientię est secundus liber; & hoc voluit Aristoteles in vltimis uerbis primi libri, cum dixit, [aliud principium capientes dicamus.] In primo enim exorsus est a principio propter nostram cognitionem accepto: In secundo autem exorditur a principijs, quę ipsa per se naturalis scientia requirebat & sunt principia doctrinæ. Res autem melius intelligetur, cum cognoscemus, quęnam sint ista fundamenta, & principia doctrinæ, quæ tractantur a Philosopho in hoc secundo libro, nunc enim volo ea missa facere euitandæ confusionis gratia, sed id per se, clarum, & compertum est, nullum esse principalius principium doctrinę, quam definitionem ipsius subiecti, cum enim subiectum sit lapis totius scientiæ, & fundamentum, quo ablato omnia corruunt. Necessarium est in primis eius definitionem habere; intelligo autem nominalem iuxta doctrinam Aristotelis in primo Posteriorum, qui dixit de subiecto pręcognoscendum esse quod sit, & quid sit, idest quid nomine significetur; nomine enim ignorato nihil possumus addiscere circa ipsum subiectum: subiectum autem in tota scientia est corpus naturale, qua naturale, quod ita est manifestæ existentiæ vt Aristoteles omnino spreuerit eius suppositionem, sed nominis significatio magis occulta erat, ideo Aristoteles in hoc principio libri vult declarare eius significationem leuiter, & Topica ratione, ut uidebimus; est enim res, quæ leui egebat declaratione; & quia quęlibet res est talis per suam formam, ita etiam subiectum consistit pręcipue in ratione formali considerandi, quæ in verbis exprimitur, per illam dictionem, naturale, ideo Aristoteles declarare uult, quid intelligatur, per naturale, & cum naturale idem sit, quod habens naturam, ideo declarat, quid significet nomen Naturę; hoc enim intellecto, iam erit cognitum, quid sit naturale, ut ipse quoque Aristoteles admonebit; Patet ergo quod agere de natura, est agere de ratione formali subiecti scientiæ naturalis, & consequenter de ipso subiecto. Et hoc significare voluit Auerroes in fine Commentarij tertij, cum dixit [Subiectum istius Libri est Natura, & principia Naturæ.] per Naturam

turam

turam enim intelligit ipsas res naturales, quæ sunt vere subiectum in his libris; ideò principia earum considerantur, quæ principia impropriè appellantur subiectum; sed sunt potius intentio, quàm subiectum. Vnde natura est subiectum, quia est ratio formalis subiecti. Et quia consideratio rerum naturalium in libris Physicorum est communissima, & abstracta a suppositis, ideo Auerroes ibi addit: Aristotelem hic non definiuisse corpus, sed solum in principio libri de Cœlo; satis enim fuit in libris Physicorum declarare rationem formalem subiecti. Corpus autem quod est pars animalis Aristoteles iudicauit melius esse difinire in principio Libri de Cœlo, quia ille est primus Liber, in quo Aristoteles incipiet particulariter agere de singulis sensatis corporibus naturalibus, hic enim de eis non agit, nisi communiter, & abstracte. Propterea verum esse dixit Simplicius, cum dixit: agere de Natura fuisse necessarium Philosopho naturali; sed causam huius ignorauit: causa enim est, quia acturo de rebus naturalibus, necessarium est in primis intelligere quid sit naturale; hoc autem intelligitur cognoscendo, quid sit natura. Tota igitur rei veritas in hoc consistit, vt intelligamus, & cognoscamus, tractationem de Natura esse definitionem subiecti totius naturalis Philosophiæ secundum partem eius formalem.

In primis tribus textibus propositum Aristotelis est tradere definitionem Naturæ, quam inuestigat per differentiam, quæ est inter naturalia, & non naturalia; naturale enim, cum sit sensatum, est notius quàm Natura. Et hac eadem via Aristoteles in principio secundi de anima inuestigat definitionem animæ; distinguit enim entia in animata, & inanimata, & ex differentia, quæ est inter illa colligit definitionem animæ. Aristotelis autem sententia, & processus hoc in loco talis est. In principio primi Textus diuidit ea, quæ sunt, in naturalia, & non naturalia, deinde enumerat ipsa naturalia corpora, deinde differentiam ponit inter naturalia, & non naturalia, quam etiam declarat. Et in hac declaratione versatur etiam in toto secundo Textu, ea autem differentia talis est; entia naturalia, quatenus naturalia sunt, habent in seipsis principium motus, & quietis; quæ verò non sunt naturalia, non habent in seipsis principium motus, & quietis. Ex hac differentia postea Aristoteles in Textu tertio colligit definitionem Naturæ, & formatur communiter Syllogismus talis: Natura est illud, per quod naturalia a non naturalibus distinguuntur: at id, quo naturalia a non naturalibus distinguuntur, est principium internum motus, & quietis per se, non per accidens, ergo Natura est principium motus, & quietis internum per se, & non per accidens. Maiorem solam Aristoteles ponit, dum in primo, & secundo textu declarat differentiam, quæ est inter naturalia, & non naturalia; minorem non ponit, quia per se est manifestum, quod Natura est illud, per quod distinguuntur naturalia a non naturalibus, nam ex ipsis terminis patet veritas huius minoris. Conclusionem autem Syllogismi ponit in principio tertij textus, dum ponit definitionem Naturæ; de cuius Syllogismi vi, & efficacia, & qualis ratio sit, postea loquemur, cum definitionem totam explicauerimus. Nunc ad singularum partium declarationem accedamus. [Eorum quæ sunt, alia quidem sunt Natura, alia verò propter alias causas.] Differentiam expositurus inter res naturales, & non naturales, Aristoteles prius res ipsas diuidit in naturales, & non naturales; conuenit enim prius diuidere, & membra ipsa statuere, mox eorum differentiam considerare. In his autem verbis id primò est annotandum, quod manifeste præseferunt verum initium totius naturalis Philosophiæ, cum enim naturalis Philosophia versetur in rebus naturalibus, & hæ sint ipsius subiectum, vndenam potuit sumi conuenientius totius

scientiæ principium, quam a rebus ipsis naturalibus, vt eas ab alijs rebus distinctas cognoscamus? In hac autem Aristotelis diuisione duo consideranda nobis proponuntur; Alterum quid intelligat Aristoteles [per ea quæ sunt]; Alterum verò quid intelligat [propter alias causas.] De primo solet dubitari, quia cum Aristoteles dicat [Eorum, quæ sunt] videtur omnia entia complecti; de ijs autem falsum est, quod sint vel a Natura, vel ab alijs causis; dantur enim aliqua, quæ neque sunt Natura, neque sunt ab alijs causis, vt Deus, & Intelligentiæ; ideò cum verba hæc Aristotelis egeant sine dubio aliqua limitatione, communiter ita limitari solent, eorum, quæ sunt a causa, idest eorum quæ habent causam; alia habent causam Naturam, alia vero alias causas; sed mihi videtur non esse conuenientem hanc limitationem, nam adhuc eadem dubitatio vigeret; motus enim, & operationes naturales, & omnia accidentia naturalia habent causas, tamen non sunt Natura, neque ab alijs causis, nam quod non ab alijs causis fiant, patet: quia fiunt a Natura, sed quamuis fiant a Natura, non tamen dicuntur esse Naturam, vt ipsemet Aristoteles hic sumit esse Naturam, nam sumit hic ens Natura pro eo quod est habens Naturam, vt in sequentibus patet. Nam dicit in hoc eodem Textu primo, quod ea, quæ sunt Natura, habent in seipsis principium motus, & status, sed accidentia non dicuntur habere Naturam, neque principium motus, vt ipsemet Aristoteles in Textu V. declarabit, vbi dicit quod accidentia naturalia fiunt quidem a Natura, & secundum Naturam, sed non dicuntur habere Naturam; quare patet, quod hæc comprehendentur sub communi diuiso, idest, sub eo, quod fit a causa, non tamen continebuntur sub aliquo membro diuisionis, quod est absurdum, non enim sunt a causis alijs diuersis a Natura, neque sunt Natura eo modo, quo Aristoteles hic sumit esse Naturam. Preterea, si intentionem Aristotelis consideremus, ea limitatio admittenda non est; Aristoteles enim in hoc Textu, distinguere vult res naturales a non naturalibus, sed non effectus naturales ab effectibus non naturalibus; Incipit enim hunc librum a rebus naturalibus tanquam a subiecto huius scientiæ, non tanquam a causatis, quoniam ea quæ sunt, pro entibus accipi debent, non pro entibus, quæ habent causam. Ad dubitationem igitur aliter dicendum puto, quod Aristoteles per ea, quæ sunt, intelligit solas substantias corporeas, quia adhuc nos non cognoscimus dari substantias immateriales, quæ ex solo motu æterno inueniendæ sunt in Octauo horum librorum, neque etiam ibi intelliguntur plenè, nisi in Metaphysica; ideo Aristoteles hic entia sola accipit, quæ sunt sensata, & corporea; nã circa hæc versatur Philosophus naturalis. Ita exponit Aug. qui in Comment. 1. dicit Arist. velle ponere differentiã inter corpora naturalia & corpora non naturalia. Quasi hęc duo diuisionis membra non possunt intelligi nisi de corporibus. Sed quia multa sunt corpora, quæ non a formis naturalibus, sed a formis artificialibus sumunt nomen, & definitionem, ideo Aristoteles dicit entia, alia esse a Natura alia ab alijs causis, alias causas intelligens artem, & casum. Nam sicuti Ars scamnum facit, & videtur eius rei corporeæ causa fuisse; ita etiam a casu potest scamnum fieri, vt si lapis aliquis ita cadat, vt videatur ab aliquo Artifice ad sedendum elaboratus. Vnde patet, quod Aristoteles non loquitur de accidentibus, quæ a diuersis causis fiunt, nam cum inter ea, quæ a Natura fiunt, non numeret accidentia, sed corpora solùm, vt in sequenti enumeratione patet, non debet etiam enumerare accidentia, quæ ab alijs causis fiunt, nec humanas actiones, quæ fiunt a voluntate, sed opera sola corporalia, quæ vel ab Arte, vel a casu fiunt. Quod confirmatur, quia Aristoteles in sequentibus comparans naturalia cum artificialibus, corpora sola cum corporibus comparat, vt animalia & plan

tas

tas cum lecto, & indumento. Et reuera non potest alia considerare; quam corpora, quia cum inter naturalia, & non naturalia hanc differentiam ponat, quod naturalia habent in seipsis principium motus, non naturalia vero non habent in se principium motus, certum est quod de accidentibus dicere non possumus, quod habeant, vel non habeant in seipsis principium motus, sed de corporibus, quibus cõuenit per se moueri, vt quę sunt composita ex materia & forma naturali, vel artificiali; vnde patet, quod omnia, quæ per se non possunt moueri, non possunt sub hac Aristotelis diuisione comprehendi. Ex his igitur patet, quod Aristoteles hic dicens, [ea quæ sunt] neque accidentia intelligit, neque substãtias incorporeas, sed solas corporeas, quæ causam habent, vel naturam, vel artem, vel casum. Quamuis enim ars, & casus non faciunt substantiam, sed accidentia; tamen quoniam producunt formas dantes rei nomen, & definitionem, totum corpus dicitur ab arte causatum, aut a casu, vt a causa efficiente proxima; ab hac enim res denominatur, non a remota, quam Aristoteles non considerat. Corpora autem naturalia non ita intelliguntur habere causam Naturam, vt causam efficientem, sed vt causam intrinsecam, & formalem rationem, qua naturalia dicuntur, & sunt; Nam, & cęlum dicitur esse Natura constans, non quod habeat causam efficientem, sed quia essentia eius est Natura, quę est principiũ motus. Ex sua.n. essentia habet inclinationem ad motum, ideò Aristoteles dixit [propter alias causas] nam, [propter] significat causam extrinsecam; non tamen dixit propter Naturã, sed dixit, [Natura] quia hęc appellatio cõuenit tam corpori æterno, quam corpori genito, Cęlum enim est Natura, non tamen est propter naturam, causæ enim internæ non conuenit illa dictio [propter.] Est tamen de Cęlo dubitatio, an sub hac tractatione de Natura comprehendatur, quam difficultatem postea excutiemus. Considera hic errorem illorum, qui dicunt Aristotelem procedere a diuisione effectuum in naturales & nõ naturales, tamen defendant, quod Aristoteles hac diuisione comprehendat cęlũ, & sub ea contineatur ipsum cęlũ. At hæc implicant contradictionem, quia cęlum nõ est effectus naturę. [Natura quidam sunt & animalia, & partes ipsorum] facta diuisione eorũ, quę sunt, in ea, quę sunt Natura & propter alias causas, Aristoteles hic enumerat ea, quæ sunt Natura, neque alia enumerat, quam corpora ipsa naturalia. Vnde patet, quod per ea, quę sunt, non intellexit alia, quàm corpora, enumerat autẽ species corporis naturalis, incipiẽs a Nobilioribus, nominat.n. animalia, & plantas, & quatuor elemẽta, & quia pretermiserat omnia mixta inanimata, ideo addit illa verba, [& huiusmodi] quibus comprehendit omnia naturalia corpora; quę non sunt expresse enumerata. Dubium aũt est de Cęlo, an includatur sub hac enumeratione; & sub noĩe Naturę, sed hanc difficultatem in Textu tertio narrabo, vbi examinabo etiam sententiam Simplicij, qui dicit, animam hic nõ contineri sub nomine Naturę, neque animata sub naturalibus. At ꝙ includatur cęlũ per illa verba [& huiusmodi] patet ex simili modo loquẽdi in textu 5.1. libri de cęlo, & in textu 1. tertij. Nũc aũt considerandum proponitur, cur Arist. dixerit, [animalia, & partes ipsorum] nec tamen postea ullam mentionem fecerit de partibus plantarum, & elementorum. Alexander, referente Simplicio, dixit Aristotelem adiecisse illa verba [& partes ipsorum] ad differentiam artificialium. Naturalia enim habent etiam partes naturales, sed artificialia non semper habent partes artificiales, nam tota domus est res artificialis, aliquæ autem partes sunt naturales, vt lapides, & ligna. Obijcit contra hanc expositionem Simplicius, quia uel intellexit Alexander partes integrantes, uel essentiales, quas vocat Simplicius elementares; si integrantes; falsum est, quod dixit Alexander de artificialibus; nam etiam artificialia habent partes integrales artificiales; sicuti enim tota statua est artificialis, ita eius Cor-

pus

pus, & manus; ficuti etiam tota domus, ita thalamus, & porticus, & parietes, & pauimenta sunt res artificiales. Si uero intelligat essentiales, falsum est quod dicit de naturalibus, nam partes essentiales corporum naturalium non sunt naturales, quia materia, & forma non possunt dici naturales, quia non habent in seipsis principium motus, sed sunt potius natura ipsa. Conatur tamen Simplicius tueri Alexandrum, & dicit quod si bene consideremus, discrimen est inter naturalia,& artificialia penes partes essentiales,nā res naturales habent partes essentiales naturales, si non remotas, saltem propinquas, videlicet quatuor elementa,sed artificialia nullas essentiales partes habent artificiales,sed omnes naturales tam propinquas, quàm remotas, quare Aristoteles, rectè dixit, [& horum partes] ad differentiam artificialium. Contra hanc expositionem Alexandri, & Simplicij Pendasius instat dicens, si hoc modo intelligeretur Aristotelem esse superfluum, quia bis nominaret elementa inter corpora naturalia,si per partes animalium intellexit ipsa elementa. Addit autem posse defendi alio modo expositionem Alexandri, exponendo de partibus integrantibus, nam omnes illæ partes, quæ sunt actu in toto,& in quas totum actu diuiditur,dicuntur integrantes,quare lapides in domo sunt partes integrantes, & sic partes artificialium integrantes sunt naturales,neque sunt necessario artificiales, naturaliū autem necessario sunt naturales. Hanc putat esse expositionem Alexandri,ut reuera est,quæ etiam Themistij fuit; sed neque hæc expositio ei placet, quia dicit, si Alexandri expositio admitteretur, quòd Aristoteles dixisset [& harum partes] ad differentiam artificialium, debuisset dicere etiam de plantis, & elementis, [& partes ipsorum] non enim animalibus solum id competit ad differentiam artificialium, sed omnibus naturalibus vt partes habeant necessario naturales.Ideo ponit ipse propriam expositionem,& dicit Aristotelem non ea verba adiecisse ad differentiam artificialium, sed ad differentiam aliorum corporum naturalium, videlicet,plantarum,& elementorum, quia licet id verum sit etiam in plantis, & elementis,erat tamen per se manifestum, sed non ita erat manifestum in animalibus, quia partes animalium sunt ita affabre & artificiose fabricatæ,& cum tanta sapientia, vt uideantur potius ab aliquo intellectu,aut ab aliqua causa supernaturali, quam a Natura esse fabricatæ, ideo ne crederemus partes animalium esse factas a Deo, qui Naturę auxilium præbuisset, addere voluit, quòd etiam animalium partes sunt naturales, non addidit hoc de alijs, quia de alijs non poteramus hoc modo dubitare. Ego vero ut proferam sententiam meam, credo quidem non esse admittendam Alexandri expositionem ob hanc potissimum rationem, quia non est intentio Aristotelis in his verbis distinguere naturalia ab artificialibus, sed solum enumerare corpora naturalia; quare non debet intelligi illa verba ad differentiam artificialium, sed postea afferetur differentia inter artificialia & naturalia penes principium motus, non penes partes, quia hæc differentia ad propositum non pertineret. Sed neque Pendasij expositio mihi omnino probatur, quia non potest dici, quod Aristoteles ea verba addiderit ad differentiam plantarum, & elementorum, si etiam plantæ, & elementa hoc habent, vt eorum partes sint naturales, sicut partes animalium, id vero recte a Pendasio dictum puto, quod cum ea conditio non magis animalibus, quam plantis & elementis conueniat, Aristoteles cum de solis animalibus loqueretur, eam exprimere uoluit, quia occultior erat, in alijs vero manifestior. Hoc ego verissimum esse puto, non tamen ob eam rationem, quam ipse affert, uidelicet, quia poteramus existimare, ꝙ partes animalium propter earum magnum artificium essent a causa supernaturali fabricatæ, non a natura, hoc (inquam) mihi non probatur, facit

enim instantiam manifestam, & efficacem. Multo maior sapientia, & artificium conspicitur in fabrica, & structura totius animalis, quam singularum partium, nã totum dicit formam, partes dicunt materiam, ideo totum animal est quid multo admirabilius, quam partes, ut tradit ipsemet Aristoteles in primo de Partibus animalium cap. ultimo: Si ergo Aristoteles dixerat, animalia esse a Natura, & maiorem præseferunt diuinitatem, quam partes, nonne iam totum dubium de partibus erat sublatum? nonne iam patebat, etiam partes esse a Natura, cum sint ignobiliores? aliam igitur causam afferendam puto, & credo Aristotelem solam dissimilitudinem, & dissimilaritatem respexisse, quæ est inter partes animalium, & totum animal; in ijs enim quæ similia, & eiusdem naturæ sunt, certum est, quod si vnum est naturale, etiam alterum est naturale, ideo fatuum fuisset, si Aristoteles dixisset, Elementa, & horum partes esse naturalia, cum sint corpora similaria, in plantis vero est quædam dissimilaritas, sed non tanta, quæ possit facere, vt dubitemus, ne partes sint eiusdem rationis cum toto. Adde etiam quod cum Aristoteles dixisset animalia, vel partes, non erat amplius opus exprimere partes plantarum, si enim animalibus existentibus a Natura partes quoque sunt a Natura; licet valde dissimiles a toto; magis clarum est, quod tota planta existente a Natura, etiam partes sunt a Natura, cum similiores sint toti, quam partes animalis toti animali. Sed in animalibus est differentia magna inter partes, & totum; in ijs autem, quæ valde differunt, non possumus ita manifeste vnum sub altero complecti, sed cogimur omnia exprimere, quia propter differentiam magnam non est clarum, quod sint eiusdem rationis: Aristoteles ergo volens nominare omnia corpora naturalia non contentus se nominasse animalia, adijcere voluit etiam animalium partes, quia maxime differunt a toto, neque est manifestum quod eadem sit ratio de partibus, ac de toto; de plantarum autem partibus nihil dixit, quia cum sint similiores toti, sub toto manifestius intelliguntur contineri, & eiusdem esse rationis cum toto, adhuc autem magis elementa; ideo Aristoteles has partes non expressit, sed tacuit vt manifeste naturales; sicuti etiam tacuit corpora alia naturalia mixta inanimata, quia non multum differunt a Natura Elementorum, imo ratione motus, & principij motus non differunt, quia mouentur ab Elemento dominante, & sic habent principium motus internum eodem penitus modo, quo Elementa; ideo Aristoteles dixit [& huiusmodi] notans hanc conuenientiam Arist. in 1. textu tertij de cęlo numerans corpora naturalia dicet, animalia, & plantæ, & horum partes. [Omnia autem, quæ dicta sunt.] Hęc est tertia pars Textus, in qua Aristoteles postquam diuisit corpora in naturalia, & non naturalia, & enumerauit naturalia, affert differentiam inter ipsa, videlicet inter naturalia, & non naturalia, & eam declarat tum in hac parte, tum in toto secundo Textu, qui est facilis; & sic hanc differentiam statuens, ponit maiorem propositionẽ Syllogismi iam dicti, quæ talis est; naturalia a non naturalibus differunt, quia naturalia, omnia corpora quatenus naturalia, habẽt in seipsis principium motus, & quietis; corpora autem non naturalia, non habent in seipsis principium motus, & quietis, quatenus talia sunt, sed solum quatenus eis contingit habere materiã naturalem; omnia enim artificialia habent materiam naturalem, ideo habent in se principium motus, & quietis, non quatenus artificialia, sed quatenus materiã habent naturalem, lectus enim supero loco descendit, & in infero quiescit, non quatenus lectus, sed quatenus ligneus, lignum enim est naturaliter graue; quod significauit Aristoteles cum dixit, [quatenus sortitum est prædicationem vnamquamque] idest, quatenus appellatur tale artificiale, vt quatenus lectus, quatenus indumentum, quatenus malleus, quod etiam Aristoteles declarat cum subiungit

Textus Secundus.

[qua-

[quatenus est ab arte] nã lectus ut lectus ab arte est, ut autẽ ligneus a Natura; ideo aduertendum ꝙ differentia inter naturalia, & artificialia non in eo est constituta, ꝙ naturalia habeant in se principiũ motus, non naturalia vero non habeant, imò cum omnia hæc sint corpora necesse est vt omnia habeant in se principium motus; sed differentia est ista, quod naturalia habent in seipsis principium motus per se, idest, quatenus sunt talia; non naturalia vero habent quidem principium motus in se, non tamen per se, sed per accidens, quia non quatenus talia, idest artificialia, uel casualia; nam Aristoteles non a solis artificialibus corporibus distinguit naturalia, sed ab omnibus alijs, licet enim sola nominet artificialia, quia maxime sunt in promptu, tamen vult, quod idem intelligamus de omnibus alijs corporibus non naturalibus, quæ extra animam reperiuntur. Considerandum restaret in primo Textu, an Aristoteles dicens [principium motus, & status] intelligat principium actiuum, an passiuum, an vtrunque simul, & an velit omnibus naturalibus conuenire, & motum, & quietem, sed de hac re loquemur in Textu tertio in definitione Naturæ. Solum considero sequentia verba, quibus Aristoteles enumerans species motus dicit, [Hæc quidem secundum locum, illa vero &c.] in quibus verbis Auerroes notat, quod licet tres tantum sint veræ species motus, quas Aristoteles hic enumerat, vnde in Quinto Physicorum ostendit, quod generatio non est motus, tamen nomine alterationis intelligit eam alterationem, quæ fit in substantia, quæ vocatur generatio, & corruptio. Notat etiam Auerroes, quod in his tribus speciebus motus non est eodem modo principium motus respectu corporum naturalium simplicium, & mixtorum, nam in simplicibus principium motus localis est secundum formam. sed principium motus alterationis in simplicibus non est nisi secundum materiam, sed in mixtis etiam principium alterationis est secundum formam, sicuti in viuentibus etiam principium motus augumenti est secundum formam; quare secundum Auerroem principium cuiuscumque motus est in corporibus naturalibus, quibus illi motus competunt, tum secundum formam, tùm secundum materiam, prætetquàm principium motus alterationis in Elementis est solum secundum materiam, non secundum formam. Sensus, quem maxime habere videntur hæc verba Auerrois est, quod principium secundum formam sit principium actiuum; principium autem secundum materiam sit principium passiuum; Neque erit absurdus hic modus loquendi Auerrois, nam formæ est agere, materiæ vero pati, Corpora enim agunt propter formam, & patiuntur propter materiam. Quem sensum Pendasius refutat, quia secundum eum Auerroes tribueret elementis principium motus localis actiuum, quam sententiam ipse non sequitur, & adducit testimonium Aristotelis in contrarium in Octauo Physicorum, vbi dicit grauia, & leuia habere in seipsis principium motus localis passiuum tantum, non autem actiuum; ideo affert ipse alium sensum horum verborum Auerrois, quem putat veriorem, vt, videlicet, secundum formam, & secundum materiam intelligatur, non actiuum, & passiuum, sed prout est in actu, & prout est in potentia: sic enim principium motus alterationis est in elementis, prout sunt in potentia, principium autem motus localis conuenit Elementis prout sunt in actu per suas formas; non est tamen propterea principium actiuum, sed est passiuum, quia etiam forma est quandoque principium patiendi, forma enim elementi inclinat ipsum, vt moueatur tali motu, non tamen mouet ipsum, sed supponit motorem extrinsecum, qui est aut generans, aut remouens prohibens. Sed ego credo neque secundum se verum esse id, quod Pendasius dicit de motu grauium, & leuium, neque ita posse intelligi verba Auerrois, vt ipse putat. Alias enim dum interpreta-

rer

per octauum Physicorum, ostendi elementa moueri a sua forma, vt a motore intrinseco, neque id aduersari sententiæ Aristotelis in eo loco, cuius intentio ibi non est, loqui de motore grauium, & leuium, sed solum ostendere, quod elementa non ita habent in seipsis principium motionis, ut animalia, quia elementa non possunt moueri a seipsis, nisi supponamus esse alterum motorem extraneum, a quo suscipiunt initium motionis; si enim terra, sit in sublimi detenta per uim, & aliquis remoueret uim, & impedimentum, dat initium motionis, & tunc terra a sua forma deorsum fertur, & dum mouetur non habet alium motorem, quam suam formam. Primum autem principium ipsius motus fuit remouens prohibens, ita terra in loco suo manens non ascendit, sed si a calore Solis calefiat, & transmutetur in exhalationem igneam, tunc fit leuis, & fere ignis, & ascendit, & tunc a forma ignis mouetur sursum, ut a motore; tamen principium motus habuit a generante; in hoc sensu Aristoteles ibi intellexit grauia, & leuia non habere in se motorem, idest primum initium motionis, ut animalia, sed supponere primum motorem extrinsecum, imo dum a sua forma mouentur, non mouentur ab ea, uti ab agente cum resistentia passi, non enim fit ibi actio vera in passum resistens, sicuti quando aliquid agit in externum, sed sine vlla resistentia forma elementi est causa, efficiens illius motus per emanationem effectus a sua causa, non per veram efficientiam in passum resistens, ideo cum Aristoteles ibi non loquatur de causa actiua per emanationem, sed solum per efficientiam veram, & actionem agentis in passum resistens, ideo negat elementa habere internum motorē, qui sit ita efficiens causa eius motus; forma enim elementi est quidem motor, non tamen per veram efficientiam, sed per emanationem, & in hoc consistit verus intellectus sententiæ Aristotelis in eo loco, per quem soluuntur omnes instantiæ, quæ ab alijs afferri possunt, sed de hac re disputare non est in præsentia opportunum; satis est, si dicamus, veram esse hanc opinionem quod elementa habent motorem intrinsecum, quia mouentur a sua forma, & hæc fuit sententia Auerrois, ut patet tertio Cęli vigesimo octauo, & quarto Cęli vigesimosecundo; ideo etiam in hoc loco sententia Auerrois eadem esse debet, neque debemus dubitare, ita Auerroem exponere, ut principium secundum formam intelligat principium actiuum, principium autem secundum materiam principium passiuum, cum præsertim Auerroes ipse hoc in loco aperte loquatur, & seipsum interpretetur. Nam Auerroes declarans, quomodo intelligat, elementa non habere principium motus alterationis secundum formam, dicit [Non inuenitur corpus simplex, quod alteretur ex se, aut quod generetur ex se, sicuti inuenitur corpus simplex, quod transfertur loco ex se] sed clarum est, quod moueri ex se apud Auerroem significat moueri a seipso, idest a motore intrinseco. Deinde etiā clarius loquitur Auerroes, & declarat se intelligere per principium secundum formam principium mouens, & quod moueri ex se significat habere principium actiuum intrinsecum, nā subdit, [Principium autem alterationis, quæ est in mixtis, potest inueniri in ipso alterato, scilicet principium mouens;] Ecce quod principium secundum formam apud Auerroem est principium mouens. Erit ergo sententia Auerrois, quod cum Aristoteles dixit, corpora naturalia habere in seipsis principium horum omnium trium motuum, videlicet, secundum locū, augumentationis, & alterationis; principium nō in omnibus intelligitur eodem modo, sed ut significat communiter, tā actiuum principium, quam passiuum. Nā si loquamur de motu secundum locum, omnia naturalia habent talis motus principium, & actiuū, & passiuum. Anima.n. est principium actiuum motionis, & augumentationis, quia agit in cibum, & ipsum conuertit in alimentum, & auget corpus; ipsum aūt corpus habet etiam natu


ralem

ralem propensionē ad recipiendum augmentum, quare habet principium passiui respectu huius motus. Si loquamur de motu alterationis in eo est differentia inter corpora simplicia, & mixta, nā mixta cum constent ex diuersis naturis corporum miscibilium, possunt in seipsis habere alterans, & alteratum, vt in animalibus patet, nam alterantur corpora animalium ab humoribus, & patet quod calor naturalis, alterat cibum, & humores ipsos, sed in simplicibus hoc esse non potest, quia alteratio est motus distrahens rem aliquantum a natura sua, sed nihil recedere uult sponte a sua natura, ideò nihil agit in seipsum alteratiuè, nisi contingat idem esse compositum ex diuersis, quæ inter se agere, & pati possint, ideo in simplici hoc impossibile est. Et preterea alteratio non fit nisi per veram actionem in passum resistens; actio autem, & passio cum resistentia in corpore simplici fieri non potest; ideo elementa non habent in se principium actiuum suæ alterationis, sed id habent extrinsecum: habent autem saltem naturale principium passiuum: quia secundum naturam sunt apta, vt ab extrinseco agente alterentur, & secundum hoc dicitur alteratio esse naturalis, & habere principium intrinsecum in ipsis elementis. Aduertendum est autem, quod cum Aristoteles tres gradus nominauerit corporum naturalium, videlicet animalia, plantas, & elementa, deinde tres species motus ponat; non est intelligendum, quod singula species motus respondeat singulo gradui corporis naturalis, ut quod motus secundum locum sit simplicium corporum, motus augmenti plantarum, motus autem alterationis sit animalium, non enim hæc est intentio Philosophi, sed profert has tres species motus confuse, & communiter prout competunt omnibus, quibus possunt competere, & sic motum localem ponit vt communissimum, qui conuenit omnibus corporibus naturalibus, tam simplicibus, quam mixtis, mixta enim omnia aut ab anima mouentur secundum locum, aut saltem ab elemento dominante; motum autem augmenti ponit, ut proprium animatorum, videlicet plantarum, & animalium; motum vero alterationis secundum Auerroem vt conuenientem omnibus corporibus inferioribus corruptibilibus, quia Cœlo non competit. Est igitur hactenus declarata ab Aristotele maior propositio Syllogismi, quæ erat quòd res naturales differunt per hoc a non naturalibus, quia res naturales, quatenus sunt naturales habent in seipsis principium motus naturalis, qui est in eis, quicunque sit ille motus, sumendo principium communiter pro qualibet propensione, & inclinatione ad motum, siue ea sit principium actiuum, siue passiuum. Artificialia vero non habent principium motus, quatenus artificialia, sed quatenus habent materiam naturalem, quare per accidens habent principium motus, non per se, & idem dicendum est de casualibus, & vniuersaliter de omnibus corporibus, quæ sint corpora non naturalia reperta extra animā.

Textus Tertius.

Tanquam Natura sit principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est principium per se, & non secundum accidens. Dico autem non secundum accidens, quoniam fiet vtique sibi ipsi aliquis causa sanitatis, cum sit medicus; attamen non quatenus sanatur, medicinam habet, sed accidit, eundem medicum esse, & sanari. Quapropter, & separantur aliquando ab inui-

inuicem. Similiter autem, & aliorum, quæ fiunt vnumquodque, nullum enim ipsorum habet in seipso factionis principium, sed alia quidem in alijs, & ab exteriori, ut domus, & aliorum manufactorum unumquodque: alia autem in seipsis quidem, sed non secundum seipsa, quæcunque secundum accidens causa fieri possunt ipsis, est igitur Natura, quod dictum est.



OLLIGIT hic Aristoteles definitionem Naturæ ex dictis, & potest hic Textus in duas partes diuidi. In prima Aristoteles ponit ipsam definitionem. In secunda declarat quandam eius particulam. Quoniam autem multa dicenda sunt de hac definitione, ideo prius verba interpretabimur; mox alia quædam ad artificium pertinentia considerabimus. Videtur definitio hæc ex genere, ac differentijs constare; principium enim & causa ponitur loco generis, reliqua vero loco differentiatum contrahentium. Particula autem illa [tanquam] significat definitionem colligi, & inferri ex dictis, sed quomodo colligatur, & quænam sit vis huius particulæ [tanquam] post verborum declarationem considerabimus. Duę illæ dictiones [principium, & causa] apud aliquos non significant idem, sed volunt [principium] significare principium actiuum, [causa] vero principium passiuum, quæ expositio habet hanc instantiam, quod aliqua sunt, quæ non habent principium motus nisi passiuum, vt postea considerabimus; ijs ergo ista definitio non conueniret, quia cum Aristoteles vtatur coniunctiua, oportet vbique adesse tam principium actiuum, & passiuum. Quod tamen etiam secundum eos est falsum; nam formam dicunt esse principium actiuum, materiam vero passiuum solum, quare neutra esset vocanda Natura. Alij vero dixerunt principium hic esse quid communius; causam vero esse quid minus commune. Sed mihi videntur melius dicere Græci, quod hæ duæ dictiones hic significent idem, & secunda sit expositiua prioris, nomen enim principij latius patet, quàm nomen causæ, vt dicit Aristoteles in principio Quinti Metaphysicæ; ideo poterat aliquis existimare naturam esse principium motus, idest primam partem, a qua motus incipit, sicuti dicimus principium magnitudinis, & principium viæ, propterea Aristoteles seipsum declarans, subiungit, idest, causa. Intelligit enim tale principium, quod etiam sit causa motus: Dictio illa [quoddam] nihil aliud significat, quam quod principium, & causa sumitur, & communius natura, & veluti genus eius; Nam ita solemus dicere in prædicatione generis de specie, homo est animal quoddam rationis particeps. Ex his patet error Simplicij separantis animam a natura, & dicentis animam non esse naturam. Si enim animal est Corpus naturale, eius natura non est nisi anima. Neque est admittendum id, quod Simplicius dicit in primo Textu, quod animalia nominantur ab Aristotele, & plantæ inter corpora naturalia, non quatenus animata, sed quatenus continent elementa, & formas inanimatorum: hoc autem falsum est, quia propria animalis, aut plantæ natura non consistit in materia, sed in propria forma, quæ est anima, materia autem animalis potest quidem dici animalis natura, sed non secundum se, sed respectu animæ, ad quam est in potentia. Similiter colligitur ex dictis error Auerrois in primo Commentario de motu alterationis, cum dixit Aristotelem intelligere eũ motum, vt communem omnibus corporibus inferioribus tam mixtis, quam simplicibus, inter quæ Auerroes hanc differentiam statuit habere principium motus

alterationis tam actiuum, quam passiuum: Elementa vero solum passiuum. Hanc sententiam Auerrois ego sequi non possum, credo enim materiam solam sine forma non posse dici principium motus naturalis, ideo quando a forma propria res non inclinatur ad talem motum, non potest a materia inclinari: materia enim ad nullum motum inclinat, sed est in potentia ad omnes indifferenter, ideo alteratio non potest dici prouenire a principio intrinseco in elemento, cum secundum formam Elementum non inclinetur ad alterationem, imo eam abhoreat, quia per eam extrahitur a propria natura. Possumus autem argumentari a motu violento, nam motus ignis deorsum tendentis habet eodem modo principium internum, quia materia secundum se est indifferenter apta ad omnem motum, tamen dicitur violentus, neque dicitur prouenire a Natura, quia a propria elementi natura, idest, a forma non prouenit. Eadem autem est ratio de motu alterationis in elemento, ac de motu locali violento, quia vterque nullum habet principium, nisi potentiam materiæ vniuersalem, & indifferentem, quæ si in motu locali violento non sufficit, ad hoc vt dicatur fieri a Natura, neque in alteratione potest sufficere: quare alteratio elementi nunquam dicetur prouenire a Natura, quæ sit internum principium, quamuis proueniat ab aliquo extrinseco naturale agente. hoc enim in præsentia non consideratur. Quare puto ego quod quando Aristoteles dixit in primo Textu, quædam naturalia habere in seipsis principium motus alterationis, non intellexit nisi ea, quæ habent principium internum suæ alterationis actiuum, hæc autem sunt animata, quæ cum ex varijs naturis componantur, habent in seipsis alterans, & alteratum, ideo alteratio prouenit a principio intrinseco, & illud principium est Natura propria eius rei. Circa illa verba [motus, & quietis] ambigunt expositores Græci, cum enim Aristoteles vtatur hic coniunctiua, videtur significare, quod Natura debeat simul esse causa motus, & quietis in eodem corpore, quare ab hac definitione excluditur Cęlum, in quo nulla est quies, neque principium quietis, ideo hoc videns Alexander, referente Simplicio, in expositione primi Textus, dixit Aristotelem in primo Textu enumerantem corpora naturalia, non comprehendisse Cœlum, sed sola corpora inferiora, quare vult etiam Alexander quod Cœlum excludatur ab hac definitione naturæ, quasi alia Natura non definiatur, quàm illa, quæ est principium motus & quietis. Simplicius hoc considerans subiungit modum, quo sub hac naturę consideratione possumus Cęlum comprehendere, videlicet, dando ei aliquam quietem, nam dicit Cęlum quiescere ratione Polorum & Centri, & ratione suæ totalitatis, quare cum etiam Cęlo competat aliquo modo quies, potuit conuenire Cęlo hæc definitio Naturæ: sed cognouit Simplicius vanam esse hanc considerationem, quoniam Cęlum secundum totum dicitur immobile, non autem quiescens, nam quies est priuatio motus, neque dicitur de re immobili, sed solum de ea quę moueri possit, quare quies motum includit; ergo Cęlum cum secundum totum non possit moueri, non potest dici quiescere secundum totum. Aristoteles autem hic nominans quietem intelligit eam, quæ est priuatio motus in corpore mobili, quare si quies deberet competere Cęlo, oporteret Cęlum posse quiescere a suo motu circulari, illa enim esset quies opposita illi motui, de qua Aristoteles loquitur, sicuti in Elementis videmus, nam eadem natura in Terra est principium quietis, quando est in loco suo, quæ est principium motus ad locum suum, quando Terra est extra illum. Ideò reiecta hac sua consideratione dicit Simplicius optimam esse expositionem Porphyrij, qui coniunctiuam exponit pro disiunctiua sic [motus, & quietis] idest motus, aut quietis. Addit tamen Porphyrius se non hanc afferre expositionem ad includendum Cęlum, quia reuera Cęlum non debet inclu-

includi cum sit quoddam separatum ab his corruptibilibus, sed vt comprehendantur quædam inferiora, quæ nunquam quiescunt, vt ignis, qui nunquam quiescit, sed est semper in motu, aut enim ascendit, aut descendit, aut circulariter fertur, ideò si intelligeremus coniunctiuè, non conueniret ei definitio Naturæ, quia Natura in eo est principium solius motus, non quietis. Videntur igitur omnes Græci in hoc consentire, quod Cælum ab hac definitione Naturæ sit excludendum; quam sententiam falsam esse puto, & meliorem esse sententiam Auerrois, qui in Commentario primo dixit Aristotelem numerantem corpora naturalia subintelligere etiam cęlestia, quia etiam ipsa sunt corpora naturalia, & sic nomen Naturæ apud Auerroem extenditur vsque ad Naturam Cęli, quamuis dicatur fore ęquiuoce, (vt inquit Auerroes) idest, analogicè de Cęlo, & inferioribus; alia enim est ratio Naturæ in Cęlo, alia in inferioribus, tamen (inquit) in talibus descriptionibus non possumus facere plus isto, idest, in describendis vocibus analogicis non possumus vti definitione meliore, quàm analoga, contenti autem esse debemus vnitate analogiæ, & proportionis, quando non possumus habere vnam vniuocam vnitatem. Quod autem Natura hic sumatur, vt extendatur ad Cęlum possumus multis argumentis comprobare: Primò, quia cum Aristoteles definiat Naturam esse principium motus, & postea de motu agat in omnibus sequentibus libris, & de alijs passionibus corporis naturalis quæ consequuntur motum, necesse est ut ita sumat Naturam, sicuti etiam sumit, & considerat motum, nam de vtroque eadem est ratio; ut patet ex verbis Aristotelis in principio tertij Physicorum, quia etiam ex motu ducimur in cognitionem Naturæ, sed de motu loquitur in communi tam ad motum inferiorum, quam ad motum Cęli, ergo de Natura similiter: Antecedens probatur ex plurimis locis, in quibus Aristoteles loquitur in his libris de motu Cęli, nam in tertio Physicorum affertur definitio motus, quæ vt patet, & vt Auerroes ibi in Commentario sexto notat, est communis motui nouo, & æterno; in fine sexti Physicorum nominat motum Cęli circularem, sed in Octauo plurimum de eo agit: probat enim motum circularem æternum esse, & multa dicit de motu circulari, quod solus possit esse perpetuus. In quarto autem libro tractans de loco, loquitur de loco Cęli; tractans in eodem libro de tempore, ostendit tempus esse passionem motus, non quidem omnis motus, sed solius circularis. Cum igitur hæ omnes passiones, quæ in sequentibus libris tractantur, tractentur vt communes; cum natura, quæ est principium motus debeat tractari, vt communis Cęlo, & inferioribus; Est etiam rationi consonum, vt cum hęc scientia sit de corpore Physico comprehendens etiam Cęlum, & incipiat a declaratione Naturæ, & Corporis naturalis, accipiat primò Naturam communissimè prout extenditur etiam ad Cęlum Confirmatur ex Aristotele in principio libri de Cęlo in Textu quinto, & septimo, vbi dicit quod omnia naturalia corpora sunt secundum se mobilia secundum locum, & subdit; naturam enim motus principiũ ijs esse dicimus, deinde motũ localem diuidit in rectum, & circularem; citat ergo definitionem Naturæ, & dicit eam esse dictam a se principium motus, & declarat motum illum, qui a Natura fluit esse alium rectum, alium circularem, qui est motus Cęli, de quo ibi tractare proponit. Sed si hæc definitio Naturæ bene intelligatur, manifestũ erit eam competere Cęlo, & sic nullum dubium remanebit quin sit communis Cęlo, & omnibus inferioribus corporibus, id autem patebit, si declaremus verum sensum illorum verborum [motus, & quietis] non debet enim legi disiunctiuè, sed coniunctiuè ut iacent, & in hoc errauit Simplicius cum Porphyrio, sed non propterea sententia Aristotelis est, quod omne naturale debeat habere & motum, & quietem, sed significat solum quod omne naturale, & quan-

do mouetur, & quando quiescit habere principium eandem Naturam tam motus quàm quietis, Nam & motus naturalis, & quies naturalis. Corporum naturaliũ prouenit a Natura. Hoc modo non excluditur Cęlum, quia cum habeat motum, habet etiam naturam, principium eius motus; si autem aliquando quiesceret, eius quoque quietis causa esset Natura, sed cum nunquam quiescat, non potest Natura eius esse causa quietis. Neque Aristoteles hoc uult, uidelicet, quod in omnibus Natura sit causa, & motus, & quietis, sed quod in ijs quæ mouentur est causa motus, in ijs, quæ quiescunt ex se est causa quietis, adeo ut tam motus, quam quietis causa sit natura. Motus quidem in ijs, quæ ex se mouentur, uidelicet in Cęlo, & inferioribus. Quietis uero in ijs, quæ possunt quiescere, quæ sunt sola inferiora. Hanc sententiam mihi uidetur hoc in loco proferre Themistius, quamuis communiter dicant etiam Themistium excipere Cęlum ab hac definitione. Themistius enim declarat, an Natura sit principiũ motus, deinde quomodo sit principiũ etiam quietis, & in hoc sermone de quiete addit hęc verba, [præter diuinum corpus, in quo est Natura principium æterni motus sine ulla quiete.] Per hæc verba mihi videtur excipere Themistius Cęlum a quiete, non a definitione Naturæ, imo tribuit ei hanc definitionem ratione motus, cum dicat Naturam in Cœlo esse principium æterni motus; quare definitio Naturæ satis conuenit, si conueniat ratione motus; sicuti si ego dicerem; Natura est causa ascensus & descensus Elementorum, non propterea intelligerem, quod in quolibet elemento deberemus intelligere vtrunque contrarium motum, quamuis vtar coniunctiua, non disiunctiua, sed sensus esset, quod Natura in elementis est causa, & ascensus in elementis ascendentibus, & descensus in elementis descendentibus, coniunctiua enim utendum est, quia vtriusque est causa natura, non tamen in eodem subiecto, sed in diuersis: coniunctio enim intelligitur respectu naturæ, quæ vtriusque causa est, non respectu subiecti, quia non semper in eodem debent utraque reperiri. Sic etiam hic dicit Aristoteles, quod, & motus, & quietis est causa Natura, non tamen in eodem semper, sed in eo quod mouetur est causa motus, & in eo quod quiescit est causa quietis, & sic tota definitio, seu totalitas definitionis Cœlo conuenit, quod nullo modo debet excludi, quia verba illa [motus, & quietis] quamuis legantur, & legi debeant coniunctiue, tamen sensus eorum significat quandam disiunctionem ratione subiectorum, quia Natura dicitur causa utriusque separatim accepti, non autem necessario simul in eodem subiecto. Arist. enim naturam definit vt principium, ideo per effectus eius, effectus autem naturæ sunt motus & quies, ideo per utrumque debuit eam definire cum coniunctione non cum disiunctione. Item in octauo Phys. 23. citans hunc locum dicitur posita est natura principium sicuti motus & quietis, & coniunctione utitur asserens utrumque esse effectum naturę. Et qui dicitur materiam esse materiam aut animati aut inanimati, vere loquitur si diuidat materiam, sed si intendat eam definire & exprimere eius essentiam per effectus non recte loquitur, quia facit prauum sensum, vt dictum est. Si autem cum disiunctione legerentur, ut Simplicius, & Porphyrius volebant, non rectum haberent sensum, nam omnis propositio disiunctiua satis verificatur si in altera solum parte verificetur, & nunquam in altera, hæc autem est vera homo est aut risibilis, aut hinnibilis, tamen nunquam est hinnibilis, quare possumus intelligere eam naturam esse causam motus, aut quietis, ita ut semper motus, & nunquam quietis, vel e contrario. Ideo quando volumus significare quod vtrunque membrum conueniat, licet non semper coniunctim, non possumus alio modo loqui, quàm per coniunctionem, non enim debemus dicere materia prima est materia aut animati corporis, aut inanimati, sed animati, & inanimati,

mati, licet non simul sint animatum, & inanimatum, & in hoc peccarunt hic Simplicius, & Porphyrius, qui secundo peccarunt dum Cœlum ab hac definitione excluserunt, ut iam ostendimus; sed etiam tertio peccarunt, dum dixerunt aliqua esse inferiora corpora, quæ nunquam quiescunt, ut ignem, nam ex eorummet verbis apparet quod ignis quiescit. Dicunt enim quod semper mouetur ignis, aut a medio, aut ad medium, aut circa medium. Sed Aristoteles octauo Physicorum ostendit quod inter duos contrarios motus est quies media, ergo si ponamus ignem vi deiectum descendere, mox suaptè Natura ascendere, necesse est inter vtrunque contrarium motum esse mediam quietem; quare ignis quiescibilis est. Præterea dico etiam quod ignis dum in suo loco permanet, dicitur quiescere. Quamuis enim semper circumferatur a Cœlo, tamen respectu sui motus naturalis dicitur quiescere a suo motu ascensionis quod probatur sic. Cuilibet motui est priuatiua opposita quies illa, quæ est propria eius priuatio, ergo motui ascensus erit opposita priuatiue quies ab illo motu, ergo dicetur quies quando non ascendit quia vbi priuatio proprij motus, ibi quies ab illo, quia priuatio est quies. Et reuera optime dicitur quod ignis in sua sphæra quiescit, quia in eo loco secundum suam naturam contentus manet, neque a motu circulari perturbatur hæc eius quies, quia ab illo motu non distrahitur a loco suo, quare etiamsi circulariter moueatur, tamen in suo loco ex sui natura quiescit: Motus autem circularis, non est ei secundum Naturam, neque contra Naturam, sed supra Naturam. Ideo Simplicius, & Porphyrius maxime in hac parte peccarunt. Et longe melius dicit hic Themistius dum ait, omnia naturalia corpora quiescunt præter diuinum, quod habet in se principium solius motus sempiterni, non autem quietis. Cum vero ipsi ea ratione uti videantur ad excludendum Cęlũ, quoniam est quoddam separatum ab his inferioribus corruptibilibus, ratio hęc nulla est; quãdoquidem non est intentio Aristotelis in hoc libro de solis agere corruptibilibus, sed de corpore naturali in communi, hoc autem si Cœlum quoque complectitur, etiam nomen Naturæ ad Cœlum potest extendi, non quidem secundum uniuocam vnitatem, sed secundum Analogiam, & proportionem. Aristot. 2. de Cœlo 92. declarat quod idem agens naturale potest per se agere opposita, videlicet, diuersis modis dispositum. Ideo natura elementi est causa motus naturalis, quando elementum est extra locum suum, eadem est causa quietis naturalis quando elementum est in loco suo, sed agens naturale non potest agere opposita dispositum eodem modo. [In quo est.] Dicens Arist. [in quo est] separat omne, quod est mouens separatum a moto, hoc autem est, vel corpus mouens aliud corpus, vel substantia separata a materia mouens Cœlum. Multi dicunt hæc verba poni ab Aristotele ad distinguendam naturam ab arte, quod verum est, si modo bene intelligatur, Ars enim est principium agendi ad extra ut ars fabrilis est principium motus non in eo, in quo est, idest, in fabro, sed in materia externa, nam unio est principium motus in eodem, in quo est Natura, aduertendum tamen, quod non est proprium artis, ut sit principium agendi ad extra, quia etiam Natura potest ad extra agere, ut quando ignis ex sua natura calefacit lignum, possunt etiam alij habitus acquisiti a nobis, ut virtutes, & vitia esse principia agendi ad extra, quare non est proprium artis; ideo dicendum potius est vniuersaliter, quod hæc verba, [in quo est] ponuntur ab Aristotele ad excludendos motus, qui fiunt in alio, siue illi ab arte, siue ab alio principio fiant, etiam qui fiunt a Natura ad extra, non quod Aristoteles velit significare naturam non posse agere ad extra, & non solum esse principium motus in eo, in quo est, sed quia non vult naturam definire per actiones eius ad extra, quoniã in ijs non est constituta ratio naturę, cum in eis conueniant natu

ra,& ars,& alia multa,vt cęlestes intelligentię & habitus acquisiti. Ideo etiã si hæ actiones ad extra conueniunt etiã naturę,tamen quia non conueniunt ei in quantum est natura, neque eius essentiam declarant, Aristoteles exclusit eas tanquam non declarantes rationem Naturæ ad differentiam aliarum causarum, & voluit eam definire per solum motum in eo, in quo est Natura, ideo aduertendum etiam est, quod per hæc verba excluditur motus Cęli, vt ab intelligentijs factus, nam intelligentia non est principium motus in eo, in quo est, quia ipsa in nullo est, sicuti hic sumitur esse in alio. Significat enim esse in alio vt forma informans est in materia,& tunc dicitur principium internum eius motus,& mouens, non quidem vt quod, sed, vt quo, mouens enim vt quod, est id, quod est separatum a moto, vt cum homo mouet baculum, & intelligentia orbem, sed Natura,quam Aristoteles hic definit, non est motor separatus, ideo non mouet vt quod, sed est motor in alio, in materia, est actus corporis; ideo non dicitur mouere vt quod; sed vt quo, totum autem compositum est id, quod mouet se vt quod, forma vero, vt quo, quia est principium vnde fluit motus, & iste motus dicitur factus in eo,in quo est Natura; motus autem, vt factus ab intelligentia dici non potest in eo, in quo est intelligentia, quia intelligentia non est in orbe, sed quid distinctum ab orbe, sed motus Cęli dicitur factus a Natura prout prodit ex Natura orbis, vt ex principio passiuo, & sic est motus in eo, in quo est principium ipsum motus; Videntur autem fortasse quod habitus morales, vt vitia, & virtutes, sint principia motus in eo, in quo sunt, nam ex talibus habitibus multæ operationis, & motus fiunt a nobis, sed reuera ex ijs habitibus agimus ad extra aliquod in hominum consortio,quod si viderentur aliqui motus in nobis fieri ex talibus habitibus;causa illorum motuum est natura, & anima ipsa mouens, illi autem habitus non dant motum. Sed modum aliquem dant ipsi motui, qui modus est accidentalis,& a sola electione prouenit, motus autem fit ab anima, quæ potest quidem ad omnes partes mouere, sed quando electio determinat motum ad talem partem distinguendum est, nam motus ille a Natura prouenit, nam anima mouet, sed determinatio modi illius motus fit ab habitu, & electione. Non dico autem quod motus ille, in quantum motus communissime acceptus fiat a natura animalis; nam diximus superius quod Natura ipsa est forma, quæ determinat,ideo est etiam determinatus, quatenus fit ab anima, est enim talis motus qualis animali soli conueniat, vel homini soli; indifferens tamen ad omnes modos, quos homo potest eligere; ideo illa vlterior determinatio per modos particulariores, quam sint motus æquales ipsi Naturæ humanæ fit ab electione, non a Natura; ita mihi videtur dicendum de motibus immanentibus, qui videntur prouenire ab habitibus scientiarum & virtutum, & vitiorum existentibus in nobis, non autem vt hic Pendasius dicit, qui inquit quod motus isti prodeuntes ab illis habitibus excluduntur ab Aristotele, dum dicit [in eo in quo est] quæ verba significant Naturam esse principium insitum naturaliter in ipso corpore, non aduentitium quid, & extraneum, illi autem sunt habitus non insiti, sed aduentitij, ideo excluduntur per hæc verba: Hoc certè mihi non placet;quia si illa verba eum sensum haberent, non oportuisset addere alias particulas definitionis sequentes, videlicet, primò per se, & non secundum accidens, illæ enim vt videbimus, ponuntur ab Aristotele ad excludendam artem & artificialia, quæ tamen omnia satis essent exclusa per hæc verba [in quo est] nam habitus Artis non est insitus, sed aduentitius;ideo quid fuit opus Aristoteli addere illa verba [non secundum accidens] propter medicum sanantem seipsum? Nam dicendo [in quo est,] idest, in quo est naturaliter insitum ab arte tale principium certè erat exclusa omnis motio facta a Medico in

seip-

ſeipſo, quia habitus Artis Medicæ, non eſt ei naturaliter inſitus, ſed eſt aduentitius, ideò mihi videtur ea verba [in quo eſt] non ſignificare determinate principium inſitum naturaliter, ſed inexiſtens quocunque modo videlicet, vt formæ materiales, & accidentia dicuntur inexiſtere in ſubiectis, quia ſubſtentantur ab illis, quare etiam habitus acquiſiti, vt Scientiarum, Virtutum, Vitiorum, & Artium dicuntur in nobis eſſe, ſicuti etiam Natura. Nulla enim hic eſt conſideranda differentia aduentitij vel inſiti, vt ego exiſtimo, videtur enim potius dicendum, quòd ab illis habitibus non fiunt motus ipſi, ſed modi motuum, ipſi autem motus ſunt a Natura. Verba illa [primo per ſe, & non ſecundum accidens] multis difficultatem fecerunt, quoniam, per ſe, eſt communius quam primo, vt patet in primo libro Poſteriorum: ſpecies autem propoſita generi facit nugationem ſicuti ſi dicamus eſt homo, & animal, ideo cum Ariſtoteles dixerit primo, videtur ſuperuacaneum fuiſſe addere, per ſe, & miror quomodo Auerroes hanc difficultatem non viderit. Nam dicit, quòd Ariſtoteles dixit, primo, & per ſe, quia hæc duo non ſunt idem, ſed per ſe eſt communius, quam primo, & non vidit Auerroes quod oportuiſſet præponere per ſe, non autem illam particulam primò, quia ſic nugatur Ariſtoteles. Omitto hic multa quæ dicuntur a multis in expoſitione harum dictionum, credo rectam eſſe ſententiam illorum, qui dicunt nullam eſſe nugationem, quia hæ duæ particulæ ad idem non referuntur, ſed ad diuerſa, neque per eas eadem res excluditur a definitionem Naturæ, ſed diuerſæ res, Dictio enim illa [primo] annectenda eſt præcedentibus, vt dicamus [in quo ineſt primo] & per ea excludentur corpora artificialia, quatenus mouentur motu naturali, ratione materiæ, ex qua conſtant, ſicuti Ariſtoteles dixit in ſecundo Textu. Nam ſcamnum deſcendit, & motus ille prouenit a principio interno, quod in ipſo ſcāno eſt, non tamen primo, ſed ineſt primo illud principium motus ligno, ſcamno vero non primo. Et ſic accipitur hic [primo] vt in primo Poſteriorum pro ſecundum quod ipſum, quemadmodum Ariſtoteles dixit ſupra in ſecundo Textu. Nam in ſcamno eſt principium motus, non tamen primò, ideſt, non quatenus ſcamnū ſed quatenus ligneum, ideo Natura erit ibi principium motus in ligno, in quo ineſt primo, non in ſcamno, in quo non primo ineſt, & ſic eſt principium motus in corpore naturali, non in artificiali, quatenus tale eſt. Dictio igitur illa [primo] particulariter contrahit illud verbum ineſt, vt dicamus, in quo primo ineſt. Sequentia autem verba [per ſe, non ſecundum accidens] tunc differentia contrahens totam definitionem, & quæ ad omnia ſuperius dicta referuntur, & diſiuncta leguntur ab illa dictione primo. Vult etiam Pendaſius, vt hæc duo [per ſe, & non ſecundum accidens] a ſe inuicem diſiungantur, & ad diuerſa referantur, adeò vt hæ tres particulæ, primò, per ſe, non per accidens, tria diuerſa reſpiciant. Particulam illam, primo, exponit ipſe vt nos expoſuimus. Illud verò, per ſe, dicit ille referri ad illa verba principium, & cauſa motus. Significat enim per hoc Ariſtoteles, qualis ſit reſpectus, inter hanc cauſam, & cauſatum, ideſt, motum, & dicit eſſe cauſam eius per ſe, ad differentiam cauſarum, quæ ſunt alicuius effectus cauſæ per accidens. Natura verò eſt cauſa motus per ſe. Illud autem, [non ſecundum accidens] dicit referri ad totam definitionem ad excludendum Medicum ſanantem ſeipſum, ſicuti etiam ipſimet Ariſtoteles poſtea ſeipſum declarat, nam tota definitio conueniebat Medico ſananti ſeipſum. ſed excluditur per illa verba [non ſecundum accidens] nam Ars illa Medica eſt principium, & cauſa illius motus ſanationis in eo, in quo primo ineſt; ineſt enim Ars Medica primo, & ſecundum quod ipſum Medico, aut etiam poſſumus dicere homini, & eſt cauſa per ſe illius effectus. Ars enim Medica per ſe eſt cauſa ſanationis, tamen eſt per accidens quod

ſana-

sanationem causet in eodem, in quo est ipsa ars. Sed hæc expositio mihi non placet, & melius mihi uidetur si cum Vicomercato dicamus, quod [per se, & non secundum accidens] hic pro eodem accipiatur, ut Aristoteles; idem magis declaret a contrario sensu, nam sufficit sola dictio [per se] ad significandum utrunque simul imo necesse est, ut utrunque simul significet, adeò ut non sit opus addere illa uerba, [non secundum accidens] nisi ad declarationem adijciantur, nam cum Aristoteles dixit, principium, & causa motus, in eo, in quo primo inest, cum postea addit [per se] necesse est, ut hoc referatur ad omnia. Non enim possumus intelligere solum de illis uerbis, [causa motus,] Si enim Aristoteles hoc noluisset, oportuisset statim post ea uerba ponere, per se, & dicere, causa motus per se in eo, in quo est primo, sed cum in fine dicat, per se, neque immediate hæc uerba iungat illis, causa motus, necesse est, per se, ad omnia dicta simul referre, uidelicet ad causam motus, in eo, in quo est; per se enim Natura est causa motus in eo in quo est, & hoc dicentes dicimus etiam quod est causa motus per se; & etiam excludimus Medicum sanantem seipsum, in quo Ars Medica est causa sanitatis in ipsomet per accidens non per se, ideo Aristoteles dicit Naturam esse causam motus in eo, in quo primo inest per se, non autem per accidens, sicuti per accidens Medicus seipsum sanat, nam est per accidens quod Medicus in seipso faciat sanitatem, quia non sanatur quatenus est Medicus. Et probat hoc Aristoteles quando dicit [separantur aliquando ab inuicem,] illa enim quæ essentialiter sunt coniuncta nunquam separata ab inuicem inueniuntur, ergo cum inueniatur Medicus, qui tamen seipsum non sanet, & sanatum, qui non a se sanetur, quia non est Medicus, sunt accidentaliter coniuncta, Medicum esse & sanari, Ars enim medica est per se causa sanitatis in humano corpore, non autem in eodem particulari, in quo est Ars ipsa, idest quatenus est illo particulare. [Similiter autẽ, & aliorum.] Colligit autem ex dictis de Medico, quod similiter omnia alia, quæ ab Arte fiunt, distinguuntur a naturalibus per ea, quæ in definitione dicta fuerunt; ars enim omnis aut est principium agendi in alium extrinsecum solum, ut Ars ædificatoriæ, quæ agit in lapides, & ligna quæ nullo modo habent in seipsis [principium factionis,] sed extrinsecum est principium motus ab eodem subiecto, in quo motus recipitur, aut si habeatur quandoque ut sit principium motus recepti in eodem, in quo est Ars, est per accidens, non per se, ut dictum est, de Medico sanante seipsum, vbi considero Aristotelem dicere, [sed non secundum seipsa,] idest, sed nõ per se, postea dicit, [quæcunque secundum accidens causæ fieri possunt ipsis.] Significat enim per se, & non secundum accidens hoc idem significare, & poni ad excludendum artificem, qui in seipsum agat; non est enim per se, sed per accidens, quod sit causa sibi ipsi eius motus. Considero etiam illa verba [factionis principium] quibus Aristoteles cum differentiam ponat inter artificialia, & naturalia, ponit eam ratione principij actiui intrinseci, & id quod negat de artificialibus, est affirmandum de naturalibus, quare naturalia habent principium actiuũ sui motus internum; tale enim principium in artificialibus est extrinsecum non principium passiuum; possumus autem in conformationem nostræ expositionis eorum verborum [per se non secundum accidens] adducere testimonia Aristotelis in alijs definitionibus, vbi ad maiorem declarationem vsus est eodem modo loquendi, nam in Textu penultimo primi Physicorum definiens materiam adiecit, non secundum accidens ad declaranda illa verba, cum inquit, quæ significabant per se, quia per se fit res ex materia prima, quæ inest, & remanet in re facta, per accidens vero ex priuatione, quæ non remanet. In principio etiam primi Posteriorum dicit, scire vnumquodque simpliciter, & non sophistico modo, qui est secun

dum

dum accidens, nam dicere, non sophistico modo est declarare a contrario sensu illam dictionē, simpliciter, ideo non est inconueniens, si hic quoque dicamus id fieri ab Aristotele, cum præsertim alius sensus esse non possit, ut ostendimus, neque est ita absurdum in definitione nominali qualis hæc est, ponere verba, quæ superuacanea videantur. Cum enim in tali definitione intentio sit declarare nominis significationem, ea non dicuntur superuacanea quæ faciunt ad maiorem declarationem eorum, quæ dicuntur; possumus etiam dicere, quod illa verba, non secundum accidens, sunt extra definitionem, ut declaratiua illorum, per se; sed tamen, (ut dixi) nullum est absurdum, si ponatur esse pars definitionis. Notandum autem in hac definitione Naturæ, quod per ea excluduntur artificialia ratione omnium motuum, qui in eis fieri possunt. Tria enim genera motuum inueniuntur in ipsis artificialibus. Alij enim sunt motus artificiales, idest facti ab Arte, qui per se proueniunt ab agente extrinseco idest, ab Arte, quæ est extra arte factum, vt ædificatio in domo fit a principio non existente in ipsis lapidibus, sed in mente artificis, hi omnes motus artificiales excluduntur per ea verba, [in eo in quo est.] Ars enim est principium motus non existens, in eo, in quo est motus, Natura vero est principium motus existens in ipsa re, in qua est ille motus. Alij sunt motus in artificialibus artificiales, idest facti ab Arte, sed accidentaliter existente in eodem subiecto, in quo est ille motus, ut cum sanatio fit ab eodem, qui sanatur, quando ille est Medicus, qui motus excluduntur ab Aristotele per illa postrema verba [per se, & non per accidens.] Ars enim si est principium in eo, in quo est, est per accidens, non per se, Natura vero per se, non per accidens est principium motus in eo, in quo est, ideo hæc non separantur ab inuicem vbi enim est Natura, ibi semper est inclinatio ad motum in eadem re, & hæc duo genera motuum artificialium considerantur ab Aristotele in secunda parte tertij Textus. Tertium autem genus sequens ab Aristotele non nominatur in hac secunda parte, quia cum satis in secundo Textu erat locutus de motu naturali facto in re artificiali, & cum per exempla declarauerat, ideo non fuit opus, ut amplius declararet post definitionem particulam illam. Primo, quia iam erat declarata, sed illas duas declarat, in quo inest, & per se non secundum accidens. Alij tandem sunt in artificialibus motus naturales, idest, non facti ab ipsa Arte sed a Natura, considerari tamen in artefacto, ut est artefactum, sicuti cum diximus, scamnum descendere. Est enim in eo principium motus; in quo eodem est motus; sed hi ab Aristotele excluduntur per illam dictionem, primo, Natura enim est principium motus illi, cui primo inest, videlicet ligno non scamno, quare, & illud principium internum motus, & ipse motus debent attribui corpori naturali, ligno, non autem artificiali, videlicet scamno; Ad perfectam enim intelligentiam nominis Naturæ, non solum oportuit cognoscere cuius effectus ipsa est causa, sed in quo subiecto talem effectum causet, & quomodo causet, est enim causa motus, & quietis in eo, in quo primo inest, idest, corpore naturali, idque per se, non autem per accidens. Auerroes in Commentario dubitat contra hanc definitionem Naturę, quia per eam non uidetur excludi Ars saltandi, seu tripudiandi, hæc enim est principium motus in eo, in quo primo inest, per se, non per accidens, homini enim primò inest, & in eo est causa motus per se, non per accidens; Auerroes soluit dicens, quod Aristoteles non loquitur hic de artibus, ex quibus solæ operationes proueniunt, sed de illis, ex quibus proueniunt etiam opera, vt est ars ædificatoria, Ars autem saltandi nullo vtitur Instrumento, neque vllum opus relinquit, quæ distinctio Artium est ipsius Aristotelis in principio primi libri Ethicorum. Sed hæc solutio Auerrois multis non placet, & reuera non videtur satisfacere

facere dubitationi, quia Aristoteles in definitione Naturæ de nulla arte loquitur neque de relinquente opus, neque de non relinquente: sed loquitur solùm de Natura, quam vult definire, & eius conditiones exprimere. Definitio autem, si bona esse debeat, debet distinguere Naturam ab omnibus alijs rebus, & nulli præter ipsam Naturam competere: quare debet excludere etiam Artem saltandi, & quamlibet aliam. Auerroes autem videtur concedere, quod sub hac definitione comprehendatur ars saltandi & sic facit ipsam definitionem absque dubio vitiosam. Pendasius reiecta solutione Auerrois tres affert ipse solutiones, idest, tres modos, quibus distinguitur ars saltandi a Natura per eius definitionem. Primo dicit, quod excluditur ars saltandi per ea verba [in quo est primo] nam ars saltandi non est principium motus in eo, in quo primo inest, inest enim primò in anima, & est causa motus non in anima sed in corpore. Secundo dicit omnes Artes excludi per ea verba [in quo est,] quia natura est insita, & congenita in corpore naturali: Artes autem omnes sunt acquisitæ, & aduentitiæ. Tertio dicit quod Artes non sunt principia motus simpliciter, sed motus artificiosi: Motus autem artificiosus, quatenus artificiosus, non est motus naturalis. Sed mihi videtur nullum horum esse, quod difficultatem tollat. Non primum, quia licet Ars sit in anima, tamen anima est in corpore, & totam informat, quare etiam Ars dicitur esse in toto animato corpore, & totam animatum dicitur moueri. Præterea si hæc ratio valeret, non oportebat Aristotelem addere illa verba [non secundum accidens] ad excludendum Medicum sanantem se, quia iam fuisset exclusa etiam Ars Medica per illa verba in quo est primo, nam similiter ibi res se habet ac de Arte saltandi, Ars enim Medica est in anima primo, & sanatio recipitur in corpore. Non valet etiam secundum, quia ut superius dictum est de Virtutibus, & Vitijs, Aristoteles dicens, in quo est, non significauit insitum naturaliter, sed simpliciter inexistens in eo, in quo fit motus. Quod hoc uerum sit, patet, quia si intelligeretur naturaliter insitum, iam erant per ea uerba exclusæ omnes artes, quia omnes sunt aduentitiæ, quare non erat addendum [per se non per accidens] ad excludendum medicum sanantem seipsum. Quod etiam tertio dicitur, non ualet, quia si motus positus in definitione Naturæ, sumptus esset ab Aristotele pro solo motu naturale, ad differentiam artificiosi, non erat opus adijcere alias particulas definitionis ad excludendos motus artificiales, uerum est enim, quod motus artificiales omnes ab Aristotele excluduntur, sed per conditiones positas in definitione Naturæ, exprimendæ enim sunt conditiones in definitione, per quas motus artificiales excluduntur. Patet igitur, quod dicere Aristotelem intelligere motus naturales, non artificiales; est nihil dicere, quia oportet apparere in eadem definitione aliquam conditionem, qua excludantur artificiales, ideo dubiũ de arte saltandi viget, quæ est causa motus in eo, in quo primo est, per se non per accidens, & sic nihil est in definitione quod eam excludat. Male etiam videtur sentire Pendasius, dum tres affert rationes, quibus ars saltandi ab hac definitione excludatur, nam in definitionibus nihil superuacaneum poni debet, ideò si per vnam definitionis partem aliqua res separatur, & excluditur, non est amplius excludenda iterum per alium, vna ergo ratio sufficit, quæ vera sit, ad excludendum artem saltandi. Ego dicerem ad hanc difficultatem, sicuti superius dixi de habitibus animi a quibus causantur motus in eodem, quamuis enim videatur ars saltandi esse causa motus, causa tamen est anima, quæ mouet, non Ars illa; anima enim est principium mouendi corpus ad omnes partes, & secundum omnes modos, ergo omnis motus a saltante factus procedit ab anima, Ars verò saltandi non est causa nisi certæ mensuræ, & quantitatis & modi ipsius motus, quare non

dat

dat motum, quia omnis motus in animali fit ab anima, sed docet modos, & harmonias motuum, & quodammodo auxiliatur Naturæ, quia docet, quomodo facile quis moueatur & cum modo, & mensura. Aristoteles enim in hoc secundo Physicorum Textu septuagesimonono dicit, quod Ars omnis, vel naturam imitatur, vel auxiliatur naturæ, & perficit id, quod Natura perficere non potest, vt inquit etiam Auerroes in fine Commenti Septuagesimi septimi. Anima ergo cum sit Natura animalis dat illi, ut possit ad omnes partes moueri; & exercitatio, & Ars faciunt, ut facilius, ac melius quis moueatur, & cum mensura saltet, & trepudiet, quare motus ille fit ab anima, non ab Arte: ab arte autem fit sola modificatio, & determinatio illius motus. Nisi hoc modo dicamus, non poterimus dicere, quod nunquam motus animalis proueniat a Natura animalis, nam anima est Natura animalis, quæ est mouens indifferens ad omnes differentias positionis; ab agente autem æquali nulla vnquam prouenit actio, nisi ab aliquo extrinseco determinetur ad unam partem, ideò anima nunquam mouet corpus ad aliquam partem, nisi determinetur ad hunc aut illum motum a diuersis appetibilibus externis aut aliquo habitu acquisito, quare possemus dicere quod cuiuslibet motus in animali causa est illud, quod determinat animam ad eum motum, non anima ipsa, quare nullus motus animalis esset ex natura animalis, nisi dicamus quod omnium horum motuum causa efficiens est anima, ab appetibilibus autem, & habitibus non prouenit motus, sed determinatio animæ ad faciendum talem motum, & adiuuatio ad melius faciendum. Sed contra hæc posset aliquis obijcere, quia his admissis sequitur nullum esse motum, qui fiat ab arte, sed omnes fient a Natura, quia omnis Ars auxiliatur Naturæ, sic non eam imitatur, ideo Ars medica non dicitur causa sanationis, neque sanatio dicetur motus factus ab arte, sed a Natura; Ars autem adiuuabit solum ipsam Naturam, ergo Aristoteles non debuit laborare in excludendis his motibus artificialibus, cum non sint artificiales. Ad hoc dicendum uidetur, quod ars medica est principium agendi per se in aliud, non in se ipsum, ideo cum medicus sanat alium, licet dicatur auxiliari naturæ illius, tamen dicitur sanari ab arte medica, non a sua Natura, quia primum mouens fuit ars alterius, non propria natura, ars enim mouet naturam ad expellendum morbum, & mouit vno motu, effectiue, non autem vt appetibile mouet, ideo cum omnis actio tribuatur agenti primo, a quo prouenit principium actionis, illa sanatio tribuitur arti externæ; non autem Naturæ internæ. Idem dicimus de Medico sanante seipsum, est enim similiter motus ab arte, quia ars est primum mouens, non anima ipsa, in qua est ars. Si enim anima esset primum mouens esset in nostro arbitrio sanari quando voluerimus, secus autem est in arte saltandi, & alijs similibus, & in omnibus motibus, qui fiunt in corpore ab aliquo actu, vel appetibili mouente animam. Anima enim tunc non mouetur ab habitu, vel ab appetibili effectiue, & secundum verum motum, sed motu improprio, & metaphorico quia determinatur solum voluntas, & electio ad certum motum, mouens autem non est aliud quam anima; vel adiuuatur anima habituata per artem, vt melius talem motum faceret, quare causa illius motus efficiens est anima, quæ est natura illius rei, non sic autem est, quando eadem anima per artem, quam habet, causat motum in alio. Anima enim est natura eius, in quo est, non est natura illius alterius, quare motus in illo altero dicetur non factus a Natura quia non a propria Natura, quæ est principium internum, sed ab arte extrinseca, quæ est in anima alterius. Sic autem dicendo possumus trahere ad bonum sensum solutionem Auerrois, quam reprobauimus, nam Auerroes dicens Aristotelem non intelligere de artibus, quę solas edunt operationes, vult significare, quod illæ operationes fiunt pro-

propriè a Natura, & sunt motus a Natura facti, idest ab anima, ideo non excluduntur: Artes vero, quæ relinquunt opus extrinsecum agunt in alio, ideo illi motus non dicuntur fieri a natura, sed ab arte, & ab Aristotele excluduntur, quod si contingat talem artem agere etiam quandoque in eodem, idest, eam, quæ est nata agere in aliud, illud est per accidens, sicuti cum Medicus sanat se, ideo saltationes, & tripudia sunt motus a Natura facti, dicuntur tamen non a Natura, sed ab Arte, quia respicitur illa modificatio facta ab arte, & illa determinatio modi, & mensuræ, quod si solum motum respiciamus fit ab anima, & sic a Natura.

Declarata definitione Naturæ reliquum est vt ea, quæ ad artificium pertinent pertractemus, videlicet, qualis sit hæc definitio, & qua via ab Aristotele concludatur; de ipsa enim definitione qualis nam sit, nihil ab alijs consideratum inuenio; Quomodo autem Aristoteles eam colligat, multi dicunt Aristotelem eam colligere Syllogismo illo, cuius medium est differentia inter corpora naturalia, & non naturalia, qui talis fuit. Id, quo differunt naturalia a non naturalibus, est principium motus in eo, in quo primò inest per se, non per accidens; & Natura est id, quo differunt naturalia a non naturalibus, ergo Natura est principium motus, &c. Sed quam vim habeat Syllogismus talis concludendi hanc definitionem, nemo considerauit, nisi Pendasius, qui aliquā ea parte difficultatem cognouit, non tamen ex omni parte. Videns enim sic definitionem per Syllogismum concludi, dixit eam non demonstrari a priori, id enim fieri non potest sed a posteriori per demonstrationem a signo, quod non est inconueniens; differentia enim inter naturalia, & non naturalia est veluti signum, quo cognoscitur definitio Naturæ, hoc modo ipse putauit illi difficultati esse satisfactum, quomodo definitio possit per demonstrationem concludi, quod Aristoteles negare videtur in secundo Posteriorum. Sed altera difficultas non leuis ei relinquebatur de efficacia huius Syllogismi & difficultas est in veritate præmissorum; minor enim potest sic intelligi, Natura est id, quo naturalia a non naturalibus distinguuntur quodcunque id sit, & tunc erit falsa minor, quia Natura non est id omne, quo naturalia a non naturalibus distinguuntur, erit tamen vera minor, si sic intelligatur. Natura est id, quo primo naturalia a non naturalibus distinguuntur, idest, quæ naturalia sunt distinguuntur per Naturam, sed tunc maior falsa erit, vel saltem occulta, & petens principium, nam possumus quidem dicere, quod naturalia a non naturalibus distinguuntur per habere in se principium motus, sed quod hoc primo distinguantur non est manifestum neque Aristoteles id probat, quare petit principium quia re uera, qui supponit quod naturalia qua naturalia, differunt a non naturalibus per principium motus, supponit principium motus esse Naturam ipsam & sic in maiore supponitur conclusio. Dubium etiam est de veritate maioris absolute loquendo, nam dum dicimus quod naturalia a non naturalibus distinguuntur per principium motus, significamus, & quod omnia naturalia habeant in se principium motus, & quod sola, quorum vtrunque falsum est, aut saltem ita dubium, vt hic supponi non potuerit, quod enim omnia naturalia moueantur non est clarum, vt testatur ipse Aristoteles, qui in Textu Vndecimo primi libri dicit, supponantur nobis, quæ sunt Natura, aut omnia, aut quædam moueri, non vult dicere omnia absolute, quia de omnibus non est clarum, dubium enim est de polis, & de centro, imo clarum est, quod hęc non mouentur, neque etiam est clarum quod sola naturalia moueantur, nam illi qui ponunt Dæmones, dicunt eos esse mobiles, tamen non sunt res naturales. Alij etiam posuerunt indiuisibile moueri, & secundum Theologos Cœlum Empyreum non est mobile. Si igitur verum sit, quod pręter res naturales etiam alię moueantur, non erit vera maior,

ior, videlicet quod naturalia distinguuntur a non naturalibus per principium motus. Alias etiam multas difficultates ipse affert contra hanc maiorem, & contra hunc Aristotelis discursum, quas omitto, quia reuera alienæ sunt omnes a proposito. Vanum est instantiam aliquam ferre contra vim huius discursus, & postea eas soluere, vt discursus efficacia defendatur, quia reuera ego puto discursum esse penitus inefficacem ad concludendam definitionem Naturæ, neque credo Aristotelem voluisse facere eum Syllogismum quem isti dicunt. Vt igitur rei veritas cognoscatur videndum prius est qualis est ista definitio, quæ dicitur per Syllogismum hic concludi, certum est eam non esse definitionem naturæ, qualem sola composita habere possunt, sed est definitio nominalis declarans nomen Naturæ, quod patet, quia non datur per causas, sed per effectus posteriores, per motum enim, & quietem, qui sunt effectus naturæ in ipso naturali corpore, Aristoteles ipsam Naturam definit. Aduertendum autem, quod secundus est effectus ipsius Naturæ, nam cum reuera natura sit forma, hæc est causa tum ipsius compositi, tum etiam motus, & quietis in eo, ideo videbatur Aristotelem ita definisse Naturam, nam est actus corporis naturalis, qui est causa motus, & quietis in eo primo per se, non per accidens; tamen Aristoteles primum omisit, & secundum solum accepit. Nomen naturæ sumitur ab Aristotele vt significat vnum genus entium variabile, & proprie respicit motum, forma vero respicit compositum. Licet igitur eadem sit forma rei & natura, tamen Aristoteles definiens eam vt naturam non vt formam, non dixit actum corporis, sed principium motus. Et hoc fecit hic errare Ioannem Grammaticum, qui huius rei causam ignorans, dixit hanc definitionem naturæ non dicere quid sit Natura, sed quid agit Natura, quare essentiam Naturæ non cognoscimus per hanc definitionem, sed solùm quorum effectuum sit causa, ideo ipse volens meliorem afferre definitionem, quam attulerit Aristoteles, hanc definitionem ponit. Natura est vita, vel potentia diffusa per corpora formatiua, & gubernatiua ipsorum, principium motus, & quietis in eo, in quo primo inest, per se, non per accidens. Sed multis modis Ioannes peccat, primò, quia in eo carpit, ꝙ dicat solùm quorum effectuũ sit causa Natura, non quid sit. Cum.n. Natura nihil sit per se, sed sit principiũ & causa & sit res simplex, nõ cõposita, nullo alio modo potuit definiri, quã per effectus suos. In talibus.n. hęc nominis declaratio habet locum definitionis, quia aliter non potest exprimi essentia ipsorum. Præterea vellem intelligere quid ipse Ioannes intelligat per vitam; si enim proprie vitam sumat, hæc non conuenit, nisi rebus animatis, naturalibus autem non omnibus. Si vero improprie, & large sumat vitam, erit acceptio metaphorica, & obscura, quæ in definitionibus est vitiosa. Peto etiam quid intelligat per potentiam, si enim intelligat qualitatem falsum est naturam esse talem potentiam; si intelligat formã ipsam, & actum rei, verum est, sed utitur vocabulo æquiuoco, & magnam facit obscuritatem, quod maxime repugnat talibus definitionibus: debet enim hæc definitio dari ut intelligatur nomen Naturæ. Ipse autem Ioannes sumit in definitione voces magis obscuras, & maiore egentes declaratione, quàm ipsum nomen naturæ, quod declarandum proponitur, idem ostendo ex consideratione ipsius sensus, quem illæ voces habent. Nam si ipse intelligat Naturam esse aliquod extrinsecum adueniens, & per corpora diffusum, Aristoteles de hac Natura non loquitur, quia licet non neget naturalia corpora pendere a superioribus, & externis causis, tamen hic eas considerare non potest, sed solùm considerat Naturam internam & insitam ipsis corporibus, quæ ipsa ad mutationem inclinat. Si vero intelligat Ioannes Naturam esse ipsum actum, & formam corporum naturalium, poterat quidem clarius dicere est actus, quàm, quod est potentia,

vel vita, sed tamen neque eam definire per actum corporis in præsentia conueniens fuit. Et Aristoteles artificiosè fecit, quod hoc prætermisit, quia vt in fine primi libri diximus consideratio formæ vniuersaliter, prout est actus compositi, & quidditas eius, est consideratio metaphysica, non est naturalis, sed consideratio eius prout est causa motus in corpore naturali, est vera consideratio naturalis, nam Aristoteles hic describit, & declarat nomen Naturæ, tanquam rationem formalem vniuersalem sui subiecti totalis, & quia subiectum eius erant res omnes, quæ mutationi sunt obnoxiæ quatenus tales, non quatenus entia, ideo non potuit magis accomodate ad propositum definire nomen Naturæ, quam per principium motus, sic enim sumit eam, prout constituit illud genus entium, quod proprie ipse vult considerare, vt subiectum huius scientiæ. Hæc ergo est causa quod non definiuit Naturam per actum, quod si quis dicat, nonne in secundo de anima definiuit animam per actum corporis? dicendum quod naturalis Philosophus considerat quidditates rerum in particulari, sed in vniuersali nequaquam; nomen igitur formæ vniuersaliter sumptum spectat ad Metaphysicum, quatenus est quidditas, & actus rei. Nomen autem animæ ad naturalem; Patet igitur quod optima est definitio Aristotelis, & ita ad propositum accommodata, ut alia afferri non potuerit, hæc enim sufficit ad declarandum nomen Naturæ, prout est formalis ratio sui subiecti, quod est genus illud entis, quod variationi est obnoxium quare reijcienda est definitio Ioannis, quæ aliena est a negotio Physico. Patet etiam ex dictis, quod hæc definitio, ut data per effectus, est nominalis, & declarat nomen Naturæ, non enim declarat essentiam per causas, quia Natura non est quid compositum, quare veram definitionem non habet, ideo cum sit simplex, satis est, si nomen declaretur eo modo, quo ad propositum pertinet, sicuti dictum est. Confirmantur hæc testimonio Auerrois in Commentario quadragesimoquarto Secundi Posteriorum, vbi exponens Textum illum Aristotelis, in quo Aristoteles distinguebat definitionem in ea, quæ solum nomen declarat, & eam, quæ causam affert rei definitę, dat in Commentario multa exempla definitionum nominalium, inter quæ ponit definitionem Naturæ & dicit eam esse ex numero illarum, quæ non declarant an sint res, nec ne, quia non dantur per causam; quæritur enim quid nominis antequam cognoscatur an sint, sed quid rei supponit cognitionem si est. Patet etiam hoc ex ijs, quæ nos superius diximus; Diximus enim quod Aristoteles definiens naturam definit suum subiectum, quid est ens habens naturam, quia de subiecto est præcognoscendum quid, & quia, ut ipse in primo Posteriorum docuit, sed ipse ibi semper intellexit quid nominis, ergo hæc non est alia definitio, quàm nominalis; hoc etiam ipse Aristoteles testatur, qui infra in Textu sexto concludit se dixisse quid sit Natura & subdit non opus esse demonstrare naturam esse, & ridiculum esse id tentare, quia est manifesta per se. Cum igitur Aristoteles prius dixerit de quid est, deinde de si est, manifeste significauit illud fuisse quid nominis, quia quid nominis (ut patet in principio secundi Posteriorum) est cognoscendum antequam quomodo an sit, sed quid rei est cognoscendum postquam cognoscimus quod est. Vult igitur innuere Aristoteles, quod Natura est ex ijs rebus, quæ solo nomine intellecto, statim manifestum est quod sunt. His ita declaratis manifestum est, quod hæc definitio nullo modo concludi potest per aliquem Syllogismum. Primo, quia alias in principio secundi Posteriorum cum Aristotele ostendimus, quod quid nominis nunquam potest esse quęstio, sed semper est præcognitio, & principium indemonstrabile, sed quid rei potest esse quæstio, & quæritur post cognitionem si est; quod etiam patet in toto primo Posteriorum, vbi semper Aristoteles dicit, quid nominis de omnibus in

scientia

scientia esse præcognoscendum, videlicet, de subiecto, de principijs, ac de passionibus, quare nihil remanet, de quo possit demonstrari quid nomen significet. Et ratio huius rei est in promptu, nomina enim ad placitum sunt imposita rebus, quare in arbitrio est cuiuslibet artificis proposito nomine ipsum intelligere, eo modo quo voluerit, neque de eo potest aliqua disceptatio fieri; Hinc est quod Aristoteles non curauit hic distinguere nomen naturæ in multas significationes, licet natura multis modis accipi possit, sed cognouit satis esse, si ex ipsa nominali descriptione omnes intelligerent in quo nam sensu ipse naturam accipiat, ipse enim non sumit naturam pro aliquo separato a rebus, ut pro diuina prouidentia, uel pro aliqua intelligentia non errante, a qua res gubernantur, ut innuere uisus est Ioannes Grammaticus, sed accepit naturam pro aliquo principio intrinseco, & insito ipsis rebus, unde prouenit instinctus, & inclinatio ad motum, cum sit per se manifestum, (ut ait Aristoteles in textu sexto) quod dantur multa huiusmodi entia, quæ in seipsis habent principium, & inclinationem ad motum. Testatur etiam Aristoteles octauo Physicorum vigesimosecundo, quod definitio Naturæ est principium indemonstrabile, vbi loquens de ea ratione, quod nihil moueatur dicit eam non posse a naturali Philosopho impugnari, quoniam destruit principia Philosophiæ naturalis, quod declarans subdit, quia suppositio est, quod Natura sit principium motus, & innuit quod definitio Naturæ est ex principijs cognitionis, hæc enim sunt ea principia, quæ si quis negauerit, non possumus contra eum disputare. Ex his ergo patet vanum esse dicere, quod definitio Naturæ probatur aliquo modo ab Aristotele, quia non est quæsitum in aliqua scientia, quid nomen significet. Non solum autem hoc manifestum est, considerando ipsam definitionem secundum se, sed etiam Syllogismum illum, quo dicunt Aristotelem eam probare; nam Aristoteles in secundo Posteriorum ostendit quod nullo modo possumus per Syllogismum probare definitionem de definito, nisi petamus principium, nam Syllogismus non habet hanc uim, ut probet hanc esse rei definitionem, sed solum probat hoc inesse huic, ut exempli gratia, si per Syllogismum concludamus, ergo homo est animal rationale, habemus solum quod animal rationale competit homini, sed quod competat, ut definitio eius, & ut quid, per Syllogismum habere non possumus, nisi forte, (vt inquit ibi Aristoteles) sumamus etiam præmissarum prædicationes, cum hac additione, ut quid, sed tunc petimus id quod quęrimus, quærentes enim quid sit homo, petimus in una præmissarum, quod hoc competit homini, ut eius quid; si igitur Aristoteles hic eum Syllogismum faciat, quem dicunt, per eum id tantum probabitur, quod principium motus, & quietis &cæt. est prædicatum conueniens Naturæ, sed quod conueniat ei ut eius definitio, per hunc Syllogismum non habemus, & vanum est penitus hoc dicere, quoniam non potest per Syllogismum aliquem seu hunc, seu alium probari quænam sit definitio Naturæ. Vniuersaliter enim Aristoteles negat definitionem aliquam posse de suo definito per Syllogismum concludi, nam uult quidem, quod concludatur definitio nominalis passionis de subiecto passionis, videlicet accepta ut quæsitum loco ipsius nominis definiti, sed quod de suo definito concludatur, est vanum, & ridiculum dicere, neque vnquam ab Aristotele concessum, quare omnino puto repellendam esse illam sententiam, quæ dicit Aristotelem Syllogismo categorico concludere definitionem Naturæ. Propterea dicendum Aristotelem sumere quodammodo ex ore hominum quę sit significatio huius vocis [naturale] qua distinguitur apud homines naturale a non naturali, & inde colligit significationem huius vocis [natura.] Credo ego optimam esse opinionem Auerrois in Commentario tertio, quę

etiam fuit Alexandri, referente Simplicio, quod definitio Naturę colligatur ab Ariſt. per Syllogiſmum hypotheticum, non per categoricum, Auerroes.n.videns aliquem poſſe decipi, vt reuera multi ſunt decepti, admonet nos in Commentario dicens. Non debet aliquis dicere quod hęc definitio ſit concluſio demonſtrationis, quoniam dictum eſt in libris priorum analyticorum quod per huiuſmodi Syllogiſmos hypotheticos nullum ignotum poteſt declarari, ſed vtimur eis ad declarandas res per ſe notas, quando indigent modicula innuitione vt verbis Auerrois vtar. Eſt igitur declarandum in primis quid nam intelligatur eſſe per ſe notum, & quid non per ſe notum; deinde quomodo definitio Naturę ſit per ſe nota, & tandem quiſnam ſit iſte Syllogiſmus hypotheticus, per quem Ariſtoteles eam colligit, & quę ſit eius efficacia. Auerroes Commen.29. Secundi Poſteriorum, optime declarat quid ſit notum ſecundum Naturã, & ignotum ſecundum Naturam ideſt, per ſe notum, & per ſe ignotum, & dicit quod per ſe notũ eſt illud, quod ex ſeipſo tantam euidentiam habet, vt cognoſci poſſit per ſe ſine ope alterius: illud autẽ eſt per ſe ignotum, ſeu ignotum ſecundum Naturam, quod per ſe cognoſci non poſſit, ſed cognoſcitur per aliud, ideo ad huius cognitionem eſt ordinata conſtructio Syllogiſmi, Syllogiſmus enim (vt ibi Auerroes ait) ordinatur ad res ignotas ſecundum Naturam, quia ex medio diuerſo ducit in cognitionem maioris extremi, quod ſecundum ſe non erat cognoſcibile, ideo ſi medium ſumatur idem cum maiore extremo eſt petitio principij, quia monſtratur idem per idem, & nulla fit cognitio, quia illud reuera non eſt cognoſcibile per ſeipſum. Illud vero, quod eſt ſecundum ſuam Naturam notum, quandoque eſt ita euidens, vt ſtatim ſine vlla conſideratione cognoſcatur, quare nullo penitus eget Inſtrumento logico ad ſui cognitionem; quandoque vero non eſt ita euidens, vt prima facie cognoſcatur, ſed facta breui conſideratione cognoſcitur non quidem ex alio, ſed ex ſeipſo, & ad huiuſmodi res cognoſcendas conferunt alia quædam Inſtrumenta Logica, quę ab Auerroe in proœmio primi Phyſicorum appellantur maneries diſciplinæ vt eſt diuiſio, inductio, Exemplum, & Syllogiſmus conditionalis; hæc enim tantum vim non habent vt poſſint notificare illud, quod per ſe eſt ignotum; ſed eorum vſus eſt ad eorum cognitionem, quæ ſunt quidem ex ſeipſis cognoſcibilia, ſed egent modica declaratione; veluti, ſi dicamus carbonem accenſum, ſed cinere opertum, eſſe viſibilem per ſe ſine ope alterius, tamen non ſtatim primo aſpectu videtur, ſed facta modica laboratione, ideſt, commotione cineris ſtatim per ſeipſum eluceſcit, & conſpicitur; talis eſt cognitio, quæ per diuiſionem habetur. Diuiſio enim rem per ſe ignotam notificare non poteſt, vt Ariſtoteles, & primo Priorum, & ſecundo Poſteriorum vberrime demonſtrauit; ſed rem per ſe cognoſcibilem, non tamen ſtatim per ſe cognitam notificare poteſt, videlicet, numerũ ſpecierum, diuidendo enim genus per oppoſitas differentias inuenimus numerum ſpecierum ex eadem re per intelligentem tractata, & conſiderata ipſammet inuenientes; Ita inductio facit fidem de vniuerſali ex particularibus, veluti ex ſeipſo, quia non eſt diuerſum vniuerſale a ſuis particularibus, niſi in modo eſſendi, ideo facit cognoſcere idem ex parte, qua erat occultius, ex eodem ex parte, qua erat euidentius: hominem enim vniuerſalem cognoſcentes ex particularibus ſuis, non poſſumus dicere quod ſit cognitus per aliud, ſed per ſeipſum, homo enim dicitur eſſe res per ſe cognoſcibilis, & per ſe ſenſibilis, videlicet, in ſuis particularibus; Idem dico de Syllogiſmo hypothetico, quod declaro in exemplo præſenti. Credo enim cum Auerroe, & Alexandro Ariſtotelem colligere definitionem Naturæ, Syllogiſmo hipothetico in hoc modo. Corpora naturalia diſtinguuntur a non naturalibus per hoc, quod naturalia habent in ſeipſis principium motus, & quietis

per

per se; alia vero vel non habent, vel habent per accidens. Ergo nihil aliud est Natura, quam principium motus, & quietis per se, non per accidens. Quæ difinitio Naturæ colligitur vt per se nota, quia non infertur ex alio, sed ex seipsa Natura. Naturale enim, & Natura non differunt nisi vt concretum, & abstractum, vt album, & albedo, sicuti enim album est quod habet albedinem, ita naturale est, quod habet Naturam; ideo cum sit notius concretum abstracto, quia sensibilius est, si nos ex vno alterum colligamus, non dicimur ignotum probare ex alio noto, sed eandem rem declarare ex seipsa quatenus notior erat, & hæc est sententia Aristotelis infra in Textu sexto, vbi dicens, uanum esse tentare demonstrare quod Natura sit, subdit rationem, quia est manifestum per se, quod dantur multa entia eiusmodi, significat autem entia habentia Naturam, quare non dicit, manifestum est, quod dantur multæ naturæ, sed multa entia, quæ Naturam habent, & tamen per hoc vult innuere quod Natura est per se manifesta, neque eget demonstrari ex alio; nam postea subdit, quod demonstrare manifesta per immanifesta est hominis non potentis iudicare quod est per se notum, & quod non per se est notum; significans Naturam esse per se notam, quoniam naturale est per se notum; non vult ergo Aristoteles quod per naturale tanquam per se notum demonstrari possit ipsa Natura, vt ignota, tanquam aliud per aliud, sed vt idem per idem, adeo ut naturale esse per se notum, sit naturam esse per se notam. Neque est quod aliquis dicat Aristotelem ibi loqui de cognitione an sit, non de definitione, nam eadem est ratio; dum enim habemus ratione existentiæ quod idem sunt Natura, & naturale, sequitur etiam quod definitiones vtriusque similiter sunt idem, ex vna igitur si euidentior fuerit poterit altera quoque inferre, ut idem ex seipso. Et reuera Aristoteles hoc facit, nam ex definitione corporis naturalis colligit definitionem Naturæ, definitio enim corporis naturalis, quà naturale est, nulla est alia quam ista, naturale, quà naturale est quod habet in seipso principium motus, & quietis per se, non per accidens. Sciendum tamen quòd inter alia munera definitionis hæc duo præcipua sunt, vt exprimat eius rei essentiam, & vt eam separet ab alijs. Aristoteles autem hic ab vno munere ad alterum procedit, vt a notiore ad ignotius, nam in primo Textu reuera ipse accipit definitionem naturalis, qua naturale est, sed non accipit eam vt definitionem, sed vt separatam naturam ab alijs, & ideò, quia illud quo res quatenus talis separatur ab alijs, est quidditas, & definitio rei, statim Aristoteles ex ea differentia colligit in Textu tertio definitionem Naturæ, deinde in quarto definitionem ipsius habentis Naturam, quid enim sit aliqua res quandoque non est ita euidens prima facie, quod tamen fit postea notum, & euidens ex eadem collatione cum alijs. Aristoteles ergo videtur ex differentia concreti ab alijs colligere definitionem abstracti, deinde ex definitione ipsius abstracti definitionem concreti, quæ tamen omnia dicuntur per se nota, non autem notificata per aliud, vt exposuimus. Hactenus declarauimus vim consequentiæ, quam Aristoteles facit a differentia inter naturalia, & non naturalia ad definitionem Naturę. Superest vt consideremus veritatem, & euidentiam antecedentis, simul enim patebit cur hanc rationem dicamus esse Syllogismum conditionalem. Sumit Aristoteles hoc antecedens, Naturalia a non naturalibus distinguuntur per hoc quod habent in seipsis per se principium motus, & quietis. Et intelligitur naturalia qua naturalia. Et primò distinguuntur ab alijs per principium motus, quod est idem reuera cum eo, quod est naturam esse principium, & causam motus, & quietis, & ideo Aristoteles statim ex tali antecedente potest naturæ definitionem colligere, non tamen per Syllogismum categoricum, quia non infert diuersum ex diuerso, sed per hypotheti-

eum, qui nihil ignotum declarat, sed rem per se notam cognosci facit ex seipsa per modicam considerationem, vt Auerroes ait. Et hoc significare videtur illa dictio [tanquam] posita in principio Textus tertij. Non enim Aristoteles dicit ergo, sed tanquam, significans leuem esse discursum, quo nihil diuersum ab assumpto colligatur, naturalia qua naturalia a non naturalibus distinguuntur per principium motus, quasi nihil aliud sit Natura, quàm principium istud motus. De veritate autem, & euidentia assumpti sciendum est, Aristotelem reuera supponere quod naturalia omnia, & sola habent in seipsis principium motus, & quietis, & quod quatenus naturalia idem vult esse notum per sensum, & inductionẽ, quam etiam in primo Textu facit. Quod enim omnia naturalia habeant in seipsis principium motus, cognoscimus per inductionem demonstratiuam, quia videndo hanc rem naturalem habere proprium suum motum, & aliam habere proprium motum, & ad eum inclinari a principio, & instinctu intrinseco, tunc cognoscimus prędicatum esse essentiale subiecto, & ita esse de alijs naturalibus corporibus, quę non videmus, vt de ijs, quæ nos videmus, quia quod est essentiale, & per se, est etiam de omni. Neque est quod aliquis dicat Aristotelem in primo Physicorum Textu vndecimo dixisse, quæ sunt Natura, aut omnia, aut quædam moueri, hoc enim non dixit, quia excipiat aliqua naturalia a motu; vult enim omnia naturalia esse mobilia, sed ita loquitur, quia loquitur de illorum antiquorum opinione, qui negabant motum, ideo volens Aristoteles contra eos supponere ipsum motũ, satis habet supponere, quod aliqua naturalia mouentur, ideo non id dicit propter Polos, & Centrum, nam centrum Mundi si sumatur vt punctus imaginarius indiuisibilis non est corpus naturale, quare nihil ad nos, si non moueatur; si verò aliquod corporeum, & quantum ponamus pro centro, tunc erit mobile absque dubio. Idem dico de Polis mundi. Si enim intelligatur Polus punctus indiuisibilis non mouetur, & tunc nihil nobis officit, quia non est corpus naturale, sed est indiuisibile imaginarium; quod terminat modo quodam corpus naturale. Si vero Polus pro corporeo accipiatur, tunc necesse est ipsum circumuolui motu perpetuo, licet modo, & fortasse a nobis propter distantiam, incomprehensibili. Quod vero dicitur de Cęlo empyreo immobili, id a Philosophis non cognoscitur, ideo omittendum est. Dico igitur quod quamuis fuerint aliqui, qui negauerint motum, tamen Aristoteles hic in constituendo suo subiecto non debet animaduertere eorum falsas opiniones, sed veritatem, pro qua habet etiam testimonium sensuum vt ipse dicit Octauo Physicorum vigesimosecundo, ideo sumit naturalia corpora moueri a principio intrinseco, & quia quod conuenit vni essentialiter, omnibus conuenit, ideo de omnibus vniuersaliter sumit, & inductionem scientialem facit. Quando dicit in primo textu [Omnia quæ dicta sunt, videntur differentia] ibi enim inductionem vniuersalem facit, & verbum [videntur] significat euidentiam sensitiuam; similiter sumit etiam quod naturalia sola habent in seipsis principium motus, neque contra hoc valent instantiæ ab alijs adductæ, uidelicet, Dæmones quoque moueri, & indiuisibiliter moueri. Possumus enim dicere quod Aristoteles veritatem solam respicit, non falsas aliorum opiniones in declaranda significatione nominis subiecti sui, sed dico præterea Aristotelem hic non sumere quod naturalia sola moueantur, imo fatetur etiam alia moueri, ut artefacta, sed supponit, quod naturalia sola habent in seipsis per se principium, & causam motus sui, & vtitur in hoc quoque inductione scientiali, quia considerando omnia corpora, quæ videmus, tam naturalia quam non naturalia, in eis hanc differentiam conspicimus, adeo ut propria sit conditio naturalium corporum, quod habeant in seipsis principium motus, alia vero moueri non negat, sed

negat

negat ea a principio intrinseco moueri, quatenus talia, nec támen respicit dæmones, neque indiuisibilia, quia cum rei veritas sit, quod nihil incorporeum mouetur, Aristoteles ueritatem respicit, & statim hanc scientiam a rebus sensatis exorditur; scientia enim naturalis est scientia sensata, sensata autem sunt corporea, ideo Aristoteles a corporum diuisione incipit hanc scientiam, & in his inductione scientiali utens, ostendit proprium esse naturalium corporum, quod habeant in se principium motus per se quatenus talia; alia uero corpora considerando ut artificialia uidemus quod nunquam habent in se principium motus, quatenus artificialia. Imo cum viderimus ea moueri cognoscimus id eis euenire quatenus naturalia, non quatenus artificialia, materiam enim habent naturalem, unde cognoscimus quod habere in se principium motus est, quid essentiale corpori naturali, quoniam alia corpora habent in se principium motus, quatenus continet in se corpus aliquod naturale, naturalia vero habent in se principium motus non alia ratione, quàm quòd naturalia sunt. Ideo hæc considerando facimus inductionem scientialem, & cognoscimus ita esse in omnibus, sicuti dicit de inductione scientiali Auerroes in fine secundi Priorum, & secundo Physicorum octuagesimo, & octauo Physicorum trigesimotertio, inductio enim scientialis est ea, in qua sine omnium singularium enumeratione cognoscimus, quod prædicatum est vniuersale subiecto, & essentiale; unde statim colligimus vniuersalem. Patet igitur quod Aristoteles inductione tali demonstratiua, & ex sensu accipit quod naturalia corpora omnia, & sola, & qua naturalia sunt, habent in seipsis per se principium motus, & quietis. Dicitur autem hic esse Syllogismus hypotheticus; & ex suppositione collectus, quia cum non colligat Aristoteles diuersum ex diuerso, sed idem ex seipso per quandam modicam speculationem, ut declarauimus, ideo nullam habet uim hæc ratio, nisi ex suppositione eiusdẽ, quod concludimus. Reuera enim definitio Naturæ potius ab Aristotele hic supponitur, quam probetur, ut etiam ipse testatur octauo Physicorum vigesimosecundo, est ergo ratio leuis, & nullum ignotum notificans, sed supponens eandem rem sub modo euidentiæ, & eandem concludens sub modo, qui minus euidens erat, reducitur enim ad hypotheticum coniunctum constructiuum; perinde enim est ac si dicamus, si naturalia corpora distinguuntur a non naturalibus, quia habent per se principium motus, & quietis, ergo nihil aliud videtur esse Natura, quam principium hoc internum motus, & quietis per se: Vnde patet non posse formari hunc Syllogismum, ut categoricum, tunc enim concluderetur definitio Naturæ, ut naturaliter ignota, ut ex alio cognoscibilis, & sic peteretur principium, quia id, per quod concluditur, ut per aliud non est aliud, sed idem, & sic probaretur idem per idem, si autem accipiatur, vt Syllogismus hypotheticus, quo id, quod per se est notum, ex seipso declaratur, admittendus est, & erit hypotheticus ille simplex, qui nullum habet categoricum sibi coniunctum, quare eius efficacia nulla alia est, quàm Syllogismi hypothetici.

Textus Quartus.

Naturam autem habent quæcunque huiusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia. Subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper.

POST-

POSTQVAM Aristoteles descripsit Naturam, hic describit habens Naturam, deinde etiam in Textu quinto sequente declarabit, quid sit a Natura, & secundum Naturam, cuiuslibet enim artificis munus est in principio scientiæ declarare nominum significationes, quemadmodum videmus facere Euclidem in principio suorum elementorum. Simplicius hic dubitat, quia Aristoteles hic circulum committere videtur, nam in primo contextu locutus est de habente Naturam, & dixit quod habens Naturam habet in seipso principium motus, & quietis. Mox ab habente naturam progressus est ad definitionem Naturæ; nunc autem iterum videtur reuerti a Natura ad definitionem habentis naturam; Ad hoc respondet Simplicius quod Aristoteles non colligit ex definitione naturæ definitionem habentis Naturam, sed hanc ponit vt per se notam. Quæ responsio vera est, sed non plene tangit illud, in quo consistit vera dubij solutio. Nam in primo Textu fuit posita definitio habentis naturam, non tamen ut definitio, sed ut discrimen, quo differt habens naturam a non habente: ex eo postea, quod naturale a non naturali differt per principium motus. Aristoteles simul colligit utranque definitionem, videlicet quod Natura est principium motus, & habens Naturam, est quod habet tale principium motus; hæc tamen omnia ponuntur, ut per se nota, sicuti nos in præcedenti lectione declarauimus. In expositione verborum huius Textus est aliqua controuersia inter expositores, nam non uidentur in primis concordes in intelligendo, quomodo Aristoteles hic sumat habens naturam, nam Auerroes videtur quidem dicere, quod hoc est illud, quod habet in seipso principium quo transmutatur, & quiescit, quare videtur innuere ipsum compositum, tamen postea declarans seipsum dicit, habens naturam, idest, materiã, materia enim habet formam, quæ est Natura. Et hoc idem dicimus esse de Ioanne Grammatico, qui modo videtur intelligere per habens naturam ipsum compositum, modo materiam, quæ habet formam, deinde illa verba [& sunt hæc omnia substantia] Auerroes exponit de materia, & de forma, vt sensus sit, tam Natura, quam habens Naturam est substantia, quorum verborum expositionem hanc etiam Simplicius ponit, sed postea eam confutat, considerando illam dictionem [omnia] quæ apud Græcos non dicitur de duobus, sed de pluribus, vt etiam dicit Aristoteles in Proœmio primi libri de Cœlo. Si igitur Aristoteles voluisset intelligere, & materiam & formam esse substantiam, dixisset vtraque est substantia, non autem [hæc omnia] Sed debet etiam hic sumere habens naturam & habens principium motus in eodem sensu, in quo in primo textu. Stans autem Auerroes in sua expositione, notat quod compositum est magis substantia, quam materia, & forma est magis substantia, quam compositum, & dicit, quod hæc omnia ad Metaphysicum pertinent, Philosophus autem naturalis ea supponere debet. Sed mihi non placet hæc expositio Auerrois, sicuti etiam Simplicio non placuit, moueor autem non tantum argumento Simplicij, sed etiam verbis Aristotelis in Textu sequenti, vbi declarans quid sit secundum Naturam, dicit secundum naturam esse tum hæc, idest, tum ipsa habentia naturam, tum etiam passiones, quæ ijs per se insunt. Quare dicit, quod habentia naturam possunt etiam vocari secundum Naturam, & a Natura; & verum est, quod materia non potest vocari a Natura, neque secundum Naturam, sed est potius Natura ipsa, eo videlicet modo, quem nos iam declarauimus. Quare necesse est, vt hic per habens Naturam intelligat ipsum compositum, quod proprie dicitur habere formam, & habere in seipso principium motus, & quietis, non autem materia, & ita exponunt Simplicius, & Themistius. Illa autem verba [& sunt hæc omnia substan-

substantia] vt eisdem placet, sunt intelligenda de solo composito; Aristoteles enim dixerat in numero plurali habentia Naturam, nunc declarans quænam sint ista, dicit quod sunt substantia, idest substantia composita, & sensibilis, quæ per se extra animam est, & significat hoc aliquid, sumit enim substantiam in euidentissima significatione pro substantia sensibili composita, quæ etiam est significatio maxime naturalis, ideo omnia, quæ dicuntur hic ab Auerroe de substantia quomodo dicatur de materia, & de forma, & de composito, sunt aliena a præsenti consideratione, quia Aristoteles hic non dicit materiam esse substantiam, neque formam esse substantiam. His uerbis Arist. declarat quod habens naturam est corpus, ut innuat hanc esse definitionem subiecti scientiæ naturalis, & vt iam perficiat. Subiectum enim est corpus habens naturam. Si quis autem petat a nobis quid sentimus de opinione Arist. ego dicerem illud idem, quod dixi alias dum legerem principiũ Secundi Libri de Anima, quod etiam placet hic Pendasio, uidelicet, q̃ pro diuersis acceptionibus substantiæ, uariæ sententiæ possunt pronunciari. Si enim per substãtiam intelligamus rem subsistentem per se, tunc compositum est magis substantia, quàm materia uel forma, imo solum est substãtia, materia autem, & forma dicuntur potius substantiales, quam substantiæ, ut dicebat Simplicius in Textu quinquagesimosecundo primi Physicorum. Et hoc modo uidetur hic Aristoteles sumere substantiam. Si uero dicamus substantiam a substando, tunc materia est magis substantia, quàm forma, & quàm compositum, quia materia omnibus substat. Si autem substantiam pro essentia accipiamus, & pro re quadam perfecta, tunc forma est magis substantia, quàm materia, & quàm compositum, quia est quidditas compositi, & perfectio eius, quare est nobilior, & perfectior quàm compositum, cui est admixta materia. [Subiectum enim quoddam, & in subiecto est Natura semper.] Vicomercatus per subiectum intelligit subiectum non inhæsionis, sed attributionis idest non materiam, sed complementum, quod dicitur subiectum naturæ, quia natura dicitur alicuius natura, uidelicet compositi. Reddit rationem Aristoteles eorum quæ dixerat, videlicet, quod habentia Naturam sunt substantiæ, idest, res subsistentes per se extra animam, & dicit rationem esse, quia sunt composita ex materia, & forma; materia enim prima in nullo subiecto est, & est prima radix subsistentiæ per se, vt contra distinguitur ab inexistentia in alio, videlicet in rebus istis materialibus natura, & accidentia, & formę sunt in subiecto, sola materia non est in alio, ideo compositum, quod ex materia, & forma constat, non inhæret in alio, & sic habet subsistentiam propriam, a materia enim habet, vt non inhæreat alij; a forma vero vt sit in actu; hæc est Aristotelis mens in his verbis. Verba tamen ipsa duobus modis exponuntur. Vnum accipit Simplicius, quem Pendasius sequitur dicens sensum esse, natura est subiectum quoddam, & est in subiecto, idest compositum istud habet naturam, quia materiam, & formam habet, quarum vtraque est natura, vnde etiam fit, ut sit substantia. At non est uerisimile quod Aristoteles hic dicat subiectum & formam esse naturam, quia nondum de hac re disputauit. Mihi tamen alter sensus magis placet, quem Themistius sequitur, qui non uult quòd Aristoteles ipsum subiectum appellet naturam, sed formam solam, & sensum uult esse hunc; est enim quoddam subiectum, in quo semper inest ipsa Natura, natura autem est forma. hic sensus mihi accipiendus uidetur, quia magis est conueniens præcedentibus uerbis. Nam reddit rationem, cur habens naturam sit substantia, & dicit rationem esse quoniam adest materia ipsa subiecta formæ, & forma ipsa quæest natura, est semper in subiecta materia, compositum ergo ex materia, & forma erit habens naturam, quia habet formam, & erit per se subsistens; non autem inhærens alij propter

pter materiam, ex qua componitur, quia ipsa nulli inhæret. At secundum expositionem Simplicij Aristoteles non redderet rationem, cur compositum sit substantia, sed solum cur dicatur habens naturam; Hæc enim ratio redderetur cur dicatur habens naturam, quoniam constat ex materia & forma, quarum utraque est natura, continuatio tamen uerborum uult ut ratio reddatur, cur habens naturam sit substantia. Aristoteles non dicit subiectum esse naturam, sed omnem naturam contra distinguit a subiecto, quia cum articulo dicitur ἡ φύσις. Præterea cum Aristoteles dicat, natura est semper in subiecto, significat omnem Naturam esse in subiecto, hoc autem de materia dici non potest, sed soli formæ conuenit, est etiam conforme definitioni naturæ, in qua dictum est, Naturam esse causam motus in eo, in quo est, quare indicauit Aristoteles naturam esse in alio. Et reuera Aristoteles loquens de natura respexit formam, ut ego ostendi, quia sola forma per se est natura rei, materia uero secundariò, & propter formam. Præterea quod sit habens naturam, nulla egebat declaratione. Est enim per se manifestum, sed quod nam sit hoc magis erat declarandum. Quare hęc est potius secundi dicti declaratio quàm primi. Adde quod non potest hic Aristoteles sumere quod natura sit & forma & materia, quia de hoc postea disputabit, solum sumit hoc confusum quod est quoddam subiectum, in quo recipitur Natura. Natura enim est in aliquo inhęrens, ut nomen ipsum indicat. Notat Auerroes, & Græci, quod cum Arist. dicit formam esse in subiecto, non intelligit eo modo, quo accidentia sunt in subiecto; est.n. inter formam, & accidentia hoc discrimen, quod accidentia sunt in subiecto, a quo suscipiunt esse, & existentiam actualem, non subiectum ab eis; forma uero est in subiecto, quod substentatur in esse ab illa, & ab illa perficitur, & habet existentiam actualem, quare accidentia suscipiunt esse a subiecto, non dant ei esse; forma uero ita est in subiecto; ut ei dat, & suscipiat esse. Notandum est præterea in hoc Textu Aristotelem dicere quod habens naturam est substantia corporea cõpositum ex materia, & forma, quod confirmat nostram expositionem in primo Textu, cum diximus Aristotelem non diuidere entia uniuersaliter in ea, quę sunt natura & quę ab alijs causis, neque etiam entia causata, sed diuidere substantias corporeas, & corpora ipsa sensibilia in corpora naturalia, & alia, quæ ab alijs causis facta dicuntur. Aduertendum etiam quod Aristoteles dicens, quod habens Naturam est compositum ex materia, & forma, uidetur dubium facere, quia uidetur Cœlum excludere, quod est corpus, non tamen ex materia, & forma constans; Ad hoc dicendum puto, quod ea, quæ de Natura, & naturalibus hic dicuntur ab Aristotele, cum euidenter conueniant corporibus inferioribus, Cœlo conueniunt secundum quandam proportionem. Corpus igitur cœleste, licet non sit compositum ex materia, & forma, habet tamen quandam proportionem cum composito, quia partim habet naturam materiæ, partim naturam formæ; materię quidem, quia est corpus, & multis accidentibus subijcitur; formę uero, quia est in actu. Sufficit igitur si reducatur ad habens naturã, eo quod est corpus in actu, quod ab intrinseco est inclinatum ad motum circularem, sicuti corpora hęc inferiora composita ex materia, & forma inclinantur ad proprios motus: quare quæ dicuntur hic ab Aristotele de habente naturam, formaliter inferioribus corporibus conueniunt, Cœlo uero per proportionem.

Tex-

Textus Quintus.


Secundum autem Naturam sunt, & hæc, & quæcunque his insunt secundum se, ut igni ferri sursum: hoc enim Natura quidem non est, neque habet Naturam, sed a Natura, & secundum Naturam est.

DECLARAT Aristoteles quid significet id, quod dicimus, secundum naturam, & dicit esse quid communius, quàm habens naturam, nam secundum Naturam complectitur tam habens Naturam, idest, corpus naturale, quàm proprias, & essentiales eius passiones, nam ignis dicitur esse secundum Naturam, & etiam propria ignis passio dicitur secundum Naturam ut ferri sursum, hoc enim accidens dicit Aristoteles non est Natura, neque habens Naturam. Natura enim est materia, vel forma; habens autem Naturam est ipsum compositum, sed est a Natura, & secundum Naturam; notat tamen Simplicius, & Themistius quod a Natura est quid communius, quàm secundum Naturam; nam etiam monstra dicuntur esse Natura, non tamen secundum Naturam, idest, non secundum mentem, & intentionem Naturæ, quando uidelicet ob defectum materiæ aliquid euenit, quod Natura non intendebat, & id dicitur a Natura quidem factum, non tamen secundum Naturam; sed omne, quod est secundum naturam, est etiam a natura, quæ Simplicij annotatio vera est secundum se, nescio tamen quantum ad propositum pertineat, Aristoteles enim hic non videtur monstra considerare, sed accipere a Natura, & secundum Naturam ut unum & idem significant, ut etiam exẽplum de motu ignis ostendit, quamuis enim a Natura dicantur, etiam mõstra, tamen proprie loquendo sumitur pro eo, quod fit etiam secundum mentem Naturæ, & præsertim secundum Græcam locutionem, Aristoteles enim non dicit ἀπὸ φύσεως, sed dicit φύσει, idest, Natura in casu ablatiuo sine præpositione, quare non videtur multum differre ab eo quod est secundum Naturam. Et propterea non est mirum, si Aristoteles tractat hic esse natura proprie, quia adhuc magis proprie idem accepit in primo Textu, videlicet prout est idem, cum habente naturam. Non est etiam verisimile quod Aristoteles hic innuat eam differentiam, quæ est inter monstra, & alia naturalia, quia maiore eget consideratione, cum præsertim ipse de hac differentia nihil dicat, sed accepta passione naturali dicit eam esse Natura, & secundum naturam, non enim satis conueniens esse videtur in hoc principio scientiæ, dum Aristoteles declarat vocum significationem, ut respiciat id, quod est rarissimum, & per accidens.

Textus Sextus.

Quid igitur est Natura dictum est, quid quod a natura, & secundum Naturam. Quod autem sit Natura tentare demonstrare ridiculum est, manifestum enim est, quod huiusmodi entia sunt multa: demonstrare autem manifesta per immanifesta non potentis

tis iudicare est, quod per seipsum & non per seipsum notum est. Quod autem contingat hoc pati, non immanifestum est. Syllogizare enim quis possit de coloribus, cum a Natiuitate sit cæcus, quare necesse est talibus de nominibus esse sermonem, nihil autem intelligere.



RISTOTELES ipse hunc Textum continuat cum præcedentibus. Dicit enim quod cum declarauerit significationem nominis Naturæ, & quid ipsa sit, aliquis postulare poterat, ut postquam declarauit, quid nomen significet, transiret ad quæstionem si est, & naturam esse probaret, Aristoteles dicit id non esse faciendum, quia Naturam esse est per se manifestum. Declarans autem quomodo sit per se manifestum dicit. [Manifestum est, quod huiusmodi entia sunt multa] quæ verba exponens Auerroes dicit Aristotelem dixisse, multa, non autem omnia, quia sunt aliqua naturalia de quibus dubitamus, an in se habeant principium motus, cum videatur id esse non posse nisi dicamus, quod motor in eis est idem cum moto. Quæ Auerrois expositio multis, ac mihi quoque non placet, non enim Aristoteles vult excipere quædam naturalia, cum dicit multa, sed vult separare naturalia a non naturalibus, cum enim entia non omnia sint naturalia, ideo Aristoteles dicit, manifestum est multa esse, quæ naturam habent, intelligere volens omnia naturalia nullo excepto, ad differentiam rerum non naturalium, quæ non habent in se principium motus. Pendasius hæc verba considerans dubitat; videtur enim Aristotelem contrarium ostendere eius, quod ostendere volebat, nam dicere volens esse manifestum Naturam dari, dicit manifestum esse dari multa entia eiusmodi, idest habentia naturam, seu naturalia, sed naturale non est Natura, est enim effectus Naturę. Ergo hoc dicere, est dicere quod Natura potest demonstrari per naturale, vt causa ignotior per effectum notiorem. nam est dicere, quod naturale est per se notum, non quod Natura est per se nota; respondet quod ipse ad hoc quod naturale non est quid diuersum a Natura, ita vt vno cognito alterum possimus ignorare, sed vt cognoscimus vnum, ita & reliquum. Quæ responsio verissima est, quia vt nos superius diximus, naturale, & natura non differunt; nisi vt abstractum, & concretum, ideo in proposito nihil differunt videlicet, ratione euidentiæ, non enim potest unum esse notum quin etiam alterum eodem modo sit notum; ideo si ab vno ad alterum argumentemur, probamus illud ex suppositione suiipsius, nam dum supponimus antecedens supponimus in eo etiam consequens, ideo consequens ipsum inferimus ex seipso. Sed debet ipse animaduertere quod stante hac veritate, quam hic ipse confitetur; falsa sunt ea, quæ dixit superius de Syllogismo, per quem Aristoteles colligit definitionem Naturæ. Voluit enim esse Syllogismum a posteriori, quia procedere a naturale ad naturam est procedere ab effectu notiore ad causam ignotiorem. Ego iam eam sententiam confutaui, & nunc possumus uidere quod ipse quoque veritate, ac verbis Philosophi coactus recedit a propria opinione; Aristoteles pro eodem habens naturalia, & naturam uolens dicere quod Naturam esse est manifestum per se, dicit quod manifestum est per se dari res naturales, dari inter entia res multas, quæ habent in se principium motus, quæ natura dicitur. Et sic patet quod Aristoteles hic ostendit, manifestam esse existentiam sui subiecti, quod est natura, idest, res naturales. Sed Auicenna, ut Auerroes refert, in Commentario


mentario tertio,& ut apud ipsum legimus in primo sufficientię capite quinto,perpendens hanc sententiam Aristotelis, quod ridiculum est demonstrare naturam esse, dicit eam posse habere duos sensus. Vnus est, quod ridiculus esset naturalis Philosophus si probare uellet naturam esse, quia Natura est principium in naturali Philosophia, & probari non potest. Alter est quòd ridiculum est absolute eo quod neque a naturali, neque ab alio potest demonstrari, quia est per se nota. Accipit Auicenna primum sensum, & secundum dicit esse falsum, quia dicit, licet a Physico probari non possit naturam esse, cum sit eius principium; tamen poterit probari a Metaphysico, quia non est res per se nota, sed supposita a naturali. Et confirmat ex ore Aristotelis, qui in septimo, & octauo Physicorum ostendit omne, quod mouetur, egere motore, & dicit dubium esse de Elementis, quare non est per se notum, quod omnia naturalia habeant principium sui motus. Pendasius redarguit primum sensum, quem Auicenna accepit, uidelicet, quòd Natura non possit probari a naturali, quia habetur loco principij, non quia sit per se nota: & inquit Pendasius, hoc non prohiberet, quin Natura probari possit a naturali, quia principia demonstratione a posteriori, licet non a priori, probari possunt, quare hac ratione natura posset probari. Carpit etiam Auicennam in secundo dicto. Et dicit quòd ille secundus sensus, quem reprobat Auicenna, est reuera ille, quem uoluit Aristoteles, uidelicet, quod Naturam esse non potest demonstrari, quia est res per se nota; Ad id uerò, quod obijcit Auicenna, respondet cum Auerroe in Commentario tertio, quod Aristoteles in septimo & octauo Physicorum nunquam dubitauit, quin omne motum habeat motorem, sed solum dubitauit an habeat motorem distinctum a moto, an potius idem sit motum, & mouens. Quod autem dicat Auicēna, quod Metaphysicus potest demonstrare naturam esse negat hoc Auerroes, quia reuera Metaphysicus non laborat in demonstrandis ijs, quę sunt per se nota, concedit tamen id esse posse hoc modo, ut uidelicet Metaphysicus contradicat proteruis negantibus Naturam, sicuti in quarto Metaphysicorum Aristoteles contradicit ijs, qui negabant principium contradictionis, quo nil notius est. Sed directe probari non possunt hęc, etiam a Metaphysico. Sed quod dicit Pendasius contra primum dictum Auicennę mihi non placet, quia ponendo naturam esse principium in naturali Philosophia, non propterea sequitur quod possit demonstrari a posteriori, quia non est ex ijs principijs, quę a posteriori demonstrantur, Arist. enim in primo Posteriorum 24. dum loquitur de principijs, quæ probari non possunt, connumerat principijs etiam subiectum scientię, nam etiam subiectum vocatur principium quia supponitur quid, & quia. Prętere a principia complexa, quæ dicuntur principia cognitionis, non possunt demonstrari vllo modo; sed solum principia essentialia subiecti, si latuerint, a posteriori possunt demonstrari. Natura igitur si vocatur principium, est potius ut subiectum, quàm ut principium subiecti; est enim ratio formalis subiecti, & eius cognitio pari passu incedit cum cognitione ipsius habentis naturam, adeo ut eam probando probaremus simul etiam corpus naturale, quod tamen est subiectum, neque probari potest a priori, neque a posteriori. Hoc autem significauit Auerroes in fine Commentarij tertij cum dixit, Natura, & principium Naturæ, sunt subiectum in his libris; sumit enim subiectum large pro re considerata, sed si Natura esset principium subiecti, quomodo diceret, & principia Naturæ? Significat ergo Naturā esse subiectum, quia idem importat quod corpus naturale. Quod vero attinet ad secundum dictum Auicennæ, & argumentum eius sumptum ex septimo, & octauo Physicorum, ego crederem satis responderi, si diceremus ad propositum non pertinere quòd sit dubium, uel non sit, de omni moto an habeat

motorem; nam quomodocunque sit, id tamen clarum est, quòd omnia corpora naturalia habent in se inclinationem ad motum. Hæc enim inclinatio non semper dicitur principium motus actiuum, sed actiuum, vel passiuum, ut superius declarauimus, quare etiam si detur aliquod corpus naturale, ut Cælum, quod non habet motorem intrinsecum in ipsa substantia orbis; tamen per hoc non stat, quin dicatur habere principium motus, scilicet passiuum, & sic habere Naturam. Præterea etiam si sit dubium, an aliqua habeant Naturam, non propterea sequitur dubium esse, an Natura sit, non enim in omnibus dubium est; quare cum in aliquibus sit clarum, id sufficit ad ostendendum, quòd natura datur. Ego itaque puto non ita esse accipiendum secundum sensum Auicennæ ut reprobemus primũ, sed vtrunque esse admittendum simul. Natura enim ob vtranque rationem probari non potest, tum quia est res per se nota, tum quia dicitur subiectum in naturali Philosophia: nulla autem scientia potest probare suum subiectum esse, ideò etiam si esset ignota probari non posset, sed supponenda esset, quia probare ipsam esse esset probare dari habens Naturam, quia Natura non est nisi in alio. Aristoteles igitur rationem reddere volens, cur non sit opus demonstrare Naturam esse, poterat vtramlibet duarum adducere, illam tamen afferre maluit, quæ ostendit maiorem naturæ euidentiam, & quæ maiorem efficaciam haberet contra proteruum negantem naturam. Si enim dixisset, non potest demonstrari, quia est subiectum, significare potuisset eam esse ignotam, supponi tamen, quia est subiectum, ideò maluit dicere, quia est per se nota sensui, hoc enim magis obstat proteruitati negantium naturam, cum presertim altera quoque ratio, licet omissa sit, tamen in promptu, & quisque eam videre possit; quis enim ignoret in scientia de Natura subiectum esse Naturam? Subiectum enim est Natura, idest, res naturales, ut etiam exponit Aristotelem Auerrões in primo Commentario primi libri de Cœlo. Ad propositum igitur redeundo Arist. dicit, vanum esse tentare demõstrare Naturam esse, quia est manifesta sensui. n. est manifestum dari multa, quæ naturã habent .i. principium internum motus, ideo si hæc vellemus demonstrare, non possemus id facere per manifestiora, quia non datur aliquid manifestius rebus, quę sentiuntur, demonstrare autem nota per ignota est hominis nescientis distinguere ea, quæ sint per se nota, & quæ non sint per se nota. Cum enim quilibet naturaliter progrediatur a noto ad ignotum. si quis ad notissimam rem progrediatur ex ignotiore, indicabit sibi non esse notam illam rem, quæ per se est omnibus notissima; & huiusmodi homines, ait Auerroes, sunt illi, qui non sunt apti ad philosophandum, quia habent orbatam vim intellectus naturalem, ut non possint apprehendere veritatem primorum principiorum, quæ sunt proprio lumine notissima omnibus, & sic non discernunt res per se notas a non per se notis, & quod vident non percipiunt. Declarat autem Aristoteles hanc eorum vanitatem per similitudinem a cæco nato, qui similiter esset ridiculus si de coloribus vellet argumentari, cum nunquam vllum viderit colorem, quoniam tota eius disputatio esset de nominibus, non autem de rebus, quia res ipsas non cognoscunt, qui sunt orbati sensu destinato ad illius rei cognitionem. Zimara in suis contradictionibus, videlicet, in contradictione sexta sexti Physicorum, quærit an cæcus a Natiuitate nullam prorsus habeat scientiam de coloribus, an potius aliquam imperfectam acquisitam per auditum, & per doctrinam, ut voluit Paulus Venetus, & ut uidetur dicere Themistius secundo de Anima Textu CLVI. vbi dicit, quod cæcus a Natiuitate potest habere saltem aliquam imaginationem de coloribus. Et hanc sententiam sequitur etiam Pendasius hic dicens, posse obiectum vnius sensus cognosci per accidens cum obiecto alterius sensus, vt cum ex colore alicu-

ius rei cognoscimus saporem : Sic etiam qui caret auditu, & visum tantum habet, potest legere, & addiscere proportiones sonorum, licet nunquam audiuerit aliquem sonum : & sic de alijs, quare confutat opinionem Zimaræ, qui tenet cęcum a natiuitate nullam penitus habere scientiam de coloribus. Quæ fortasse est opinio verior, quia audiat quantum voluerit de coloribus, nunquam potest intelligere rem ipsam, quia ignorat significationem vocis, tantum fit, vt sicuti inquit Aristoteles, solum versetur in nominibus, sed nihil intelligat, quoniam non intelligit id quod per nomen significatur. Potest enim cæcus natus aliquid imaginari de coloribus, nec tamen aliquid de eis scire, quia imaginamur etiam quod falsum & impossibile est. Item carens auditu poterit quidem legendo intelligere proportiones numerorum, sed non sonorum ut sunt soni, quia, nec vocem quidem intelligit. Sed quomodocunque res se habeat, hæc disputatio ad propositum non facit, quia vel cœcus ab ortu nullam habeat cognitionem colorum, vel aliquam habeat imperfectam, non propterea labefactatur, neque immutatur sententia Aristotelis hoc in loco, qui istud non considerauit. Nam, vt exponit Themistius, si comparatio debeat esse recta, oportet ut sumamus cæcum, qui per Syllogismum velit demonstrare colores dari, hic enim recte comparabitur cum illo, qui per Syllogismum tentet demonstrare Naturam esse. Nam cæcus a natiuitate cum non discernat colorem esse rem per se manifestam, volens vti ratione ad eius existentiam demonstrandam, ridiculum se alijs præbet, alijs enim nulla est opus ratione, quia colorem manifestissimè percipiunt, & est eis notior ipse color, quàm illud medium, quo cæcus vteretur ad demonstrandum colorem : huic cæco comparat Aristoteles illum, qui demonstrare vellet Naturam esse, ille enim ostenderet se non percipere quod Natura est res per se manifesta, sicuti cæcus natus non percipit colorem esse rem per se manifestam, & probare tentat eam per minus manifestam. Ideò inquit Aristoteles [Syllogizare quis possit] Significat enim illum, qui existentiam colorum probare vellet Syllogismo, cum tamen sint per se noti. Significat autem Aristoteles, quòd vtimur Syllogismo ad ea cognoscenda, quæ per se nota non sunt, sed egent alio medio, per quod demonstrentur, quare ad ea, quæ sunt per se nota, Aristoteles non vult nos vti Syllogismo, imo asserit id vanum esse. Hoc notaui propter eos, qui superius dixerunt Aristotelem conclusisse Syllogismo ipsam definitionem Naturæ, quæ tamen, ut ego demonstraui, est per se nota.

Textus Septimus.

Videtur autem nonnullis Natura, & substantia eorum quæ Natura sunt, esse quod primum inest vnicuique non formatum per seipsum, vt lecti natura lignum, statuæ autem æs: signum autem dixit Antiph. quoniam si aliquis defoderit lectum, & accipiat potentiam putredo, vt sit germen, non vtique fieri lectum, sed lignum: tanquam quod secundum accidens est, esse dispositionem secundum legem, & artem, substantiam autem esse illam, quæ etiam permanet, hæc patiens continuè.



VERROES, Themistius, Ioannes Grammaticus, & alij multi ita hanc partem continuant, postquàm Aristoteles definiuit Naturam, vult hic distinguere significata huius vocis, Natura; quam sententiam ipse quoque Aristoteles significare videtur in principio Textus XVI. dum dicit, postquàm dictum est quot modis Natura dicitur. Dicit enim Ioannes Grammaticus hæc significata, quæ Aristoteles est enumeraturus, esse tria, sumitur enim Natura pro materia, & pro forma, & pro generatione, ut ipse Aristoteles dicet. Rifutat hanc continuationem Pendasius hac ratione, quia si intentio Aristotelis esset enumerare significata Naturæ, debuisset exponere omnia significata, sicuti ea posuit in quinto Metaphysicorum capite quarto, quod tamen hic non facit, quia aliqua prætermittit. Mihi vero uidetur quòd licet ea continuatio non sit bona; tamen hæc instantia sit penitus inualida; quando enim post definitionem enumerantur significata, non possunt alia enumerari quàm ea, quæ sub illa definitione continentur, reliqua enim quæ non continentur, deberent potius ante definitionem quàm post in medium adduci, cum igitur Aristoteles eam Naturam definiuerit, & per eam definitionem declarauerit, quomodo ipse Naturam accipiat, non oportuit numerare omnia significata, quæ numerantur in quinto Metaphysicorum capite quarto, quia non omnia ea sub hac definitione comprehenduntur. Ideo etiam Ioannes Grammaticus, & fortasse cum eo etiam Themistius errauerunt, dum dixerunt, tria significata Naturæ esse numeranda a Philosopho, uidelicet, materiā, formam, & generationem; Generatio enim sub definitione Naturæ tradita non continetur, ideo Aristoteles non potest eam enumerare ut significatum Naturæ, quòd si in Textu XIII. dicit generationem dici Naturam, id faciet per accidens, non enim ut hoc significatum enumeraret, sed ut probet formam esse magis Naturam, quàm materiam. Quare omnino dicendum est Aristotelem nulla alia significata Naturæ velle nominare, quàm duo, videlicet, materiam, & formam. Hanc tamen puto non esse præcipuam Aristotelis intentionem, uidelicet enumerare significata Naturæ, sed credo intentionem esse eam, quam Simplicius ponit, & quæ etiam ipsi Pendasio placuit, quæ est, cum Aristoteles dixerit, quid sit Natura, vult declarare quænam sit Natura; dixit Naturam esse principium internum motus, quod a nullo antiquorum naturalium negatum fuisse videtur. Quare quidnam sit Natura, non est controuersia, sed difficultas in eo est, quòd non est clarum quòd hoc principium internum sit materia, an forma, necesse est enim esse alteram duarum. Sed magna pars antiquorum naturalium naturam dixit esse materiam, quia formam veram de prædicamento substantiæ non cognouerunt, Aristoteles ergo deberet omnino declarare quodnam sit istud principium motus, quod dicitur Natura, an sit materia, vt antiqui pro maxima parte voluerunt, an potius forma; si enim hoc ignoremus, confuse naturam cognoscimus, cognoscendo eam esse principium motus internum, non distincte, quia quidnam illud sit ignoramus. Præterea magnam habemus occasionem, & causam errandi, quia adhuc vigebant multorum Philosophorum sententiæ, quod sola materia esset rei Natura; formæ vero essent res accidentales, & extraneæ a Natura rei: Aristoteles ergo vult hoc præcipue declarare, quænam sit ista Natura in corporibus, an materia, an forma, an vtraque, & si vtraque vtra magis: hoc autem declarans, simul etiam docebit quot modis Natura dicatur, non quidem quod omnes enumeret, sed eos tantum, qui sub definitione tradita continentur, & sunt duo tantum, materia, & forma. Declarabit enim vtranque dici Naturam & formam magis, quàm materiam, ideò verum dixit in Textu decimosexto, se declarasse

rasse quot modis Natura dicantur. Modos enim declarabit, sed non vt vocis significata enumerans, sed vt cognosceremus, quod non soli conuenit materię nomen Naturæ, sed etiam formę, imo magis. Hinc possumus cognoscere rationem cur necessarium fuerit anteponere primum Physicorum secundo, licèt enim verum initium tractationis naturalis fuerit a secundo Libro & a sermone de Natura, quia tamen intelligendum erat quænam esset ista Natura an materia, an forma. Ideo declarandum prius fuit, quod corpora constant ex materia, & forma, quod factum est in primo libro, nam sine illa cognitione non poteramus intelligere ipsam Naturam. Volens ergo Aristoteles declarare quænam sit Natura, an materia an forma, ponit prius sententiam, in qua multi antiqui consenserunt, quod natura est sola materia, & in hoc versatur in Textu septimo, octauo, nono, & decimo, qui cum faciles sint; eorum sententiam referam, deinde in verbis aliqua perpendam. Sententia est, quod aliqui putant, idest, antiqui Philosophi, quod Natura sit ipsa materia, quæ secundum se est informis, sicuti si diceremus, Naturam lecti esse lignum, & Naturam statuæ esse æs, quam sententiam videbantur duobus argumentis confirmare, quæ ab Aristotele satis confusè in hoc Textu septimo ponuntur. Alterum sumitur ex definitione Naturę, in qua videntur etiam alij consensisse, illud est Natura, quod est internum principium motus: illud vero non est Natura, quod nullius motus est principium, & materia est principium motus, non forma, ergo sola materia est Natura. Maior patet ex definitione Naturę. Minorem probabat Antiphon Sophista a signo sumpto a rebus artificialibus. Si enim fiat lectus ex ligno viridi quod germinare possit, & plantetur lectus, & germinet, non fiet lectus, sed lignum, quare cum similis a simile fiat, a ligno illa germinatio prouenit, non a figura lecti, lignum autem est materia, figura verò est forma, ergo materia est principium motus, non forma. Alterum argumentum est; illud est Natura rei, quod permanet, & non corrumpitur, vt materia permanet recipiens modo vnam modo aliam formam, forma verò corrumpitur, ergo materia est Natura rei, non forma. Minor est clara. Maior verò & ipsa videtur esse manifesta, quia illud solemus uocare naturalè, quod sit permanens, & in permutabile, quod vero non vocamus accidentale, aduentitium, Lege, & Arte constitutum, non autem Natura.

Textus Octauus.

Si autem, & horum vnumquodque ad aliud aliquid idem hoc passum est (vt æs quidem, & aurum ad aquam, oßa autem & ligna ad terram: similiter autem, & aliorum quidlibet) illam naturam esse, & substantiam ipsorum.



SED quia exempla in Textu Septimo erant allata de artificialibus, Aristoteles in Textu Octauo, prosequitur dicens, quod isti antiqui transferebant similitudinem ad naturalia, si enim ostensum est in artefacto, quod forma non est Natura, sed materia, quia forma mutatur, & ex eadem materia permanente fit alia res, & alia forma; manifestum est, quod si sit aliqua materia prior ligno, quę ad lignum sic se habeat, vt lignum ad lectum, idem de illa dicendum erit, videlicet, quod est Natura illius rei: veluti si dicamus materiam ligni esse terram, terra erit natura ligni. Et potest argumentum fieri hoc modo. Sicuti se habet li-

gnum ad lectum, ita terra ad lignum; sicuti enim lignum est materia lecti, ita terra est materia ligni: sed lignum ad lectum ita se habet, vt sit natura tota lecti, forma vero sit accidens, ergo etiam terra ad lignum ita se habet, vt sit tota natura ligni, forma vero ligni sit quoddam accidentale.

Textus Nonus.


Quocirca sane hi quidem terram, alij vero ignem, alij aerem dicunt, quidam autem aquam; quidam vero quædam horum, quidam autem omnia hæc Naturam esse eorum, quæ sunt Quod enim aliquis ipsorum existimauit huiusmodi, siue unum, siue plura, hoc, & tot dicit esse omnem substantiam, alia autem omnia passiones istorum, & habitus, & dispositiones.



EX his infert Aristoteles in Textu nono, quod sicuti antiqui naturales senserunt de materia prima, ita etiam de natura rerum senserunt, quod enim ponebant esse materiam primam, illud idem dicebant esse ipsam naturam, & substantiam, idest, essentiam rerum, reliqua vero præter illud dicebant esse accidentia, & passiones, sed non naturam, & substantiam ipsarum rerum. Quare alij ponebant Naturam rerum esse aquam, alij ignem, alij aliud ex Elementis, alij duo Elementa, alij etiam omnia, sicuti etiam de materia prima sentiebant. Et propterea docet hic Aristoteles rationem diuersitatis inter Antiquos in statuenda natura rerum. Ratio enim est, quia discrepabant in statuenda materia.

Textus Decimus.

Et horum quidem quodlibet esse perpetuum non enim esse mutationem ipsis ex seipsis, alia autem fieri, & corrumpi infinities. Vno igitur modo Natura sic dicitur, prima unicuique subiecta materia habentium in seipsis motus principium, & mutationis. Alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem.



QVODCVNQVE autem ponebant materiam primam, & naturam rerum, illud ponebant perpetuum, & incorruptibile iuxta rationem prius tactam, quia Natura, & substantia rerum debet esse quid incorruptibile, reliqua vero fiunt, & corrumpuntur, neque merentur dici Natura, & substantia rei, sed sunt passiones, & accidentia, quia varijs modis materiam ipsam afficiunt, & alterant, & sic concludit Aristoteles quod vno modo dicitur Natura de ipsa prima cuiusque rei materia, & hunc tantum modum acceperunt antiqui naturales. Non dicit absolutè Aristoteles naturam dici de materia, sed quod ab alijs dicebatur nomen naturæ de materia. Hæc est sententia horum Textuum, superest, vt quædam consideremus in verbis. In septimo Textu sunt consideranda ea verba [Natura & substantia

tia eorum quę natura sunt] substantia.n.hic sumitur pro essentia,non amplius pro cõposito,vt prius in Textu quarto.Et quia essentiam sumit Arist.naturaliter,non Metaphysice,ideo addit,[eorum,quæ Natura sunt] essentia.n.rerum naturalium, quatenus sunt naturales,nulla est alia,quàm Natura,quam his verbis Arist.significat esse rationem formalem subiecti totius naturalis Philosophię.Ideo cum dicit, [Natura, & substantia] particula & stat expositiuè,pro idest, sensus enim est Natura, idest, essentia rerum naturalium prout naturales sunt. Sunt etiam perpendenda illa verba in Textu septimo [quod primum inest vnicuique non formatum per seipsum] quæ verba possunt duos habere sensus, de quibus inter Expositores non conuenit. Nam cum dicimus primam materiam, seu primum subiectum: illa dictio primum potest accipi duobus modis, potest enim intelligi absolute primam, vt est prima omnium materia; potest etiam intelligi primum subiectum respectu huius particularis rei, & tunc idem significat, quod immediatum vel secundum quod ipsum. Et hoc modo prima materia hominis sunt membra humana, & sic de alijs. Dubium ergo est an Aristoteles intelligat Naturam dici primã materiam idest remotissimam, an singulorum propriam, nam etiam quinto Metaphysicorum Cap.4. Aristoteles inter significata Naturæ ponens materiam primam postea eam diuidit, & dicit primam vocari vel simpliciter, vel huius rei primam, & sic vtranque concedit appellari naturam rei, quare hic iure dubitatur, utram duarum intelligat. Themistius quoque hic declarat hæc duo significata materiæ primæ, sed non dicit utrum sit accipiendum. Simplicius, & Auerroes intelligunt materiam absolute primam. Vicomercatus autem maluit intelligere materiam propriam cuiuslibet. & pro utraque expositione sunt fundamenta. Nã pro prima sententia sunt uerba hæc Aristotelis quæ significant materiam informem, & consequenter absolute primam, at materia proxima non est informis, sed formata, & qualis, quæ etiam dicit postea in Textu nono de uarijs Antiquorũ opinionibus,quod alij ponebant ignem,alij aquam, alij aliud ex Elementis, non possunt ad aliam materiam referri,quàm ad materiam absolute primam,nam quilibet antiquorum aliquod elementũ, aut aliquam materiam ponens, intelligebat absolute primam,& materiam omnium. Hanc igitur naturam uocat Aris.qui etiã enumeratis his Antiquorũ opinionibus concludit in Textu x.ꝙ uno modo dicitur natura de prima subiecta materia unicuiq;.Necesse est igitur ut materiã ita primã concludat qualẽ posuerunt illi antiqui secundũ diuersas ipsorum opiniones prius enumeratas.Et confirmatur, quia si apud antiquos quicquid aduenit primæ simpliciter materiæ est passio, & accidens, nec vocatur Natura, ipsi non vocarent naturam rei materiam proximam, quia hæc concernit formam, quæ secundum eos est accidens extraneum a Natura rei. Pro secunda vero opinione Vicomercati sunt exempla Aristotelis in septimo Textu cum dicit, [Vt lecti natura lignum, statuæ autem æs] hæc enim verba significant propriam cuiusque materiam, non vnam omnium communem; Addit etiam Vicomercatus rationem, quia non est credendum quod Aristoteles intelligat primam simpliciter materiam, quia tunc sequeretur vnam esse omnium rerum Naturam, quod videtur absurdum, ad verba autem Aristotelis, quæ contrarium dicere videntur, ipse respondet quòd quãuis dicat materiam non formatam, possunt tamen hęc verba etiam proximæ materiæ accommodari,nam propria cuiusque generis materia dicitur informis in genere illo, ut lignum respectu formæ lecti est materia informis. Sed mihi melior videtur altera sententia,& ad Aristotelis verba magis accommodata, ad quæ non bene respondet Vicomercatus, quia Aristoteles non dicit, non formatam respectu talis rei, sed dicit [non formatam secundum seipsam] quare absolutè eam in-

formem

formem intellexit, nam materia propria non potest dici informis secundum seipsam, cum potius secundũ se sit dicenda formata. Ad rationes autem Vicomercati respondeo, & ad primam cum perpendit uerba illa in textu, [ut lecti natura lignũ, statuæ autem æs] dico hæc non esse exempla de materia rerum naturalium de qua proposuerat dicens, [Natura, & substantia earum, quæ natura sunt] sed esse rerum artificialium quæ afferuntur ut manifestiora ad melius rem declarandam, sicuti enim se habet lignum ad lectum, ita materia simpliciter prima ad res omnes, & fuit ista comparatio ipsiusmet Arist. in Textu sexagesimonono 1. Physicorum cum dixit, sicuti ad statuam æs, & ad lectum lignum, ita materia se habet ad omne ens; Sumit igitur hæc exempla artificialium, quia notiora sunt, & quia Antiphon ijs utebatur ut signo, a quo postea trãsferebat argumentum ad materiam naturalium simpliciter primam, ut patet in textu octauo, nono, & decimo; hæc enim est sola æterna, & incorruptibilis. Pręterea possumus etiam dicere, quòd hęc sunt exempla de materia simpliciter prima respectu rerum artificialium, non resolubili in aliam quę sit materia artificialium. Lignum enim non solum respectu lecti, sed respectu multorum artificialium potest dici materia prima, carens omni penitus forma artificiali, sic etiam ęs, quare possunt vocari materia secundum seipsam informis, quia caret omni forma artificiali; Est autem uocanda materia prima in artificialibus illa, quæ cum sit subiecta formæ artificiali non potest in aliam materiam resolui, nisi subiectam formę naturali, non artificiali. Ad rationem etiam Vicomercati, cum dicit, sequeretur quòd esset una omnium rerum natura, quod est absurdum; dico quòd si secundùm antiquos loquamur, ut hic loquitur Aristoteles, nullum erit apud eos inconueniens, quòd una esset omnium natura, ut patet in primo Physicorum quinquagesimo tertio, hoc enim ipsi profitebantur vt verum, illi videlicet, qui vnicam ponebant primam materiam, & hoc idem dicit hic Aristoteles in Textu nono; Si verò secundum Aristotelem loquamur secus est: ipse enim vult Naturam rei esse formam, materiam verò non negat esse naturam rei, sed ut est in potentia ad formam, non autem secundum se solam, sic autem non est una omnium natura, quia non vna forma; quod autem Aristoteles hic loquatur de antiquorum opinione patet, quia dicit, [Videtur nonnullis] deinde etiam nominat eorum sententias de prima materia, quam ponebant esse solam naturam rei, ut in Textu patet. Possumus autem nos præter argumenta prius adducta sumere etiam fundamentum ex argumento antiquorum; ipsi enim eam vocabant naturam rei, quæ non corrumperetur, sed maneret incorruptibilis, illa verò, quæ corrumpuntur, dicebant esse accidentia, non autem ipsam naturam, & certum est quòd nulla materia secunda apud eos est æterna, sed sola prima, quare solam primam dicebant esse Naturam. Considero etiam verba Aristotelis in Textu decimo cum dicit [Vno igitur modo natura sic dicitur, prima unicuique subiecta materia habentium in seipsis motus principium, & mutationis] Significat enim his verbis Aristoteles se loqui de materia prima rerum naturalium, non autem artificialium, cum dicat, primam materiam habentium naturam in seipsis, quia cognouit non eandem esse primam materiam naturalium, & artificialium. Materia enim prima non potest dici materia prima respectu lecti, sed lignum, quare confirmatur per hæc verba id, quod ego superius dixi, quòd illud exemplum de ligno, respectu lecti, est de prima simpliciter materia, ut rerum artificialium. Colligimus etiam ex his verbis, quod Aristoteles non locutus est in hac parte de materia artificialium, sed naturalium solum, & hanc dixit esse Naturam, ideo si illa exempla in artificialibus attulit non sunt intelligenda in artificialibus, sed transferenda est tota consideratio ad res naturales, sicuti etiam Aristoteles fecit.

Tan-

Tandem consideranda sunt in Textu nono illa verba [hi quidē terram , alij vero ignem] quæ verba dubium faciunt, quoniam videtur significare Aristoteles, quòd aliqui antiqui vnam solùm posuerunt esse primam materiam, cum tamen in primo libro sępè diximus, quòd nullus antiquorum terram solam posuit primum principium. Ad hoc dicendum, vel cum Simplicio quòd Aristoteles τὸ συντεθρομμένον τῶν ἄλλων στοιχείων vnamquanque nominauit, non quod aliquis eam solam posuerit. Vel etiam possumus dicere, vt alij dicunt, quod licet nullus eorum, qui ab Aristotele vocantur naturales, terram solam posuerit, tamen alij quidem Theologi antiqui, seu Poetæ terram solam posuerunt esse primum principium, vt Hesiodus. Notandum est in textu septimo, quod Aristoteles contra distinguit Legem, & Artem a Natura, sicut etiam fecit in primo de moribus capite tertio, quasi lex Naturæ opponatur. Intelligenda autem est hæc oppositio in eo solum esse constituta, quod quæ Natura sunt, inuariabilia sunt, & perpetua; quę vero lege, aut arte, sunt ex nostro arbitrio facta. Ideo, & remoueri possunt, & variabilia sunt, vnde etiam positiua uocantur, & arbitraria ad differentiam eorum, quę dicuntur naturalia, idest, firma, & permanentia, neque mutabilia nobis. Hanc differentiam legimus etiam in primo Capit. libri de Interpr. vbi distinguit naturale vt impermutabile ab arbitrario ut uariabili. [Alio autem modo forma & species, quæ secundum rationem] subdit secūdam significationem naturæ, quam illi antiqui non cognouerunt, & dicit Naturam sumi secundo modo pro forma, & quia Græcè habetur μορφὴ, quæ significat etiam figuram, ideo Aristoteles uolens significare se non sumere illam formam, quæ est accidens rei, sed illam, quæ est essentia, & quidditas, & quæ significatur per definitionem rei, ideò adiecit [& species, quæ secundum rationem] quasi declarans seipsum dicat, idest, ea forma, quæ est rei quidditas, & per definitionem rei significatur, rationem enim pro definitione sumit: hæc est Simplicij expositio, & recta. Auerroes autem alio modo hæc uerba interpretatur, exponit enim per rationē, definitionem, sed addit Aristotelem hoc dixisse, quia forma comprehenditur per intellectum. Quę expositio mihi non probatur, quia nihil est quod debeat hic considerari an forma cognoscatur intellectu, an sensu, sed solùm declarat Aristoteles de qua forma loquatur, & dicit, intelligo illam formam, quæ constituit definitionem rei. Ratio enim hic significat definitionem, non autem intellectum. Sed occasione horum uerborum Auerrois Zimara notat contradictionem inter hunc locum Auerrois, & alium secundo de Anima Commentario secundo, ubi Auerroes dicit formam sensu comprehendi, dat Zimara duas solutiones. Prima est quod forma secundū se cognoscitur ab intellectu, a sensu uero in suis operationibus, sed hac reprobata affert alteram, quam ibi legas. At Pendasius reiecta secunda, accipit priorem, quia dicit quod cognoscere formam secundum se includit hoc ut eam separemus a subiecto, hoc autem est opus intellectus, a sensu fieri non potest, qui cognoscit quidem supposita omnium prædicamentorum, & sic indiuidua substantię, sed composita non autem formam simplicem secundum se, ideo nulla est consideratio Zimarę, qui in secunda solutione conatur ostendere quod aliquo modo forma cognoscatur a sensu cognitione particulari, & imperfecta, sensus enim cognoscit formatum, non formam secundum se, ideo dicit melius esse ut dicamus formam secundum se non cognosci nisi ab intellectu, a sensu uero non secundum seipsam sed in suis effectibus, & operationibus. Sed hęc omnia intempestiue hic tractantur, cum iam dictum sit expositionem Auerrois non esse ad Aristotelis mentem, nisi dicamus expositionem Auerrois posse ad bonum sensum trahi, videlicet, quod Aristoteles per rationem intelligit definitionem, quia formam

mam

mam intellectu comprehendimus, quando quidditatem rei contemplamur, ad differentiam cognitionis sensitiuæ, qua non cognoscimus quidditatem, nam cum sensu hominem cognosco, non percipio hominis essentiam, si uerò eius essentiã, & quidditatem uolo contemplari, intellectu, non sensu id faciam. Ideo expositio erit, forma, quę per definitionem significatur, quando quidditatem rei comprehendere uolumus, id autem non fit, nisi per intellectum.

Textus Vndecimus.

Vt enim ars dicitur quod secundum artem, & artificiale, & sic, & natura quod secundum naturam dicitur, & quod naturale. Neque autem illud adhuc dicimus habere secundum artem aliquid, si potentia tantùm est lectus, nondum habet autem formam lecti, neque esse secundum artem, neque in ijs, quæ Natura subsistunt; potentia enim caro, aut os, neque habet adhuc sui ipsius naturam, priusquàm accipiat formam, quæ secundum rationem, quam definientes dicimus quid est caro, aut os, neque Natura est.



VONIAM in vltimis verbis Textus decimi Aristoteles proposuerat Naturam dici alio modo de forma, & antiquis incognita fuit hæc significatio, ideo probat in sequentibus, quod nomen Naturæ etiam formæ conueniat, & etiam magis, quàm materiæ, idq; probat tribus argumentis; quorum primum in Textu vndecimo continetur; Secundum in 13. Tertium in 14. Primum, quod hic habetur sumitur ex fundamento posito ab Antiphonte, & antiquis: Ipsi enim argumentabatur ab artificialibus ad naturalia ex similitudine inter Naturam, & Artem, ideo etiam Aristoteles hic sumit hoc fundamentum ex ore ipsorum, sicuti se habet ars ad artificiale, ita Natura ad naturale: tunc sic, artificiale tunc dicitur Artem habere, id est, artificiosè factum, quando est actu, non quando est potentia, ut lectus dicitur artificium quando est actu lectus, non quando est lignum solum, lignum enim est solum lectus in potentia, ideo nondum dicitur Artem habere, nisi cum sit factus, actu lectus, fit autem actu lectus solùm per formam lecti, quare tunc dicitur habere Artem, quando habet formam ipsam artificialem; Ergo similiter naturale dicitur habere naturam, quando habet formam, ut homo dicitur habere Naturam propriam, quando habet formam hominis, quia per formam est homo actu, per materiam autem in potentia, nondum actu est homo; Si igitur ita est de Arte, vt de Natura, & habere Artem tunc dicimus, quando res est actu artefacta, quia habet formam artificialem; ita habere Naturam tunc dicimus, & esse tunc rem naturalem, quando est talis actu, & actu naturalis, id autem est quando habet formam; ergo forma est ipsa Natura rei, non materia. Declarat etiam Aristoteles quam formam intelligat, sicuti fecit in Textu præcedenti, & dicit se intelligere illam, quæ per definitionem significatur, & quam accipimus, quando definimus rẽ, ut quid caro, quid os, & similia; & hæc dicit Aristoteles ad significandum se non accipere formam aliquam accidentalem rei, & separabilem, neque etiam formam actu a materia separatam, & supernaturalem, sed formam illam, quæ est quiddi-

tas

tas substantiæ corporeæ, materialis, neque potest ab ea separari, sicuti etiam concludit clarius in primis uerbis Textus sequentis.

Textus Duodecimus.

Quare alio modo natura vtique erit habentium in seipsis motus principium, forma. & species non separabilis existens, nisi secundum rationem. Quod autem est ex his natura quidem non est, sed a natura, ut homo, & magis natura hæc est quàm materia, unumquodque enim tunc dicitur cum actu magis, quam cum potentia.

DICIT enim [Quare alio modo natura vtique erit,] & subdit, [non separabilis existens, nisi secundum rationem] forma enim materialis non est separabilis re a materia, vt eam sine materia intueamur, sed solus intellectus, quem hic significat Aristoteles per [rationem] eam cognoscit diuersam a materia, non quod sine materia intelligat, sed cognoscens eam in materia, cognoscit essentiam formæ distinctam ab essentia materiæ, & sic dicitur separare formam a materia secundum essentiam, non secundum existentiam, sed de hac separatione, & de abstractione loquemur fusius in sequentibus videlicet in Textu 18. Pendasius dubitat circa Textum 11. quia videtur Aristoteles ita probare formam esse Naturam, vt materiam excludat. Dicit enim Aristoteles, quod tunc res non habet Artem, quando non habet formam, sed solam materiam, & similiter res non habet propriam Naturam, quando non habet formam, & dicit clare in fine Textus [neque natura est] idest, neque a natura est. Est enim Græce φύσει, quare negare omnino videtur rem dici naturalem, & habere naturam, quando formam non habet, quare non vult materiam aliquo modo esse naturam. Respondet non esse ita accipienda Aristotelis verba, vt Aristoteles neget penitus materiam esse naturam, sed solum vt neget materiam solam esse Naturam, sicuti dicebant antiqui, ipse enim vult & materiam, & formam dici Naturam, non autem materiam solam. Declarans autem quomodo in ipsa materia seruetur ratio Naturæ, dicit materiam dici naturam, quatenus præstat primam radicem, & habilitatem ad motum, non tamen mouetur sola, sed cum forma, ideo non est sola natura, sed etiam forma est Natura. Sed mihi non videtur Pendasium attigisse mentem Aristotelis in hoc loco, neque intellexisse, quomodo materia dicatur Natura. Secundum hanc sententiam sequerentur duo absurda; Vnum, quod vna numero esset omnium rerum natura. Alterum quod quælibet res haberet duas naturas. Aristoteles enim non loquitur de vna aliqua Natura vniuersali in causando, quæ dicatur esse Natura omniũ rerum, quod sequeretur secundum opinionem istam communem. Sequeretur enim materiam esse vnam quandam omnium rerum Naturam, sed loquitur de Natura particulari huius, & illius rei, & cuiusque propria, vt de Natura humana, Equina, & alijs. Quod autem hæc sit mens Aristotelis patuit in Textu cum dixit, [potentia caro, aut os, non habet adhuc sui ipsius naturam] loquitur ergo de propria natura carnis, & ossis, & ita cuiuslibet rei naturalis, natura verò particularis, & propria cuiusque nulli dubium est quod est vna, non duæ, neque plures. Vnam enim humanam naturam homo habet, & hanc vult Aristoteles esse

formam

formam, quia dicit tunc hominem habere suam propriam naturam, quando habet formam, & est in actu, non vult hominem habere suam naturam, quando non habet formam, sed materiam solam, ergo sola forma apud Aristotelem est Natura. Ea enim presente possumus dicere rem habere iam suam naturam, a qua inclinatur ad motus proprios, ideo recte Aristoteles dixit οὔτε φύσει ἐστίν [neque natura est] quando enim adest sola materia rei, & non forma, res illa non habet suam naturam, verum quia tunc res illa, licèt non habeat actu suam naturam, habet tamen in potentia, quatenus materia illa habet potentiam vt talem naturam recipiat. Ideò etiam materia est natura rei, videlicet, vt in potentia ad formam recipiendam, neque propterea dicimus materiam hominis, & formam hominis esse naturam, ita vt homo duas habeat naturas, sed vnicam, vt dixi, quia vna est natura humana, sed eandem habet in actu per formam, quam prius habebat per materiam in potentia solum, vt Aristoteles dicit in octauo Metaphysicorum tertio, & vltimo, materia est idem in potentia, quod forma in actu. Sed pro huius rei declaratione vide Aristotelem 1. cap. 1. de partibus animalium, vbi dicitur naturam dici bifariam, videlicet, pro materia, & pro forma. Sed postea dicit hec verba, Qui de natura agit, eo amplius docere de anima quam de materia debet, quo materia natura potius per animam, quàm econtrario est. Lignum enim est & tripes: propterea qui est idem postea illa &c. Vult igitur materiam non secundum se esse rei naturam, sed quatenus idem est postea quod forma actu. Deinde prope finem capitis dicitur principium rerum esse naturam potius, quàm materiam. Deinde dicitur Empedoclem ductum ratione & veritate tandem concessisse quod nam & subiecta est ipsa ratio idest forma. Non enim dicitur quod magis forma quam materia, sed quod absolute forma. Patet ergo quod si res dum habet formam, habet actu suam naturam, dum verò non habet formam, non habet suam naturam actu, sed potentia solum, quatenus materia illa potest habere illam formam, sola forma est per se natura rei, materia vero per formam, & quatenus potest talem formam recipere. Ergo non est verum quod Pendasius dicebat materiam dici naturam, quia det primam radicem, & habilitatem ad motum, hoc enim dicens, facit materiam naturam per seipsam, quoniam habet ex sui natura potentiam passiuam ad omnia, & indifferentem. Sic autem patet quod materia nullius rei est natura, nisi dicamus omnium, quod tamen Aristoteles non vult, quia non loquitur de aliqua vna omnium natura, sed de Natura propria singulorum, quæ sit principium motus, non quidem cuiuslibet indifferenter, sed determinati, & proprij illius rei, & naturalis. Melius est itaque vt dicamus materiam ab Aristotele, & excludi, & non excludi a nomine Naturæ. Excluditur enim a Natura, prout sumitur Natura alicuius rei præsens, & actualis, sic enim materia non est natura. Non excluditur si per naturam intelligamus etiam naturam rei in potentia; sic enim materia est propria rei natura in potentia, non in actu, ita enim materia est natura humana, sicut est homo, at est homo in potentia solum, ergo significat Naturam hominis in potentia, non in actu. Hæc est sententia Aristotelis clara in Textu 11. & 12. de modo, quo materia est Natura vt etiam comparatio cum artefactis ostendit, & qui hic hanc veritatem non videt, cæcus est, [Quod autem ex his] occurrit his verbis Aristoteles tacitæ quæstioni; cum enim dixerit formam esse rei naturam in actu, materiam verò non, nisi in potentia; credere aliquis poterat, quod etiam compositum ex vtraque sit dicendum natura. Aristoteles igitur occurrens hoc negat, & dicit compositum non esse naturam, sed esse Natura, seu a Natura. [Et magis Natura hæc est quam materia] reuertitur Aristoteles ad argumentum idem concludendum de forma, & materia, & dicit

quod

quod forma magis est natura rei, quàm materia ob rationem iam dictam, videlicet, quia tunc dicimus rem esse, & habere suam naturam, quando est actu, potius quam quando est in potentia: per formam autem est actu, per materiam est in potentia. Aduertendum autem, quod cum Arist. dicit magis naturam esse formam quam materiam, communiter exponunt, quod dicat Arist. vtranque esse naturam formã tamen magis. Sed hoc non est mens Arist. qui loquitur de rei Natura in actu, & dicit quod potius debemus dicere rem habere suam naturam, quando est in actu, quàm quando est in potentia, quasi dicat, quod quando est in potentia non habet suam naturam, quare materiam excludit: ita tamen vt non penitus sit exclusa. Si n. materia est in potentia res illa, quia est in potentia ad recipiendam propriam eius formam, quæ est Natura eius, sequitur ex hoc, quod materia est Natura rei in potentia, quatenus est in potentia ad formam. Aristoteles enim negat solum, materiam esse rei naturam actu. Cognouit Aristoteles vnius rei vnam esse naturam nõ plures, eamque neque intendi, neque remitti posse, ideò quęrit an illa sit dicenda forma, an materia: neque ignorauit, quod vel materiam dicamus, vel formam idem dicimus, quia idem est materia in potentia, quàm forma in actu. Ideo per vtramque significamus vnam, ac eandem rei naturam. Aristoteles autem dicit melius esse, ut eam exprimamus per formam, quàm per materiam, sicuti enim vnumquodque tunc magis dicitur esse quando est in actu, quàm quando est in potentia: ita natura ipsa rei magis dicitur quando est actu, quàm quando est potentia. Ideo Aristoteles non dicit materiam, & formam esse duas naturas, sed quod per vtranque significatur vna rei Natura, magis tamen per formam, quàm per materiam, & natura est nomen respectiuum, est enim alicuius natura. Porphyrius referente Simplicio ita illa verba exponebat, [& magis natura hæc est] ut Arist. compararet compositum cum materia, & diceretur etiam compositum esse Naturam, & magis etiam, quàm materiam, uoluit enim etiam compositum posse dici Naturam, quæ expositio admittenda non est, quia iam Aristoteles præcedentibus verbis excluserat compositum à nomine naturæ, quare non potest hic sibi contradicere. Præterea nominauerat compositum in genere neutro dicens τὸ ἐκ τούτων hic autem dicit hæc αὕτη in feminino, est magis Natura quàm materia: quare non potest intelligi hæc, idest compositum, sed forma, vt nos exposuimus, & alij exponunt. Et sic habuimus primum argumentum, quo Arist. probauit formam esse naturam ex similitudine Artis cum Natura.

Textus Tertiusdecimus.

Amplius fit ex homine homo, sed non lectus ex lecto: quapropter etiam dicunt figuram non esse naturam, sed lignum, quoniam fiet vtique si germinabit non lectus, sed lignum; si ergò hoc est Ars, & forma est Natura, fit enim ex homine homo.

IN hoc Textu Aristoteles secundo argumento probat formam esse naturam, & utitur ipsomet argumento, quo utebatur in Textu septimo Antiphon ad probandum formam non esse naturam, sed materiam solam. Aristoteles enim hic mira breuitate, & contra eum conuertit argumentum illud, & etiam illud soluit. Partitur enim Textus in tres partes; In prima argumentatur; In secunda quasi obijciens sibi ipsi affert contra se argumentum iam ab Antiphonte factum

In tertia illud soluit; Argumentum Antiphontis erat ab artefactis ad naturalia, forma non est principium motus, sed materia, quod probatur exemplo de lecto defosso germinante, ergo etiam forma naturalis non est principium motus, sed materia sola est principium motus; Aristoteles autem hic argumentatur hoc modo, homo hominem generat, ergo forma est principium motus, ergo forma est natura, consequentia manifesta, quia homo est homo per formam, & secundum ipsosmet antiquos homo non est materia pura, & prima, sed est quid compositum ex forma hominis; & materia prima, siue dicamus materiam primam esse aquã, siue aliud elementum, non curo, satis est si homo a nullo ponitur materia pura, sed constans ex materia, & aliqua alia forma, quamuis ipsi dicant omnes formas esse res accidentales, sed qualiscunque sit ista forma, qua homo est homo, certum est eam esse principium motus, quia producit homo hominem, simile autem fit a simili, quare si forma hominis producitur, producitur ab alterius hominis forma, non a materia eius, ut aere, vel aqua, quare cum forma hominis sit principium motus, patet quod forma est Natura. Cum autem subdit Aristoteles [sed non lectus ex lecto] est secunda pars, in qua affert, quodammodo instar contra se argumentum Antiphontis, & dicit Aristoteles, cur similiter non fit etiam lectus ex lecto? quasi dicat, hoc uidetur probare contrarium, videlicet formam non esse materiam; & sequitur exponens totum argumentum Antiphontis, qui ex hoc inferebat, quod figura lecti cum sit forma, non est principium motus, ideo non est natura, quoniam lectus si germinabit, non faciet lectum, sed lignum, & sic principium motus erit materia, non forma, sicuti uberius in Textu septimo dictum est. [Si ergo hoc est ars.] Hæc est tertia particula Textus, in qua Arist. breuissimè loquens, tum soluit argumentum Antiphontis, tum ostendit pro se facere argumentum ad probandum, quòd forma est Natura, non materia, non autem contra pro Antiphonte. Aduerte esse potius comparandam formam naturalem cum forma artificiali, quàm artem cum natura. Nam forma artificialis non est principium alicuius motus, forma vero naturalis est & natura & principium motus. Sententia autem Aristotelis hæc est, Ars, & Natura sunt in quibusdam similes, in quibusdam dissimiles; sunt similes quatenus vtraque requirit subiectum, ex quo aliquid fiat, ex quo cum forma adueniente compositum perficitur, & subiectum ita se habet ad formam in Arte vt in natura, est enim in potentia ad illam. Sunt autem dissimiles in proprijs definitionibus, quibus vna ab altera distinguitur; Natura enim est principium motus in eo, in quo primo inest, per se, non per accidens, Ars vero non est tale principium motus, ut iam diximus in definitione Naturæ. Antiphon autem ab Arte ad Naturam argumentans, considerabat eas in eo, in quo dissimiles sunt, quare neganda est similitudo illa ab arte ad naturã, quia non valet in ea parte, in qua differt Ars a Natura, dicebat enim, lectus si effodiatur, & germinet, faciet lignum, non lectum, ergo forma lecti non est principium motus, concedit Aristoteles hoc totum, cum dicit, [Si ergo hoc est Ars] idest concedo formam lecti non esse principium motus, quia est forma artificialis, non est forma naturalis, in hoc enim distinguitur forma naturalis a forma artificiali, quod forma naturalis est principium motus, forma uerò artificialis non est principium motus. Hactenus ergo Antiphon rectè argumentabatur quòd forma artificialis non est natura rei, quia non est principium motus, sed quando faciebat consequentiam ab artificialibus ad naturalia in Textu octauo dicẽs, si quid aliud, ita ad lignum se habeat, ut lignum ad lectum, eadem erit ratio, neganda est consequentia, quia non ita se habet in artificialibus ut in naturalibus, imo videmus contrarium euenire, uidelicet, quòd forma naturalis est principium motus, sic

enim terra materia ligni, quæ ad lignum habet eandem rationem, quam lignum ad lectum: si lignum effodiatur, & germinet, faciet lignum, non terram, ergo forma ligni est primi motus. Hanc differentiam Naturæ ab Arte innuit Aristoteles cum dicit [& forma est natura] idest, forma lecti est forma artificialis, ideò non est principium motus, & forma naturalis est principium motus, & natura. Poterat autem stare Aristoteles in eodem exemplo, & subdere, lignum enim generat lignum, nam lignum dicit formam naturalem, sed uolens euitare omnem confusionem, quoniam lignum potest accipi, ut formam naturalem significet, potest etiam accipi vt dicit materiam artefactorum, ideo Aristoteles exemplum accepit euidentius, & dixit, [fit enim ex homine homo] & accepit hominẽ, qui non potest aliquo modo intelligi vt materia alicuius, sed vt forma solum, quia homo per formã est homo, si ergo homo constat ex forma hominis, & ex elementis, vel aliquo elementorũ ut materia, & producit homines, ergo forma hominis est principium motus, & consequenter est Natura. Aduertendum autem hic, quod cum Aristoteles superius definiuit Naturam per principium motus, intellexit motum immanentem, non transeuntem, vt ibi declarauimus, quia propria ratio naturæ in eo consistit, vt sit principium motus in eo, in quo est, quamuis enim agat etiam ad extra tamen hoc non distinguit eam ab Arte. Ideo exemplum hoc de homine non videtur satis accommodatum ad probandum, quod forma est principium motus, & Natura, quia cum homo hominem generet, hæc est actio ad extra, & in hoc non distinguitur Natura ab Arte. Dicendum est ad hoc, quod exemplum de homine sumitur ab Aristotele vt manifestius; sed si transferatur ad lignum, tunc remouebitur omne dubium quia dum lignum germinat dicitur motio, & est motus prodiens a principio interno. Dico propterea quod exemplum quoque de homine est accommodatum ad distinguendam naturam ab Arte, nam Ars quidem in mente Artificis existens producit aliquid ad extra, sed forma ipsa artificialis, & realis nihil amplius producere potest: at forma naturalis, ut forma hominis, est etiam natura, & producet tum motus internos, tum generationem similis ad extra, quod non potest facere forma artificialis, quare patet quod saltem ad hominem est ratio efficacissima. Nam contra Antiphontem concludit, cum vtatur fundamento eius, si enim apud eum illa est Natura, quæ sibi simile producit, vnde volebat formam lecti non esse naturam, quia non producit lectum, ergo non potuit negare formam hominis esse naturam, quia homo hominem generat. Notandum autem est, quod differentia quędam est inter Naturam, & Artem, seu formam naturalem, & formam artificialem, nam forma naturalis non solum vocatur naturalis, sed etiam vocatur natura; forma uerò artificialis vocatur quidem artificialis, sed non vocatur Ars. Ratio autem hujus discriminis est, quia forma artificialis est effectus, & non est causa & prouenit ab Arte, quæ non est nisi in mente Artificis, ipsa autem non potest producere aliam similem formam artificalem. Si enim forma lecti posset producere in alio ligno aliam formam lecti; possemus dicere in eo ligno esse Artem, sicuti dicimus in mente artificis Artem esse. Et forma naturalis non solum est effectus, sed est etiam causa: nam forma hominis dicitur effectus respectu alterius similis, a qua vt ab agente est producta, dicitur etiam causa respectu alterius similis, quod ab ipsa potest produci, & etiam respectu operationum & motuum, quæ ab ea proueniunt; forma uero artificialis, neque aliam similem potest producere, neque alterius motus est causa, ideo uocatur artificialis, non ars, quia est solum effectus, non est causa: forma vero naturalis vocatur naturalis quatenus est quid causatum, uocatur etiam Natura, quatenus est causa. Aristoteles autem in Textu 11. visus est appellare formam artificialem Artẽ,

cum dixerit, lectum tunc habet Artem, quando habet formam, sed sumit improprie nomen Artis pro artificio, idest, pro re, quę ab Arte prouenit, pro effectu Artis, non pro Arte, quæ est causa artefacti.

Textus Quartusdecimus.

Amplius autem Natura, dicta, vt generatio via est ad Naturā, non enim vt medicatio dicitur non ad medicinam uia, sed ad sanitatem: (necesse enim est a medicina, non ad medicinam esse medicationem) sic natura se habet ad naturam, sed quod nascitur ex quodam in quiddam uenit, quatenus nascitur? non ad id ex quo, sed ad quod.

HIC Aristoteles tertio argumento probat formam esse naturam, quod argumentum sumitur a nomine, & ideo apud nos est argumentum inualidum, & solum secundum Græcam locutionem valet: Nam apud Græcos hæc dictio φύσις duo significat, significat enim naturam, de qua loquimur, idest principium quoddam, & inclinationem insitam ad motum; significat etiam generationem, & hæc videtur esse propria eius significatio apud Græcos; nam verbum φύω significat produco, genero, vnde deriuatur verbale φύσις idest generatio, productio, ille videlicet producendi actus; seu si malimus accipere verbum passiuum φυόμαι, quod est nascor, producor: φύσις significabit illam passionem, idest illud produci, seu natiuitatem ipsam acceptam pro ipsa via. Nomen enim græcam φύσις est communius quàm latinum natura, quia significat φύσις & naturam, & generationem. Ideo verum est generationem esse φύσιν, at falsum est generationem esse naturam, quamuis omnes hoc dicant, & id dictum pro vero recipiant. Ideo deridendi sunt illi, qui putant Aristotelem hîc dicere, quod Natura significat ipsam generationem. Aristoteles enim de Græco nomine loquitur, ipsi verò id transferunt ad ipsam rem, quod tamen falsum est, quia generatio non est Natura, sed Aristoteles vult dicere quod nomen φύσις, quod significat Græce Naturam, significat etiam generationem in alio significato, sed non quòd acceptum pro Natura complectatur sub se generationem, vt significatum Naturæ, hoc enim est falsum, sed est significatio nominis diuersa ab ea, qua sumitur illud nomen pro Natura, ideò in lingua nostra latina est falsum quod generatio sit natura, & quòd Natura significet generationē; sed in Græco tantum dicimus quod illud nomen, quod significat Naturam, significat etiam generationem in alio significato: Propterea male sentiebat Ioannes Grammaticus, & alij, qui dicebant Aristotelem in hac parte velle numerare significata huius vocis, Natura, & ea tria esse, materiam, formam, & generationem; generatio enim non est ponenda inter significata naturæ, idest eius Naturę, quam Aristoteles definiuit, sed conuenit ei in Græco idem nomen, quo etiam Natura appellatur, & de ipsa generatione Aristoteles hîc facit mentionem non propter ipsam, sed per accidens, & propter formam, vt per hoc probet formam esse naturam. Sciendum præterea pro intelligentia huius rationis Aristotelis quod (vt ipse in Textu dicit) omnes naturales mutationes denominantur a termino, ad quē tendunt, is enim est finis intentus a Natura, quia Natura agit propter finem ut Aristoteles in calce huius libri ostensurus est, vt calefactio a calore generando,

non

non a frigore, vnde motus fit, quia finis videtur præcipua causa motuum naturalium cum sit id, quod mouet agens ad agendum: idem videmus in artibus plurimis euenire, nam ædificatio dicitur ab ædibus construendis, dealbatio ab albedine gignenda, seu imponenda. Sunt tamen aliquæ Artes, in quibus non fiat nominatio a termino ad quem, seu a fine, sed a causa ipsa efficiente, vt medicatio, quæ non a sanitate nominatur, quæ finis est, sed a Medico agente; ideo Aristoteles in Textu distinguit has motiones artificiales a naturalibus, naturales enim semper nominantur a fine, non autem ut medicatio, quæ a Medico, non autem à fine nominatur: tunc Aristoteles ita argumentatur, φύσις accepta pro generatione uocatur φύσις a fine, quia est via in φύσιν acceptam pro Natura. Est enim uia ad assequendam rei naturam, quare cum clarum sit eandem esse nominationem ipsius uiæ, & finis uiæ, patet quod uia ipsa, ipsa mutatio a fine nominata est. Dicta enim est φύσις, quia uia est in φύσιν. Et præterea ratione id confirmatur, quoniam omnis transmutatio naturalis est ad aliquem terminum assequendum, & propter illum fit ut propter finem, non autem propter terminum, a quo discedit: ergo est nominanda a fine, & sic iure uocata est generatio φύσις, cum finem habeat φύσιν: sed finis generationis est forma ipsa acquirenda, ergo forma est Natura. Si enim generatio dicitur φύσις, quia est uia in φύσιν in aliud autem non tendit nisi in formam, ergo forma est Natura rei. Imò probatur hoc argumento, quod sola forma est natura, quia materia habet potius locum termini a quo modo quodam, quàm ad quem, supra enim vt materia priuata dicitur id, ex quo res fit, & non dicitur id, ad quod res tendit, in materiam enim non tendit mutatio, sed in formam, quare si res non habens suam naturam tendit ad eam, & ad solam formam tendit, patet quod sola forma est Natura, materia vero secundum se non est natura rei, sed est natura in potentia, quia habet in potentia formam illius rei. Hęc est sententia verborum Arist. verba autem ipsa clara sunt. Dicit Arist. [Amplius autem φύσις dicta vt generatio] (non dico Natura latinè, quia Natura apud nos nunquam dicitur pro generatione) significat his verbis Arist. hanc non esse significationem huius vocis, Natura, quam definiuit prius, sed quandam diuersam significationem ab ea, quam definiuit, quare non est verum quod hoc sit numerandum, vt tertium significatum Naturæ; nam sensus Aristotelis est, hoc nomen φύσις acceptum non pro Natura, sed pro generatione, videtur dictum ab ipso fine generationis, finis enim est φύσις accepta pro Natura, generatio enim est via ad adipiscendam talis rei naturam. [Non enim vt medicatio.] Separat Aristoteles quasdam mutationes artificiales, quæ nominantur, & dicuntur non a fine, sed a causa efficiente, & dicit [Non enim natura sic se habet ad naturam] idest φύσις, pro generatione ad φύσιν pro Natura, sicuti medicatio, quæ non dicitur, quia sit via in medicinam, idest, non nominatur sic a fine, finis enim est non medicina, sed sanitas, & dicitur sic a causa efficiente, non sic est de mutatione naturali, quæ dicitur semper a fine, interponit autem Aristoteles illa verba per parenthesim, (Necesse est enim a medicina non ad medicinam esse medicationem) cum a medicina arte ut ab agente medicatio fit, non potest terminus ad quem, adhuc esse medicina, sed est sanitas, quibus verbis significat Aristoteles, quòd ars est semper agens æquiuocum; aliud enim est genus accidentis forma ipsa artificialis, quæ ab Arte fit, aliud accidens est ipsa ars, quæ est habitus animi, sumendo ambo prout habent esse reale, nam non negarem in mente artificis esse ipsam formam artificialem in esse cognito, & spirituali, non in esse reali, quare forma artificialis fit semper a simili secundum esse cognitum, sed semper a dissimili secundum esse reale, quia aliud est ars, & aliud est forma facta ab arte, in

naturalibus autem actionibus fit etiam simile a simili secundum esse reale, ut cali dum a calido. Ideò Aristoteles dicit quòd medicatio non potest dici nominata a fine, quia cum sit a medicina, ad medicinam esse non potest, quare est solum no minata a causa efficiente, [sed quod nascitur ex quodam in quiddam venit] differentiam addit Aristoteles his verbis mutationum naturalium a medicatione, & rationē affert cur naturales mutationes nominentur a termino ad quem vadunt, & dicit τό φυόμενον, transit a quodam termino ad quendam, idest, habet hos duos terminos a quo, & ad quem, [ad quod igitur, horum duorum nascitur?] idest, uter duorum est finis, & scopus huius natiuitatis? quasi dicat, finis intentus est principālis causa, a qua debeat nominatio sumi, respondet, [non ad id, ex quo, sed ad id, quod] idest, non nascitur gratia termini a quo, sed gratia illius termini qui fit; & aduertendum quòd in Codice latino non rectè legitur, [sed ad quod] debemus enim legere [sed ad id, quod] sensus quidem non videtur diuersus, sed traductio non est recta, cum Græcè habeamus πρός τό ὅ. Aduertendum etiam quòd possumus etiam intelligere [id ex quo] non pro termino a quo, sed pro causa efficiente, & sensus erit valde ad propositum accommodatus propter ea, quæ de medicatione dicta sunt, quæ a causa efficiente denominatur, ut dictum est, sic enim sensus erit quòd res, quæ nascuntur, idest, a Natura fiunt, denominant mutationes a fine mutationis, non a causa efficiente; si verò intelligamus [id ex quo] idest, terminus a quo, excludetur materia a nomine Naturæ, quę omnibus modis etiam exponendo excluditur, ut dixi, quia non ad eam mutatio fit, sed ad formam. Præterea aduertendū est ꝙ illa uerba, [quatenus nascitur] leguntur a quibusdā, sic, [uel nascitur] quę differentia est etiam in Codice Gręco, ut Græci expositores dicunt, nā dictio illa ἧ legitur a quibusdam cū spiritu crasso, & accentu circumflexo, & tunc significat quatenus, a quibusdam autem cum tenui, & acuto, & tunc significat vel; in sensu tamen non multa est differentia, si.n. legamus [vel] sensus erit quod id, quod nascitur, ex quodam in quiddam venit, seu ex quodam in quiddam nascitur, quod idem est. In hoc Textu laborarunt multi in considerando, cur sit quòd mutationes naturales suscipiunt nominationem a fine, artificiales uerò non omnes a fine, vt de medicatione dictum est. Et loquuntur de hac re Simplicius, & Ioannes Grammaticus, & Auerroes; qui videntur in hoc ferè concurrere, quòd in naturalibus terminus ad quem vt plurimum est idem specie cum agente, calidum enim fit a calido, & vniuocum ab vniuoco, ideò mutatio potest nominari, vel ab vno, vel ab altero, & idem obtinebit nomen; calefactio enim cum dicatur, potest deriuari tum ab agente calido, tum a calido, ad quod mutatio fit; attribuitur tamen ipsi fini, sed negari non potest, quin possit etiam deriuari ab agente; in artibus verò cum mutatio non fiat ab uniuoco, & diuersæ speciei sint terminus ad quem & agens; ut iam diximus, nihil prohibet, quo minus duobus vocabulis illam mutationem nuncupemus, uidelicet, vel ab agente, vel a fine, prout volumus. Auerroes autem videtur causam referre in consuetudinem, & famositatem, dicit enim esse magis famosum ut medicatio dicatur ab agente, & quòd sit potius de genere eius, quod agit, quàm de genere eius, quod fieri debet; quasi concedat, quòd potest etiam appellari a fine, licèt non ita sit in vsu ista appellatio; & Græci etiam hoc manifestè dicunt, uidelicet, quòd medicatio ita potest ab agente nominari, ut etiam a fine, nam dicitur etiam sanatio, sicuti in omnibus artibus est, & in omni agente æquiuoco, vel enim possumus rem nominare ab agente uel a fine, sed ubi est agens uniuocum non possumus dubitare, quia mutatio unum habet nomen, quod vel agenti, vel fini attribui potest, quia est eiusdem naturæ. Sed ego puto hos interpretes

terpretes non attigisse hac in re veram rationem, deberent enim respicere argumentum Aristotelis in Textu, quod eis aduersatur. Aristoteels enim dicit, quòd mutationes naturales etiam nominantur a termino ad quem, quia eius gratia fiunt, ideò illæ habent rationem causæ finalis, quæ est causa causarum. Possumus ergo uti argumento Aristotelis, omne quod fit, seu fiat ab agente vniuoco, seu ab æquiuoco, seu fiat ab Arte, seu a Natura, non fit gratia agentis, sed gratia finis, ad quem tendit illa mutatio, ergo a fine nominatio est accipienda. Hæc fuit ratio Aristotelis, quam debuissent bene animaduertere, & reuera nos videmus, quòd etiam vbi agens est æquiuocum, fit appellatio mutationis a fine; Solis enim actio vocatur calefactio, quia calorem facit, in Sole autem nullus est calor, neque vlla alia est nominatio ab ipso Sole agente deriuata; quamuis enim nominum impositio sit ad placitum, & nos possimus omnem mutationem nominare quomodo volumus, tamen Aristoteles consuetudinem respexit, & dixit tantam esse efficaciam finis in omni mutatione, qui principem locum in ea obtinere uidetur, ut modo quodam nos cogat ad nominandam mutationem a fine, & hoc non magis in natura contingit, quàm in Arte. Non est ergo recta Interpretum consideratio de differentia agentis vniuoci, & æquiuoci, quia hæc nullum momentum facit, cum tota ratio sit sumenda a fine. Dicam ego quid hac in re inuenerim, credo, quòd ex differentia ipsorum finium hęc quoque differentia oriatur, ut aliqua non a fine nominentur, sed plurima tamen a fine, fines enim mutationum naturalium omnes sunt eiusmodi, ut natura assequatur uel semper, uel vt in plurimis finem illum intentum, ideò a fine nominatur mutatio, quia certi ferè sumus, quòd talis finis sequatur, raró enim patitur impedimentum. Idem quoque contingit plurimis artibus, quę cum proprios fines habeant, vt plurimùm eos assequuntur, & raró contingit, ut impedimentum suscipiant, ideò a fine nominantur, ut ædificatio, dealbatio; sunt tamen quædam artes, quarum finis adeò est dubius, & incertus, vt mutationes non possint a fine illo nominari, cum neque semper, neque ut plurimùm eo fine potiantur, & inde fit, ut a fine non possit nominari ea mutatio, huiusmodi est operatio Medici, de qua Aristoteles in Textu locutus est, nam pro fine habet sanitatem, quam tamen Medicus non est certus se assecuturum esse, qui sępè impeditur, multi enim homines moriuntur, ideò actio Medici non potest uocari sanatio, & in hoc Græci errauerunt, quis enim scit, quòd illa actio sit potius sanatio, quàm interfectio infirmi? Deus solus, hoc nouit, ideò a nomine agentis ea actio appellatur, quia est nomen anceps ad vtrunque euentum, medicatio enim tam ad salutem esse potest quàm ad interitum: huiusmodi etiam videtur esse Oratoris actio, quæ cum finem habeat persuadere, non tamen appellatur persuasio, quia incertum est an sit persuasurus, sed nomine communiori ad utrunque euentum, vocatur ab oratore oratio. Hoc autem in quibusdam solis artibus euenit, non in natura. Ideò Aristoteles dixit in Textu quòd mutationes naturales semper nominantur a fine, tales etiam dicimus esse quasdam mutationes artificiales, in quibus assecutio finis est, sicuti etiam in Natura, aut perpetua, aut frequentissima; loquens ergo Aristoteles de fine, supponit finem, qui vt plurimùm acquiratur, sicuti est semper in Natura, in Arte autem quandoque.

Textus Quintusdecimus.

Forma itaque natura est, sed forma, & natura dupliciter dicitur. Etenim priuatio forma quodam modo est. si autem est priuatio, & contrarium aliquod circa simplicem generationem, aut non est, posterius considerandum.

DEBERENT hæc uerba annecti Textui præcedenti, quia sunt conclusio argumēti facti in Textu 14. & Textu 15. ibi deberet incipere, (sed forma, & Natura dupliciter dicitur) in quo propositum Aristotelis est distinguere nomen formæ, quam ostendit esse naturam rei, in duo significata, quia dicet ptiuationem quoque esse quodam modo formam, & consequenter naturam. Potest diuidi Textus in tres partes, in quarum prima Aristoteles colligit illam conclusionem ex dictis, quod videlicet forma est Natura, & intelligit formam esse totam rei Naturam; quam sententiam legimus in tota hac parte apud Themistium, qui ita loquitur, ac probat solam formā, non materiam esse naturam. In secunda parte diuidit formam in duo significata, vt dictum est. In tertia respondet tacito cuidam dubio; quę dicuntur ab Aristotele in secunda parte, difficultatem non leuem habent, videlicet, quomodo Aristoteles diuidat formam in formam, & priuationem, & ipsam priuationem dicat esse formam, & Naturam. Themistius hic per priuationem intelligit formam aliquantum orbatam, & diminutam, qualis est in monstro, eam enim vocat priuationem, respectu eiusdem formæ, quando habet totum suum esse perfectum, hoc igitur modo sumendo priuationem clarum est eam esse formam, & naturam, sed formam non completam, & cum defectu, sicuti si homo nascatur monstruosus, neque ad plenum sit assecutus humanam formam, seu operationes omnes formæ humanæ, ista mostruositas vocatur priuatio respectu formæ humanæ completæ, & ipsa tamen est secundum se forma, & natura. Hęc Themistij expositio non est consona verbis Aristotelis, qui in tertia particula Textus dubium proponit, an priuatio dicat etiam verum contrarium formæ: quare loquitur hic de ea priuatione, quæ opponitur formæ, & quæ in generatione habet locum termini a quo, non autem de hac monstruositate, quæ non opponitur formæ, neque consideratur vt terminus a quo, sed est ipsa forma defectiua, & habet locum termini ad quem in generatione illius monstri. Præterea generatio monstri videtur esse per accidens in natura; id autem quod est per accidens non consideratur in scientia, ideò non debuit Aristoteles respicere monstruositatem, & eam redigere ad Naturam. Cum igitur exponendum sit de ea priuatione, quæ opponitur formæ, & est in generatione terminus a quo, adhuc variæ sunt huius loci expositiones. Simplicius enim quatuor modis exponit, Auerroes duobus, qui tamen continentur in quatuor illis Simplicij. Primo inquit Simplicius priuationem, quæ est in materia prima, dici ab Aristotele formam, quoniam est accidens materiæ, accidens autem respectu subiecti habet locum formæ, quia informat aliquo modo ipsum. Quæ prima expositio non est accipienda, quia cum Aristoteles tribuat simul priuationi, & nomen formæ, & nomen Naturæ, sequeretur priuationem esse naturam materiæ, quod absurdum est, materia enim non est habens naturam, sed natura. Et præterea natura de qua Aristoteles loquitur debet esse talis, qualis definita est, videlicet, principiū, & causa motus, in quo est primo &c.

Prẹterea natură de qua Arist. loquitur est principium motus, & est essentia rerum naturalium, quomodo ergo potest aliquod accidens sub natura cõprehendere cũ hæc de accidente dici non possint? Accidens potest quidem dici forma, sed Natura dici non potest, non est ergo quodammodo forma, idest, illa, quæ est Natura; imo nullo modo est forma eiusmodi, quam Aristoteles dixit esse quodquid, & speciem secundum rationem, idest, secundum definitionem, sub tali enim forma debet contineri priuatio. Præterea declarauit Aristoteles, quòd istud habens naturam, in quo natura est principium motus, est ipsum compositum corpus naturale, quare non potest esse materia. Esset præterea considerandum an per priuationem Simplicius intelligat illam uniuersalem absentiam formarum omnium, an illam particularem, quæ particulari formæ opponitur: Si primum dicat ea est negatio potius, & nihil est, nisi absentia pura, & nihil dicit positiuum, quare neque accidens materiæ dici potest, neque forma, neque natura, neque omnino ullius motus principium. Si secundum hæc priuatio corrumpitur in aduentu formæ, quare est ita accidens materiæ, ut sit ei accidentalis, & separabilis, quomodo ergo poterit vocari forma, & natura materiæ? Præterea materia ita ad hanc priuationem, se habet, ut ad formam oppositum, ergo cum forma non dicatur natura materiæ, pariter neque priuatio poterit appellari Natura materiæ. Hæc uidens Simplicius affert secundam expositionem & dicit, quòd Aristoteles per priuationem non intelligit puram absentiam formæ, sed in subiecto apto nato, idest, cum potentia adiuncta ad formam, hoc modo est accidens quoddam positiuum, & afficit, & disponit materiam, ideò dicitur forma eius, quia disponere est officium formæ. Neque hæc secunda expositio bona est, & contra eam valent multæ instantiæ iam allatæ contra primam. Nam materia non potest intelligi habens naturam; neque Aristoteles hic potest intelligere aliam naturam nisi eam, quæ est principium, & causa motus, cuiusmodi non est ipsa potentia materiæ. Præterea si intelligat per priuationem negationem illam uniuersalem omnium formarum, hæc nullam potentiam includit, sed est pura absentia, ut alias demonstrauimus. Si uerò intelligat priuationem, quæ est proprium oppositum huius formæ, hæc potentiam quidem includit ad formam, sed potentiam particularem, quæ in aduentu formæ corrumpitur, quomodo igitur hæc dicetur natura materiæ, si est separabilis a materia? Videtur autem secunda expositio, quam Auerroes affert, ad alteram harum duarum Simplicij reduci, nam Auerroes dicit Aristotelem intelligere priuationem, quæ est in prima materia, hæc enim non est priuatio simplex, sed est veluti forma materiæ, quæ verba videntur magis declinare ad secundam Simplicij expositionem quàm ad primam, cum enim dicat non esse puram absentiam, sed veluti formam materiæ, videtur significare potentiam illam, quæ priuationi adiuncta est. Sed illi, qui tenent formam illam corporeitatis, trahunt in suam sententiam hæc Auerrois verba, & hunc etiam Textum Aristotelis; dicunt enim hanc significari ab Aristotele nomine priuationis, ideò est forma quædam de prædicamento substantiæ ipsa priuatio, & Auerroes eam vocat quodam modo formam materiæ, quia est coeterna materiæ. Sed reuera hanc non potest Auerroes hic intelligere, cum alias eam confutauerit, vt ego ostendi in quęstione de prima materia, sed intelligit cum Simplicio, quod ista priuatio non est pura priuatio, sed est coniuncta cum potentia, quæ est accidens positiuum, sed neque Aristoteles hanc formam intelligere potest, vt nos in dicta quęstione ostendimus. Et propterea cum Aristoteles hic loquatur de priuatione, quæ est proprium oppositum vni signatæ formæ, vt significant eius verba in tertia parte Textus, uon potuit intelligere hanc formam corporeitatis, quia hæc non dicit pro-

prium

prium oppositum alicui formæ soli, sed omnibus indifferenter, sed nos alibi often dimus talem non esse eam priuationem, de qua Aristoteles in primo libro, vt de tertio principio locutus est, & de qua hic loquitur. Præterea isti formæ corporeitatis non conuenit dubium, quod postea Arist. proponit in tertia parte, videlicet, an sit contraria formæ, nec ne, quia forma generica cui dubium, quòd non potest esse contraria specificæ, cum potius sit in potentia ad eam. Sed omittatur hęc opinio vt falsa, & a nobis aliás satis superque confutata. Tertia Simplicij expositio, quæ est prima Auerrois est, quod Aristoteles per priuationem intellexit alterum contrarium, quod deterius, & imperfectius est, sicuti nigredo respectu albedinis habet rationem priuationis, quia est imperfectior, ita frigus respectu caloris. Sed neque ista est conueniens expositio, nam sequeretur Aristotelem de nulla alia priuatione loqui, quàm de ea, quæ est in accidentibus. Consequentia clara est, quia in substantia non est contrarietas, sed consequens est falsum, quia ipse loquitur de ea priuatione, de qua in primo libro locutus est, quæ etiã in substantia accipitur; imò principaliter. Verba quoque Arist. in hoc Textu indicãt ipsum accipere priuationẽ communiter etiam ad substantiam, nam in tertia parte subdit dubium esse adhuc, an in generatione simplici priuatio dicat contrarium aliquod ipsi formæ, generatio autem simplex est generatio in substantia, ut omnes exponunt. Præterea si priuatio solum in accidentibus intelligatur, quomodo dicetur ab Aristotele natura? non enim erit principium motus. Secundò principaliter insto contra hanc expositionem, Aristoteles intelligit eam priuationem, quam ponunt esse principium rerum naturalium, veluti terminum a quo generationis, ut patet cum dicit dubium esse, an dicat aliquod contrarium formæ: sed sicuti ex nigro fit album, ita ex albo nigrum: ergo si illud intelligitur priuatio, quod est terminus a quo generationis, non magis nigredo erit priuatio respectu albedinis, quàm albedo respectu nigredinis. Quarta Simplicij expositio optima est, & est conformis eis, quæ ego de priuatione dixi in quæstione de materia prima, dixi enim priuationem illam, quam Aristoteles inter principia numerauit, & quæ est certum oppositum certæ formæ, non posse intelligi puram absentiam formæ; sic enim neque potest constituere determinatum oppositum illi formæ, neque potest determinare in materia potentiam particularem ad illam formam, sed dixi esse intelligendum quòd priuatio, quæ opponitur cuique determinatæ formæ, est coniuncta cũ aliqua alia forma de prædicamento substantię, quæ dicitur terminus a quo generationis, & respectu formæ venturę dicitur priuatio, sicuti priuatio formæ humanæ, quę est proprium principium ex quo homo fit, non est quælibet absentia formæ humanę, sed illa sola, quę est cum forma seminis, ideò ex semine, non ex lapide fit; Inde est quòd forma seminis dicitur priuatio respectu formæ hominis, quia habet annexam necessario priuationem illius, & constituit etiam potentiam proximam ad formam hominis, ideò forma seminis est priuatio, & e conuerso priuatio est forma de prædicamento substantiæ, vtrumque enim dictum verum est, nõ quidem formaliter, sed concomitanter, vt alibi in quæstione de materia vberiùs exposuimus. Aristoteles igitur, ut Simplicius vult, intelligit priuationem esse formam, quia semper est: Ita coniuncta cum determinata forma substantiali, uo non cum alia, si debeat esse proprium oppositum formæ venturæ; Aristoteles autem recte addit [quodammodo] priuatio enim formaliter accepta non potest dici forma, neque natura, vt nos superius ostendimus contra primam, & secundam Simplicij expositionem, sed est forma concomitanter, quia cum certa forma est coniuncta, ideò sicuti est forma, est natura, quia sola forma est propriè natura, priuatio igitur quodammodo est forma, & consequenter etiam natura. Stante hac


hac expositione facilis etiam erit expositio tertiæ particulæ Textus, quę alioquin difficilis est, dicit Aristoteles, [Si autem est priuatio, & contrarium &c.] Dubitationem quandam proponit, quam tamen dicit posterius esse soluendam, non hic. Et dubitatio oritur ex dictis in secunda parte, cum enim dixerit quòd priuatio est forma, quia dicit formam aliquam certam positiuam cui adiuncta est, verum est, quod in transmutatione accidentali ista forma, quæ est coniuncta priuationi, est verè contraria formæ venturæ, nam priuatio caloris stans coniuncta cum frigiditate dicit frigiditatem, vt vnum contrarium caloris, quare illa priuatio dicit duas oppositiones respectu formæ caloris priuatiuam, & contrariam: opponitur priuatiuè calori ratione sui, idest, quatenus priuatio; opponitur etiam calori contrariè ratione formæ concomitantis, idest, frigiditatis. Sed in transmutatione substantiali dubium est, cum enim priuatio formæ hominis habeat connexam formam aliam positiuam, videlicet formam seminis, dubium est an forma seminis sit verè contraria formę hominis. Videretur enim quòd sic, quia in accidentibus hoc idem videmus, sed videtur quòd non, quia in substantia non est contrarietas, ideò Aristoteles dicit dubium esse an in generatione simplici, idest, substantiali, ipsa priuatio, præter id, quod dicit oppositum priuatiuè formæ venturæ, dicat etiam quoddam contrarium illi formæ, & hoc dubium dicit posterius esse considerandum, & intelligit, (vt vult Auerroes) in libris de generatione. Simplicius volens hanc dubitationem dissoluere longam digressionem facit, dubitans quomodo in substantia possit esse contrarietas, sed quia nihil dicit quod veritatem declaret, omitto ea, quæ ab ipso dicuntur, & dico sicuti etiam dixi in quæstione de prima materia, quòd forma de prædicamento substantiæ non est verè contraria alteri formæ, ut forma seminis formæ hominis, sed habent aliquam similitudinem contrariorum; contrariorum enim conditio est vt sint naturaliter inimica, & se mutuò pellant ab eodem subiecto; & hę duæ formæ non se mutuò pellunt, sed similes sunt contrarijs in hoc, quòd cum sint inter se incompatibiles, vna etiam alteram pellit ab eodem subiecto, videlicet, forma hominis pellit formam seminis, tamen non pellitur ab ea, ideò forma seminis non videtur ratione sui opposita formæ hominis; sed quia habet coniunctam priuationem formæ hominis cum potentia proxima, & immediata ad eam, unde cum sint incompatibiles illa adueniente hæc pellitur, qui videtur esse effectus contrarietatis. Notandum autem est circa verba Philosophi in hac tertia parte Textus, quod a multis male intelliguntur: intelligunt enim dubium Aristotelis tale, an in generatione substantiali sit priuatio, & contrarium, posterius considerandum est, quòd si Aristoteles diceret, sibi contradiceret. In primo enim libro determinauit vniuersaliter quòd in omni generatione adest priuatio opposita formæ, & hoc etiam particulariter determinauit in generatione substantiali, quomodo ergo hic potest in dubium reuocare, an in generatione substantiali interueniat priuatio? Alius ergo est sensus, ut in verbis Græcis patet; dictio enim illa, priuatio, stat ex parte subiecti, contrarium verò ex parte prædicati, non autem utrunque ex parte prædicati, ut multi male existimant. Græci enim solent subiecto propositionis ponere articulum, predicato verò minimè, vt hic dictio illa (priuatio) habet articulum, illa vero (contrarium) non habet articulum, quare sensus est, an vero priuatio sit etiam contrarium formæ in generatione substantiali, posterius dicemus. Quare dubium cadit circa contrarium, non circa priuationem: subiectum enim propositionis supponitur, & prædicatur contrarium. Notandum est tandem in hoc Textu artificium magnum Aristotelis, qui declarans quid sit, & quæ nam sit natura in rebus naturalibus, voluit ad ea reducere omnia illa tria

princi-

principia, quæ tractauit in primo libro, vt principia generationis, cum enim natura cuiusque rei vna sit, non plures, determinauit eam esse formam solam, hac enim acquisita dicitur res esse adepta totam suam naturam: materiam verò & priuationem ostendit participare nomen Naturæ, non quidem per se acceptas, sed per reductionem ad formam, & merito formæ; materia enim est natura rei, quatenus est in potentia illud, quod forma in actu; priuatio verò est Natura, quatenus est quodammodo forma quædam, quia semper est determinatæ formæ coniuncta, & sic illa priuatio, quæ in primo libro considerata a Philosopho, ut opposita formæ, & principium generationis: erat terminus a quo generationis: hic in secundo libro cum amplius non consideretur vt principium generationis, quia versamur in contemplatione corporis naturalis iam constituti, consideratur etiam ipsa vt aliquo modo natura, & confunditur cum forma. Possumus hic manifeste videre, ꝙ licet principium totius naturalis Philosophiæ sit reuera hic secundus Liber Physic. non primus, attamen Aristoteles propter faciliorem doctrinam coactus fuit anteponere primum librum, quia tractatio de Natura postulabat vt prius hæc tria principia cognouissemus, materiam, formam, & priuationem.

Textus Sextusdecimus.

Quoniam autem determinatum est quot modis natura dicitur; post hoc speculandum est, quo differt Mathematicus a Physico, etenim plana, & solida habent Physica corpora, & longitudines, & puncta, de quibus considerat Mathematicus.



ARISTOTELES ipse intentionem suam proponit dicens, se loqui velle de differentia inter naturalem, & Mathematicum; sed vt continuatio melius cognoscatur, Pendasius hic duo dubia proponit, Alterum quod etiam ab Auerroe in Commentario tangi videtur, non enim videtur ad naturalem spectare hanc differentiam constituere inter se, & Mathematicum, vel alias scientias, sed id est officium artificis communis. Alterum dubium est, cur Aristoteles hoc in loco hanc differentiam tractare voluerit, non ante, neque post? Ad primũ Auerroes respondet quod docere differentiam inter diuersas scientias est reuera officium logici. Sed quia mos est, vt in logica non tractentur nisi communia omnibus Artibus: quæ autem sunt cuique propria, remittuntur ad singulas artes considerandа; vt etiam notauit Ipse Auerroes in procemio magno primi Posteriorum. Ideo Aristoteles in hac scientia tractare voluit hanc differentiam inter naturalem, & mathematicum, non in Logica. Hæc responsio non est admittenda, quia seipsam destruit: differentiam enim considerare inter duas scientias non est nisi per proprias cuiusque scientiæ conditiones, proprias autem conditiones scientiæ cuiusque non cognoscit Logicus: ergo nullo modo est officium logici docere differentiam inter scientias, sed solum conuenientiam omnium cognoscere potest. Pendasius dicit esse munus Metaphysici, & rectè dicit. Nam Metaphysicus est artifex communis, qui amplectitur omne ens: aliæ scientiæ capiunt partem eius, ut patet in principio quarti, & sexti Metaphysicorum, ideò Metaphysicus declarat differentiam inter scientias particulares. Ad dubium autem dicit, quod scientiæ sibi mutuo inseruiunt, ideo licet hoc sit munus Metaphysici; tamen Aristoteles

ſtoteles propter maiorem commoditatem voluit hanc differentiam conſiderare in ſcientia naturali. Sed neque hæc reſponſio uidetur ſatisfacere: probo enim quòd differentiam hanc aſſignare, quam Philoſophus mox aſſignabit inter naturalem & Mathematicum, non eſt alterius munus, quàm Phyſici, Illud, quod oſtenditur ex principijs proprijs ſcientiæ naturalis, eſt de conſideratione propria ipſius naturalis: ſed hæc differentia aſſignabitur ab Ariſtotele ex proprijs tantùm huius ſcientiæ principijs: ergo eſt conſideratio naturalis, non Metaphyſica; Maior patet per Ariſtotelem primo Poſteriorum, vbi vult demonſtrationem debere nominari a medio, ideò quod per medium proprium naturale demõſtratur, eſt res naturalis; Minor patet, quoniam Ariſtoteles non alia ratione demonſtrabit hanc differentiam quàm ex definitione Naturæ, quæ eſt proprium principium ſcientię naturalis. Præterea Metaphyſicus conſiderat differentiam inter duas ſcientias uniuerſaliter, ideſt totius a tota, declarans vniuerſaliter diuerſa utriuſque ſubiecta; ſed hęc differentia hic ab Ariſtotele conſideranda erit particularis, quia non ratione totius conſiderationis Mathematicę, & totius naturalis, ſed ratione ſolùm quarundam rerum, quæ videntur conſiderari ab utroque Artifice. Reuera enim Ariſtoteles non intendit hic differentiam docere inter has duas ſcientias, ſed ſolùm dubia quædam particularia ſoluere, quę oſtendere uidentur has ſcientias non differre, ſoluet autem hæc dubia per ſolas conditiones ſcientiæ naturalis, quas de ſciẽtia naturali affirmat, & de Mathematica negat, quare non ſe extendit ad proprias conditiones Mathematicæ, ſed ſolùm conſiderat negationem illarũ conditionũ, quæ conueniunt naturali, quare ex principijs naturalibus hæc dubia ſoluit. Sed neque inconueniens eſſet ſi ſupponat aliquam cognitionem haberi ſcientiarũ Mathematicarum, quia ijs temporibus addiſcebantur ante ſcientiam naturalem, cum qua videbantur confundi. Verba quoque Ariſt. hic oſtendunt ſe ut naturalem, non ut Metaphyſicum hanc differentiam conſiderare cum dicat, [poſt hoc ſpeculandũ eſt] indicat. n. hoc eſſe faciendum a Philoſopho naturali, quando enim in primo libro voluit diſputare contra Parmenidem, & Meliſſum ſe excuſauit, quòd ea diſputatio ad naturalem non pertineret, & profeſſus eſt expreſsè ſe id facturum ut Metaphyſicum, quod hic non dicit. Ad alterum dubium reſpondet Pendaſius ꝙ nullo alio in loco potuit hęc differentia conſiderari quàm hic, quæ enim dicuntur in primo libro non indiguerunt cognitione huius differentię, ſimiliter tota tractatio de Natura potuit cognoſci ſine cognitione huius differentiæ, ſed quę mox tractanda manent, non poſſunt intelligi, niſi hęc differentia cognoſcatur. Nam pręcipua intentio Ariſt. eſt docere in hoc ſecundo libro quomodo effectus naturales reſoluantur in ſuas cauſas, in quem ſcopum ordinatur etiã tractatio habita de natura, ſed non poteramus intelligere quomodo naturalis deberet reſoluere effectus naturales in ſuas cauſas, niſi prius cognouiſſemus proprium modũ conſiderandi ipſius Philoſophi naturalis, quem Ariſt. hic declarabit in conſideranda differentia inter naturalem & Mathematicum, quare hæc differentia neque prius, neque poſterius tractari poterat. Sed mihi videtur hic doctiſſimus vir valde remotus ab Ariſt. artificio. Peccat. n. primo quòd dicit, tractatum de Natura ordinari in illum, in quo oſtenditur modus reſoluendi effectus naturales in ſuas cauſas, ſicuti in principio libri oſtendimus; in hac autem parte peccat, quia non animaduertit, quòd Ariſtoteles docuit proprium modum conſiderandi Philoſophi naturalis in tractatu de Natura, non hic docet, imo ex proprio modo conſiderandi Philoſophi naturalis prius declarato, Ariſtoteles hanc differentiam aſſignabit inter naturalem, & Mathematicum, quare ſi verum eſt quod ipſe Pendaſius dicit nos non potuiſſe cognoſcere quomodo effectus naturales reſoluantur in ſuas cauſas, niſi cognito

F modo

modo considerandi naturalis, sufficiebat tractatio de natura ad declarandum hunc modum considerandi; ipsa enim natura definita ab Aristotele, fuit ipse con siderandi modus, & ratio formalis subiecti scientiæ naturalis, quare erat necessaria ipsa cognitio differentiæ inter Mathematicum, & naturalem pro cognitione illius resolutionis in causas. Ratio igitur adhuc non apparet, cur hic tractatus hoc in loco sit positus.


Dicamus nos non recedentes a principijs, & fundamentis iactis in principio huius libri secundi, q sicuti res a re differt per suam propriam formam, ita scientię inter se distinguuntur per subiectum suum formale, cum possint conuenire in subiecto materiali. Cum igitur Arist. hactenus docuerit nos quid sit Natura, quæ est ratio formalis subiecti scientiæ naturalis, nunc vult per hanc subiecti proprij cognitionem soluere dubia, quę uidebantur confundere hanc scientiam cum Mathe maticis, munus enim bonæ definitionis est soluere dubia, quæ in re contingunt, vt dicit Arist. 4. Physic. 31. & officium est formæ ostendere discrimen eius rei ab alijs. Cum igitur cognita fuerit ratio formalis subiecti scientiæ naturalis; Aristot. statim uult ostendere quòd per hunc distinguitur naturalis a Mathematico, cum quo videbatur conuenire; esset autem munus Metaphysici considerare vtriusque scientiæ propria subiecta, & totius a tota differentiam docere, quod Aristoteles hic non facit, nihil enim de Mathematicis dicit, nisi negando eam rationem formalem, quæ est propria naturalis, quare hac sola pro medio utitur, & ita est consideratio naturalis. Possumus diuidere Textum decimumsextum in duas partes. In prima proponit Aristoteles intentionem, & continuationem huius partis. In secunda incipit exequi, & ponere dubia, quę videntur testari non differre Mathematicum a Physico, & duo sunt; vnum in hoc Textu ponitur; alterum in sequenti. Circa primam partem duo consideranda sunt. Primum cum Ari stoteles continuationem ponit dicens, [Postquam determinatum est quot modis Natura dicitur;] Alterum cum intentionem sequentis partis affert dicens, [Post hoc speculandum est, quo differt Mathematicus a Physico.] Quod ad primum attinet dicit Aristoteles se dixisse quot modis Natura dicitur. Hi modi secũ dum Simplicium sunt quinque, ut apud ipsum legere possumus, quos cum apud Aristotelem non vidimus, quamuis ponantur in quinto Metaphysicorum in cap. de Natura, hic tamen positi non sunt. Ideò Simplicij sententia reijcienda est. Alij dicunt fuisse tres significationes Naturæ positas ab Aristotele. Dixit enim Naturam sumi, & pro materia, & pro forma, & pro generatione. Hanc quoque sententiam in præcedentibus reiecimus, & ostendimus nunquam Aristotelem di xisse quòd natura pro generatione sumatur, sed duo tantùm attulisse significata Naturæ, videlicet, materiam, & formam, vult autem significare Aristoteles, quòd postquam explicauit tractatum de Natura vult considerare differentiam inter Mathematicum, & naturalem; tractatum autem de Natura continuit duas partes; vnam, in qua declaratum fuit quid sit natura; alteram, in qua considerauit, quot modis Natura dicatur, & quænam magis dicatur Natura. Hic autem Aristoteles nominat solùm posteriorem tractatum, quia proximus est. Continuatio tamen est, (vt innuit Auerroes) cum toto tractatu de Natura, post quem conueniens fuit soluere dubia, quæ videbantur confundere naturalem cum Mathematico, cum autem dicit Aristoteles [quo differt Mathematicus a Physico] quæritur quid intelligat per Mathematicum. Simplicius dicit quòd licet nomen Mathematici sit commune Geometræ, Arithmetico, Musico, & Astrologo, tamen Aristoteles propriè accipit Mathematicum pro Geometra, quia statim subiungit dubium pertinens ad solum Geometram. Sed mihi videtur melius

vt

vt Aristoteles intelligat Mathematicum in communi, vt capiat etiam Astrologum, quia in sequente affert alterum dubium pertinens ad Astrologum. hic igitur intelligit differentiam Physici a Mathematico habita ratione vtriusque dubitationis; quare accipit in communi etiam Astrologum, quod etiam patet in Textu 18. vbi Aristoteles simul soluens vtranque dubitationem accipit Mathematicum in communi ad vtrunque vt ibi videbimus. Est etiam in his verbis notandum, quod Aristoteles non proponit vniuersaliter se declaraturum differentiam naturalis scientiæ a Mathematica, videlicet, vt dicat quo tota differt a tota; id enim est munus Metaphysici, vt superius diximus, sed intelligit differentiam inter eos particularem ratione quarundam rerum, quæ ab vtrisque videntur considerari, ut in sequentibus duobus dubijs dicetur, quare differentia hæc, quæ proponitur, est referenda ad sequentia duo dubia solùm, non ad scientiam totam, hoc significat particula illa, [etenim] reddit enim rationem, cur sit consideranda hæc differentia. Ratio autem est, quia videtur has duas scientias in quibusdam rebus consideratis conuenire, ratio igitur cur hæc differentia consideretur est, quia adsunt duo dubia in contrarium, quæ soluere oportet. Primum autem dubium tale est; quæ considerant easdem res, sunt vna, & eadem scientia, sed scientia naturalis, & Geometria considerant easdem res, ergo sunt vna & eadem scientia. Maior clara est, quia scientiæ vnitas pendet ab vnitate subiecti. Minor probatur ab Aristotele in Textu quia corpora naturalia habent lineas, superficies, & puncta, & solida. Videlicèt, tres simul dimensiones, quare necesse est vt Philosophus naturalis hæc omnia accidentia consideret, quia considerans subiectum debet considerare accidentia omnia, quæ sunt in eo, & hæc considerantur etiam a Geometra, ergo conueniunt in re considerata. Patet autem, quod dubium hoc non extenditur ad omnia considerata a Philosopho naturali, sed ad aliqua solũ: non enim dubitamus de materia prima, de forma, de tempore, de animalibus, & de alijs multis, quia certum est hæc non considerari a Mathematico, sed dubitamus solum de quibusdam, in quibus hæ duæ scientiæ conuenire videntur, quare videntur saltem in ea parte non differre inter se, & hoc modo altera duarum erit superflua. Hoc est primum dubium pertinens ad Geometram, concludere enim videtur quod Geometria sit pars scientiæ naturalis.

Textus Decimus Septimus.

Amplius autem si Astrologia alia est an pars Physicæ. Si enim Physici est, quid sit Sol, aut Luna scire, accidentium autem per se nullum inconueniens est, & præsertim cum videantur dicere quæ circa naturam versantur, & de figura Solis, & Lunæ, & vtrum Sphærica sit terra, & Mundus, an non.



PONIT alterum dubium pertinens ad Astrologiam, videtur enim similiter quod res consideratę ab Astrologo considerentur etiam a naturali, & ita Astrologia sit pars scientiæ naturalis. Astrologus enim considerat easdem res, quas considerat naturalis, videlicet, Solem, & Lunam, & cœlestia corpora, quare faciendo alterum similem Syllogismum ei, quem in altero dubio formauimus, concludimus Astrolo-

giam non differre a scientia naturali. Ad hoc dubium supponit Aristoteles responsionem dari, & eam adhuc impugnat, ut dubitatio magis confirmetur; respondere enim aliquis poterat, quod naturalis, & Astrologus considerant Solem, & Lunam diuersimodè, naturalis enim cognoscit essentias eorum, & quid sint, Astrologus autem cōsiderat proprietates, & passiones ipsarum. Contra hanc responsionem instat Aristoteles dupliciter. Primò ratione dicens inconueniens esse quòd naturalis considerat essentiam rerum cœlestium, nullam tamen passionem eius cognoscat; & potest ratio ita formari. Cognoscens naturam, ac essentiam rei, cognoscit etiam accidentia propria, quæ eam naturam insequuntur, at naturalis cognoscit naturam corporum cœlestium, ergo eorum quoque accidentia contemplatur, & sic dubium viget quod eadem accidentia corporum cœlestium considerantur a naturali, & ab Astrologo, quare vel sunt scientia vna, vel altera est pars alterius. Maiorem sumit Aristotelem vt per se notam; vel saltem declaratam in primo Posteriorum, vbi docuit quod omnia, quæ eiusdem generis sunt & ab eadem radice profluunt, sunt etiam eiusdem considerationis, quare tam natura rei, quàm accidentia, quæ eam naturam consequuntur, debent in eadem scientia considerari, eiusdem enim naturæ sunt, & congenea: quòd si considerarentur in alia scientia, oporteret etiam in illa considerari causam a qua deriuantur, & sic ratio formalis scientiæ vnius communicaretur alteri scientiæ. Minorem autem sumit ex ipsa responsione adducta. In ea enim dicebatur, quod Physicus considerat Naturam cœlestium corporum, quod Aristoteles non negat; imò hoc vt fundamentum sumit ad probandum quòd debet considerare etiam accidentia, quæ naturam ipsam consequuntur. Confirmat Aristoteles testimonio antiquorum Philosophorum naturalium, tractantes enim de natura rerum, considerant etiam figuram Solis, & Lunæ, & terræ, & Mundi vniuersi, quare tractant etiam de accidentibus cœlestium corporum, nec solam eorum naturam contemplantur, & ita dubitatio integra manet. Simplicius, & Ioannes Grammaticus considerantes maiorem illam Aristotelis, qui considerat quid sit, debet etiam considerare eius proprietates, huius rationem afferre voluerunt. Dicit Simplicius quòd ratio est, quia cognoscens quid res sit, si ignoraret proprietates, ignoraret proprias differentias rei, & sic nesciret distinguere rem ab alijs, sed omnia confunderet, & putaret esse vnius naturæ etiam contraria ipsa. Ioannes autem Grammaticus addit etiam hoc illud quòd si naturalis cognosceret quid sit Sol, proprietates autem eius ignoraret, tunc eius consideratio esset de corpore Mathematico. Sed neutra consideratio mihi videtur esse conueniens. Non prior Simplicij, quia qui cognoscit quid sit aliqua res, non potest ignorare proprias differentias, cum definitio ex differentijs constituatur, ideò non est verum quod hic non distingueret illam rem ab alijs, imò per definitionem posset optimè distinguere definitum ab alijs rebus, nam definitio vocatur terminus, quia rem distinguit ab alijs, veluti terminus agrorum. Non etiam altera Ioannis Grammatici, quia aduersatur directè sensui Aristotelis, qui vult accidentia esse communia naturali, & Mathematico, ipsam verò naturam, & quidditatem a solo naturali cognosci, quare si accidentia non considerentur, sed solā substantia, & eius quidditas, nihil mathematicū remanebit, imò id remanebit, per quod distinguitur Physicus a Mathemat. falsum est igitur ꝙ remaneat corpus Mathematicū Ioannes ergo significat ꝙ cognoscendo proprietates istas, cognosceretur distinctio Physici a Mathematico: cognoscendo autē Naturam, & essentiā Solis sine proprietatibus, cognosceretur Sol vt corpus Mathematicū. Attamen Arist. vult oppositū vtriusque: nā hæc accidentia vult esse cōia vtrique nec distingui Physicū a Mathematico per illa. Substantiā verò, &

rò, & quidditatem esse propriã Physici per quã distinguitur a Mathematico. Ratio ergo afferenda est, quam nos superius attulimus. Videlicet, q cognoscens Naturam rei debet etiã accidentia, quæ eam essentialiter consequuntur, cognoscere, quia congenea sunt, & cognitio essentiæ est principium in scientia, ex quo inuestigantur accidentia propria, imò nullus alius est scientię labor, quàm ex quidditate subiecti venire in cognitionem accidentium eius per se.

Textus Decimusoctauus.

De his igitur negociatur, & Mathematicus, sed non quatenus physici corporis terminus est vnumquodque, neque accidentia speculatur, quatenus talibus existentibus accidunt, quapropter abstrahit, abstracta enim sunt intellectu a motu; & nihil refert; neque fit mendacium abstrahentium.

IN hoc Textu Aristoteles una, ac eadem solutione ad vtrumque dubium respondet, & sensus solutionis est, quod uerum est supradictas res, quæ considerantur a Philosopho naturali considerari etiam a Mathematico, idest, ab Astrologo, & a Geometra, alio tamen considerando modo, quia a naturali considerantur prout sunt termini corporum naturalium, & passiones corporum naturalium; at Geometra non considerat lineas, & superficies, & solida prout sunt termini corporum naturalium, neque Astrologus considerat figuram, & accidentia corporum cœlestium; quatenus sunt accidentia corporum naturalium. Sed tam Geometra quam Astrologus considerat hæc omnia ut abstracta per intellectum a motu, cum naturalis omnia consideret cum motu, neque propter ea Mathematicus dicitur mendax quod res, quę semper cum motu sunt coniunctę, abstrahat per intellectũ a motu, quoniam abstrahendo nihil falsum dicitur, neque fit mendacium. Pro horum omnium plena intelligentia declarandum primo nobis est, quid sit abstrahere, & quot modis fiat, & quomodo abstrahendo dicimus mendacium, & quomodo non dicimus: deinde applicabimus hęc omnia Mathematicis, ut uideamus quomodo in eis fiat abstractio, pręsertim quomodo Astrologus abstrahat a motu, ut Aristoteles in Textu ait; hoc enim primo aspectu durum intellectu, & falsum uidetur. Abstrahere igitur nihil aliud est, quã unum apprehendere sine alio, cũ quo sit coniunctum realiter, & quia hoc propriè conuenit potentijs animæ cognoscitiuis; quarum multi sunt gradus, ideò multi quoque oriuntur gradus abstractionis: alius enim conuenit exterioribus sensibus, alius interioribus, alius etiam intellectui, qui omnes declarantur a Zimara in Theorematibus suis, octauo, octuagesimo primo, & nonagesimonono, & eos sumit ab Auicenna, & ab Alberto, vt ipse ibi testatur, sed quoniam eos considerare conuenit potius ijs, qui versantur in libris de anima, & ad pręsens negotium nihil momenti afferunt, ideò eos missos faciam, & loquar de abstractione per intellectum facta, de qua hic Aristoteles loquitur: omnia enim proposita uolo breuitate perstringere, cum pręsertim multa de his possint legi apud Zimaram in Theorematibus suis octauo, octuagesimoprimo, & Nonagesimonono, quę omnia ad declarationem huius loci pertinent. Dico igitur quod cum abstrahere sit unum apprehendere sine alio, cum quo

sit coniunctum, duo oriuntur modi abstractionis, una dicitur abstractio positiua, quę ad existentiam rei pertinet. Altera priuatiua, quę ad essentiam solùm: qui positiuè abstrahit semper dicit falsum, & mentitur; qui verò priuatiuè quandoque mentitur, quandoque non mentitur; quæ omnia declaro exemplis. Adest pomum album, possum abstrahere positiuè pomum ab albedine per intellectum, & imaginari pomum non esse album, hæc abstractio pertinet ad existentiam rei, quia ita pono pomum existere sine albedine, ideò cum oppositum concipiam eius, quod est extra animam, mendacium dico. Ita qui imaginatur Coruum non esse nigrum, falsum imaginatur, quia positiuè abstrahit: & si concipiat substantiam pomi non considerata albedine abstrahit priuatiuè, & nullum mendacium dicit, non enim ponit albedinem in pomo, neque non ponit, sed ea non considerata solam pomi substantiam contemplatur, quod optimè sine ullo mendacio facere potest: si verò Corui substantiam considerem non considerata animalis natura, quæ in Coruo est, est quidem abstractio priuatiua, sed falsa, vel saltem vana, quę non admittitur. Huius autem differentię ratio est, quoniã abstractio hęc priuatiua nõ considerat existentiam, sed essentiam solam rei, si enim existentia consideraretur non posset abstrahi Coruus a nigredine, cum qua perpetuò existit, sed cum prętermissa existentia consideretur sola essentia, contingere potest ut res, quę abstrahitur ab altera, pendeat ab ea essentialiter: contingere etiam potest, vt ab ea essentialiter non pendeat; quando igitur res pendet ab altera re secundùm essentiam, nõ potest ullo modo ab ea per intellectum separari, neque positiuè neque priuatiuè, ut hominis naturam non possum abstrahere intellectu ab animali: si enim positiuè abstraham, & dicam hominem nõ esse animal, mendatium dico: si etiam priuatiuè abstraham, & hominis naturam contempler non considerata natura animalis similiter, vel falsa est consideratio, vel vana, & Dialetica, sicut eam vocat Aristot. in procemio primi libri de Anima, vbi sermonem faciens de definitione formarum, & passionum naturalium dicit quod vanę sunt & Dialecticę definitiones, si a sensibili materia abstrahuntur, cum enim omnes formæ naturales, & accidentia naturalia pendeant essentialiter a tali materia non debent ab ea per intellectum ullo modo separari, propterea uulgata est in Scholis Philosophorum propositio illa ex Aristotele desumpta in prædicamentis & in Quinto Metaphysicorum, posterius natura non potest abstrahi a suo priori, quam Zimara in Theoremate octauo dicit esse limitandam, & intelligendam de illo priori, quod sit de essentia, & quidditate posterioris, tunc enim posterius non potest ullo modo abstrahi a priori per intellectum; quod si duæ res secundum essentiam sint coniunctæ, sed essentia unius ab altera non pendeat, tunc potest una abstrahi priuatiuè ab alia sine ullo mendacio, & de hac abstractione Aristoteles hic loquitur, simul enim sunt Coruus, & nigredo, tamen per intellectum possum contemplari, & naturam Corui sine consideratione nigredinis, & naturam nigredinis sine consideratione Corui, quia sine Coruo potest in alijs rebus esse nigredo. Hæc de abstractione dicta sufficiunt: modò ea ad res Mathematicas accommodemus. Mathematicus, ut Geometra, de quo in pręsentia loquimur, considerat qualitates, ut lineas, superficies, & solida, quę quod pendeant a substantia secundum existentiam, manifestum est, nullum enim accidens sine substantia existere potest sed secundum essentiam dubium est. Aliqui enim sunt, qui putant, inhęrentiam esse de essentia accidentis, ideò dicunt Mathematicum non posse abstrahere quantitates a substantia modo ullo, sed a qualitatibus, quia quantitas est qualitate prior secundum Naturam. Propterea notant Aristotelem hic dicere quòd Mathematicus abstrahit a motu, non enim a substantia ipsa, sed a qualitatibus alijs-

que

que accidentibus posterioribus separet quantitates, cuius sententiæ sunt hic D.Thomas, & Egidius. Alij uerò dicunt inhærentiam non esse de essentia accidentis, ideo quantitates abstrahi in Mathematicis, & a qualitatibus, & ab omni substantia: quod videtur patere in Mathematicis definitionibus, in quibus nulla appareat substantia. Sed difficultas est nimis a proposito aliena, & transcendit limites naturales. pertinet enim ad septimum Metaphys. propterea satis est si pro presenti occasione dicamus quòd accidētia Mathematica sunt abstracta a sensibili materia, & ab omni corpore naturali, quia secundum essentiam non pendent ab aliquo sensibili corpore; naturalia autem corpora omnia sunt sensibilia, imò etiam ipsum naturale corpus qua naturale est communiter sumptum dicitur esse sensibile non minus, quàm homo, & equus, naturale enim importat sensibilitatem, quatenus tale est. Si igitur concedamus quòd quantitates pendent a substantia secundum essentiam, id saltem habemus quòd a nulla sensibili materia pendent essentialiter, nullum enim possumus nominare corpus naturale, a quo hæ quantitates pendeant essentialiter, neque etiam idem corpus naturale communiter sumptum, si enim a substantia corporea pendent, non tamen pendent ab ea quatenus est naturalis, cuius ratio sumi potest ex illis, quæ diximus de dimensionibus interminatis, in quęstione de prima materia, dimensiones enim omni naturali forma priores sunt secundum naturam, & materiam primam insequuntur, ut eius proprietas, ideo nulla forma, & nullum compositum naturale formatum, (quod dicitur materia sensibilis) sumi potest in definitione dimensionum absolutè sumptarum prout sunt quantitatis. Quòd si quis quęrat, cur non sumitur materia prima in eorum definitione? dicendum est quod materia prima in nullius rei definitione potest sumi, quia nihil est actu, sed omnia in potentia, & ignotissima est omnium rerum, definitiones autem dantur ad declarandum, ideo per notiora tradi debent. Hinc est quòd in definitione qualitatum sumitur aliquod naturale corpus vt subiectum, quia qualitates insequuntur formam, sed in definitione quantitatum non sumitur corpus aliquod formatum, quia quantitas non insequitur formam; materia uero non potest in ullius rei definitione accipi, quia materia nihil adhuc essentia est, ideo nulla subiecta substantia in definitionibus Mathematicis exprimi potest, implicite tamen quidam corporea substantia concipitur indistincta, & confusa, quæ nulli certæ naturæ sit addita, qualis est prima materia, quia sine tali substantia non est possibile imaginari lineam, vel superficiem, vel dimēsiones omnes. Vel hæc fortasse est materia intelligibilis, a qua non abstrahit mathematicus, quæ implicitè in definitionibus mathematicis continetur, non explicitè, quia non est actu. Hæc igitur est ratio cur Geometra abstrahat ab omni sensibili materia, quia a nulla sensibili materia pendent Geometricæ questiones secundum essentiam suam, propterea sine mendacio abstrahit, quia est abstractio priuatiua, considerat enim quantitates sine ulla consideratione materiæ sensibilis, quod si positiue abstraheret, & diceret quantitates illas sine ulla materia sensibili falsum diceret, & mentiretur, quia secundum existentiam pendēt a materia sensibili, extra quam reperiri non possunt, licet secundum essentiam non pendeant. Lege pro hac re Auerroem in Epit. Metaphys. tractatu secundo Cap. 2. & 4. ubi docet quòd substantia se habet vt causa ad omnia nouem prædicamenta accidentium, & in eorum omnium definitionibus sumitur, vel in potentia propinqua, uel in actu; in definitione enim quantitatis continuæ, cum implicite contineatur materia prima, ideo continetur etiam substantia composita in potentia, quoniam materia est potentia omnia. Lege etiam pro hoc Aristotelem in capite 3. Libri 13. Metaphys. vbi declarans quomodo abstractio mathematica sine mendacio sit, dicit, quòd ab acci-

dentibus

dentibus abstrahit, non dicit, quòd a substantia omnino, & a materia quanta, quæ dicitur materia intelligibilis. De Astrologo autem dubium uidetur quomodo abstrahat a materia sensibili, cum versetur in corporibus cælestibus, quæ sensibilia sunt, & rerum accidentia consideret. Et quomodo Aristoteles dicat eum abstrahere a motu, si potissimum uersetur in considerandis motibus cælestibus, Dico igitur inter naturalem Philosophum, & Astrologum hanc esse differentiam quòd naturalis considerat naturam corporis cælestis, & motum eius, ut fluentem a principio intrinseco, & a Natura illius corporis: Astrologus uerò considerat, & figuras, & motus cælestes, non ut passiones talis corporis, neque ut a tali materia profluant, quia Naturam eius corporis ignorat, figuram igitur Solis, uel Lunæ non considerat ut passionem corporis talis, id est, talem habentis naturam, neque motum considerat ut prodeuntem ab eius corporis natura, sed ut quantum, in cuius mensuratione Astrologus uersatur; quare dicitur abstrahere a sensibili materia: quia non considerat Cælum, ut corpus naturam habens, sed solùm ut quantum. Dicitur etiam abstrahere a motu, idest a principio interno, unde fluit motus, cum enim causam internam cælestis motus ignoret, quæ est eius corporis natura, & intelligentia mouens, dicitur potius quantitatem motus considerare quàm motum ipsum, & ita est Mathematicus, & a materia sensibili abstrahit, & considerat quantitates, & eas solas considerat. In uerbis est notandum quòd cum Aristoteles dicit [sed non quatenus Physici corporis terminus est unumquodque] Hæc verba dicuntur de Geometra, qui lineas, & superficies, & solida considerat, non tamen ut sunt termini, & accidentia corporis naturalis, sed abstrahit ea a corpore naturali, deinde cum dicit [neque accidentia speculatur, quatenus talibus existentibus accidunt] hæc verba dicuntur de ipso Astrologo considerante figuram Solis, & Lunæ, & dictio illa [talibus] significat naturam ipsam cælestium corporum, ut sensus sit, Astrologus non considerat illa accidentia Solis, & Lunæ quatenus sunt accidentia corporum talium, idest, naturam talem habentium, imò neque motum considerat Astrologus ut corporis talis motum, sed solam quantitatem tam corporum illorum quam motuum contemplatur, & naturam, ac essentiam ignorat, ideò dicitur abstrahere [per intellectum a motu] idest a Natura, quæ est principium motus. Ex his ergo possumus colligere differentiam inter Astrologum, & alios Mathematicos, nam alij Mathematici, & Geometra, & Mathematicus solam quantitatum essentiam considerant, & abstrahunt ab existentia, quam nullo modo respiciunt, ideò essentiam sine aliqua substantia sensibili contemplantur, quia a nulla substantia sensibili pendet, vt dictum est. Astrologus verò quantitatum existentiam non spernit, neque ab illa abstrahit, sed proponit sibi considerandas quantitates, quæ sunt in corporibus, & motibus cœlestibus, abstrahit tamen secundum essentiam, & considerationem, quia secundum essentiam illæ quantitates a substantia non pendent, ideo in definitionibus Astrologorum nulla apparet sensibilis materia, sed sunt puræ Geometricæ, sicuti etiam quæ dicuntur a Perspectiuo, ideò res considerata ab Astrologo concernit materiam sensibilem, sed modus considerandi abstrahit ab ea, quare est uerus Mathematicus, ut declarauimus aliàs in quæstione de subalternis scientijs in primo Libro Posteriorum. Ex his exponitur dictum Aristotelis in 12. Metaphys. quòd sola Astrologia inter Mathematicas substantiam considerat. Sic enim notat Aristoteles differentiam solum in re considerata, non in modo considerandi, res enim considerata ab Astrologo est quantitas existens cum substantia sensibili, prout in substantia sensibili existit, sed modus considerandi, est sine substantia sensibili, & in hoc nulla est differentia inter Astrologum, & Geometram. Vnde

colligen-

colligendum est, quòd Astrologia reuera est subalternata Geometriæ. Debemus etiam notare quòd differentia allata hic ab Aristotele inter Mathematicum, & naturalem in consideratione earundem rerum hoc videtur significare, quòd a naturali considerantur ut passiones, a Geometra verò, & ab Astrologo, ut subiectum; cum enim omnis scientia in tribus versetur, subiecto, principijs & passionibus, necesse est ut diuersæ scientiæ, quæ in alicuius rei consideratione conueniunt, distinguantur in modo considerationis, ut ea res in vna scientia habeat locum subiecti, in alia habeat locum principij, ut patet de primo motore considerato a Metaphysico, & a naturali; vel in vna habeat locum principij, vel passionis, in altera subiecti, vel simili aliquo modo, sicuti in præsentia euenit; quantitates enim considerantur a naturali prout sunt passiones naturalium corporum, vt Aristoteles in Textu significauit, ideò naturalis causam earum inquirit. Considerantur autem a Mathematico prout sunt subiectum, vnde etiam Astrologus dicitur potius pro subiecto habere quantitates corporum cęlestium, quàm ipsa cęlestia corpora, cum ipsorum corporum naturam non inquirat, illa enim corpora sunt potius ut materia limitans existentiam subiecti considerati, quàm subiectum ipsum. Tandem notandum est quòd Aristoteles ex definitione naturæ attulit differentiam inter naturalem Philosophum, & Mathematicum, definiunt enim naturam ut rationem formalem subiecti totius scientiæ naturalis, quod est corpus naturale, prout habens naturam, idest, ut habens in seipso principium motus, & quietis, hęc est ratio formalis, quæ debet esse radix, a qua pendeant, & originem sumant omnia, quæ in hac scientia considerantur, ideò nihil potest considerari a naturali sine relatione ad naturam, & principium internum motus, quare nulla potest esse consideratio naturalis, quę abstrahat a Natura, abstrahit autem Mathematicus vt dictum est. Ideò per definitionem Naturę separauit Aristoteles Mathematicum a Philosopho naturali.

Textus Decimusnonus.

Latent autem qui hoc faciunt, & qui ideas dicunt. Physica enim abstrahunt, cum minus sint abstracta Mathematicis. Fiet autem hoc manifestum si aliquis vtrorumque tentauerit, dicere terminos, & ipsorum & accidentium, impar enim erit, & par, & rectum, & curuum, adhuc autem, & numerus, & linea, & figura sine motu; caro autem, & os, & homo non amplius, sed hæc, sicut natis sima, sed non sicut curuum, dicuntur.

HIC Aristoteles ex dictis de differentia inter naturalem, & Mathematicum sumit occasionem refellendi sententiam Platonis ponentis ideas rerum naturalium ab omni materia separatas. Duplicem enim diximus esse abstractionem; vnam secundum esse existentię, quæ dicitur abstractio positiua, cum ponat hoc existere sine illo, quę quidē maxima abstractio est, & semper cum mendacio; alteram secundū essentiam & consideratione, quam appellauimus priuatiuam abstractionē, quæ non ponit hoc esse sine illo, sed essentiā unius considerat non considerato altero, hęc pōt esse sine mendacio. Ideo Mathematicus sine mendacio abstrahit hoc modo quantitates


tates corpore naturali, quà naturale est, qua abstractione non possunt abstrahi formę, & passiones naturales. Plato tamen non modo hac abstractione minore, sed & altera maiore formas naturales abstrahebat; ponebat. n. formã hominis, quam vocabat ideam actu, sine màteria existentem, & positiuè a materia abstractam, & ita aliarum omnium rerum naturalium, quare non parùm errabat, cùm enim res naturales sint minus abstrahibiles, quàm res Mathematicæ: ipse tamen magis abstrahebat res naturales, quia non modò secundùm considerationem, verum etiam secundum esse ponebat formas naturales abstractas ab omni materia, quas appellabat ideas, & verè entia: verum enim hominem dicebat esse non hunc materialem, sed idealem, qui sine ulla materia est, & ita virum, equum, & de alijs similiter. Quòd igitur Plato magis abstrahat res naturales quam Mathematicas, manifestum est, quia res naturales abstrahit maxima abstractione, qua maior abstractio non datur; ponit enim abstractas ab omni materia secundùm existentiam, cum talis abstractio Mathematicis non conueniat, quæ secundùm esse sunt in materia sensibili, sed ab ea abstrahuntur secundum solam considerationem, vel si Plato etiam rerum Mathematicarum ideas ponat separatas a materia secundùm esse; in hoc saltem errat, quòd res naturales æquè abstrahit, ac Mathematicas, cum tamen res naturales minus abstrahibiles sint. Quòd autem res naturales minus abstrahibiles sint, probat Aristoteles in hoc Textu sic, modus considerandi cognoscitur ex modo definiendi, videamus igitur definitiones tàm rerum naturalium, quàm Mathematicarum, ita enim cognoscemus, an possint abstrahi a materia, nec ne; at res Mathematicæ, & affectiones earum omnes definiuntur sine motu, idest, sine sensibili materia; quare abstrahunt a materia secundum consideratione. Numerus enim, linea, superficies, figura, sunt res Mathematicæ, quæ in illis scientijs habent locum subiecti: par, autem, & impar, rectum, curuum, & similia sunt earum passiones, & accidentia per se, & harum omnium definitiones nullam includunt sensibilem materiam, vt in ijs scientijs videre possumus; sed res naturales, ut caro, os, homo, idest, harum formæ, & accidentia non possunt definiri sine motu, idest, sine motione sensibilis materię, necesse est enim in eorum omnium definitionibus facere mentionem corporis alicuius sensibilis, & naturalis. Si igitur res naturales non possunt definiri sine materia sensibili, patet etiã quòd sine ea non possunt considerari, quia essentialiter ab ea pendent, quare nullo modo ab ea abstrahi possunt, quare sunt minus abstrahibiles quàm res Mathematicæ, quæ saltem secundùm considerationem abstrahuntur a materia sensibili. Et potest argumentum Aristotelis formari hoc modo, cui minor abstractio non competit, multò minus competit maior: sed formis, & accidentibus naturalibus non competit abstractio secundum considerationem, quę est minor abstractio, (pendet enim essentialiter a materia:) ergo minus ei conuenit abstractio secundùm esse, quæ dicitur positiua, quam eis tribuit Plato, quæ est multò maior abstractio; hæc est totius litterę sententia. In verbis est notandum quòd in principio Textus est obscura, & parùm conueniens traductio, in qua sensus Aristotelis non benè exprimitur, ideò secundùm Græca uerba, ita legere debemus, [latet autem hoc eos, qui ideas ponunt, cum hoc faciunt.] Pręcedentibus enim verbis Aristoteles loquens de abstractione Mathematica dixerat iam esse sine mendacio, ideò nunc subdit, quòd assertores idearum latet hoc, dum hoc faciunt, idest, non animaduertunt, se cum mendacio abstrahere, cum abstrahant positiuè formas naturales a materia, quę nec priuatiuè quidem abstrahi possunt, ut mox ipse declarat quando dicit [Physica enim abstrahunt,] scilicet secundum esse, quę est maxima abstractio, & Mathematicis non conueniens, quas diximus abstrahere a materia per intellectum

tellectum tantùm, non secundum rem, [cum minus sint abstracta Mathematicis] legamus nos abstrahibilia, quia hoc significat hic dictio illa Græca χωριςὰ, minus enim possunt abstrahi quàm res Mathematicæ, eo quòd magis a materia pendent quàm Mathematicæ, nam Mathematicæ pendent a materia sensibili secundum existentiam solùm, non secundùm essentiam, ideò consideratione possunt abstrahi a materia priuatiuè: at res naturalis pendet a materia sensibili, & secundùm existentiam,& secundum essentiam, ideò neque secundùm considerationem abstrahi possunt, quare minus abstrahibiles sunt, sicut probat Aristoteles dùm dicit [fiet autem hoc manifestum] sumpto argumento a definitionibus ut declarauimus, & hoc idem probat altero argumento in textu sequenti. In vltimis autem verbis declarat Aristoteles differentiam inter res naturales,& Mathematicas per comparationem cum simo,& curuo, qua sæpè Aristoteles uti consueuit. Dum enim vult significare formam naturalem dicit eam esse veluti simum, simitas enim est nasi curuitas, & sine naso non potest definiri, quia essentialiter pendet simitas a materia sensibili, a naso: curuitas enim est quid communius, & est passio quantitatis absolutè acceptæ, quæ non pendet ab ulla sensibili materia, ideò curuitas sine materia definitur: res igitur naturales sunt sicut simum, non sicut curuum: res autem Mathematicæ sunt sicut curuum. Notandum est autem quòd hæc quæ dicta sunt ab Aristotele contra assertores idearum non tantùm incidenter dicta sunt, & studio impugnandi Platonem, sed ad magis firmandum modum considerandi proprium Philosophi naturalis, & eius limites magis statuendos, qui non complectuntur nisi res materiales, quæ, & secundùm esse, & secundùm essentiam a Natura pendent, ideò sine materia cognosci non possunt, tantum abest ut sine materia existant. Propterea ostendere voluit Platonem errasse, qui ponebat formas naturales existere abiunctas ab omni materia, vult enim ut per hæc cognoscamus Naturam, & conditionem rerum naturalium, quæ est vt sine sensibili materia neque considerari, neque esse valeant. Et Platonem hic carpet Aristoteles, qui voluerit veram cognitionem rerum naturalium consisteri in cognitione idearum. Hoc enim destruit naturalem scientiam, quia Aristoteles uult cognitionem naturalem totam consistere in cognitione formæ cum materia, quæ sine materia esse non potest. At Plato naturalem faciebat esse Metaphysicum.

Textus Vigesimus.

Demonstrant autem, & quæ ex Mathematicis magis Physica sunt, vt Perspectiua, & Harmonica, & Astrologia è contrario quodammodo se habent ad Geometriam; Geometria de Physica linea considerat, sed non quatenus est Physica. Perspectiua autem Mathematicam quidem lineam, sed non quatenus Mathematica, sed quatenus Physica est.

CON-


ONFIRMAT Aristoteles illud idem quod in præcedenti Textu probauit, videlicet quòd res naturales magis pendent a materia, & minus sunt ab ea abstrahibiles, quàm res Mathematicę. Sumit autem argumentum ab illis Mathematicis, quæ dicuntur mediæ, cum uideantur modo quodam mediæ esse inter Mathematicas puras, & scientiam naturalem, puræ enim Mathematicæ sunt Geometria, & Arithmetica, quæ nullam prorsus sensibilem materiam considerant; mediæ autem dicuntur illæ, quæ in primo libro posteriorum uocabantur subalternatę, & considerant res Mathematicas cum aditione materiæ sensibilis, ut perspectiua, quæ considerat lineam visualem; visus enim est res sensibilis, & Astrologus considerat Geometricas quantitates in corporibus cælestibus, quę sensibilia sunt; hę igitur sunt Mathematicę medię, quia vergunt ad conditiones scientiæ naturalis, quoniam addunt materiam sensibilem, naturalis autem est penitus materialis. Argumentum autem Aristotelis tale est; Mathematicæ medię solent dici magis naturales, quam cęterę Mathematicæ, idest, magis ad naturalem scientiam uergentes eo quòd rebus Mathematicis materiam addunt. Si igitur per additionem materię dicuntur differre a puris Mathematicis, & vergere ad naturalem, inditio est manifesto, quòd res naturales sunt cum materia sensibili, & magis ab ea pendent quàm Mathematicę, cum eas Mathematicas, quæ aliquid materię assumunt, dicere soleamus ad naturalem accedere, & recedere a Mathematicis. Significamus enim Philosophum naturalem accipere sensibilem materiam, quam nō accipit Mathematicus, quare argumentum hoc Aristotelis innititur hoc supposito quòd scientię illę medię solent uocari naturaliores cæteris Mathematicis. Notandum est autem in verbis, quòd latini ea male legunt hoc modo, [quæ sunt magis Physicę, quam Mathematicæ] vnde colligunt has scientias medias magis esse naturales quàm Mathematicas, quòd tamen falsum est, quia sunt veræ Mathematicæ, ut mox ostendemus, non enim datur scientia mixta ex Mathematica & Naturali; sunt igitur verba legēda hoc mō [quę ex Mathematicis sunt magis Physicę] idest, illę Mathematicæ, quæ magis quàm cæterę ad Naturalē vergunt; per hoc enim non stat, quin sint ueræ Mathematicæ, ut mox ostendemus. Deinde incipit Aristoteles argumentum ipsum exponere cum dicit [è contrario enim quodammodo se habent ad Geometriam] recte dicit Aristoteles [quodammodo] quia non omninò contrario modo se habent hæ scientiæ ut Augustinus notat, sed naturalis est illa, quæ contrario modo se habet ad Geometriam, ad Geometriam hæ uerò medio modo, non penitus contrario, hoc autem nihil aliud est, quàm accipere materiam sensibilem, quam Geometria non accipit, ideo cum non ita in materia sint immensæ, vt scientia naturalis, non dicuntur penitus contrariæ ipsi Geometriæ, sed quodammodo, quia res considerata in eis ad materiam sensibilem uergit. Declarat autem Aristoteles hunc contrarium modum, & dicit, quia Geometria considerat lineam naturalem, non tamen quatenus est naturalis, Perspectiua autem considerat lineam Geometricam, non tamen quatenus est Geometrica, sed quatenus est naturalis, quorum uerborum sensus est sano modo accipiendus. Geometra enim dicitur considerare lineam naturalem, quia omnis linea, & quælibet alia res considerata a Geometra, prout existet in Natura, est res naturalis, dimensiones enim non existunt nisi in corporibus naturalibus, & materia sensibili; extra quam non reperiuntur; Geometra autem non considerat eas, ut in materia, & ut naturales, sed abstrahit secundum considerationem; Perspectiua uerò cum sit subalternata Geometriæ, & tanquam riuulus ab ea deriuetur, sumit a Geometria, & subiectum considerandum, & principia omnia, immò, & passiones, ut Aristoteles

teles docuit in primo libro Posteriorum, & vt nos ibi fusè declarauimus, quando subalternarum scientiarum naturam consideramus. Rectè igitur Aristoteles dicit quòd perspectiua considerat lineam Mathematicam, idest, Geometricam, quia a Geometria subalternante accipit lineam considerandam, eam autem considerat non ut Geometricam, sed ut naturalem, quia addit lineæ sensibilem qualitatem, idest, visibilitatem, quæ denotat materiam naturalem; accipit ergo lineam Geometricam, quia accipit eam a Geometria, sed non considerat eam in illa puritate Mathematica sine vlla sensibili qualitate, sed eam adiungit sensibili qualitati, & ita dicitur considerare eam ut naturalem non ut Mathematicam, quia visus est res naturalis. Sed iam dixi hoc sano modo esse intelligendum, quia si intelligamus, ut omnes ferè intelligunt, faciemus has scientias medias naturales potius esse quàm Mathematicas, cum tamen Aristoteles eas dixerit esse Mathematicas, dixit enim [quæ ex Mathematicis] sunt igitur ex numero Mathematicarum, id autem quod est diligenter considerandum est, quòd Aristoteles dixit Perspectiuam considerare lineam non quatenus Mathematicam, sed quatenus naturalem, dictio enim illa [quatenus] significat modum considerandi, ergo videtur Aristoteles dicere quòd Perspectiuus considerat rem Mathematicam, sed modo considerandi non Mathematico, sed naturali, sic autem esset scientia merè naturalis, sicut enim res nominatur a forma, ita scientia a modo considerandi. Quòd autem non sit naturalis patet ex dictis Aristotelis verbis, [quæ ex Mathematicis] has enim vult esse de numero Mathematicarum. Præterea est locus clarus Aristotelis in tertio capite libri 13. Metaphysic. ubi dicit perspectiuum non considerare lineam vt in uisu, sed vt lineam, ergo facit modum considerandi more Mathematicorum, ut reuera est, nec uult esse naturalem, imò nec mixtum ex Mathematico, & naturali, vt hic omnes dicunt, tale enim mixtum non datur, sed hę sunt scientiæ puræ Mathematicæ, quemadmodum abundè declarauimus in primo Posteriorum in quæstione de subalternis. Tota igitur difficultas tollitur, si intelligatur modus, quo ipsæ scientiæ mediæ accipiunt considerandam materiam sensibilem; iam aliàs declarauimus, quòd subiectum in omni scientia duas habet partes, vnam materialem, quæ dicitur res considerata, alteram formalem, quæ dicitur modus considerandi; hic enim est, qui vnam scientiam distinguit ab alia tanquam forma scientiæ sit; Perspectiua igitur subiectum habet lineam visualem quatenus lineam, non quatenus visualem, adeò ut additio materiæ sensibilis stet ex parte rei consideratæ, non ex parte modi, qui manet merè Mathematicus, vnde illa est scientia merè Mathematica, neque est media ratione modi considerandi, sed solùm ratione rei consideratæ media est, quia vergit ad naturalem, cum lineam Mathematicam accipiat considerandam in materia naturali contractam, quare rem consideratam habet mixtam ex naturali, & Mathematica, sed modum considerandi mathematicum purum, vnde fit quòd est scientia pure Mathematica, quia scientia iudicatur a modo considerandi, non a re considerata. Hæc est sententia clara Arist. in illo loco 13. libri Metaph. cum dicit Perspectiuum considerare lineā visualem, non quatenus visualem, sed quatenus lineam; ibi enim particula [quatenus] denotat modum considerandi quæ si similiter hoc in loco dicat modum considerandi, contradictio est in Aristotele, quæ nullo modo solui potest, cum hic dicat Perspectiuum considerare lineam Mathematicam, sed non quatenus est Mathematica, imò quatenus est naturalis, sic enim videtur significare, quòd Perspectiuus consideret rem quidem Mathematicam, sed modo considerandi naturali, quod est penitus oppositum veritati, quare cogimur dicere quòd dictio illa [quatenus] hoc in loco non denotat modum considerandi, sed ipsam consideratio-

non solùm: Perspectiuus enim accipit a Geometra lineam considerandam, qua m accipit sine materia, & ei addit materiam naturalem, quare considerat lineam non ut Mathematicam, idest, non ita abstractam, ac sine materia, ut eam accipit a Geometra, sed ut naturalem, idest, cum materia naturali, & hoc totum dicit rem consideratam, & nihil dicitur ab Aristotele de modo considerandi, sic enim etiam Geometra accipit lineam naturalem, quia linea non est in rerum natura, nisi in materia naturali, & sensibili, tamen considerat eam non ut naturalem, idest, non ita cum materia ut eam sumit a naturali, sed vt Mathematicam, idest, abstractam, ut etiam hoc dicat rem consideratam, non modum considerandi, quia tam rem consideratam, quàm modum considerandi habet Geometra sine materia. Aristoteles tamen non considerat hic modum considerandi, sed solùm rem consideratam, & dicit quòd sicut Geometra accipit eam a naturali cum materia existẽtem, sed separat a materia, & ita remouet eam a conditione naturali. Ita Perspectiuus accipit eam a Geometra abstractam, & addit ei materiam naturalem, & eam remouet a conditione Mathematica, & facit vergere ad conditionem naturalem. Modus tamen considerandi est merè Mathematicus, ut dictum est. Notandum etiã hic est, quòd illud comparatiuum φυσικώτερα hoc in loco habet uim diminutiuam, quòd Græcæ linguæ periti quandoque animaduertunt; non enim addit supra significationem primitiui φυσικαί. Sed ab ea multum distrahit, siquidem Mathematicæ illæ mediæ non dicerentur φυσικαί, sed tamen dicuntur φυσικώτεραι, quia respectu aliarum, quæ sunt puræ Mathematicæ, habent nescio quid naturalitatis.

Textus Vigesimusprimus.

Cum autem materia duplex sit, & forma, & materia, vt si de simitate quid sit consideremus, sic contemplandum est. Quare neque sine materia, neque secundum materiam, quæ huiusmodi sunt. Etenim iam, & de hoc dupliciter dubitabit quis, cum duæ naturæ sint, de vtra est Physici, an de eo, quod est ex utrisque. Sed si de eo, quod est ex utrisque & de utraque.



EX dictis de differentia inter naturalem Philosophum, & Mathematicum poteramus facilè duci ad malum sensum, quem hic Aristoteles remouere vult, & hanc puto esse continuationem cum præcedente. Nam Aristoteles dixerat distinctionem Mathematici a Philosopho naturali esse in eo constitutam, quòd Mathematicus abstrahit a materia; Naturalis autem totus est in materia immersus; & res naturales tam secundum rem quàm secundum considerationem concernunt materiam, neque ab ea ullo modo abstrahi possunt. Ex hoc poteramus existimare præcipuam Philosophi naturalis considerationem esse de materia, & cum materia sit natura, in huius cognitione consistere totam considerationem Philosophi naturalis, neglecta, & posthabita forma. Vult igitur Aristoteles ostendere quomodo hoc sit intelligendum, & quomodo Naturalis consideret & materiam, & formam, ut cognoscamus utramque ab eo considerari, sed formam præcipuè, materiam verò secundariò,

&

& propter formam, vt consideratio naturalis dicatur esse non de materia, sed de forma, de forma autem non sine materia. Textum hunc possumus diuidere in duas partes, in quarum prima Aristoteles totam veritatem paucis verbis exponit; deinde vt eam melius cognoscamus incipit in secunda dubitare circa considerationem Philosophi naturalis de materia, & de forma; mox in sequentibus Textibus ad dubitationem respondebit, & totam veritatem declarabit quomodo Philosophus naturalis consideret & materiam, & formam. Debemus autem animaduertere hic artificium Aristotelis, qui cum reiecerit opinionem Platonis, & Philosophorum antiquorum vt extraneas, & falsas, hic vult ostendere suam opinionem ac veritatem ipsam in medio esse constitutam. Nam antiquiores Philosophi totam rei naturam putantes esse materiam, formamque veram ignorantes, totam naturalem Philosophiam in cognitione materiæ reponebant, negligendo formam. Plato verò è contrario ponens rerum naturalium Ideas, quæ sunt formæ a materia separatæ, in quarum cognitione perfecta rerum naturalium cognitio consisteret, faciebat totam naturalis Philosophi considerationem in solis formis esse occupatam, sine vlla mentione materiæ. Aristoteles verò inter vtrasque medius longè melius Philosophiæ naturales conditiones penetrauit, & cognouit præcipuam Philosophi naturalis contemplationem esse de forma, non de materia, contra Philosophos antiquiores, non tamen sine materia contra Platonem. Considerat enim formas materiales, quarum essentialis conditio est, vt sint in materia, neque ab ea possint separari per considerationem. Sententia igitur primæ partis huius Textus est, quod cum natura dicatur, & de materia, & de forma, vt prius declarauit, non negauit enim vtranque dici naturam. Consideratio Philosophi naturalis non debet esse secundum materiam, neque tamen sine materia, idest, debet esse circa materiam secundario, sed non principaliter: principaliter enim est circa formam, cuius dicti ratio est, quod ex superius dictis de natura sumi potest. Volumus enim cognoscere res naturales prout actu sunt, sic enim dicuntur habere suam naturam, & sunt actu per formam; non per materiam, per materiam enim non nisi in potentia esse dicuntur, ergo earum cognitio potissimum consistit in cognitione formæ, a qua fiunt tales, ac talem naturam habentes. Sed quoniam conditio talis formæ est vt non possit esse sine materia, ideò consideratur cum materia, dicitur tamen consideratio ipsius formæ non ipsius materiæ, formæ tamen non sine materia. Quare dum Aristoteles dicit, non sine, significat secundariam cognitionem: dum autem dicit secundum significat considerationem principalem, & vult considerationem Philosophi naturalis esse secundum formam, sed non sine materia, cognitio enim cuiusque rei naturalis consistit in cognitione formæ, a qua habet esse: hic est horum verborum sensus, non quem putauit Auerroes, qui dicit Philosophum naturalem non considerare secundum materiam, sed secundum formam, non sine materia, idest, non considerare materiam secundum se, prout vnum ens. Hæc enim est consideratio Metaphysica, sed considerare materiam in habitudine ad formam. Quare omnia hæc verba Auerroes trahit ad considerationem materię, qualisnam esse debeat in Philosophia naturali, scilicet, an prout est vnum entium, an prout respicit formam. Sed hæc non est mens Aristotelis, qui inferius considerabit, quomodo naturalis circa materiam, & quomodo circa formam versetur. Hic vero solum loquitur vniuersaliter de consideratione philosophi naturalis, & dicit eam non esse secundum materiam, non tamen sine materia, sed secundum formam, cognitio enim rerum naturalium consistit in cognitione formæ, hæc tamen non potest haberi sine materia, vt iam dictum est. Hoc autem declarat ipse Aristoteles

exemplo simitatis, & dicit talem esse debere considerationem rerum naturalium in Philosophia naturali, qualis est consideratio simitatis, quando volumus simitatem diffinire; simitas enim significat formam, non materiam, sed cum tali materia, cum naso; ideò in eius diffinitione dicimus eam esse cauitatem nasi, & significamus formam cum materia, non dicimus nasum solum, neque ipsum solum consideramus, quia non in eo consistit cognitio simitatis, nisi in potentia. Potest enim nasus esse simus, & non esse simus, quare cognitio nasi non est cognitio simitatis, nisi in potentia, sed cognitio simitatis consistit in illa figura, in illa cauitate; cum hanc cognoscimus, cognoscimus simitatem, quia simitas non est nasus, sed est cauitas, non tamen sine naso, quia si solam cauitatem dicamus, relinquimus essentialem conditionem huius formæ, quare eius naturam non cognoscimus, sed cauitatem, quæ in alijs quoque esse potest. Pars igitur principalis in definitione simitatis est cauitas, quæ eius formam declarat, nasus verò est pars secundaria, sine quia non. [Etenim iam, & de hoc dubitabit.] Hæc est secunda particula huius Textus, in qua Aristoteles circa expositam veritatem dubitat, vt eam melius intelligamus, & duas dicit esse dubitationes, quas cum multis diuersis modis exponant; dicam ego quem putem esse earum verum sensum, omissis omnibus expositionibus aliorum. Credo ego non duas esse dubitationes, seu quæstiones, sed unam bimembrem, & eam significare Aristotelem cum dicit. [De hoc dupliciter dubitabit quis,] idest, quæret utrum, quæstionis, membrum sit unum, quæstio autem talis est, cum duæ sint naturæ videlicet, forma, & materia, si supponamus alteram tantùm a Physico esse considerandam, vtram duarum considerabit; vel si pro rei veritate dicendum sit, quòd Physicus considerat compositum ex vtrisque sequetur etiam quod etiam utramque debet considerare, non alteram solùm. Dubitatio igitur est hæc, an Physicus debeat considerare alteram duarum, an earum utram, an potius utramque simul, quam totam dubitationem Aristoteles colligit sequentibus uerbis, dum dicit, [Vtrum igitur, aut alterius utramque cognoscere.] Hæc enim est summa totius quæstionis, an Physicus debeat considerare alteram tantùm naturam, an utramque simul. Vna igitur est quæstio, duo continens membra, quorum utrum uerum sit quæritur, nisi dicamus duas esse quæstiones, propterea quòd altera quærit an utramque debeat Physicus considerare; altera uerò quærit si unam tantùm utram duarum considerare debeat. Sed reuera una uidetur quæstio, hæc enim illius pars est, & unica erit responsio Aristotelis ad quæstionem, cum enim uerum sit quod Physicus utramque debet considerare; falsum remanet alterum membrum, quòd alteram tantùm, ideò non erit opus respondere amplius utram duarum, & sic una responsio ad totam quæstionem sufficiet.

Textus Vigesimussecundus.

Vtrum igitur eiusdem, aut alterius vtramque cognoscere, ad antiquos aspicienti videbitur vtique esse materia, ad exiguam partem quamdam Empedocles, & Democritus formam, & quod quid erat esse tetigerunt. Si autem ars imitatur Naturam, eiusdem autem scientia est cognoscere formam, & materiam vsque ad aliquid ut medici sanitatem, & coleram, & flegma, in quibus est sanitas,

sanitas Similiter autem & ædificatoris formam, domus, et materiam. Lateres scilicet, & ligna, similiter autem & in alijs. & Physica utique erit cognoscere utrasque naturas.

PROPOSITA quæstione, nunc Aristoteles antequam ad ea respondeat, considerat quòd ad eam responderant antiqui Philosophi, & hoc facit in prima parte huius textus. Deinde in secunda veritatem determinabit ex mente propria, & in ea confirmanda prosequetur in alijs textibus sequentibus. Dicit in prima quòd si ad antiquos respiciamus, videbitur tota consideratio Philosophi naturalis in sola materia esse constituta, & res naturales secundùm materiam esse contemplandas. Antiqui enim solam materiam dicebant esse rei naturam: formam verò vel penitus ignorarunt, & prætermiserunt, vel leuiter & parua ex parte tetigerunt. Formam autem vocat eam Aristoteles [quidquid erat esse] vt solet, quia vult formam esse totam rei quidditatem, & propriè naturam ipsius rei, quæ in definitionem constituit; nominat autem inter antiquos Democritum, & Empedoclem exempli gratia, non quod alijs quoque hæc verba non conueniant, de omnibus enim dicuntur, non de his duobus solis, ut quidam putant, qui dicunt Aristotelem significare quòd hi duo leuiter formam attigerunt, alij verò nihil. In textu etiã 55. primi libri Aristot. dixit quòd omnes antiqui, qui unam materiam ponebant, figurabant eam duobus contrarijs, quæ loco formæ erant. Sed hoc mihi non videtur verum, quia diximus in primo, præsertim in Textu 32. 48. & 49. quod omnes antiqui ponebant duo contraria ad rerum generationem concurrere, ut rarum, & densum, & alia similia, quę erant loco principiorum formalium, ut etiam ipse Aristoteles testatur in textu 55. primi libri, quare ponentes duo contraria, ut agentia, seu ut alterantia materiam, attigerunt quodammodo formale principium. Alij quoque, non hi duo soli. De Democrito, quomodo formam attigerit patuit in Textu 41. primi libri. Cum enim ex atomis dixerit omnia fieri, vt ex prima materia: dixit etiam hæc atoma inter se differre positione, ordine, & figura, hęc autem omnia formam pręseferebant licèt accidentia potius sint, quàm vera forma: & Democritus reuera, ut accidentia hęc introduxerit, quia simul cum alijs putabat materiam esse totam rei naturam. Empedocles verò pręter elementa ponebat litem, & amicitiam, quæ non modò denotat causam efficientem, sed etiam aliquo modo formalem, singulas enim naturales res dicebat per amicitiam Elementorum generari, significans nomine amicitiæ proportionem quandam conuenientem, inter elementa constitui, vt conseruari possint, vt, videlicet, cum tanta terræ quantitate esset tanta ignis, & aliorum elementorum. Hæc igitur proportio habet locum formæ, qua dissoluta res pereunt. Idem dicendum est de alijs Antiquis, qui generationem rerum per alterationem a duobus contrarijs fieri statuebant. Hi namque omnes formam leuiter attigerunt. Si qui verò fuere, qui formam pęnitus prætermiserint, eos fuisse arbitror illos, qui per segregationem res generabant, sicuti in Textu 32. primi libri de Anaxagora dictum est, qui de solo efficiente, & de materia mentionem fecit, nihil ponens, quod posset habere rationem formæ. De Empedocle & Democrito lege etiam Aristotelem in fine primi cap. libri primi, de partibus animalium, vbi his aliquid amplius tribuit quàm alijs. [Si autem Ars imitatur Naturam.] Hæc est secunda pars huius Textus, in qua Aristoteles primùm ponit rationem pro confirmatione veritatis, & probat vtramque naturam a Philosopho naturali esse cognoscendam,

scendam, non alteram solùm, non enim satis habet simpliciter ad quæstionem propositam respondere, sed multis argumentis vult ipsam responsionem comprobare, quorum primum in hoc Textu ponitur, & tale est, Eiusdem artis officium est cognoscere, & formam & materiam, & in scientia naturali idem dicendũ est, quod in artibus euenit; ergo etiam in scientia naturali sunt cognoscendæ hæ duæ naturę forma, & materia. Maiorem probat Aristoteles exemplis duarum artium, quæ uim habent inductionis, nam medicus considerat sanitatem, quę est forma, & quatuor humores, qui sunt materia sanitatis, ut sanguinem, pituitam, & flegmam, atque atram bilem. Sanitas enim nihil aliud est, quàm debita horum humorum proportio. Similiter ædificator cognoscit formam domus, & materiam, quæ eam formam recipit, vt lateres, cementa, ligna; & alia eiusmodi; patet autem in alijs quoque artibus hoc euenire, (inquit Aristoteles;) ergo perfecta inductione patet omnem artem cognoscere materiam, & formam. Minorẽ autem probat Aristoteles eo quòd ars naturam imitatur, si igitur ita est in arte, significatur idem esse in scientia naturali; Circa propositionem maiorem notandum est quòd cum Aristoteles dicit. [Eiusdem scientię est cognoscere formam, & materiam usque ad aliquid.] nomen scientiæ sumit pro nomine Artis, statim enim subdit exempla in artibus; Vnde non defuerunt, qui existimauerint locum esse deprauatum, & loco scientiæ legendum esse Artis, quia reuera non potest accipi propriè pro scientijs, neque ad scientias extendi, nisi Aristoteles petat principium, vult enim probare quòd scientia naturalis debet & materiam, & formam rerum naturalium considerare, quare non debet sumere, quòd omnis scientia consideret materiam, & formam: sumit igitur scientiam pro cognitione artium factiuarum, & ab artibus ad scientiam naturalem argumentatur, verba illa [vsque ad aliquid] ad materiam referuntur non ad formam ut Auerroes notat, quia quilibet artifex simpliciter formam considerat, materiam tamen non simpliciter, sed vsque ad aliquem terminum, ut Medicus cognscit bilem, & flegma ut materiam sanitatis, non quęrit priorem aliam materiam considerare, ut elementa, vel si de his aliqua dicit, quatenus singulis humoribus singula elementa respondent, saltem de materia prima nullam mentionem facit. Ita ædificator satis habet cognoscere lateres, & ligna vt materiam domus, & non curat aliam priorem materiam cognoscere, & omnino nullus artifex peruenit ad cognitionem primæ materiæ; sed omnes eam materiam tractant, quæ est propinqua suæ formæ, quam intendunt. Notat præterea Auerroes quòd uerba hæc, [vsque ad aliquid] de solis Artibus assumuntur ab Aristotele, nec debet concludi de scientia naturali: non enim verum est, quòd Philosophus naturalis consideret materiam usque ad aliquid, & non simpliciter, imò vult venire ad cognitionem materiæ simpliciter primæ omnium rerum naturalium, qua in re carpit Auicenam, qui putauit Philosophum naturalem cognoscere tantum materias propinquas singularum rerum naturalium, nec peruenire ad primam materiam, sed hanc a solo Metaphysico considerari. Circa propositionem minorem, seu probationem ipsius, quam in Textu habemus, sciendum est quòd Aristoteles sumit argumentum ab operatione Artis, & Naturæ ad earundem cognitionem hoc modo, verum est naturam operantem transire ab imperfecto ad perfectum, ab incompleto ad completum, hoc autem nihil aliud est, quàm educere de potentia ad actum & materiam deducere ad assecutionem formæ, quod in omnibus rebus naturalibus videre facile possumus, ideò Aristoteles hoc ut verum præsupponit; Sumit etiam quòd in hoc Ars imitatur naturã, uidelicet, in ipsa operatione, nulla enim alia est operatio Artis quàm traductio rei de potentia ad actum, & de imperfectione ad perfectionem, quoniam materiæ formam imponit,

nit, ut de ædificatore patet, qui lapidibus, & lateribus formam domus imponit, & de Medico, qui humoribus proportione carentibus proportionem, & coequalitatem tribuit, quæ est sanitas ipsa, & forma: Si igitur ita procedit Ars in operatione ut ipsa Natura, sequitur quod similiter in cognitione ita esse debet de scientia naturali, ut de artibus, quæ est propositio minor Syllogismi; Quod enim in Artibus materiam, & formam cognoscere debeamus, ratio huius est, quoniam operatio Artis est impositio formæ in materiam propriam, & ita res sunt cognoscendæ ut sunt, ita igitur etiam in scientia naturali id contingere debet, ut sicuti Artes cum formam in materiam imponunt, utramque volunt cognoscere, ita Philosophus naturalis utramque considerat, cum natura, quam Ars imitatur, in operatione ita procedat, ut materiæ formam imponat. Hæc est tota uis rationis Aristotelis in Textu præsenti. In Commentario Auerrois sunt notandæ duæ ipsius considerationes; prima est, quòd Auerroes reddit causam huius differentiæ, cur scientia naturalis perueniat in cognitionem materiæ primæ simpliciter, Artes uero non perueniant ad primam simpliciter materiam, sed usque ad aliquem terminum, sicut dictum est. Rationem esse dicit quoniam scientia naturalis est communis omnibus rebus naturalibus, artes autem omnes sunt particulares, & rerum particularium: non enim datur ars aliqua communis omnibus artificijs, quòd si Ars una daretur communis omnibus artificijs, necesse esset ut illa Ars perueniret ad primum subiectum omnium artificiorum, & ad ipsam primam materiam. Hæc prima Auerroes consideratio mihi uidetur valde dubia, neque uidetur afferre ueram rationem huius differentiæ; Vera enim ratio est, quoniam scientia naturalis est speculatiua, & quærit scire, artes autem sunt factiuæ, & quærunt operari. Hinc fit quòd Philosophus naturalis tenetur resoluere in primam causam, non enim scientiam haberet perfectam ex cognitione materiæ secundæ, nisi etiam materiam priorem cognosceret, quæ illius secundæ materiæ causa est, & hoc significauit Aristoteles in primo textu primi libri, cum dixit omnem cognitionem in scientia pendere ex primorum principiorum cognitione, neque possumus dicere quòd consideratio materiæ simpliciter primæ transgrediatur limites scientiæ naturalis, quinimo est res naturalis, quatenus est primum principium transmutationis, & omnis forma materialis est de consideratione Pilosophi naturalis, materia autem secunda est composita ex prima materia, & aliqua forma materiali, quare necessario est resoluenda a Philosopho naturali in formam, & materiam componentes, secus enim non sciretur. Necessario igitur materia prima cognoscenda est a Philosopho naturali, si habiturus sit rerum naturalium perfectam cognitionem, sed in artibus hoc non est necessarium, quia Artes non quærunt scire, sed operari, & talem finem assequi, qui cum requirat propriam materiam, in qua fiat, satis est artifici cognoscere materiam propriam, & propinquam, in qua debet operari neque debet hanc resoluere in priorem materiam, quia non querit scire, ideò sufficit ei rudis cognitio propriæ materiæ, hæc enim satis est ipsi ad assecutionem finis, idest, ad impositionem formæ artificialis. Adde præterea quòd si Artifex resolueret propriam materiam in materiam priorem, & formam, transgrederetur limites suos, quia transiret ad formam naturalem, cuius consideratio ad eum non pertinet, transiret etiam ad materiam in qua ipse uersari non potest, quia non in ea operatur, ut si ædificator resolueret lignum in formam ligni, & quatuor elementa in materiam, transiret enim ad formam, & ad materiam non artificiales, forma enim artificialis est illa, quæ fit ab arte, materia autem artificialis dicitur illa, in qua operatur ars: at in elementis non operatur ipse ædificator, neque efficit formam ligni; hæc enim naturæ effectus sunt, non artis. Vnde sequitur etiam non


esse

esse verum dictum Auerrois, quòd si una daretur ars communis omnibus artificijs, illa resolueret in materiam ultimam; cum enim impossibile sit talem artem dari, si tamen eam dari supponamus, idem continget, quod etiam in singulis artibus euenire diximus, hæc enim nunquam ad hoc deueniret, ut resolueret aliquam materiam in formam naturalem, & materiam priorem, sed standum ei esset in materia subiecta formæ tantum artificiali, hæc autem non posset esse prima materia. In hoc igitur Auerroes errat; Errat etiam, quoniam non est uera ratio, ut Philosophus naturalis ad primam materiam perueniat, quoniam sit communis, sed quoniam scientiam quærit rerum naturalium. Si enim imaginemur scientiam naturalem de solo homine, ea quoque perfecta esse non poterit sine primæ materiæ cognitione, quare etiam imaginando scientiam naturalem particularem peruenitur ad primam materiam, eo quòd perfectam quęrit scientiam, non operationem. Deinde considerat Auerroes errorem Auicennæ, de quo etiam locutus est in primo Commentario primi libri; Auicenna enim putauit non spectare ad Philosophum naturalem cognoscere materiam primam, sed solam materiam propriam vnicuique rei naturali, materiam autem primam considerari a primo Philosopho & ab eo demonstrari, non a Philosopho naturali; quia cum respectu rerum naturalium habeat rationem principij, non potest in scientia naturali demonstrari. Aristoteles enim in primo Posteriorum dixit principia in sua scientia demonstrari non posse: Auerroes autem dixit Auicennam errasse, quia prima materia est cognoscenda a Philosopho naturali, quatenus est primum principium transmutationis, sic enim redigitur ad proprium modum considerandum Philosophi naturalis; Errauit etiam quia malè accepit sententiam Aristotelis in primo Posteriorum de principijs subiecti, Aristoteles enim ibi dixit, principia subiecti non posse in sua scientia demonstrari, intelligendo per demonstrationem a priori, sed per demonstrationem a posteriori non prohibuit Aristoteles principia subiecti demonstrari in scientia propria: nam demonstrauit in octauo Physicorum æternum motorem a posteriori per motum, & in primo Physicorum demonstrauit materiam primam per transmutationem, sed a priori non possunt in sua scientia demõstrari, nisi forte a scientia superiore, ut a subalternante, uel a Metaphysica. Sed hæc sunt vera de principijs incomplexis, quæ dicuntur principia rei, sed secus est de principijs complexis, idest de primis propositionibus, quæ sunt principia cognitionis, ut dignitates & suppositiones, quæ neque a priori neque a posteriori probari possunt.

Textus Vigesimustertius.

Insuper eiusdem est id, cuius gratia, & finem, & quæcunque sunt horum gratia. Natum autem finis est, & id cuius causa; quorum enim continuo motu existente, est aliquis finis ipsius motus, hic ultimum est, & id cuius causa; Quocirca, & Poeta derisorie ductus est, ut diceret, Habet finem, cuius quidem causa factus est, uult enim non omne ultimum esse finem, sed optimum.

ALIO


LIO argumento probat Aristoteles ad Pilosophum naturalem pertinere, & de materia, & de forma tractare: & potest Textus diuidi in duas partes, in quarum prima ponit ipsam rationem: in secunda colligit corollarium quoddam contra Euripidem poetam. Ratio ita formatur, Ad eandem scientiam pertinet considerare finem, & ea quæ ad finem tendunt, sed Natura accepta pro forma est finis generationis naturalis, & materia ad talem finem ordinatur, ergo ad eandem pertinet agere de ambabus. Conclusio non ponitur in littera, sed ponuntur utræque præmissæ, & probatio, seu declaratio minoris quando Aristoteles dicit, [quorum enim continuo motu existente est aliquis finis ipsius motus, hic ultimum est, & id cuius gratia] & potest erigi alter syllogismus, cuius hæc sit maior, Quando aliqua per continuum aliquem motum tendunt ad aliquem ipsius motus finem, hic est id, cuius gratia illa sunt: sed materia suscipit motum generationis, qui continuus est, & dirigitur ad assecutionem naturæ acceptæ pro forma, ergo forma est finis, & materia dirigitur ad formam tanquam ad finem, quæ erat minor alterius syllogismi principalis, quare patet syllogismum hunc secundum in prima figura formari, neque esse formandum in secunda ut postea per conuersionem maioris reducatur ad primam, sicuti Auerroes imaginatur. Maior syllogismi principalis ab Aristotele ponitur ut per se nota, finis enim, & quæ diriguntur ad finem quandam inter se relationem habent quatenus talia, ergo non potest alterum considerari sine consideratione alterius, unum enim ab altero pendet; Minor uerò per alterum syllogismum declaratur, cuius maiorem considerare oportet, quia minor nota est ex ipso nomine materiæ, materia enim dicitur esse alicuius materia, idest, ex qua aliquid fiat per transmutationem tendentem ad formam, & perfectionem, & finem. Circa maiorem notandum est primo, quòd finis solet dupliciter sumi, uno modo ualde impropriè pro eo, quòd alicuius rei est ultimum, sic mors solet uocari finis humanæ uitæ, idest, terminus; Altero modo accipitur pro eo, quod non modo sit ultimum, sed etiam habeat rationem boni, & in ipsum præcedentia ordinentur, & sit intentum ab ipsis. Hæc est propria acceptio ipsius finis, ideò mors non benè dicitur finis uitæ humanæ, quia non propter mortem uita humana est, nec benè rationem habet ipsa mors, Aristoteles autem significare volens finem propriè acceptum dixit in maiore primi syllogismi finem [& id, cuius gratia] dictio enim illa, &, non est coniunctiua, sed declaratiua. Similiter etiam in maiore secundi Syllogismi, ut idem significet finis, [& id, cuius gratia] propterea Alexander, & Ioannes Grammaticus dubitarunt, quia uidetur maior secundi Syllogismi continere nugationem, & petere principium, cum in subiecto habeat finem, in prædicato verò id cuius gratia, quæ duo idem significant. Sensus enim esset hic, quorumcunque est aliquis finis ille est id cuius gratia, præterea in prædicato hæc duo simul continentur, vltimum, & id cuius gratia, quæ ab Aristotele ponuntur vt idem significantia, non tamen idem significant, quia ultimum latius patet quàm id cuius gratia, neque omne ultimum est id cuius gratia, propterea existimauerunt mendum esse in littera; Quorum sententiam Vicomercatus sequitur, & dixerunt ponendum esse vltimum vbi ponitur finis, & contra, verbaque ita esse legenda [quorum continuo motu existente est aliquod ultimum illud est finis & id, cuius gratia] sed horum sententia mihi non probatur, quia si bene intelligamus uim verborum Aristotelis cessat nugatio, & tota eorum dubitatio. Contra eos autem maior difficultas insurgit, quia iuxta eorum sententiam maior falsa erit, cum prædicatum sit minus commune, quàm subiectum, non enim verùm est, quòd quorum continuo motu

existente

existente est aliquod vltimum illius motus, illud sit finis & cuius gratia. Si quis enim equo currens in foueam precipitetur, & statim moriatur, illud est vltimum illius motus, non tamen illius gratia factus est motus ille: quod si dicant, non omne vltimum esse intelligendum, sed vltimum ab eo intentum, & habens rationem boni, tunc incidunt in nugationem, quam euitare voluerunt: hoc enim non est nisi finis, & cuius gratia est motus ille. Ego igitur dico verba ita esse relinquenda vt iacent, neque vllam esse nugationem; quia finis in subiecto propositionis refertur ad motum, vt in Textu patet, Aristoteles enim dicit [aliquis finis motus] in prædicato autem propositionis id cuius gratia non refertur ad motum, sed ad ea quorum est motus ille, quod enim motus tendat ad aliquem scopum intentum qui habeat rationem perfectionis, & boni, notum esse videtur ex natura ipsius motus, vt patet etiam in tertio libro in definitione motus, motus enim est actus imperfectus ad perfectionem, & complementum tendens, quæ causa finalis dicitur ipsius motus, ignotius autem est de ipso mobili, seu illo, in quo transmutatio fundatur, ideò Aristoteles dicit illud esse vltimum, & id cuius gratia respectu eorum quorum est motus continuus, quod est finis ipsius motus, perfectio enim quæ in fine motus acquiritur ipsi mobili acquiritur, cuius est motus ille, seu illa transmutatio. Quod Aristotelis dictum verissimum est, si intelligatur in motu naturali, non in voluntario, in hoc enim multæ fieri possent instantiæ, sed de motu naturali præsertim de motu generationis, de quo Aristoteles loquitur, clarissimum est, motus enim generationis ad finem tendit intentum a natura generante, & bonum, ergo est etiam finis, & id cuius gratia materiæ, in qua motus ille fundatur: materia enim est in rerum natura propter rerum generationem, & vt ex ea aliquid fiat, fit autem aliquid ex ea per acquisitionem formæ, mediante motu, qui per aduentum formæ terminatur, quare patet materiam dirigi in formam vt in finem, quia est propter generationem, & generatio est propter formam; nulla igitur est nugatio in verbis Aristotelis, cum finis in subiecto maioris, & id cuius gratia in prædicato ad diuersa referantur, & nulla petitio principij. Simplicius saluat literam vt iacet, sed finem dicit sumi largè pro vltimo vt nugatio euitetur. Sed non bene defendit literam Aristotelis, quia Aristoteles in fine textus dicit non omne vltimum esse finem. Quare hic non debet accipere finem pro vltimo. Præterea Simplicius tale vltimum intelligit, quod sit etiam scopus, ergo contrahit ipsum, & eandem nugationem committit. Altera quoque ratio friuola est cum dicitur vltimum & id cuius gratia non reciprocari, cum tamen ab Arist. ponantur vt reciprocantia, dico enim vltimũ si pro vno fine ponatur reciprocari cum eo, cuius gratia. Volens igitur Arist. significare se ita vltimum accipere, adiecit, [& id cuius gratia] vbi dictio, &, declaratiua est, & contractiua, vt intelligatur quale vltimum accipiatur. Si etiam dicamus esse coniunctiuam, & vltimum esse communius, quàm id, cuius gratia, nullum sequitur incommodum, genus enim speciei in affirmatione anteponere non est vitiosum, & ita sermo Aristotelis cum amplificatione procedet, & cum maiori efficacia, vt dicat, id non modo vltimum est, sed etiam tale vltimum, quod est id, cuius gratia, non enim omne vltimum est eiusmodi, sicuti si quis dicat, & Dominus erit, & Rex. Rectè autem dicit Aristoteles, [continuo motu existente] vt Simplicius notat, quia si motus ad certum finem tendens interrumpatur, vltimum eius non dicitur finis propriè acceptus, qui sit id cuius gratia respectu motus, & respectu mobilis, debet igitur motus continuus fieri vsque ad proprium scopum, cuius gratia est ille motus, & tunc possumus dicere illum esse finem, cuius gratia est id, cuius gratia est motus ille; quare sententia Aristotelis erit hæc, quando aliquid continuo motu,


&

& non interrupto peruenit ad proprium finem, ad quem ille motus tendit, illud dicitur non modo vltimum, sed id cuius gratia respectu eius, cuius est motus ille; ita enim probatur quod materia est propter formam tanquam propter finem. Dubium est de hac ratione Aristotelis, an supposito quod naturalis Philosophus consideret formam, probet eundem considerare etiam materiam, sicuti voluit Alexander, an è conuerso ex eo quod consideret materiam, probet eundem considerare formam vt Simplicio placuit. Quæ sententia Vicomercato probabilior visa est, quoniam materiam a Philosopho naturali considerari notissimum est, & ab omnibus antiquis Philosophis concessum, formam non ita, quia eam non ad modum antiqui cognouerunt, quare verisimilius est Aristotelem supponere quod naturalis consideret materiam, & inde colligere quod consideret etiam formam, eo quod ad eandem scientiam pertinet cognoscere ea, quæ ad finem tendunt, & finem ipsum. Ego tamen dicendum puto quod Aristoteles neque de materia probat per formam, neque de forma per materiam, sed solum probat ad eundem artificem pertinere vtranque cognoscere, non alteram solum, quia dubium proposuerat, an eiusdem sit vtranque cognoscere, an diuersorum, hunc autem artificem patet nullum alium esse, quam Philosophum naturalem, quia materiam, & formam hic Aristoteles nominat, vt naturas, de natura autem debet agere Philosophus naturalis, quare proculdubio alteram debet cognoscere. Vnde Aristoteles probat hic quod vtramuis cognoscere dicatur, quod quidem indifferenter supponit, cogimur dicere quod alteram quoque cognoscat. Imò magis in contrarium ratio vrget, quia iam Aristoteles probauit quòd magis est natura forma, quàm materia. Ratio autem quæ Vicomercatus mouebat debilis est, quamuis enim antiqui non cognouerunt formam esse naturam, sed materiam solam, tamen Aristoteles iam satis demonstrauit formam esse naturam, ideo in Textu 21. dubitauit de vtra loquatur Physicus, non magis de vna esse verum supponens, quam de altera, nunc igitur supponit solum quod Physicus vnam cognoscat, vtrauis ea sit, & probat quod eam reliquam, [Quo circa & Poeta] colligit Aristoteles ex dictis errorem poetæ, quem dicunt fuisse Euripidem, cuius uerba etiam adducit, quæ cum in eius tragedijs, quæ nunc extant, non legantur, in alia fortasse, quæ perijt, posita erant; loquens enim Euripide, de quodam, qui mortuus erat, hæc verba protulit, habet finem, cuius gratia erat genitus, quæ verba esse ridicula inquit Aristoteles, quandoquidem mors non est appellanda finis, cum finis non sit omne vltimum, sed illud vltimum, quod sit etiam optimum, & appetibile. Mors autem mala est, & est quidem vltimum vitæ nostræ, non tamen est finis, propter quem nati sumus, homo enim non nascitur vt moriatur, sed vt augeatur vsque ad ætatem perfectam, & possit eas edere operationes, quæ homini conueniunt, ideo Aristoteles etiam in quinto Metaphysicorum cap. de perfecto. 5. cap. 16. dicit mortem improprie, & metaphoricè dici finem, sicuti etiam quandoque metaphorice tribuimus nomen perfecti rebus malis, cum dicimus, est perfectè mortuus, est perfectus fur, & latro. Sunt etiam qui considerant non esse verum continuum motum usque ad mortem quia per aliquod tempus animal augetur, deinde incipit alter motus diminutionis, quare mors non est vltimum unius motus, qui in animali inceperit. Sed aliquis dicere posset contra hos quod saltem nutritio est vnus motus in animali incipiens ab ortu animalis, & terminans per mortem, quare non ea ratione puto Aristotelem deridere Poetam, quia non sit vnus motus continuus vsque ad mortem, cum nutritio talis sit, vel talis esse videatur. Sed dato etiam quod sit unus motus usque ad mortem, vult Aristoteles non propterea mortem esse vocandam finem, & id cuius gratia, quia non habet rationem
boni,

boni, neque eius gratia nascimur, non enim omne vltimum vult esse finis, sed quod bonum sit, & magis bonum quàm ea, quæ ad ipsum diriguntur.

Textus Vigesimus Quartus.

Quoniam, & faciunt artes materiam, aliæ quidem simpliciter, aliæ verò operi accommodam, & vtimur tanquàm propter nos, omnibus, quæ sunt; Sumus enim quodammodo, & nos finis. Dupliciter enim est id, cuius causa; dictum est in ijs, quæ de Philosophia.



ONTINVATIO huius Textus ita est difficilis, ut Ioannes Grammaticus putauerit, locum hunc esse deprauatum per transpositionem verborum tam Textus huius, quàm præcedentis, ut eum legentibus patere potest. Ego enim de eius sententia nihil dicam, quia absurdum esse puto, & Textum optimè exponi posse uti iacet, & accipio expositionem Simplicij & Themistij, qui dicunt Aristotelem nouo argumento ab Artibus sumpto confirmare id, quod proximè dixerat, & uidetur argumentum eo tendere, vt probetur materiam a naturali esse cognoscendam, potest tamen trahi ad probationem similem præcedentibus, uidelicet, quod formam, & materiam simul debeat Philosophus naturalis cognoscere. Vt autem argumentum intelligatur, sciendum est quod in Textu hoc & in sequenti quatuor genera artium tanguntur ab Aristotele. Aliæ nanque materiam faciunt, aliæ facientibus presunt, & Architectonicæ uocantur, quia alijs imperant. Quæ materiam faciunt, diuiduntur adhuc in duas, ut in hoc textu patet, aliæ namque materiam simpliciter faciunt, aliæ non simpliciter faciunt, sed eam existentem reddunt ad opus idoneam, & præparant. Simpliciter faciunt, ut ædificator facit lateres, & Ars Medica, seu Aromatharia componit medicamenta. Quæ parant vero, vt statuaria, quæ sumit æs, & ad statuam idoneum reddit, dicitur enim materia non simpliciter fieri, sed preparari solum, quando non penitus transmutatur, sed ita alteratur, ut nomen seruet, ac definitionem: æs enim manet, etiam æs in statua, sic lignum manet etiam lignum in lecto. Cum vero fit transmutatio in substantia, & res noua fit, dicitur materia simpliciter fieri, vt cum ex terra fiunt lateres, qui non sunt amplius terra. Sic Mithridatica compositio est vera res distincta ab omnibus componentibus separatim acceptis; quę ita coiuerunt, vt noua resultauerit elementorum temperies. Illæ verò, quæ facientibus imperant; adhuc in duas diuiduntur ab Aristotele in textu sequenti; aliæ namque formā faciunt in materia iam ab alijs artibus facta, vel præparata, & alijs artibus imperant, qualis debeat esse illa materia, vt ars construendarum Nauiū, ab alijs enim artibus subiectis & subministratur materia talis, qualem ipsa præcipit: ipsa verò formam Nauis imponit, aliæ vero nihil faciunt, sed factis solum vtuntur, & imperant etiam facientibus formam vt ars nauigatoria, hæc enim Naui iam facta vtitur, & imperat alteri arti facienti Nauem, qualis debeat esse Nauis forma, & singularium partium, ut sit ad nauigandum idonea. His intellectis dico Aristotelem hic argumentum sumere ab illis artibus, quæ materiam faciunt, quæ duæ sunt, vt ipse dicit in Textu, aliæ namque simpliciter materiam faciunt, aliæ non simpliciter faciunt, sed præparant ad opus, & idoneam

reddunt,

reddunt. Argumentum autem tale est, supponit primùm quòd ars naturam imitatur, ut dictum est in textu vigesim.secund. Vnde infert quòd si artes non modò materiam cognoscunt, sed etiam eam faciunt, quod maius est, quàm cognoscere, non potest negari quòd scientia naturalis, quoniam ars Naturam imitatur, saltem ipsam materiam cognoscat, quod quidem argumentum videtur supponere, quòd Philosophus naturalis cognoscat formam, & probare solùm de materia, tamen ita potest intelligi vt simul probetur de vtriusque. nam artes proculdubio formam faciunt, quod est manifestissimum, ita ab Aristotele prætermissum, & suppositum, ut nos ita possimus argumentari, artes multæ non modo formam faciunt, verùm etiam materiam, & omnes imitantur naturam; ergo Philosophus naturalis debet saltem cognoscere utramque naturam, si facere eam non potest; particula autem illa [quoniam] significat redditionem rationis. per nouum argumentum, per quod confirmatur illud idem, quod proximè dictum fuit, quasi sensus sit; quod diximus est verum etiam ob aliam rationem, quoniam artes etiam faciunt materiam, non solùm eam cognoscunt, cur igitur Philosophus naturalis non debeat saltem materiam cognoscere simul cum forma si ars omnis Naturam imitatur? [Et vtimur tanquam propter nos.] Hanc esse puto alteram nouam confirmationem eorum quæ dicta sunt in Textu præcedenti, sed differt a confirmatione iam posita in prima parte Textus, quia illa est nouum argumentum ad confirmandam conclusionem principalem, quòd videlicet Philosophus naturalis debet simul cum forma, materiam considerare, hæc verò non confirmat conclusionem principalem, sed propositionem quandam assumptam ab Aristotele in ratione facta in Textu præcedenti, ibi enim Aristoteles assumpsit propositionem hanc quòd eiusdem officium est considerare finem, & ea quæ diriguntur ad finem, hanc confirmat hoc in loco per distinctionem duplicis finis; duplex enim est finis, unus dicitur finis quo, alter finis cui, & vterque appellatur id cuius gratia finis quo est ille, quo acquisito cessat motus, forma est huiusmodi finis; transmutatio enim materiæ ad formam tendit vt ad finem, quo acquisito cessat illa transmutatio. Est alter posterior finis cui prior finis acquiritur, vt si dicemus compositum esse finem cui, clarius hoc in artefactis apparet, nam finis ædificatoris ut quo est ipsa forma domus, ea enim acquisita cessat motus ædificationis, qui ad eam fit, sed est alter finis principalior, in quem tota domus dirigitur, & est homo ipse, homini enim ea forma acquiritur, ipsi ædificatur domus, vt eam habitet, & ea vtatur, ideò dicitur finis cui, sic dicebat Aristoteles in secundo de Anima trigesim. septim. animam esse finem omnium partium organicarum ipsius corporis vt finem cui, quia ipsi animam dantur organa a natura, ut anima eis vtatur in edendis proprijs operationibus. Vnde patet hominem esse finem omnium Artium effectiuarum quia omnes quicquid faciunt, homini faciunt, & ad humanum vsum; Aristoteles igitur sumit nunc fundamentum hoc, quòd nos sumus finis quodammodo, quoniam [utimur omnibus, quæ sunt, tanquam propter nos factis] ne intelligamus entia omnia absolutè. non enim sunt omnia propter nos, sed intelligamus omnia quę sunt ab arte, hæc enim propter nos fiunt, dicit autem [quodammodo] quia nos non sumus finis eo modo, quo forma est finis, ut Aristoteles in Textu præcedenti considerauit, sed alio modo sumus finis, ideò statim subiungit Aristoteles quòd finis, & cuius gratia est duplex sicuti declarauimus, vult per hęc significare Aristoteles rationem talem a minori ad maius, minus videtur quòd finis cui sit coniunctus cum materia, & cum ijs quæ ad finem diriguntur quàm finis quo, attamen etiam finis cui est coniunctus cum materia, & cum ijs, quę sunt propter finem, quia

nos sumus finis cui omnium artefactorum, & ipsa omnia tractamus, quia ijs omnibus utimur, materiam igitur omnium artefactorum, & artefacta omnia tractamus, quare sumus quodammodo cum ipsis coniuncti, & ea quodammodo cognoscimus, ergo magis ipse finis quo, debet esse coniunctus cun ijs, quæ ad finem sunt, & cum materia ipsa, & consequenter tractari ab eodem, a quo tractatur ipse finis; quòd autem minus videatur de fine cui quam de fine quo quòd sit coniunctus cum ijs quæ sunt ad finem, ratio est, quia finis quo est propinquior materiæ, quam finis cui, est enim veluti in medio collocatus inter materiam, & finem cui, prius enim materia assequitur formam artificialem, postea nos toto artefacto utimur, si igitur finis cui cum remotior sit a materia, tamen cum ea est coniunctus, quia nos sumus finis, & utimur artefactis, & ea tractamus continuè, sequitur quòd multo magis ipse finis quo debet esse iunctus materiæ; & consequenter tractari ab eodem, a quo tractatur materia quæ dirigitur ad finem. Cum autem Aristoteles in Textu dicat se de hoc duplici fine locutum esse alibi [in ijs, qui de Philosophia] dubium non leue est quosnam libros intelligat, Græci enim, & alij eos sequentes dicunt Aristoteles intelligere libros Ethicorum, nam etiam in tertio Politicorum Aristoteles de libris Ethicorum loquens eos uocat sermones secundùm Philosophiam, sed expositio hæc ita dubia est, ut eam accipere non possim, primùm enim cum in libris Ethicorum multæ distinctiones finium ponantur ab Aristoteles, hæc tamen nunquam in ijs libris legitur, uidelicet, finis quo, & cui. Præterea Aristoteles hic non vocaret Philosophiam ipsam moralem facultatem, solet enim per Philosophiam semper intelligere scientiam diuinam. Neque obstat, quòd in tertio Politicorum libros morales uocet sermones secundùm Philosophiam, quia vt ciuilis potest ita loqui, cum in ijs libris multa alia dicat, iuxta vulgare opinionem hominum potius quàm iuxta veritatem, at hic versans in Philosophia contemplatiua non vocaret libros morales Philosophiam, imò solam Metaphysicam ita appellare consueuit; sed neque Metaphysicam videtur posse intelligere, quia nullibi in Metaphysica hæc distinctio legitur, nisi dicamus in textu 37. libri 12; sed tamen ibi adeò concise & breuiter ponitur, ut credere non possim Aristotelem eum locum intellexisse, ibi enim Aristoteles potius ea distinctione vtitur, quam eam declaret, quemadmodum etiam hic credendum est autem citari locum, in quo distinctio hæc fusius explicetur, atque declaretur, eam quidem legimus in textu trigesimoseptimo secundi libri de Anima, sed eos libros Aristoteles non appellaret de Philosophia, cum præsertim sint pars scientiæ huius, in qua nunc versamur. Ego igitur nil habeo in hac re quid dicam, nisi quòd hic dicitur a Vicomercato, quòd Aristoteles fortasse intelligit tres quosdam libros ab eo scriptos; & in scriptos de Philosophia, qui tamen desiderantur, sed eorum mentionem Laertius facit, & Alexander in primum Metaphysicæ, & Cicero in libris de Natura Deorum. In iis fortasse libris, quos non habemus; distinctio hæc duplicis finis fuit ab Aristotele fusius explicata, hoc etiam videtur locutio Arist. confirmare, libros enim Metaphysicos solet appellare primam Philosophiam, vel absolutè Philosophiam, non de Philosophia, hic igitur cum non dicat in Philosophia, sed in libris de Philosophia uidetur potius significare libros illos, quos iam inscripserat de Philosophia. Est autem hic animaduertendũ quod hi duo fines solent ab expositoribus cõmuniter appellari cuius, & cui. Sed prioris finis appellatio mihi non placet non enim uideo cur magis debeat uocari cuius, quam alter quia si dicunt appellare cuius, idest cuius gratia, uideant Arist. in Textu vtrunque vocare cuius gratia, cum dicat dupliciter dici id, cuius gratia,

&

& reuera non magis dicimus materiam domus esse gratia formæ, quàm gratia hominis, quare vterque potest appellari finis cuius. ego igitur priorem finem verius puto appellari quo, quàm cuius. Est enim finis, quo acquisito cessat motus, vt declarauimus prius. Appellatio hæc cuius & cui, est Aristotelis secundo de anima trigesimoseptimo: vtrumque tamen dicitur esse id cuius gratia: vide etiam secundo de anima trigesimoquinto.

Textus Vigesimus quintus.

Duæ igitur sunt artes, quæ dominantur ipsi materiæ & quæ sunt cognoscentes ea, quæ vtitur, & Factiua quæ Architectonica est: quapropter, & quæ vtitur, Architectonica quodammodo est. differt autem quatenus hæc quidem, quæ formam cognoscit, Architectonica est, alia autem vt effectrix materiæ. gubernator enim qualis sit forma aliqua temonis cognoscit, & præcipit, alius autem ex quo ligno & quibus ex motibus est. In ijs igitur, quæ sunt secundum artem nos facimus materiam propter opus, sed in Physicis est.

HIC Aristoteles dubium soluit emergens contra illa, quæ dixit in prima parte textus præcedentis, ibi enim argumentum sumpsit ad probandum, quod naturalis debet cognoscere cum forma etiã materiam ex artibus, quæ materiam non modo cognoscant, verum etiam faciant. Si enim Artes materiam faciunt, naturalis eã saltem cognoscere debet. Sed aduersus hoc poterat aliquis argumentum sumere in contrarium ex illis artibus, quę materiam non faciunt, & fuerunt duę illæ, quas diximus præesse, & imperare alijs, & vocari Architectonicas, dicere enim poterat istę Architectonicę non faciunt materiam, ergo similiter naturalis Philosophus non debet materiam considerare. Aristoteles igitur huic dubio occurrens dicit etiam has non omnino materiam spernere, & si enim eam non faciant, & saltem eam cognoscunt, quare argumentum firmum manebit ex omnibus artibus; cum enim ars omnis Naturam imitetur, & formam simul cum materia cognoscat, imò plures earum faciunt etiam materiam, sequitur naturalem Philosophum cognoscere saltem ipsam materiam debere. Aduertendum autem quod cum de his duabus imperantibus artibus Aristoteles nihil supra dixerit, non debemus legere [duę igitur sunt artes] sed [duæ autem] vt se habet Græcus Codex. Dicit igitur Aristoteles, quod duę sunt artes distinctę a duabus supradictis facientibus materiam, hę enim non faciunt, sed ei dominantur, & imperant, quare cum imperent, sequitur necessario quod eam cognoscant, quare artes omnes materiam cognoscunt, quia alię eam faciunt, alię ei imperant, quorum neutrum potest esse sine cognitione. Has igitur imperantes artes declarans Aristoteles dicit, unam esse quę nihil facit, sed factis utitur, alteram verò, quę cum in numero facturum sit, faciat aliquid, solet tamen communiter vocari Architectonica, Ars gubernatoria Nauis nihil facit, sed vtitur solũ. Ars autem effectrix Nauiũ est factiua, quia Nauem facit, non tamẽ materiam facit, sed formã, & dicitur Architectonica, quia

præest, & imperat alijs artibus ei subiectis qualem materiam debeant ei subministrare, vt arti secandi ligna, & arti dolandi ipsa, illæ.n.materiam illi faciunt, idest, preparant, hoc.n.non facit ipsa ars effectrix Nauium, sed solùm formam Nauis facit in illa materia, quę ipsi a subiectis artibus subministrantur. Inter has duas artes imperantes Arist. hanc differentiam statuit, & conuenientiam; primum.n. conueniunt, quoniam vtraque vocari potest Architectonica: illa.n. [qua utitur Architectonica, quodammodo est,] quia imperat alteri effectrici Nauium, qualis esse debeat Nauis ad nauigandum idonea, inquit autem Arist. [quodammodo] respiciens potius loquendi consuetudinem, quàm ipsam rei veritatem, nam secundum veritatem ars, quæ vtitur solùm, magis est Architectonica quàm quæ formam facit, quia illa huic imperat, attamen non consueuimus appellare Architectum nisi illum, qui operi præest, & formam etiam Nauis facit, illum enim qui facit formam nauis in materia ei administrata a subiectis artibus vocamus Architectum, at Nautam non vocamus Architectum, licèt alteri illi Architecto imperet. Propterea Aristoteles de eo, qui Nauim facit loquens dicit absolutè, [& factiua, quæ Architectonica est] pro comperto enim sumit, quòd hæc communiter dicatur Architectonica ab omnibus; de utente autem dicit quòd etiam ipsa quodammodo est Architectonica, quia non est in usu vt appelletur Architectonica, cum tamen non minus ipsi hoc nomen conueniat, imò etiam magis, sed differentiam subdit in hoc domini vtriusque, alia enim, & alia ratione hæc & illa dicuntur Architectonicæ, illa enim quæ utitur, dicitur Architectonica, quia [formam cognoscit] idest imperat alteri arti circa formam, quare præest ipsi formæ, nec formã facit, [altera verò ut effectrix materiæ] altera verò cum sit factiua formæ, alio modo dicitur Architectonica, imperat enim materiæ. Non debemus enim intelligere quòd Aristoteles dicat hanc facere materiam, quia si reuera materiam faceret, nõ diceretur Architectonica, sed cum dicat eam hac ratione dici Architectonicam, quatenus est effectrix materiæ, significat eius dominium consistere in factione materiæ, quia imperat alijs, quę materiam faciunt, quę omnia ipsemet Aristoteles statim declarat cum exempla subdit, & dicit [gubernator enim qualis sit forma temonis cognoscit & præcipit] nam ars nauis habet suum dominium in forma, hoc autem est, quia imperat alteri, qualem formam Nauis facere debeat, ut sit benè nauigabilis, sed non facit formam, quia si faceret, non diceretur Architectonica ratione formę. [Alias autem ex quo ligno, & quibus ex motibus est.] Effector autem Nauium non dicitur Architectus ratione formę, ille enim dicitur imperare, qui non facit, sed facienti imperat, hic autem formam facit, quæ ipsi imperatur ab alio, sed dicitur Architectus ratione materię, quia imperat alijs materiam facientibus, imperat enim secantibus ligna quęnam ligna debeant secare pro temone, & pro singulis alijs partibus Nauis, cum autem dicit Aristoteles, [ex quibus motibus est] significat imperium huius artis, respectu illius artis, quę materiam præparat; imperat enim incidenti ligna, quænam ligna incidere debeat, imperat etiam alijs, qui iam incisa ligna secant, & inflectunt, has enim lignorum præparationes vocat motus, dolatio enim lignorum, & incuruatio, & inflexio cum motu fiunt, his itaque omnibus imperat effector Nauium, & ita eius dominium est circa materiam cui imperat, vult autem Aristoteles per hæc ipsa significare, quòd etiam hæ duæ artes Architectonicę materiam cognoscunt, quia ei imperant, hoc autem clarum est de Architectonica faciente formam, hęc enim imperat materię, nesciret autem imperare nisi eam cognosceret quomodo enim sit præparandum lignum pro temone, & quodnam ligni genus esse debeat effector nauium cognoscit. Vtens verò etiam ipse

mate-

materiam cognoscit, quatenus imperat formæ, quæ talem materiam requirit, forma enim nauis, & partium nauis, quam Nauta imperat, non est forma abstracta; sed est forma materialis, cuius essentia est constituta in pendentia a tali materia, non potest enim forma timonis esse apta ad regimen Nauis, nisi sit facta in materia idonea, & conueniente ad illum vsum, ideo utens ut nauta imperat formæ, & materiæ simul, & neutram earum facit, qui enim imperat imperanti etiam subiectis imperat. Ideò Aristoteles in principio Textus dixit utramque artem imperare materiæ, sed una imperat immediatè, & est illa, quæ facit formam, altera uerò materiæ imperat, quia imperat formæ. Patet igitur quod licèt aliquę artes materiam non faciant, nulla tamen est ars, quæ materiam necessariò non cognoscat, & sic totum dubium est sublatum. [In ijs igitur quæ secundum artem, nos facimus materiam propter opus, sed in Physicis est.] Hæc est conclusio totius rationis factæ ab Aristotele in his duobus Textibus, cum enim artifices faciant materiam propter formam, sequitur etiam quòd in naturalibus, cum materia iam sit, neque a nobis fiat, est propter formam. Est enim clarius in artibus, quia nos materiam facimus, & ideo scimus cuius gratia eam facimus, nam gratia formæ. Ergo similiter in rebus naturalibus existimandum est materiam esse gratia formę, licet occultius sit, quoniam Philosophus naturalis non facit eam, sed eam iam existentem inuenit. Auerroes dicit quòd Philosophus naturalis eam non facit, quia est æterna. Simplicius uerò dicit quod eam non facit, quoniam a natura factam inuenit, uterque uerum dicit. Auerroes enim loquitur de prima materia. Simplicius uerò de materia propria cuiusque, sed utramuis ponamus; certum est quod nos eam non facimus dum res naturales speculamur, & hoc considerat Aristoteles hic. Ex his uerbis colligit alteram meliorem expositionem horum duorum Textuum, quàm fuerit ea, quam supra adduximus, credo enim Aristotelem in Textu Vigesimoquarto, cum dixit [quoniam, & faciunt artes materiam] non fecisse nouam rationem ad probandum principale propositum, uidelicet, quòd Philosophus naturalis debeat cognoscere materiam, cum multæ artes eam etiã faciunt, quemadmodum Simplicius, & Themistius exponebant, sed credo esse confirmationem propositionis prius assumptæ in Textu Vigesimotertio, & fuit illa propositio minor, materia dirigitur in formam ut in finem; hanc Aristoteles probauit ratione in eo Textu; deinde in Textu Vigesimoquarto cepit eam confirmare sumpto argumento ab artibus, hæ namque cum materiam faciunt, & faciunt propter formam, inditio sunt quod etiam in ijs, in quibus nos materiam non facimus, vt in naturalibus, materia est propter formam tanquam propter finem, sicuti nunc Aristoteles concludit. Ad hoc idem debent pertinere verba illa in Textu Vigesimoquarto; [& vtimur tanquam propter nos] non enim probant maiorem positam in Textu Vigesimotertio, vt antea exposuimus, sed pertinent ad probationem eiusdem minoris, vt continuatio verborum significare potest, vult autem Aristoteles ostendere, quòd materia naturalium est propter formam, quoniã etiam materia artificialium est propter formam; quod autem materia artificialium sit propter formam, ostendit Aristoteles sumpto ex nobis ipsis duplici argumento. Primo quidem, quia facimus eam, & propter formam facimus. Secundò, quia vtimur artefactis omnibus tanquam factis propter nos, cum nos quoque dicamur finis, vt supra declaratum est, ex eo enim quod vtimur omnibus artefactis, testificamur, quod materia artefactorum est propter formam. Nos enim vtimur non materia rudi, & non elaborata, sed vtimur ea elaborata ab artifice, idest, formata, quare materia est propter formam, quia materia vti formata ab artifice est propter nos, non enim esset propter nos, nisi prius esset propte

formam, quæ est finis quo; in Textu autem hoc Vigesimoquinto Aristoteles ex duabus artibus Architectonicis, quæ materiam non faciunt, ostendit quod materia fit ab alijs artibus propter formam. Artes enim Architectonicæ materiam non faciunt, sed faciunt formam, vel materia simul cum forma vtuntur, & facientibus materiam imperant; qualis ea esse debeat, patet igitur quòd artes illæ inferiores, quæ materiam faciunt, faciunt propter formam, quia faciunt eam ex mandato artis superioris facientis formam, quare faciunt materiam talem qualem illa forma requirit, & sic materia in artificialibus fit propter formam, ergo similiter vbi non fit, sed est, est propter formam, vt Aristoteles hîc concludit. Hæc est vera expositio horum duorum Textuum, sic enim omnia verba ad vnum scopum diriguntur, & secundum priorem expositionem est magna confusio. Nam in principio Textus Vigesimiquarti dicebamus Aristotelem vti noua ratione ad conclusionem principalem, deinde in eodem Textu confirmare maiorem Syllogismi in Textu Vigesimotertio facti, quæ dicuntur in hoc Vigesimoquinto pertinere ad soluendum dubium contra primam partem Textus Vigesimiquarti, quę certe est magna confusio, & omni ordine carens, modus etiam loquendi Aristotelis in principio Textus Vigesimiquarti hoc significauit, nam dixit [quoniam] quæ dictio non potest significare nouam rationem, sed confirmationem rationis prius factæ, in qua sumpta erat minor aliquantulum dubia, & probata per Syllogismum in Textu Vigesimotertio, ideo Aristoteles adijcere uoluit confirmationem sumptam ab artibus vt dictum est. Hāc expositionem uidetur tetigisse Suessanus, sed postea in recognitionibus eam reiecit, & secutus est expositionem Simplicij. Vel possumus dicere quod Aristoteles dupliciter ostendit, quòd artes materiam faciunt propter formam. Primum quidem ex eo quod nos utimur omnibus artefactis tamquam propter nos existentibus. Non uteremur autem nisi formatis. Quare materia eorum est propter formam, & forma propter nos. Secundo per artes architectonicas, quibus inseruiunt illæ, quæ materiam faciunt. Sumit igitur prius Aristoteles quòd artes quædam faciunt materiam in prima parte textus Vigesimiquarti. Deinde in secunda parte ostendit ex nobis utentibus quod eam faciunt propter formam. Deinde in textu uigesimoquinto ostendit id ex artibus architectonicis, quæ imperant, facientibus materiam. Et tandem concludit quod si artes materiam faciunt propter formam in naturalibus quoque materia est propter formam, & ita est cognoscenda propter formam.

Textus Vigesimus sextus.

Amplius eorum, quæ ad aliquid, materia est, ad aliam enim formam, alia materia. Quousque ergo Physicum oportet cognoscere formam, & ipsum quid est? An quemadmodum Medicum neruum, aut Fabrum æs usque ad aliquid? alicuius enim gratia unumquodque & circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma in materia autem; homo enim hominem generat & Sol, quomodo se habent autem hæc separabilia, & quid sit Philosophia prima est officium determinare.

IN

IN hoc textu Aristoteles duo facit, primo enim ponit aliam nouam rationem, quæ vltima est, ad probandum quòd Philosophus naturalis debet agere de forma, & de materia simul; deinde proponit aliam nouam emergentem quæstionem, & eam soluit. Facit in prima argumentum tale, materia refertur ad formam, ergo ad eandem scientiam pertinet utramque cognoscere: consequentia patet, quia unum relatiuum sine altero cognosci non potest, Aristoteles autem probat antecedens, quoniam alia forma aliam materiam requirit, ex ea enim materia, ex qua fit homo, plantæ non fiunt, quare propria hominis materia ad hominis formam habet relationem, & sic quælibet materia ad propriam formam. Hæc est ratio Aristotelis, quæ non magis de materia probat per formam, quàm de forma per materiam, sed indistinctè probat quòd si unam considerat Philosophus naturalis, debet alteram quoque considerare. Simplicius dubitat quomodò Aristoteles dicat ad aliam formam aliam requiri materiam, cum omnium formarum unica sit materia, quæ prima appellatur; respondet Aristotelem loqui de materia proxima, ita tamen ut eadem ratio transferatur etiam ad materiam remotam, & primam, propria enim cuiusque est materia, quæ dicitur propinqua, quæ ita uni formæ assimilatur, ut non alijs, sicuti autem propria materia ad hanc determinatam formam se habet, ita materia prima, quę una est, se habet ad formam communiter acceptam; uult igitur significare Aristoteles, quòd sicut quælibet propria materia ad quamlibet formam se habet, ita materia simpliciter ad formam simpliciter, & sic ratio Aristotelis probat non modò de materia propinqua, sed etiam de remota, quæ debet cognosci a Philosopho naturali, & sic de forma tam singula, quàm communi. Est tamen animaduertendum, ut sano modo hæc intelligamus, non enim debemus existimare materiam propriam esse materiam secundam, quia hic non de secunda materia loquitur Aristoteles, sed de prima, quæ, & remota, & communis, ac etiam propinqua, & propria dici potest: materia enim secunda est materia formata, quæ simul cum forma, quam habet, remanet sub alia nobiliori forma, ut mixtum ex elementis est materia recipiens animam seruando formam mixti, de qua materia hic Aristoteles non loquitur, quia non considerat aliquam formam simul cum materia in composito genito remanere, sed solam materiam primam considerat remanere, quæ quidem si absque vlla forma sumatur cum potentia ad omnes est prima, & remota, & communis omnium materia, & infinita, & incorruptibilis, vt Aristoteles in textu octuagesimosecundo primi libri docuit, & si sumatur cum priuatione formæ determinatæ est propria materia illius formæ, nec tamen est materia secunda, quia non est formata per formam aliquam, quæ remanere debeat in composito generando, sed per determinatam formam est formata habentem locum priuationis, & corrumpendam in aduentu formæ venturæ, ut nihil remaneat, nisi prima materia; dicimus enim semen humanum materiam propriam ex qua homo fit; quia non est materia communis alijs rebus, cum sit contracta per formam seminis, veluti per priuationem soli humanæ formæ oppositam, non est igitur semen materia secunda, sed materia prima contracta per propriam hominis priuationem, & facta hominis propria materia, & hanc dixit Arist. in eodem loco esse per se incorruptibilem propter priuationem, idest, propter formam seminis, quæ in ea corrumpitur in aduentu formæ hominis, cum in substantia ipsa materiæ maneat incorrupta. Hic igitur Aristoteles intellexit primam materiam contractam pro exigentia cuiusque formæ per propriam illius formæ priuationem; & uult significare, quòd quemadmodum hæc materia propria refertur ad determinatam formam, quæ

talem

talem materiam requirit, ita etiam materia simpliciter ad formam simpliciter refertur. Hæc dicere volui propter illos, qui putant Aristotelem per hanc rationem non probare de materia prima quod sit consideranda a Philosopho naturali, sed solum de materia secunda, cum tamen Aristoteles nullam consideret secundam materiam, quæ simul cum sua forma remanet in composito, sed solam substantiam primæ materiæ determinatam per priuationem propriam cuiuscunque formæ naturalis. Materia prima autem fit propria dum contrahitur per formam tenentem locum priuationis. At materia secunda est contracta per formam tenentem locum materiæ respectu nobilioris formæ, & cum ea remanentis. Dubitatur etiam, quomodo Aristoteles dicat materiam esse ad aliquid, si enim est substantia, non potest esse in puncto relatiuorum. Ad hoc dicendum est quod materia in sua prima notione non refertur, sed est substantia, & habet suum esse absolutum; in secunda autem notione vt est principium, habet habitudinem ad formam, & est relatiuum secundum dici, non secundùm esse, non enim tota materiæ essentia est posita in relatione ad formam, sed est substantia habens esse absolutum, cui superuenit potentia vt accidens eam generans, vt diximus in quęstione de potentia materiæ ad finem primi Libri, quæ potentia cum sit qualitas, refertur tamen ad actum, & est relatiuum secundum dici, non secundum esse. Et quoniam potentia est de essentia materiæ acceptæ in secunda notione, ideo materia in secunda notione refertur ad formam ratione potentiæ, quam includit, & sic est relatiuum secundum dici, non secundum esse, & totum dubium tollitur. [Quousque ergo Physicum oportet cognoscere formam, & ipsum quid est?] Proponit Aristoteles quæstionem nouam, & eam soluit, quæ est quonam vsque extendatur consideratio Philosophi naturalis in tractatione de forma, & ipsam vocat quid est, quia per formam res definitur, tanquam rei essentiam, & quidditatem: de materia Aristoteles non proponit similem quæstionem, quia [vt Simplicius ait] patet ex dictis quod materia est consideranda a Philosopho naturali simpliciter vsque ad primam materiam perueniendo, & semper prout refertur, & ordinatur in formam, materia enim consideratur propter formam. Cum autem formam non omnem consideret Philosophus naturalis neque quomodocunque, ideo declarandum fuit vsque ad quem terminum extendatur Philosophus naturalis in cognitione formæ. Deinde cum dicit [An quemadmodum Medicum neruum] respondet Aristoteles quæstioni, & responsio in duobus consistit, alterum est quasnam formas consideret naturalis, & quas non consideret, non enim omnes considerat; alterum est quomodo etiam formæ ipsæ naturales considerentur a Philosopho naturali, non enim omnibus modis eam considerat. Incipit autem Aristoteles ab hoc secundo, & dicit quòd formæ naturales sunt cognoscendæ a Physico quemadmodum neruus a Medico, & æs a fabro vsque ad aliquem terminum, non autem absolutè & omnibus modis, terminus autem ad quem vsque extenditur consideratio nerui, & æris est ipse finis, tractantur enim ab artibus materiæ artefactorum propter fines, quia sunt ijs artibus subiectæ gratia alicuius finis: sed hæc, quæ de artibus dicuntur, facilia intellectu sunt, non tamen facile est ea accommodare Philosopho naturali. Nam Aristoteles proponit quæstionem de consideratione formæ, hæc autem quæ dicuntur de artibus, pertinent ad cognitionem materiæ, quia æs in arte fabrili habet locum materiæ, & ita neruus in arte Medica, vt etiam ipse Aristoteles significat, dum dicit hæc omnia esse alicuius gratia, idest gratia finis, ut sanitatis, & formæ clauis, seu statuæ, finis autem in artibus habet locum formæ, ut dixit Aristoteles in Textu Vigesimosecundo. Quid ergo uult dicere Aristoteles, non enim conueniens sensus esse uidetur, si intelli-

intelligamus quòd sicuti ars considerat materiam, ita scientia naturalis considerat formam, quia comparatio esse debet formæ cum forma, & materiæ cum materia; ideò Simplicius hæc considerans existimauit neruum, & æs nominari ab Aristotele non vt materias, sed potius vt formas, nam vtrumque constat ex materia, & forma. Sed hæc expositio est alienissima ab Aristotelis mente, quia etiam si hæc sint composita ex materia, & forma, tamen in illis artibus considerantur solum vt materia, non vt forma, illa enim est forma naturalis, cuius nullam cognitionem artifex habet. Præterea dicit Aristoteles hæc considerari gratia finis qui est forma artificialis, ergo similiter significaretur formam naturalem considerari a Philosopho naturali propter finem, quod tamen Aristoteles nunquam dixit, sed semper dixit ipsam esse finem rerum naturalium, ideò oportet hæc exempla intelligere de materia, sicuti Alexander, & Themistius intellexerunt, est enim neruus subiecta materia, in qua est sanitas, & æs est subiecta materia, ex qua fit statua. Sed Alexander intellexit sic, sicuti medicus considerat neruum propter finem, & faber æs propter finem: ita Philosophus naturalis considerat materiam propter formam, & in ordine ad formam. Quæ expositio esset conueniens (vt Simplicius notat) si quæstio fuisset de materia, ad quem vsque terminum extendatur eius consideratio, nunc autem de forma, non de materia est quæstio, quare expositio non est ad propositum. Themistius verò exposuit sic, quemadmodum artifex considerat materiam propter formam, ita naturalis considerat formam propter materiam. & sic responsio videtur conueniens ad quæstionem de forma. Attamen neque expositio hæc admittenda est, quia non debemus dicere materiam esse finem formæ, sed è conuerso tantum, vt clarè dicit Aristoteles in vltimo capi primi Libri de partibus animalium, & eiusdem, & secundi libri. Dicit enim materiam esse propter formam, non formam propter materiam, quod idem legimus in primo capite, & eiusdem & secundi Libri. Nunquam igitur concederet Aristoteles, quòd materia dicitur considerari vt finis formæ, quamuis enim velit formam naturalem considerari non sine materia, non tamen dicit considerari propter materiam. Sanctus Thomas dicit quòd sicut Medicus considerat neruum, non tamen vt neruum absolutè, sed vt diligens ad sanitatem, ita Philosophus naturalis non considerat formam absolute, vt formam, sed vt est in materia. Sed neque hæc expositio mihi probatur, quoniam hoc modò nulla ponitur distinctio inter Philosophum naturalem, & diuinum, nam etiam diuinus Philosophus dum tractat de quidditate rerum materialiū, loquitur de forma prout est in materia, & docet substantiam materialem esse definiendam per formam in materia; cum tamen Aristoteles hic velit naturali Philosophiæ limites constituere, quibus a diuina scientia separetur, vt in fine Textus videbimus. Cum igitur apud alios nihil inuenerim quod mihi satisfaciat dicam quid ego excogitauerim. Credo mentem Aristotelis esse vt contrahatur consideratio formæ ad modum considerandi proprium Philosophi naturalis, potest enim considerari forma vt quidditas substantiæ materialis tanquam speciei entis, & ita considerabitur in materia, nec tamen erit consideratio naturalis, sed Methaphysica a Philosopho autem naturali consideratur forma prout est natura, idest, prout est quidditas substantiæ naturalis, & transmutabilis, & principium motus in ea. hic enim est proprius modus considerandi philosophi naturalis. Similitudo autem ab artibus sumpta conueniens est, finis enim in arte habet locum formæ, & modi considerandi, ad quem omnia redigi debent, sicuti igitur Medicus non cognoscit absolutè neruum, sed vt refertur ad finem, qui est sanitas, ita Philosophus naturalis non absolutè, neque omnibus modis formam considerat,

siderat, sed solum ut est natura corporis transmutabilis, sicut enim in arte omnia sub fine continentur, in quem diriguntur: ita in scientia omnia continentur sub modo considerandi, per quem una scientia distinguitur ab alijs: forma igitur a naturali eatenus consideratur, quatenus continetur sub modo considerandi scientiæ naturalis, non alio modo. Deinde cum dicit Aristoteles [& circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma in materia autem] ponit alterum responsionis membrum, quo dicit quas formas Philosophus naturalis consideret, & quas non consideret, & inquit naturalem Philosophum considerare eas tantum formas, quæ non separantur a materia, nisi secundum rationem, & intellectum, cum secundum rem sint semper in materia; illas autem, quæ etiam secundum rem sunt a materia separatæ, dicit adiuino Philosopho considerari. In verbis notandum quod quando Aristoteles dicit [circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma] alij qui codices habent, separabiles quidem formas; quia Codices Græci alij habent εἴδει alij habent εἴδη si igitur legamus εἴδη sensus erit circa separabiles formas secundum intellectum [in materia autem] idest secundum rem non abiunctam a materia, quòd si legamus εἴδει ut reuera plures codices habent, significabit ratione, & essentia, sicuti etiam in Textu sexagesimo primi libri Aristoteles dixit, materiam & priuationem esse disiunctas forma, idest, ratione, & essentia: sensus igitur erit quod naturalis Philosophus versatur circa eas formas, quæ secundum essentiam separantur per intellectum a materia, & secundum rem sunt materiales; quod Aristoteles ostendit argumento sumpto a causis efficientibus, cum dicit [homo enim hominem generat, & Sol] quod enim homo sit forma in materia patet, quia causæ efficientes, a quibus generatur, sunt formæ in materia, & homo, & Sol, nam alter homo est efficiens propinquum, Sol verò remotum, ideò vult significare Aristoteles quod tam efficiens propinquum, quàm remotum est forma in materia, quare non possunt nisi formam materialem producere. Sol autem non dicitur forma in materia, quia sit compositus ex materia, & forma, sed quia est materia in actu, quæ habet conditiones, & materiæ, & formæ, unde solet cœlum vocari materia formalis, vel forma materialis. Sed Vicomercatus putat hanc non posse esse huius loci lectionem χωριστὰ μὲν εἴδει sed ἀχώριστα legendum esse, neque hac in re ullius antiqui Codicis testimonio nititur, sed solum ratione, quia formæ naturales in hoc differunt a Mathematicis, quòd formæ Mathematicæ non possunt esse sine sensibili materia, sed secundum essentiam abstrahuntur a materia, formæ autem naturales neque secundum existentiam, neque secundum essentiam abstractæ sunt a materia sensibili, ideò Aristoteles in proœmio primi Libri de anima inquit eas per materiam definiendas esse. Hîc itaque Aristoteles dicere non potest eas esse separabiles a materia secundum essentiam, & definitionem, ideò legendum est inseparabiles ratione, quod ita confirmat, quia postea Aristoteles dicit [quomodo autem se habeat ea, quæ separabilis est] ubi dictio aduersatiua denotat, quod si ibi nominat separabilem, prius nominauerit inseparabilem. Sed hæc sententia mihi non probatur, quia non debemus ita literas emendare sine alicuius Codicis, vel Interpretis testimonio, præsertim accipiendo contrarium sensum, ut ditto Vir facit, friuola autem est eius ratio, quia si Aristoteles hic dicens formas separabiles secundum essentiam male dicit, & defendi non potest, similiter alijs in locis male dixit, nam in Textu Duodecimo huius Libri loquens de forma materiali, quæ est natura, dixit eam non esse separabilem a materia nisi secundum rationem. Similiter in Textu octauo Metaphysicorum dicit formam esse separabilem secundum rationem, quid igitur mirum si hoc quoque in loco Aristoteles dicat formam materialem esse a materia separabilem, secundum rationem? sed soluenda manet

net instantia, quam Aristoteles supra, & in primo de anima dicit essentiam formæ materialis pendere a materia nec sine, materia posse definiri. Aliqui respondent formam materialem posse a nobis cognosci duobus modis, aut enim cognitione confusa, aut cognitione distincta, & definitiua. Aristoteles hic dum dicit eam separabilem a materia secundum rationem intellexit cognitione confusa eam separari per intellectum a materia. distinctè enim non potest cognosci sine materia. In primo autem libro de anima intellexit cognitione distincta, & definitiua, non enim potest forma materialis definiri, ac distinctè cognosci sine materia; hæc responsio accipienda non est, quia Aristoteles hic non dicit formam esse separabilem per intellectum, vt possimus interpretari de cognitione confusa, sed dicit εἴδει idest essentia, vult igitur vt tunc separetur quando essentia eius cognoscitur, hæc autem non potest esse cognitio confusa, quia cognitio essentiæ est cognitio definitiua. Similiter in Textu tertio Octaui Metaphysicorum Aristoteles loquitur de cognitione quidditatis, & tamen dicit formam esse separabilem a materia secundum rationem. Ego igitur aliter dicerē, quod dum Aristoteles dicit formam separari a materia secundum essentiam, seu secundum rationem, non intellexit quod omnino concipiatur forma in intellectu sine consideratione materiæ, id enim puto esse impossibile, sed intellexit quod concipiatur essentia formæ distincta ab essentia materiæ, nam extra animam nulla inter eas distinctio apparet, sed intellectus separat essentiam vtriusque, & cognoscit aliam esse materiæ essentiam, aliam formæ, nec tamen intellexit formam sine mentione materiæ. Huic sententię conforme est dictum Aristotelis in textu sexagesimoquinto primi Libri, quando dicit rationem compositi resolui in rationes materiæ & formę; per hanc enim resolutionem cognoscimus diuersas essentias ipsarum, cum hoc tamen stat quod alteram non definiamus sine mentione alterius, quamuis enim in definitione formæ appareat materia, tamen definitio formæ non competit ipsi materię, & est diuersa a definitione materię, debent igitur verba Aristotelis intelligi de separatione secundum essentiam, sed non secundum existentiam, quia potest intellectus cognoscere aliam esse essentiam formę, aliam materię, sed non potest cognoscere formam vt existentem sine materia, quia si quis dicat, in quo differunt formæ naturales a formis Mathematicis, quæ etiam ipse secundum essentiam abstrahuntur a materia, sed non secundum existentiam? respondeo quod ratione existentiam non differunt, quia tam hę, quam illæ cum materia existunt, sed differunt ratione essentię, quia essentia rerum Mathematicarum, cum nullatenus pendeat a materia, potest cognosci sine vlla mentione materiæ, at formę nnturales pendent essentialiter a materia, ideo earum essentia sine mentione materię cognosci non potest, cognoscitur tamen per intellectum illa essentia diuersa ab essentia materię; uel possumus dicere quod formæ naturales separantur per intellectum a materia, idest, a reali materia, cum qua existunt, non tamen separantur a conditionibus materiā, quarum necessariò fit mentio in earum definitionibus, & per hoc differunt a formis abstractis; quia illæ sunt reipsa separatę a materia, hę uerò non sunt reipsa separatæ a materia, sed intellectus eas separat a materia reali, quę extra animam est, dum earum essentiam contemplatur, non tamen ita ut non faciat materię mentionem, quare a materia reali separantur, sed non a mentione materię [Quomodo autem se habeat hæc separabilis] Hic docet Aristoteles quas formas Physicus considerare non debeat, & dicit eas esse formas realiter separatas a materia, hę namque quomodo se habeant, & quid sint. Metaphysici officium est determinare, non Phylosophi naturalis. Vanum autem est argumentum Vicomercati, qui, quod Aristoteles hic dicat [separabilis] colligebat

ligebat supra legendum fuisse, inseparabiles, propter dictionem aduersatiuam. Nam hæc dictio χωριςὸν ex aduerso respondet non illi dictioni, separabilis superius positæ, sed illis posterioribus verbis [in materia autem] formæ namque naturales licèt secundum rationem separentur, tamen secundum rem sunt in materia; nunc subdit Aristoteles, illæ verò, quæ non sunt separatæ, & non sunt in materia, pertinent ad Metaphysicum, quare χωριςὸν hic significat potius separatum, quàm separabile; male etiam ponitur in Textu dictio illæ [hæc] sed ita est legendũ, quomodo autem se habeat ea quæ separata est &c. Patet igitur quod ipsa verborum series secundum antiquam lectionem est conuenientissima; quæ tamen secundum lectionem Vicomercati non est conueniens. Nam Aristoteles superius dicens inseparabiles, quomodo adiecit, in materia autem? nam dictio aduersatiua significat quod prius dixit sine materia, postea subdit in materia, prius igitur legendum est, separabiles, postea, in materia autem. Docuit igitur in hoc Textu Aristoteles tum quas formas naturalis Phylosophus cōsideret, & quas non consideret, tùm etiam ad quem vsque terminum cognoscat eas, quas considerat. Per hæc autem patet Aristotelem distinxisse considerationem Philosophi naturalis à consideratione Metaphysici per definitionem ipsius naturæ, cum enim natura sit forma, quę est in materia, ad naturalem non spectat considerare formas abstractas secundum esse a materia, neque etiam formas ipsas materiales potest considerare alio modo, quam prout sunt natura, & essentia corporis naturalis, & transmutabilis, non prout sunt essentia substantiæ compositæ, quæ est consideratio Metaphysica, sicuti declarauimus. Auerroes in Commentario notat Aristotelem hic loqui de cognitione quid est, non de cognitione an sit. Philosophus enim naturalis cognoscit formas abstractas quoad questionem an sint, immò demonstrat eas esse, & in hoc reprehendit Auicennam, qui dicebat eas demonstrari a Metaphysico, non a Philosopho naturali, quod inquit Auerroes falsum esse, quia substantiæ abstractæ sunt subiectum in Metaphysica, ideo a Metaphysico non possunt demonstrari, qua de re locutus est Auerroes contra Auicennam in Commentario vltimo primi Libri, & in Commentario Vigesimosecundo huius Secundi. Quando igitur Aristoteles dicit Philosophum naturalem non cognoscere formas separatas a materia intelligit cognitione quidditatiua, sic enim ad eas non peruenit philosophus naturalis, sed peruenit, (inquit Auerroes) solum vsque ad formam hominis, quæ est vltima formarum materialium, & prima abstractarum, quam etiam vocat Auerroes formam formarum, & medium inter penitus abstractas, & penitus materiales. cum enim aliæ omnes formæ materiales sint ea ignobiliores, & respectu ipsius, habeant locum materiæ, ideo forma hominis dicitur forma aliarum formarũ materialium, quia eis superuenit vt habentibus locum materiæ. Peruenit igitur Philosophus naturalis vsque ad cognitionem quidditatiuam formæ hominis, quæ est prima inter abstractas, sed non progreditur vlterius ad alias abstractas, sed eas tantum cognoscit quo ad si est, non quo ad quid est: Zimara in Tabula sua sub illis verbis; formæ formarum sunt considerandę, &c. declarans hũc locum Auerrois nouam excogitauit expositionem, quę penitus vana, & chimerica est; notum est enim Auerroem per formas formarum intelligere easdem, quas dicit esse medias inter materiales, & abstractas, & primum locum tenere inter abstractas, vltimum inter materiales, videlicet formas hominum, & has comprehendit sub consideratione Philosophi naturalis, non autem excludit (vt Zimara imaginatur) qui per formas hominum intelligit ideas, quas dicit a naturali non considerari sententia. hæc tamen Auerrois non omnino probanda est. Formę namque per essentiam abstractæ non considerantur ullo modo a

do a naturali, quia nullo modo considerantur vt formæ, sed solùm vt motores, & reuera nō possumus dicere philosophum naturalem cognoscere quòd existāt formæ aliquæ abstractæ, quod tamen secundum Auerroem dicendum esset. Quod verò addit Auerroes naturalem, perueniri vsque ad formam hominis, quæ est vltima materialium & prima abstractarum, alienum est penitus a præsenti Aristotelis consideratione, cum præsertim sit etiam falsum quòd forma hominis sit forma abstracta.

Textus Vigesimus septimus.

Determinatis autem his, considerandum est de causis, & quæ, & quot numero sunt. Cum enim hoc sciendi gratia negotium sit; scire autem non prius opinamur unumquodque quam vtique cæperimus propter quid circa unumquodque hoc autem est accipere primam causam; manifestum, quod, & nobis hoc faciendum est, & de generatione, & corruptione & de omni Physica mutatione, ut scientes ipsorum principia, reducere ad ipsa tentemus quæsitorum unumquodque.

IN sequenti parte certum est Aristotelem agere de generibus, & modis causarum, sed qualis nam sit hæc tractatio a nullo cognitum est, nisi a Diuo Thoma, idque fuit a me explicatum in capite vndecimo libri de naturalis scientiæ constitutione, non enim agit hic Aristoteles de causis vllis rerum naturalium, sed de generibus, ac modis causarum, quare hæc tractatio non potest vocari de principijs, seu de causis rerum naturalium, sed de principijs cognitionis, & scientiæ naturalis, & est tractatio Logica ut ibi ostendimus, cum enim hæc sit scientia contemplatiua, in qua perfectam quærimus habere rerum naturalium scientiam, scientia autem perfecta habeatur per suas causas, & per demonstrationem. Ideò antequam aggrediamur demonstrationem accidentium naturalium per suas causas conueniens fuit vt causarum genera, & differentias cognoscamus, & sciamus per quænam causarum genera sint construendæ demonstrationes naturales. Docebit enim Aristoteles quatuor esse genera causarum, & ea omnia, in rebus naturalibus locum habere, proinde effectus naturales demonstrandos esse per omnia genera causarum, sed potissimè per finem. Ideo hæc tota sequens pars in duas diuiditur. In prima docet Aristoteles genera, ac differentias causarum, & cum hac est coniuncta tractatio de casu, & fortuna, quas ostendit esse causas per accidens, & reduci ad genus causæ efficientis. Secunda pars incipiet in textu septuagesimo, vbi Aristoteles declaratis generibus causarum incipiet considerare omnes causas pertinere ad considerationem Philosophi naturalis, præcipuè uerò finem, ideò diligenter ostendit res naturales pendere a causa finali, quoniam natura quicquid agit, propter finem agit. In hoc autem textu Aristoteles rationem assignat sequentis tractationis de causis, eam scilicet, quam diximus, cum enim hæc scientia sit speculatiua, siquidem eius finis non est operari, sed scire res naturales, scire autem tunc opinamur unumquodque, quando cognoscimus propter quid: cogno-

scere autem propter quid sit cognoscere causam rei, ideò indagandæ omnino erunt causæ effectuum naturalium, antequam igitur inuestigentur non est ab re genera causarum, & earum differentias distinguere, vt his cognitis sciamus reducere effectus naturales in suas causas. Ad hoc enim faciendum nobis conferet cognouisse genera earum, sic enim facilius quemlibet effectum resoluemus in scientiam eorum, quando sciamus in quod genus causæ sit resoluendum. Hęc est sententia totius literæ. In verbis notandum, quod quando Aristoteles dicit, [& quot numero sunt] non significat omnium causarum multitudinem numeralem, quia hæc sub scientia non cadit, sed est quidam modus loquendi, qui nil aliud significat, nisi numerum generum causarum, non numerum indiuiduorum, quod vero dicit [hoc autem est accipere causam primam] dupliciter intelligitur, vno modo ab Auerroe, qui exposuit primam, idest, remotam, ut in primo Textu primi libri; altero modo a Sancto Thoma, qui exposuit primam, idest, proximam, sicuti sumitur sæpè ab Aristotele in primo Libro Posteriorum, quæ secunda interpretatio est melior, nam causa remota est cognitionis causa sine qua non, quia sine primarum causarum notitia non possunt res perfectè cognosci, sicuti Aristoteles dixit in primo contextu primi Libri, & ita verum est, quòd non potest haberi propter quid sine cognitione causæ primæ, idest, remotæ, non tamen huius cognitio est cognitio propter quid, sed solius proximæ. Cum ergo Aristoteles non dicat hic propter quid non haberi sine cognitione primæ causæ, sed dicat, [hoc autem est accipere primam causam] non potest significare causam remotam, sed adæquatam, & proximam, cuius cognitio est cognitio propter quid, nam ad probandum, quod sint declaranda genera causarum sumit argumentum ex fine scientiæ speculatiuæ, qui est scire propter quid, hoc autem significat causam rei proximam: inquit autem, [de generatione, & corruptione, & omni Physica mutatione,] tanquàm exempli gratia. Quoniam enim scopus scientiæ præcipuus est cognitio accidentium per suas causas per potissimam demonstrationem, ex quo sumpsit argumentum ad probandum declarandas esse differentias, ac genera causarum, ideò exempli gratia nominat generationem, & interitum, & omnem naturalem mutationem, quæ sunt accidentia naturalia, cum pręsertim pręcipuum inter omnia accidentia naturalia sit motus, & mutatio, & eius species, in his enim videtur tota naturalis scientia versari. Quod verò tandem dicit [vt scientes ipsorum principia &c.] significat quòd cognoscentes genera causarum melius poterimus cuiuscunque propositi quæsiti indagare causam, quoniam quandoque habetur propter quid per causam finalem, quandoque per efficientem, quandoque per aliam: inuenta autem cuiusque causa ad eam reducimus effectum quæsitum, & ita eius scientiam adipiscimur.

Textus Vigesimus octauus.

Vno igitur modo causa dicitur, ex quo fit aliquid cum insit, vt æs Statuæ, & argentum phialæ, & horum genera. Alio autem modo forma, & exemplum, hæc autem est ratio ipsius quod quid erat esse, & huius genera, vt ipsius diapason duo ad vnum, & omnino numerus, & partes, quæ in ratione.

AGGRE-


GGREDITVR tractationem de causis, in qua versatur per longum processum usque ad contextum sexagesimum nonum, ibi enim concludit quòd omnes causæ reducuntur ad quatuor genera, & statim in septuagesimo incipit ostendere quòd Philosophus naturalis debet cognoscere omnia quatuor genera causarũ. Hæc autem tota narratio diuiditur in duas, in quarum prima agit de causis per se, deinde in secunda, quæ incipit in textu trigesimonono, agit longo sermone de casu, & fortuna, quæ sunt causæ per accidens, sed tandem docet casum, & fortunam reducit ad genus causę efficientis, ideò tandem in sexagesimooctauo, & sexagesimonono concludit quatuor tantùm esse genera causarum, ad quæ reducuntur omnes causæ, quas per quæstionem propter quid quærere omnes homines solent. In prima autem hac parte Aristoteles duo facit, primò loquitur de generibus causarum usque ad textum trigesimumprimum, & docet esse quatuor, & quædam notat pertinentia ad hanc diuersitatem generum causarum. Secundò loquitur de diuersis causarum modis, quibus in eodem genere causæ distinguuntur causæ, & hæc pars incipiet a textu trigesimosecundo. In hoc igitur textu vigesimo octauo incipit enumerare genera causarum & duo enumerat materiam & formam, quæ sunt internæ causæ. Deinde in vigesimonono adijcit duas externas efficientem, & finem. Loquitur autem prius de internis, quoniam ordine generationis materia primum statuitur, deinde agens incipit eam elaborare pro eductione formæ, cum tractatione autem de materia debet esse coniuncta tractatio de forma, quia materia dirigitur ad formam, & ad eam refertur. Proponit etiam causas internas tanquam nobis cognitas, iam enim in primo Libro cognouimus materiam, & formam esse causas rerum naturalium, & ita cognouimus hæc duo genera causarum. Propterea hic dicit Simplicius præpositam esse materiam vt antiquis omnibus notissimam. Nam omnes effectus reducebant in causam materialem. Primo igitur loco ponit causam materialem, & eam declarat per definitionem materiæ traditam in calce primi libri, materia enim est id [ex quo fit aliquid cum insit] inquit enim, cum insit ad differentiam priuationis, nam ex ea quoque dicitur aliquid fieri, sed non permanet in re facta; ex forma verò constant res factæ, sed non dicuntur ex ea fieri, quia in ipsa generatione forma nondum est. Dat exempla in artefactis, [in æs statuæ, & argentum phialæ] & addit, [& harum genera] quia si quis quęreret de genere huius materiæ quomodo ad phialam & statuam se habeat, non possumus dicere nisi vt materiam, sicut enim argentum est materia phialę, ita metallum genus argenti, & minera, & corpus, genera communiora ad phialam se habent vt materia. Franciscus Vicomercatus his motus exemplis notat contra communem omnium opinionem quod Aristoteles non de solis rerum naturalium causis hic loquitur, sed communiter de causis tam naturalium, quàm artificialium, quæ ipsius adnotatio vera est, sed ipse eius rationem ignorauit. Ratio enim est, quoniam hic reuera non loquitur de causis ipsis rerum naturalium, sed declarat genera causarum, quare cum sit tractatio logica, competit non solis rebus naturalibus sed omnibus habentibus causam; sed ea tractatio quæ incipiet a textu Septuagesimo propria erit solius scientiæ naturalis, quia ibi incipiet Aristoteles applicare scientiæ naturali omnia de causis dicta, & ostendere quod in rebus naturalibus sunt cognoscendę omnes quatuor causę. eius enim tractationis gratia nunc præponit hanc vniuersalem declarationem generum, & modorum causarum. [Alio autem modo forma, & exemplum] Ponit secundo loco causam formalem, sed de hac primum dubitatur, cur Aristoteles eam vocet exemplum; S. Thomas putauit Aristotelem nominando exemplum, respe-

xisse Platonem, qui posuit formas rerum abstractas ab omni materia, quas vocabat ideas, & dicebat esse exemplaria, ad quorum similitudinem producta erant omnia ab opifice. Sed cæteri omnes interpretes, etiam Græci, consentiunt in hoc quòd Aristoteles non possit hoc dicere secundum Platonem, cum sequentia omnia verba declarent ipsum non loqui de alia forma, quàm de materiali, hanc enim solam nominat inter causas, immò nec Plato idem putauit esse ideam, & causam formalem, nam vocauit ideam causam exemplarem, quam distinxit a forma, quam, & materiam dixit esse potius concausas appellandas quàm causas; Alexander, referente Simplicio, & Simplicius ipse, & Themistius, & Ioannes Grammaticus in huius loci declaratione plura dixerunt, quæ tamen ad hoc redigi omnia videntur, quòd forma naturalis vocatur exemplum, quatenus a natura producitur concipiente ipsam sine cognitione, quamuis enim res natura producat non cognoscendo, agit tamen propter finem, & hic finis est forma, ad quem natura operatione continuata ordinat omnia media, seu saltem vocatur exemplum, quia licet a natura nullum præconcipiatur exemplum rei producendæ; tamen natura operatur ad modum illorum agentium, quæ per cognitionem agunt, & præconcipiunt formam, ad cuius similitudinem producunt realem formam, talis enim est ars; quia in mente artificis est exemplum rei producendæ, ideò forma artificiosa propriè vocatur exemplum, quia est exemplum illius, quod in mente artificis concipiebatur, ad quam diriguntur omnia ab artifice operante; forma igitur naturalis videtur posse appellari exemplum, quatenus a natura producitur per determinatum motum, & actionem, sicut illa, quæ cum cognitione agunt. Hæc tamen interpretatio mihi videtur dubia, nam exemplum est vox respectiua, quæ refertur ad aliud, quare si formæ naturali non respondet reuera alia forma præconcepta a natura producente, non video cuius sit dicenda exemplum. Quod si dicamus hoc propriè competere formæ artificiosæ, naturali vero non, nisi per similitudinem, tunc videntur efficientem potius, vel finalem causam dare quàm formalem, quam hic Aristoteles ab alijs distinctam ponit, exemplum enim in mente artificis est potius causa efficiens, vel finalis, quàm formalis. Vicomercatus aliter interpretatur, & inquit formam vocari exemplum vt sumptam in esse cognito, & vt essentiam rerum conceptam in animo, est enim quiddam vniuersale in animo existens, quod est exemplum simile omnibus particularibus formis, quæ existunt in materia. Quæ interpretatio spernenda non est, cum sit consentanea sequentibus omnibus verbis, quæ indicant Aristotelem sumere formam illam, quæ in definitione sumitur, & referre naturam omnium singularium, quæ extra animam sunt. Vel igitur hanc expositionem accipiamus; vel dicamus hic Aristotelem vocare formam exemplum ad excludendam potius Platonis opinionem, quàm ad eum imitandum in appellatione exempli, quæ est expositio contraria expositioni S. Thomæ, cum enim Plato formam abstractam vocauerit exemplum, Aristoteles formam materialem vult vocare ad significandum nullum aliud dari exemplum præter formam hanc materię inhærentem, in qua sola consistit similitudo, & conuenientia eorum, quę in eadem specie sunt, non autem in eo quod correspondeat alicui formæ abstractæ a materia, quæ respectu omnium dicatur exemplum. Quod autem accipiat formam materialem tantum, patet, quoniam Arist. declarat subiungens [hoc autem est ratio ipsius quod quid erat esse] idest, intelligo illam formam, quæ est ipsa rerum essentia, quæ per definitionem significatur, essentia enim rei materialis non est nisi forma in materia, dat exemplum Aristoteles sumptum ex musica, nam illius consonantiæ quæ dicitur diapason, quæ alias consonantias continet, & includit, forma, &

essentia

essentia est proportio dupla, quæ consistit in ratione duorum ad unum, & quia dixerat, [& huius gratia] ad significandum formam quoque vniuersalem redigi ad genus causæ formalis, ut etiam dixerat de materia. Ideò subiungit, [& omnino numerus] numerus enim est quid communius quàm numerus alteri duplus; & hinc colligit Auerroes hic quod omnes partes definitionis sunt formæ, cum Aristoteles dicat, numerum quoque vniuersaliter acceptum esse formam respectu consonantiæ diapason, & postea tamen clarè subiungat, [& partes quæ in ratione] idest, omnes partes definitionis sunt formæ, ideò inquit Auerroes genus esse formam vniuersalem, differentiam verò esse formam propriam. Vocat autem Aristoteles formam vniuersalem genus respectu propriæ formæ, quia dum propria differentia exprimitur nomine concreto genus de ipsa prædicatur in recto tanquam quid communius, siquidem omne rationale est animal, non è conuerso. Sed aduersus hanc Auerrois, imò & Aristotelis sententiam dubitare aliquis posset, quomodo Aristot. dicat omnes partes definitionis esse formas, cum enim in definitione cuiusque rei naturalis sit necessario sumenda materia, datur ergo aliqua definitionis pars, quæ non est forma, siquidem materia non est forma. Præterea Porphyrius in capite de differentia dixit differentiam significare formam, & genus significare materiã, & ita definitiones ex genere, & differentia constare tanquàm ex materia, & forma, quomodo ergo hic dicit Aristoteles omne genus esse formam? Ad primum dico materiam in definitione sumi non vt partem ueram definitionis, sed ut conditionem necessariam sine qua forma naturalis non esset, proinde materia non est quidditatis pars, sed vehiculum tantum, & conditio sine qua non, quod Aristoteles hic, & ubique testatur, dum dicens, rationem, & quidquid erat esse, absolutè formam significat, nunquam materiam. Ad alterum verò dico quòd genus respectu differentiæ locum habet materiæ recipientis, attamen absolutè formam dicit, quicquid enim est per formam habet esse, animal ergo in definitione hominis significat formam communem, qua constituitur animal, quæ tamen dicitur esse materia, quia concernit materiam, dicit enim formam in tali materia, & totum illud compositum commune habet ad rationale respectum materiæ ad formam, quia recipit rationabilitatem tanquam formam, sed de hoc plura dicere ad Metaphysicum pertinet.

Textus Vigesimus nonus.

Amplius vnde principium mutationis primum, aut quietis, vt consultor causa, & pater filij, & omnino facientis facti, & mutans mutati. Præterea ut finis, hic autem est id, cuius gratia ut ambulandi sanitas, propter quid enim ambulat? dicimus vt sanus sit, & ita locuti opinamur aßignasse causam. & quæcumque iam mouente alio, intermedia fiunt ipsius finis vt sanitatis macies, aut purgatio, aut medicamenta, aut organa. Somnia namque hæc finis gratia sunt, differunt tamen ab inuicem, quia alia quidem sunt opera, alia vero organa.

PROSEQVITVR declarans alias duas causas, nempè extraneas, efficientem, & finalem; efficientem solet vbique appellare vnde principium motus, id enim quod immediate ab efficiente prodire videtur, est motus, quia per motum rem efficit. Addit autē [aut quietis] propter naturam superius definitam, ea enim est principium effectiuum motus, & quietis, quare quando naturalia corpora mouentur, & quando quiescunt ex se, principium tam motus, quàm quietis naturalis effectiuum est natura ipsa. Maluit autem Aristoteles hic dicere [mutationis] quàm motus, quia nomen mutationis communis est, aliqua enim est mutatio, quę non est motus propriè; patet igitur non definiri hic aliud efficiens quàm transmutans, hoc enim propriè est efficiens, datur tamen aliud efficiens, quod dicitur per emanationem efficere sine transmutatione, sicut forma rei est effectrix proprietatum consequentium, sed hoc reductiue potius quam propriè ponitur sub genere causæ efficientis, ideò Aristoteles hic id non exprimit; ob eandem rationem dixit [primum] datur enim efficiens etiam secundarium, quod est Instrumentum primarij, sed Aristoteles vult exprimere illud, quod est verè efficiens, & ita est causa vt non sit effectus, efficiens verò instrumentale reducitur etiam ipsum ad hoc idem causæ genus, vt ipse Aristoteles infra dicturus est, sed hic voluit exprimere illud solum, quod maximè est efficiens, in quo seruatur pura ratio causæ, quia non est effectus, ideò etiam talis efficientis exempla subiunxit, non enim illum, qui aliquid egerit, appellat eius causam efficientem, sed consultorem tanquam priorem: sic neque semen vocat causam efficientem filij, sed hominem patrem, a quo semen defluxit. Et quia hæc exempla erant particularia, ideò subiungit Aristoteles vniuersaliter in omnibus ita esse dicendum, vt omne faciens aliquid dicatur causa effectrix illius facti, & omnis mutans dicatur causa mutati; faciens autem (vt inquit Simplicius) substantiam respicit, mutans vero est communius, & significat omne mutans, tam secundum substantiam, quam secundum accidentia. Possumus etiam dicere cum Simplicio quòd Aristoteles, sicut in causa materiali, & in formali dixerat [& horum gratia] ita nunc in causa efficiente significare voluit quod omne genus efficientis proprij reducitur ad genus causæ efficientis, non solum enim pater est causa filij, sed etiam faciens, quod est genus patris, & mutans, quod est genus facientis; itaque si faciens, & mutans sumantur, vt dicta respectu filij, erunt causæ generales, si vero respectu facti, & respectu mutati vniuersaliter erunt causæ adæquatæ, & propriæ; & vtraque expositio accipi potest. [Præterea vt finis] tandem quarto loco ponit causam finalem, quam vocat [id cuius gratia] sic enim causam finalem describere solitus est, vt ambulationis causa est sanitas, quando quis ambulat sanitatis gratia, quoniam autem finis hac ipsa ratione qua vocatur causa, videtur potius esse effectus, quàm causa, si quidem est vltimum, quod producitur, proinde magis de hoc dubitare aliquis poterat, quomodo dici potest causa. Ideò Aristoteles probationem quandam subiungit ex communi vsu loquendi, sæpè enim ad quæstionem propter quid homines respondent finem, qua responsione satis fit quærenti, ergo concedunt finem esse causam, nam quæstio propter quid est quæstio causæ, si enim quærat quis, cur ille ambulat? & respondeatur, vt sanus sit, ille acquiescit, putant ergo & quęrens & respondens esse assignatam causam, quando autem subiungit Aristoteles, [& quæcunque iam mouente alio intermedia fiunt ipsius finis] duas verba hæc habent interpretationes; vna est S. Thomæ, ad quam Auerroes quoque accedere videtur, quòd Aristoteles non solum dicat vltimum finem appellari causam finalem, sed omnia quoque intermedia inter primum mouens & vltimum finem, quodlibet

enim

enim dicitur finis respectu præcedentium, licèt non sit absolutè finis, vt si Medicus gratiæ sanitatis exhibeat Pharmacum, vt purget, purgat autem vt ad maciem redigat infirmum; hæc omnia dicuntur esse gratia sanitatis tanquam vltimi finis: sed quodlibet non est finis respectu præcedentium, nam purgatio est finis respectu exhibitionis pharmaci, & macies est finis respectu pharmaci, & purgationis, fiunt enim hæc gratia maciei, licet & hæc & omnia gratia sanitatis, sensus ergo erit quòd etiam omnia intermedia possunt appellari fines. Altera est interpretatio Græcorum, quam etiam Latini quidam sequuntur quod Aristoteles solum vltimum appellet causam omnium finalem, nempè solam sanitatem, his autem verbis nil aliud significare velit, nisi quòd omnia intermedia inter primum agens, & vltimum finem sunt illius finis gratia, adeò vt omnium illarum causa dicatur esse finis, quam expositionem ego magis probo, sicut enim causam efficientem Aristoteles dixit solam primam, quæ est causa, & non est effectus, sic etiam finem credendum est dici solum vltimum, reliqua verò omnia nominari vt gratia finis potius, quam vt fines. Licèt Aristoteles non negaret ijs quoque posse aptari nomen finis, non quidem simpliciter, sed secundum quid, cum enim simpliciter considerata non habeant rationem boni pharmacum, & purgatio, & macies, non habent etiam rationem finis, sic igitur hoc ab Aristotele dicitur ad magis declarandam causam finalem, non contentus enim eo quod dixerat sanitatem esse causam finalem ambulationis: nunc docet quòd vltimus finis est similiter causa omnium intermediorum etiam si plurima sint, quæ ordinatè tendunt ad illum ultimum finem, ideò inter hæc differentiam ponens Aristoteles dixit alia esse organa, alia verò operationes, purgatio enim est operatio, pharmacum verò, & telum secans venam sunt instrumenta, & hæc omnia dicuntur esse gratia sanitatis, quæ est vltimus finis. Hic autem notare possumus confirmationem eorum, quæ de causa finali aliâs diximus in secundo Libro nostro de medio demonstrationis, finem enim dicit Aristoteles esse causam omnium intermediorum, sed non respectu primi mouentis, qua de re inferius loquemur. [Causæ igitur ferè tot modis dicuntur] concludit Aristoteles numerum causarum hactenus determinatum, & inquit [ferè] non propter causas per accidens, quas postea considerabit, quæ est S. Thomæ, & Simplicij expositio, si quidem licet casus, & fortuna sint causæ per accidens, tamen non sunt causæ præter dictas, docebit enim Aristoteles eas reduci ad genus causæ efficientis; sed dicit [ferè] seu propter cautelam philosophicam, quæ est alia eiusdem Simplicij expositio, seu etiam propter Platonem, vt idem Simplicius ait, hac enim de re non vult hic Aristoteles disputare, cum disputatio hęc non pertineat ad Philosophum naturalem. Plato enim non quatuor, sed sex causas posuit, seu potius tres causas, & alias tres concausas, causas enim appellabat eas, quæ magis propriè causa dicuntur, eæque apud eum tres erant efficiens, finis, & exemplaris, quæ erat idea. Concausas verò tres materiam, formam, & Instrumentum. Aristoteles verò causam exemplarem separatam omnino negauit, eandem verò in mente agentis concessit quidem, sed eam non distinxit a causa efficiente, vel a causa finali, quare non est aliud genus causæ præter has duas. Instrumentum vero non negauit causam appellari posse, sed hoc reduxit ad causam efficientem, nam Instrumentum est efficiens secundarium: quocirca quatuor ad summum sunt causæ apud Aristotelem, quas hactenus numerauit, sed nolens hac de re hic disputare dixit [fere] tot.

Tex-

Textus Trigesimus.

Accidit autem cum multipliciter dicantur causæ, & multas eiusdem causas esse, non secundum accidens, vt ars Statuaria, & æs, non secundum alterum quid. Sed quatenus est statua, sed non eodem modo, sed hoc quidem ut materia, illud autem vt vnde est motus. Sunt autem quædam, & ad inuicem causæ, vt laborare est causa bonæ habitudinis, & hæc laborandi. Sed non eodem modo. Sed hoc quidem ut finis, illud autem ut principium motus. Amplius autem eadem causa contrariorum est, quod enim præsens causa huius est, hoc, & absens facimus aliquando causam contrarij, ut absentiam gubernatoris Nauis submersionis, cuius erat præsentia causa salutis.

CVM docuerit Aristoteles quatuor esse genera causarum, affert in hoc Textu tria præcepta, quæ pertinent ad prædicta causarum genera, earumque diuersitatem, primumque hic docere vult posse eandem rem plures habere causas, nec per accidens, sed per se, hoc autem facit (vt ait Simplicius) quia credere aliquis poterat vni effectui vnum tantum competere causæ genus, huic materiam, illi verò finem, & illi aliam, sed hoc etiam necessarium erat propter præcipuum Aristotelis scopum in hac causarum consideratione, scopus enim est tandem docere quòd philosophus naturalis debet considerare effectuum naturalium omnia quatuor genera causa, oportuit igitur prius hoc dubium remouisse, & ostendisse quod vna & eadem res potest habere simul plura genera causarum. Et ne credamus vnam tantum esse cuiusque rei genus causa per se, alia verò & competere per accidens, quo fieret vt vna tantum causa cuiusque rei esset quærenda, ideò ostendit plura etiam causarum genera per se eidem competere posse. Quod declarat exemplo, causa enim statuæ est & ars statuaria, & æs, & utraque, quatenus est statua, idest, per se, non per aliud aliquid, neque per accidens, sed secundum diuersa genera causarum, æs enim est causa materialis, ars verò est causa efficiens, poterat etiam Aristoteles in statua considerare causam formalem, & ostendere quod etiam omnes quatuor causæ possunt per se competere uni, & eidem rei, sed satis ei fuit ostendisse duas esse posse vnius rei, nam si duas non repugnat, nec quatuor repugnabit. Fortasse etiam duas hic nominauit, materiam, & efficientem, quia hæ concernunt omnes; nam materia non est sine forma, & agens agit propter finem. Dixit autem Aristoteles [contingit] idest, euenire potest, quia non vult dicere quod est sit necessarium ut quilibet effectus habeat omnia, uel plura genera causarum, de hoc enim non vult disputare in præsentia, sed satis habet quod idem effectus potest habere plures diuersorum generum causas per se non per accidens. Est igitur contingens respectu omnium effectuum, quia non omnes statuuntur esse huiusmodi, at non est contingens ratione illius effectus, qui plures causas habeat, eas enim omnes habet causas ut per se, & necessaria. [Sunt autem, & quædam ad inuicem causæ.] Affert secundum præceptum de causis, quòd

aliquæ

aliquæ causæ sunt sibi causæ inuicem, sed non in eodem genere causæ; nam labor est causa sanitatis ut efficiens, & sanitas est causa laboris ut finalis, quandoque igitur finis, & efficiens sunt sibi inuicem causæ. Hic autem cauendum est, ne hoc Aristotelis dictum crassa Minerua cum multis intelligamus, non enim de omni efficiente verum est, sed de solo secundario, quod sit productum ab efficiente primario propter finem, ut labor est operatio quædam, & effectus animæ propter sanitatem, & ita sanitas est causa finalis laboris, anima verò est vtriusque causa efficiens primaria, quæ sanitatem efficit per laborem, labor autem est animæ effectus, sanitatis verò causa efficiens secundaria, huius igitur est causa sanitas, non animæ, quod a nobis copiose declaratum legi potest in secundo libro de medio dem. cap.10. Auerroes autem in Commen. notat materiam quoque & formam esse sibi inuicem causas; nam materia est causa formæ, quatenus forma non existeret nisi in materia inhæret, forma verò est causa materię, quatenus eam perficit, & iuuat, & facit existere actu. Hæc tamen Auerrois annotatio mihi non omnino probatur, neque ad propositum pertinere videtur; nam Aristoteles loquitur de tali causa, quæ verè sit causæ in eo genere talis effectus, quod quidem clarum est de fine respectu efficientis secundarij, est enim eius causa finalis propriè dicta, & illud est verè eius effectus, quatenus productum gratia illius, & è conuerso labor est verè causa efficiens sanitatis, & sanitas est verè effectus laboris, hæc enim inter se non pugnant secundùm diuersa genera causarum, pugnarent quidem si dicerentur secundùm idem causæ genus. At de materia, & forma hoc nullo modo dici potest; forma enim est causa formalis non materię, sed compositi, & materia est causa materialis compositi, non formæ, modo autem quodam sibi pręstant mutuum auxilium in existendo, & in causando, vna enim sine altera non esset causa compositi, hoc autem non est eas esse sibi inuicem causas, sed sibi mutuam operam præstare ad existendum, & ad compositum constituendum, quare dictum Auerrois secundùm se concedi potest, sed alienum est a præsenti Aristotelis consideratione, qui loquitur de causis, & effectibus per se, & propriè dictis.

[Amplius autem eadem causa contrariorum est.] Tertium tandem præceptum adducit quòd eadem causa potest etiam duorum contrariorum causa dici, contrarijs tamen modis considerata, nam gubernator nauis est causa, & salutis, & submersionis nauis, sed salutis vt præsens, submersionis verò vt absens; hoc autem a Simplicio ita intelligitur, ut per se dicatur esse causa salutis, per accidens verò submersionis; sed melius dicit Ioannes Grammaticus utriusque esse causam per se, quia hic Aristoteles non loquitur de causis per accidens, sed solùm de causis per se, patet autem non esse per accidens, ut gubernatoris absentia sit causa submersionis Nauis, nam contingere quidem potest, ut etiam eo absente saluetur nauis, sed (vt bene Ioannes Grammaticus notat) hæc idem etiam de præsenti dici potest, contingere enim potest, ut etiam pręsente nauta nauis submergatur; sed exemplum est sano modo intelligendum, ut pręsentia nautæ supponatur esse causa adęquata, & necessaria salutis nauis; hoc enim supposito etiam absentia nautę est causa necessaria submersionis, quia causa adęquata ea est, qua posita effectus per se ponitur, & qua ablata per se aufertur. Et hęc sententia confirmatur testimonio Aristotelis manifesto in contextu *99.* primi Posteriorum, ubi dicit, si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis, & è conuerso. loquitur autem de sola causa per se, & adęquata, quę satisfaciat quæstioni propter quid, non de causa per accidens, quare si positio nautę est causa adęquata salutis nauis, ut in hoc exemplo supponitur, necesse est vt ablatio Nautę sit causa adęquata & per se submersionis nauis. Hæc igitur tria præcepta ad causas pertinentia

tia

tia hic docere voluit Aristoteles, quia sunt veluti proprietates quædam consequentes prædicta diuersa causarum genera. Ijs enim diuersis generibus ita constitutis, necesse est hæc omnia sequi; & fuerunt hæc omnia cognitu digna propter cognitionem adipiscendam rerum naturalium, quarum causas diuersas in hac scientia Aristoteles inuestigaturus est.

Textus Trigesimusprimus.

Omnes autem nunc dictæ causæ in quatuor cadunt modos manifestissimos. Elementa enim syllabarum & materia factibilium & ignis, & huiusmodi corporum, & partes totius, & suppositiones conclusionis, ut id, ex quo causæ sunt. Harum autem aliæ quidem sunt, ut subiectum, ut partes; aliæ autem ut quicquid erat esse, & totum, & compositio, & species. Semen autem, & medicus, & consultor, & omnino ipsum faciens omnia sunt, unde principium mutationis aut status, aut motus. Aliæ autem ut finis, & bonorum aliorum. id enim cuius gratia optimum, & finis aliorum uult esse. differt autem nihil idem dicere bonum, uel apparens bonum.



QVAMVIS ex ijs, quæ dicta sunt, pateat quot sine genera causarum, tamen hic Aristoteles ad doctrinæ abundantiam, & ad maiorem claritatem vult expressè colligere numerum generum causarum, ea forrasse, quam Simplicius tangit, ratione motus, nominauerat enim, & propriam, & communem materiam, & formam, & præter efficiens & finem nominauerat multa intermedia. Ni igitur aliquis credat plurima esse causarum genera, vult nunc concludere quòd omnia, quæ dicta sunt, rediguntur tantum ad quatuor genera causarum, quorum etiam omnium exempla adducit. Dicit autem [modos manifestissimos] significans hæc quatuor genera esse in confesso apud omnes, vel saltem ita euidentia esse ne possint omnibus esse cognita, vt distincta genera causarum. Notandus autem est articulus inquit enim Aristoteles τὺς φαγερωτάτυς qui indicat hos modos distinctos in promptu esse apud omnes, est enim sensus verborum talis, omnes iam dictæ causæ ad quatuor rediguntur modos, eos nempe, qui sunt manifestissimi, quasi eos tanquam euidentes digito demonstrans. Deinde horum quatuor generum plura affert exempla, eodemque ordine vtitur, quo etiam superius vsus est, primum enim ponit materiam, deinde formam, quæ sunt causæ internæ, postea externas, efficientem, & finem. Materiæ plura affert exempla ex varijs disciplinis accepta, & inter se diuersa, vt ostenderet non tantum esse diuersitatem, vt plura causarum genera constituat, sed omnia hæc vna, & eadem participare conditione causæ materialis, & ad vnum tantum causæ genus pertinere; ex Grammatica enim sumit literas vt materiam syllabarum; ex Artibus materiam corporum factibilium, ut lignum est materia scamni; ex naturalibus autem ignem, & alia simplicia corpora, vt materiam corporum mixtorum. Ex Mathematicis autem, ac naturalibus simul accepit partes vt materiam respectu totius quanti, ac demum

propo-

propositiones sumit ex logica vt materiam respectu conclusionis. Notant Auerroes, & Graeci tres esse materiarum differentias, alia enim est materia alicuius per solam compositionem, vt Syllabę materia sunt elementa, & partes totius quanti; alia per alterationem, vt in pluribus artibus fit alteratio materię, quod patet in ijs, quarum materia est metallū aliquod, sic materia prima est materia totius compositi, alteratur enim, & mutatur, si debeat ex ea compositum generari. Nec difficultatem facere debet id, quod Gręci dicunt, materiam esse ἄποιον proinde inalterabilem, qua de re hic Simplicius disputat. nam secundum essentiam inalterabilis, ac omnino immutabilis est materia quia ἄποιος est, idest, nulla qualitate essentialiter affecta, at secundum suam existentiam alterabilis est qualitate aduentitia, est enim semper formata, & qualis, proinde alterabilis, non quidem essentialiter, sed subiectiue, quia subijcitur alterationibus, & qualitatibus diuersis; alia demum est materia per compositionem, & alterationem simul, & quatuor elementa respectu mixti, alterantur enim mutuò, nec enim fit mixtio sine alteratione, & componuntur etiam, quatenus modo aliquo seruantur in mixto; hę tamen omnes differentię non sunt eiusmodi, vt constituant uaria genera causarum, sed vnicum genus omnes constituunt, quatenus hęc omnia prędicta in hac vna conditione conueniunt, quòd ex ea materia ut pręexistente, & imperfecta, & potentiam ad perfectionem habente, fit aliquid perfectum per receptionem formę in ipsa materia, hæc igitur omnia conueniunt in hac ipsa ratione materiæ, quare ad unum causę genus reducuntur. Dubitant Simplicius, Sanctus Thomas, & alij quomodo Aristoteles dicat suppositiones, idest, propositiones esse materiam conclusionis, cum sint potius causa efficiens, quàm materialis, at respectu totius Syllogismi sunt materia. Sed soluitur, quia licet propositiones vt propositiones sint materia Syllogismi, tamen ratione terminorum extremorum sunt materia conclusionis, ex ijs enim duobus terminis conclusio constat, sed cum noua prædicatione, quæ habet locum formæ, ratione autem medij sunt causa efficiens illationis conclusionis. [Harum autem alia quidem sunt ut subiectum] Hic transit ad causam formalem, & eius exempla adducit, sed difficultatem facit locutio Aristotelis, cum enim hactenus de sola causa materiali locutus sit, hic videtur eam diuidere in materiam, & formam, quæ res Græcis omnibus difficultatem facit, & multifariam hæc verba interpretati sunt Alexander, Simplicius, & Ioannes Grammaticus. Ego vero accipiendam puto expositionem Simplicij, qui dicit Aristotelem supra materiæ exempla afferentem etiam formam simul nominasse, ideò nunc formam a materia distinguere, dicens enim partes esse materiam totius, & propositiones esse materiam conclusionis, nominauit totum, & conclusionem, quæ significant formam, ideò nunc subiungit, horum quæ nominauimus, alia sunt materia, alia vero forma; notare enim possumus multis in locis Aristotelem confundere compositum cum forma, & nomine compositi significare formam, iuxta illud primo de Cœlo nonagesimosecundo, qui dicit Cœlum dicit formam, quia unumquodque habet esse per suam formam, quoniam igitur in exemplis materiæ prædictis Aristoteles simul composita nominauit, quæ significant formam, siquidem materia dicitur ipsius compositi esse materia, ideò nunc subiungit, quòd horum alia sunt subiectum, alia verò sunt forma. Alexander autem rectè annotauit quod totum alio modo significat compositum, & alio modo formam: totum enim simul cum partibus significat compositum, sed totum in partibus significat formam, illa enim totalitas, & perfectio, quæ partibus conuenit, forma vocatur, ita vt diuersis considerationibus distinguantur. Sic etiam conclusio quandoque apud Aristotelem significat totum Syllogismum. Sæpè enim


enim uocat eam Syllogismum, ut patet primo Priorum in principio primæ figuræ, & primo Posteriorum Textu Tertio, & hac ratione dixit Aristoteles propositiones esse materiam conclusionis; quandoque uero sumitur ut quoddam complementum propositionibus aduenient tanquam forma, & actus, ad quem propositiones habent potentiam, & est illa noua prædicatio, & compositio duorum extraneorum terminorum, quæ potestate latebat in propositionibus. Aristoteles igitur inquit, eorum quæ nominata sunt alia esse subiectam materiam, ut in exemplis patuit; alia uero esse quidditatem, & essentiam ut totum respectu partium, & compositio respectu terminorum propositorum in Syllogismo, & respectu literarum, ex quibus Syllaba constituitur. Literæ enim sunt materia, & compositio earum est ueluti forma, quæ Syllabam constituit, nil aliud enim est Syllaba, quàm seruata quędam compositio elementorum, & sic de alijs omnibus dicendum est, & tandem uniuersaliter dicit Aristoteles [& forma] ita ut in qualibet re perfectio illa, quæ adueniens materiæ illam actuat & constituit ipsam rem, dicatur forma, & causa eius formalis. [Semen autem, & medicus, & consultor] Transit ad exēpla causæ efficientis & tria ponit, in quibus hanc differentiam notare possumus, quod semen est exemplum naturale, medicus uerò in artibus, & consultor in rebus agendis, ita ut Aristoteles, & res naturales, & effectiones, & actiones complectatur, nam & in naturalibus, & in artibus, & in moralibus locum habet consideratio causæ efficientis, sic autem significat se declarare non tantum causas naturales, sed vniuersaliter genera causarum, quæ alijs quoque disciplinis aptantur, vt superius diximus. Præterea hanc quoque differentiam in his exemplis notare possumus quòd semen est causa efficiens secundaria, cum pater, a quo defluxit, sit causa primaria; medicus verò, & consultor sunt efficientes primarij, per hoc autem innuit Aristoteles se sub causa efficiente complecti tam primarium, quàm secundarium efficiens, omnia enim ad hoc idem causæ genus reducuntur, quamuis enim supra expresserit solum primum principium vnde prouenit motus, quoniam in eo seruatur præcipuè ratio causæ, tamen non ob id prohibuit nè ad idem genus causæ reducamus etiam secundaria efficientia, quod hic indicat nominans semen expresse, cum prius patrem nominasset. Hæc igitur omnia inquit esse causas vnde principium motus, idest, causas efficientes, sic enim semper appellat efficientem causam; nomina autem, [mutationis] & [motus] credo ab Arist. poni vt idem significantia, ita vt disiunctiua non res disiungat, sed appellationē. Vel possumus dicere Arist. dicere corrigendi gratia, cum.n. dixisset mutationis, postea subiungit intelligo autem non motus tantum, sed vel quietis, vel motus, vt antea in Textu Vigesimonono, vbi nominando solam mutationem, & quietem, non motum, significat se hic non distinguere motum a mutatione. Tandem quando dicit. [Aliæ autem ut finis] ponit causam finalem, eius quidem exempla nulla adducit, sed eam proprijs suis conditionibus circumscribit, est enim [bonum aliorum] idest, eorum, quæ ad finem diriguntur, quod postea declarans subdit [id enim cuius gratia, optimum, & finis aliorum vult esse] clarius enim apparet in hac appellatione id cuius gratia quam in appellatione finis, quòd finis debeat esse bonum, hoc est respectu omnium, quæ ad ipsum diriguntur, & ita eorum comparatione optimum, quia non dirigerentur ad aliquod deterius, sed ad melius. Sed notandum est Aristotelem non solum dicere finem esse bonum, & respectu aliorum optimum, sed etiam esse bonum illorum, sic enim significat nullam posse esse in medijs propriam bonitatem, sed solum bonitatem vtilitatis, quatenus conferunt ad illum assequendum, qui solus quatenus talis habet rationem per se boni, nam pharmacum, & purgatio, & alia eiusmodi nil habent in se bo-

nitatis,

nitatis, nec sunt per se bona, prout a Medico exhibentur infirmo, sed solum quatenus conferunt ad acquisitionem sanitatis, quæ sola est per se bonum, quod si contingat ut aliquod medium habeat etiam aliquam bonitatem propriam, id non est quatenus dirigitur ad alium finem, sed quatenus etiam secundum se habet rationem finis; Est enim finis apud Aristotelem tale bonum quod faciat alia quæ ipsius gratia sunt, bona esse, hoc autem esse non potest nisi sit omnium optimum. Quando autem dixit Aristoteles [differat autem nihil] difficultatem quandam tollit; obijcere namque aliquis poterat quod aliqui quandoque aliqua faciunt propter aliquem finem, qui non est bonus, sed manifestè malus, ut si quis moliatur necem alicuius, uel alia eiusmodi, ad hoc dicit Aristoteles, omnem finem esse uel bonum aliquod, uel saltem apparens bonum, mouere autem non potest ad alia agenda eius gratia nisi sub ratione boni, immò & optimi, quare illi, qui faciunt aliqua propter aliquem finem malum, eum putant esse bonum, & illis melius; secus enim esset impossibile ut ad eum assequendum moueretur, uel ut eius gratia aliquid faceret. Ad hoc igitur ut finis moueat, inquit Aristoteles nihil referre an sit reuera bonum, an apparens bonum, sat enim est si ea tantum ratione mouet, qua habet rationem boni. [Causę igitur tales, & tot sunt specie.] Concludit Aristoteles numerum causarum, quem declarauit, & inquit, tales, significans diuersas earum differentias essentiales, ex quibus diuersę causarum species oriuntur, quas postea significat quando dicit [& tot sunt specie] quatuor enim sunt species distinctæ, quæ etiam solent uocari genera causarum, quoniam causa non est uerè uniuocum genus, sed commune secundum analogiam, quod non habet propriè dictas species, sed secundum quandam similitudinem dicuntur species, sicut etiam decem prædicamenta non sunt propriè species entis, sed potius genera entis, idest genera, in quę diuiditur nomen entis.

Textus Trigesimus secundus.

Modi autem causarum numero quidem sunt multi, in capita verò contracti, & hi pauciores. dicuntur enim causæ multipliciter, & ipsarum; quæ similium specierum sunt, prior ac posterior alia, alia ut sanitate medicus, & artifex, & ipso diapason duplum, & numerus, & semper quæ continent ad singulares.



ECLARATIS diuersis generibus causarum, nunc Aristoteles declarat diuersos causarum modos, idest, quibus in eodem genere distinguuntur causæ, & inquit hos plurimos quidem esse; posse tamen redigi ad pauca quædam capita, quibus omnes contineantur, tria autem in primis paria differentiarum adducit, quæ sex modos causarum faciunt, deinde quartum par adijciet, per quod illi sex multiplicari facient ad summam duodecim modorum, quibus in eodem causæ genere distinguuntur causæ inter se, in hoc textu affert primum par dubiorum, & inquit quòd in eadem specie causæ alia, causa est communis, alia particularis, vt in genere causæ efficientis causæ sanitatis efficiens est tum medicus, tum artifex, sed medicus est efficiens proprium & particulare, artifex vero commune, est enim genus medici, sic in genere causæ formalis causa con

sonantiæ diapason est duplum idest, ratio dupla, quæ est duorum ad vnum, nec non etiam, numerus, qui significat formam quandam communiorem, & genus respectu numeri dupli, sic etiam in alijs generibus causarum, nam superius dicebat Aristoteles genera superiora ad idem genus causæ pertinere, ad quod pertinet species, vt si æs est materia etiam metallum est materia; si medicus est efficiens etiam artifex, quod genus medici est, dicitur efficiens. Notandum est in verbis quòd Arist. has differentias denotare volens dicit, quòd causarum [alia est prior, alia posterior] significare volens aliam vniuersalem esse, aliam particularem, vnde postea dicit hunc respectum prioris, & posterioris esse inter eas, quæ continent, id est, quæ sunt uniuersales, & singulares, quæ ab ijs continentur. Sed dubium est, an causam particularem vocet priorem, vniuersalem vero posteriorem, an è conuerso vniuersalem priorem, particularem verò posteriorem. Simplicius, quem Vicomercatus sequitur, dicit causam particularem vocari priorem, vniuersalem verò posteriorem. Auerroes autem, & S. Thomas vniuersalem priorem, particularem verò posteriorem, & vtraque interpretatio rationem pro se habet, nam si primum sumatur pro immediato, & pro eo quod est quatenus ipsum, sicut accipitur in primo posteriorum, causa propria est prima, & ita est prior quàm remota, quæ est posterior, sic igitur prior sanitatis causa est medicus, posterior verò artifex, si verò primum accipiatur non respectu effectus, sed absolutè, sic vniuersalius est prius particulariori, vt artifex medico, illud enim est prius, quod ablatum aufert, at contra non aufertur, quoniam igitur utrique dicto ratio aliqua fauet, difficile est vaticinari vtrum duorum respexerit Aristoteles, quo circa ego puto vtrumlibet sensum accipi posse, neuter enim absurditatem aliquam habet.

Textus Trigesimus tertius.

Amplius autem, ut accidens, & horum genera, vt statua aliter Polycletus, & aliter statuarius, quoniam accidit Statuario Polycletum esse, & continentes etiam accidens, vt si homo causa sit statuæ, aut omnino animal; sunt autem accidentium, alia alijs remotius, & propinquius, ut si albus, uel musicus causa dicantur statuæ.

PONIT secundum par differentiarum, quibus differre possunt causæ in eodem genere causæ, & est causæ aliæ per se, aliæ per accidens, vt in genere causæ efficientis causa per se statuæ est statuarius, per accidens vero Polycletus, aut musicus. Inquit autem Arist. etiam genera accidentalium causarum & vniuersalia continentia ad idem causæ genus redigi, & similiter vocari causas per accidens, ita ut primæ illæ differentiæ, alia est causa particularis, alia vniuersalis, accõmodari possint non minus causæ per accidens quàm causę per se, nam si causa efficiens statuę per accidens est Polycletus, similiter causæ efficientes statuæ erunt, & homo continens Polycletum, & animal continens hominem, & corpus continens animal, & hę omnes similiter dicuntur causę per accidens, & hoc significat Arist. quando dicit, [& horum genera] deinde etiam clarius quando dicit, [& continentes etiam

acci-

accidens] quando autem dicit [aliter Polycletus, aliter statuarius] indicat distinctionem, & per se, & per accidens, Polycletus enim est causa per accidens, statuarius autem per se, & utraque dicitur efficiens. Addit autem Aristoteles quòd inter causas per accidens est etiam hoc discrimen, quòd alia est propinquior rei, & ita est minus per accidens, alia verò remotior, & ita magis per accidens, prout enim magis vel minus coniuncta est cum causa per se eatenus dicitur esse magis, vel minus accidentalis, vt statuarius est causa per se statuæ, sed illi hæc omnia sunt coniuncta, homo, & musicus, & albus, sed inter hæc propinquior est homo statuæ, & ita minus accidentalis quam reliqua, quia est necessaria conditio statuarij ut sit homo, si debeat esse statuarius, cætera verò sunt remotiora, & accidentaliora; nam albus, & musicus dicuntur causæ statuæ per hominem, in quo sunt, & homo per artem statuariam, quæ in ipso est, sic etiam considerant aliqui, quòd musicus est propinquior statuæ, quam albus, quia musica est accidens inhærens animæ, ut etiam ars statuaria,& ita propinquior illi arti quam albedo, quæ inhæret corpori. Ideo quando Aristoteles exempla ferens inquit,[vt si albus, & musicus causa dicantur statuæ] dicere possumus, quòd hæc utraque afferat & causas per accidens remotiores respectu hominis, ut causæ per accidens propinquioris, dicere etiã possumus quòd nominat musicum ut propinquiorem, & album & remotiorem; nam etiam simul omnia vera sunt, nam sunt hæ omnes causæ per accidens, & homo propinquior quàm duæ reliquæ & harum propinquior musicus quàm albus. Vicomercatus hic considerat Aristotelem valde crassa minerua has differentias protulisse, nec omnino conuenientem in ijs enumerandis ordinem seruasse, prius enim debuisset diuidere causas in per se, & per accidens, postea verò utrumque membrum subdiuidere in particularem, & communem, tamen incipit a diuisione in uniuersalem, & particularem, nec alias causas tunc respicit nisi causas per se,cum postea subiungat[amplius autem ut accidens,] Sed leuis est hęc Vicomercati consideratio, nam quantum attinet ad horum membrorum communitatem,potuit Aristoteles ab vtrilibet exordiri,nam dicere possumus, causarum aliæ sunt particulares,aliæ uniuersales, deinde utrumque membrum subdiuidere in per se, & per accidens. Possumus etiam dicere causarum aliæ per se, alię per accidens, postea utrumque membrum subdiuidere in particularem, & uniuersalem, sed hoc non respexit Aristoteles ut vna continuata diuisione inueniat numerum modorum causarum, sicuti facere solemus, quando genus aliquid partimur per omnes differentias ordinatim, nempè prius per superiores, postea per inferiores; hic enim nullæ magis quàm aliæ sunt superiores, vel inferiores, sed hoc solùm respexit vt separatim omnes differentias causarum adduceret, quibus etiam in eodem genere diuersæ causæ constituuntur. Attulit ergo has vt distinctas differentias, alia causa est particularis, alia uniuersalis, & alia per se, alia per accidens, nobis autem reliquit, ut earum inter se complicationem faciendo constituamus quatuor modos, ex quatuor enim conditionibus per duas contrarietates propositis oriuntur sex combinationes, vt patet etiam in quatuor primis qualitatibus elementorum, sed duæ sunt impossibiles, ideò quatuor tantùm possibiles relinquuntur, quare hi quatuor modi causarum oriuntur ex his duabus contrarietatibus, causa per se particularis, causa per se vniuersalis, causa per accidens particularis, causa per accidens uniuersalis, quoniam autem causæ prius & propriè dicitur de causa per se, posterius verò de causa per accidens, quæ non est causa, nisi merito causæ per se, cui est coniuncta; ideò Aristoteles primam diuisionem in vniuersalem, & particularem, non applicauit causæ sumptæ in communi, sed causæ tantum per se; in illis autem communi-

bus, quæ dicuntur ab vno, & habent prius,& posterius, non consueuit considerare primo loco ipsam causam, quandoquidem id nihil est nisi purum nomen. Sed primo loco considerat illud, quod est primum,quod alij vocare solent principale analogatum; considerat igitur ante omnia causam per se, quæ propriè est causa, esse tum vniuersalem, tum particularem, deinde adijciens etiam causam per accidens applicat ei easdem differentias. Hæc dicere volui pro defensione ordinis ab Aristotele seruati, licèt parui momenti res sit, cum Aristoteles has differentias, & alias sequentes afferat vt distinctas,non vt subordinatas, quare non admodum ei curæ fuit quo ordine proponerentur, ut etiam in alijs sequentibus videbimus, satis enim habuit si per has cognosceremus quot modis distinguantur causæ in eodem genere.

Textus Trigesimus quartus.

Præter omnes autem, & propriè dictas, & secundum accidens, alia quidem ut potentes dicuntur, alia uero ut operantes, uelut ædificandæ domus ædificator, aut ædificans ædificator.

TERTIAS contrarietates adducit, seu tertias differentias, quibus differre possunt causæ in eodem genere, & inquit causas alias esse actu, alias potestate, nam calefaciens est causa efficiens actu, calefactiuum verò est efficiens potestate;sic ædificator non ædificans est causa potestate, ædificans autem est causa actu, sic de alijs. Est autem notandus modus loquendi Aristotelis, qui id, quod nos antea diximus, confirmat, quando enim dicit Aristoteles [Præter omnes,& propriè dictas] idest, per se,[& secundùm accidens] non potest significare has causas esse præter illas, siquidem hoc esset falsum, nam diuisio in vniuersalem, & particularem omnes causas complectitur, sic diuisio in per se, & per accidens, quare causa actu, & causa potestate non possunt esse aliæ præter illas, sed sunt necessario vel per se, vel per accidens, vel particularis, vel vniuersalis, quælibet enim harum trium contrarietatum diuidit totum genus causæ, & ita non fecit Aristoteles vnam ordinatam diuisionem, & subdiuisiones membrorum, sed diuersis differentijs diuidit semper causam latissime sumptam, vt videamus quot modis differre possint causæ in eodem genere causæ. Nunc igitur dicendo, [præter omnes] non significat præter omnes dictas causas, quia falsum esset, sed significat præter omnes dictas causarum differentias, quæ quatuor fuerunt, dantur etiam hæ duæ aliæ, aliud enim est differre per se, & per accidens, aliud per vniuersale, & particulare, aliud per actu,& potentia, per quamlibet tamen harum partitionum complectimur easdem causas, quas per alias diuisiones.

Tex-

Textus Trigesimus quintus.

Perinde autem dicetur, & in ijs, quorum causæ sunt ipsæ causæ, atque in ijs, quæ dicta sunt, vt huius statua aut statuæ, aut etiam omnino imaginis, & æris huius, aut æris, aut omnino materiæ, & in accidentibus similiter.

DOCET hic Aristoteles posse easdem differentias etiam effectibus accommodari, quas in ipsis causis considerauit, nam dicere possumus effectum alium esse proprium, alium communem, & vniuersalem, vt enim dicimus effectum Statuarij esse statuam, ita dicere possumus effectum statuarij esse imaginem, quæ est genus statuæ, vel effectum esse opificium, quod est adhuc communius imagine. Quod autem dicit Aristoteles [æris huius, aut æris, aut omnino materiæ] sano modo est intelligendum, non enim sumit æs, & materiam pro causa materiali, sed vt effectus potius, significat enim æs, vt elaboratum, & materiam vt elaboratam a causa efficiente, sic etiam dicere possumus statuarium esse causam statuæ, quæ est effectus per se, & esse causam albi, si alba sit statua, quæ est effectus per accidens, & similiter horum effectuum accidentalium alius est proprius, & particularis, vt huius statuarij hoc album; alius vniuersalis, vt huius statuarij album communiter, vel coloratum, quod est communius albo, vel quale, quod est communius colorato. De partitione autem in actu, & potestate Aristoteles nihil dicit, tamen patet hanc quoque effectibus accommodari posse, causæ enim actu respondet effectus actu, & causæ potestate respondet effectus potestate.

Textus Trigesimus sextus.

Amplius autem connexa, & hæ, & illæ dicentur, vt non Polycletus, neque statuarius, sed Polycletus statuarius. Attamen hæ omnes sunt multitudine quidem sex, dictæ autem dupliciter, aut enim vt singulare, aut ut genus, aut vt quod secundum accidens, aut vt accidentis genus, aut ut connexa hæ, aut ut simpliciter dicta; omnes autem, aut actu existentes, aut secundum potentiã.

QVARTVM demum par differentiarum affert Aristoteles & statim ex omnibus differentijs enumeratis colligit numerum modorum causarum. Est autem quarta diuisio, causa alia simpliciter dicitur, alia complexa. Simpliciter, vt si dicamus causam statuę esse Polycletum, vel esse statuarium; complexè vero, vt si dicamus esse Polycletum statuarium, non autem solum Polycletum, neç solum statuarium. Inquit autem Aristoteles [dicentur] quoniam hæc differentia non in rę consistit, sed in locutione; ipsa enim causa eodem se habet modo vtcunque nos eam dicamus, sed nos modo complexè, modo simpliciter eam significamus; videtur autem Aristoteles non aliam complexionem considerare quam causæ per

se, cum causa per accidens, quamuis enim possimus complicare causam vniuersalem cum particulari, vt dicendo, artifex statuarius, tamen quia non admodum in vsu esse videtur hæc nugatoria locutio; Aristoteles magis considerat id, quod magis est in vsu; solemus enim complicare causam per se cum causa per accidens ad distinctius significandam causam, quia huius statuæ causa est statuarius, vt vniuersalis, aliquis autem statuarius vt particularis vaga, sed expresso nomine Polycleti exprimitur singulare signatum; quandoque etiam solemus dicere, hæc statua facta est a quodam statuario scelerato, quod est complicare causam per se cum causa per accidens. [Attamen omnes hæ sunt multitudine quidem sex.] Hic tandem ex prædictis omnibus differentijs colligit numerum modorum causarum, & inquit duodecim oriri modos, cum enim quatuor sint paria differentiarum, si eorum tria sumantur, sex oriuntur modi, qui deinde duplicati per quartum par differentiarum fiunt ad summam duodecim. Et hic quoque animaduertit Vicomercatus Aristotelem inordinatione vti, nec eodem ordine hac differentias hic recensere, quem prius in eisdem declarandis formauit, nam antea tertio loco posuit diuisionem in actu & potentia, quarto autem & postremò diuisionem in simpliciter & complexè, hic verò hanc tertio loco ponit ut tertias differentias, postremo autem loco per actum & potestatem multiplicando sex prædictos modos facit duodecim modos exoriri. Sed non est vt nos hic ab Aristotele mutatus ordo perturbet, hoc enim non est absque ratione factum, quia supra non fuit scopus Aristotelis enumerare hos modos, & totum eorum numerum colligere, sed solum proponere nobis præcipuas differentias, per quas fiunt varij modi in eodem causæ genere, & ita proposuit quatuor paria differentiarum oppositarum, non vt subordinata, sed omnia vt distincta, vt solum cognosceremus quot differentijs hi diuersi modi oriantur, potuit ergo eas quo voluit ordine proponere: videtur autem eum ordinem seruasse, ut prius exponeret differentias simplices, postmodum verò adijceret etiam differentiam complicationis dictorum modorum simplicium, sed nunc volens numerum modorum causarum colligere, non potuit hanc eandem postremo loco ponere, quia hæc non considerat omnium simplicium modorum complicationem indistinctè, sed complicationem causæ per se cum causa per accidens, per hanc non fiebat duplicatio omnium modorum ut sex fierent duodecim, quare ultimam posuit diuisionem per potentiam, & actum, quæ duplicat alia sex membra, & facit esse duodecim: hoc significat Aristotelis quando dicit omnes hos modos esse sex, sed postea duplicari. Sex enim sunt hoc modo; supposita enim partitione in per se, & per accidens, datur primo loco causa singularis per se, secundo causa vniuersalis per se, tertio causa singularis per accidens, quarto causa communis per accidens; at si has omnes quatuor intelligamus esse simplices, & totidem alias addamus complexas, dubium oritur, nam fient aliæ quatuor, & sic hæ omnes erunt octo, non sex, sed dubium tollimus, si bene rem consideramus, nam licèt simplices sint quatuor, tamen compositæ non possunt amplius esse quatuor, sed duæ tantùm: nam quatuor existentibus prædictis modis, & postea combinatis fiunt duo complexi ex quatuor simplicibus, & sic ad summam sex modi fiunt, quatuor simplices, & duo complexi, quod ita distinctius declarari potest, Iam diximus Aristotelem nullam respicere complicationem causę vniuersalis cum particulari, quoniam nugatoria est, & præterea non potest dici complicatio uniuersalis cum particulari, quoniam vniuersale appositum particulari fit contractum, nec amplius est vniuersale: non potest igitur intelligi causa complexa per complicationem singularis cum vniuersali, restat ut solùm causæ per se cum causa per accidens complicatio fiat, hoc autem erit duobus tantùm modis, vel enim est


singularis

singularis, vel vniuersalis tota ista causa complexa, propterea non possumus dicere, & fortasse videtur, vel complicari singularem per se cum singulare per accidens, vel uniuersalem per se cum uniuersali per accidens, vel singularem per se cum uniuersali per accidens, uel singularem per accidens cum uniuersali per se, qui essent quatuor modi, sed duo tantum modi sunt, nam ubi alter terminorum est singularis, totum compositum fit singulare: & ita causa complexa non dicetur complexa nisi quando complicantur duæ uniuersales causæ, vna per se, altera per accidens, singularis enim dicitur quandocunque habeat aliquid singulare, siue utrumque terminum, siue alterum solum, & hoc summa annotatione dignum est, quia tactum ab alijs non fuit, ideo coegit omnes hac in re dubitare. Hoc autem pacto sex causarum modis constitutis, fiunt duodecim, si sex sumantur actu, & sex potestate. Sed hic quoque aliud simile dubium nobis occurrit, nisi simili modo hoc quoque soluamus, nam si in causis complexis, velimus hoc discrimen considerare quod vel componitur causa actu cum causa potestate, vel causa actu cum causa actu, vel causa potentia cum causa potentia, plures quàm duodecim modos omnes faciemus, sed considerare debemus quòd potentia respicit actum causandi actus autem causandi non competit nisi causæ per se, si quidem causa per accidens non causat aliquid nisi quatenus causa per se, cui iuncta est, dicitur illud causare, ideò a sola causa per se nominatur totum aggregatum, vel causa actu, vel causa potentia & ita non datur complicatio causæ per se actu cum causa per accidens potentia, neque alio eiusmodi modo, sed totum aggregatum dicitur causa actu, quando causa per se, quæ in eo sumitur, est actu causa, & totum dicitur causa potentia, quando causa per se est potentia causa, quia causa per accidens non potest secundum se dici nec actu causa, nec potentia causa. Si quis agitur obijciat quo modo igitur accommodabitur diuisio per potentiam & actum causis simpliciter sumptis per accidens? vt cum dicimus, causa domus est homo, si enim id, quod modo diximus, verum est, hæc nec actu, nec potentia vocari poterit; Respondeo hanc vocari actu causam, vel potentia causam, respectu causæ per se. Videlicet, non expresse, homo enim est causa domus non quando est actu homo, sed quando est causa ædificans, ab eadem enim causa per se, a qua habet vt dicatur causa, habet etiam vt dicatur, seu potentia, seu actu causa, quare in complicatione causæ per se cum causa per accidens, cum vtraque exprimatur appellatio actus, & potentiæ sumitur a sola causa per se. Hoc modo tuemur sententiam Aristotelis de duodecim causarum modis, quam aliter tueri non possumus; quod vero Græci, & alij dicunt oriri quadraginta octo modos, si per quatuor genera causarum hos duodecim modos multiplicemus verum est, sed leuis, & puerilis ratio est, quam quisque videre per se poterat, multo melius fuisset id annotare, quod nos diximus ad dubia omnia tollenda, quæ aliter tolli non possunt, vt quisque considerare potest.

Textus Trigesimus septimus.

Differunt autem tantum, quod actu quidem existentes, & singulares, et ea, quorum sunt causæ simul sunt, & non sunt, ut hic medens cum hoc qui sanatur, & hic ædificator cum hoc quod ædificatur. quæ autem sunt secundum potentiam, non semper; corrumpitur enim, non simul domus, & ædificator.


DECLA-



ECLARATIS diuersis modis causarum, Aristoteles in hoc contextu & in sequenti tria notat ad hos modos attinentia, quorum primum quod hic ponitur tale est, cum dictum eam sit omnem causam diuidi per actum, & potentiã, hoc discrimen est inter causam actu & causam potentia, quod causa actu operãs, simul est cum effectu, & causa potestate tantùm operans non necessario est simul cum effectu, vt medicus actu sanans est simul cum sanitate; & eo non existente, neque sanatio existit, idest, eo non actu operante; at medicus non actu sanans, sed tantum potestate, non simul est cum sanatione, seu cum hoc homine, qui sanatur, sic ædificator actu ædificans simul est cum domo, quæ ædificatur, & ipso non ædificante nec domus ædificatur, at ædificator potentia tantùm ædificans non simul est cum domo, nec simul desinit esse cum illa, potest enim corrumpi domus manente ædificatore, vel ædificator manente domo. Dixit autem Aristoteles, [actu existentes, & singulares] non tanquam duas conditiones coniungens, sed tanquam eandem declarans, quia vt dicitur in procemio Metaphysicorum actiones sunt singularium, non datur igitur causa actu operans, nisi singularis, nec potest Græcorum verborum alius esse sensus, cum enim dicat τὰ ἐνεργοῦντα, καὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα duplicatus articulus indicat esse eiusdem rei declarationem non duarum coniunctionem. Est autem notandum, quod licet Aristoteles sola singularia existere actu, & actu operari dicat, non propterea negat causam actu operantem posse uniuersaliter considerari, hoc enim si negaretur, tolleretur demonstratio, demonstratur enim effectus per causam, quæ est simul cum eo, & est actu operans, & est uniuersalis; aliud enim est causam esse actu ut uniuersalem, & aliud est causam actu operantem considerari vniuersaliter, causa enim non existit actu vt vniuersalis, nec actu operatur vt vniuersalis, sed solum singularis, potest tamen considerari uniuersaliter causa actu operans, non quidem ut diuersa a singularibus actu operantibus, sed vt illæ ipse vniuersaliter consideratæ, ita vt id, quod de causa vniuersaliter dicitur, non verificetur nisi de singularibus, quibus omnibus competit id, quod dicitur. Aristoteles autem rem solam, non considerationem respiciens dixit solas causas singulares operari actu, quare non negat has posse vniuersaliter considerari.

Textus Trigesimus octauus.

Oportet autem semper causam uniuscuiusque summam quærere, ut & in alijs, ut homo ædificat quia ædificator est, ædificator autem est secundum ædificandi artem. Hæc igitur prior causa est, & sic in omnibus. Amplius alia quidem genera sunt generum, alia autem singularia singularium, ut statuarius quidem statuæ, hic autem huiusce. Et potentia quidem poßibilium, actu autem existentes ad actu existentia.



FFERT hic Aristoteles secundum notandum, quod potest etiam vocari præceptum, id autem est, vt vniuscuiusque causam summam quæramus, summam autem intellligit primam, & immediatam, quæ ita satisfit quæstioni propter quid vt non maneat amplius quærendum propter quid, ideò recte dicit hic Auerroes Aristotelem significare causam vltimam

mam in quæstione, non vltimam in esse, nam vltima in quæstione est causa proxima & adæquata; propterea quod ea adducta cessat quæstio propter quid: nam si in principio hæc afferatur, nil amplius quæritur, si vero alia adhuc fit quæstio, nec cessat donec afferatur. Causa vltima in esse est causa remota, quæ eatenus vltima dici potest, quatenus maxime distat ab effectu, sic enim est vltima quoad esse causam illius effectus, non quo ad esse simpliciter, nisi dicamus ultimam apud Auerroem idem significare quod apud Aristotelem summa, est enim summa idest prima secundum esse, & vterque sensus cadit in idem, est enim prima absolutè secundum ordinem causarum, & respectu effectus est ultima, prima uerò effectui est illa, quæ est proxima. Et hoc respexit Aristoteles quando dixit [Hæc igitur prior causa est] est enim prima, & immediata ipsi effectui, & ita est summa, quia plenè satisfacit quæstioni propter quid. Dat autem Aristoteles exemplum satis quidem rude, sed clarum; si quis enim quærat quare homo ædificet, & respondeat, quia est ædificator, is non quiescit, sed adhuc quærit propter quid est ædificator, si igitur respondeat, quoniam habet artem ædificandi, tunc quiescit, quare si a principio hæc causa adducta fuisset, similiter acquieuisset, cur homo ędificat? quia habet ædificandi artem. Simplicius huius dicti Aristotelis optimam affert rationem, quoniam cum de singula re loquimur, semper id, quod propriè tale est, intelligimus, ut si de substantia loquamur, eam intelligimus, quæ maximè est substantia; si de homine, eum qui iure, & proprie est homo; sic ergo quando causam quærimus eam quærimus, quæ maxime, & proprie est causa, proinde si hæc afferatur, nil amplius quæritur, hæc autem est proxima, & adæquata causa. At S. Thomas causam summam uidetur intelligere causam remotam, dicit enim esse quærendam causam causæ, donec perueniatur ad primam causam, sed hęc non est mens Aristot. qui hic non loquitur de dependentia secundarum causarum a prima, de hac enim satis dixit in initio primi Libri, sed loquitur de causa cuiusque rei propria, & (ut multi uocant) præcisa, quæ dicitur adæquata, quia in se includit uires omnium aliarum remotarum causarum, ideoque satisfacit quęstioni propter quid. Quod si sententia S. Thomæ admitteretur, dicendum esset Aristotelem loqui de resolutione effectus in causas primas, & remotas, & ita proponere ordinem resolutiuum in cognoscenda serie causarum rei, quod tamen non est dicendum, nam in hac causarum serie cognoscenda iam dixit utendum esse ordine compositiuo, & a remotis esse ordiendum: propterea quod ex horum notitia cognitio omnium aliorum pendet; hic uero non de ordine loquitur, sed de uia demonstratiua, qua cognoscamus cuiusque rei propter quid, hoc autem cognoscitur, quando adducitur proxima causa. Ideò notandum hic est Aristotelem per hoc comprobare id, quod supra diximus hanc de causis tractationem fuisse logicam particularem, non enim causas aliquas hic docet rerum naturalium, sed pręcepta tradit de inquisitione causarum cuiusque rei cognoscendæ, ut postea hęc applicet scientiæ naturali, & doceat quas causas rerum naturalium debeat cognoscere philosophus naturalis; ob hoc igitur declarauit species causarum, & uarios in singula specie modos. Nunc uero pręceptum tradit utile ad usum causarum, cum enim uarij sint modi in singulo causę genere, præcipit Aristoteles ut cuiusque causam afferamus adęquatam in declarando propter quid, quare non docet adhuc causam aliquam rerum naturalium, sed de causarum cognitione pręcepta tradit, immò hoc, quod dicit, non est proprium scientię naturalis, totus enim hic tractatus est communis cuilibet scientię, licet postea applicandus scientię naturali, & hoc pręceptum est similiter commune, licet posset appellari proprium ratione intentionis Aristotelis; qui hęc uniuersaliter de causis declarat, ut ea postea

stea

ſtea applicet ſcientiæ naturali, quod in contextu ſeptuageſimo facere incipit. Hoc autem indicant illa Ariſtotelis verba [vt & in alijs] non enim de ſola ſcientia naturali hoc dicit, ſed de omnibus, vbi cauſa quæratur, ideò ſeries verborum Ariſtotelis hæc eſt, oportet omnibus in rebus ſcibilibus, ſeu in ſcientijs omnibus quęrere cuiuſque rei proximam cauſam, quemadmodum etiam videmus in alijs, hoc eſt in artibus, ac rebus omnibus agendis, & ſtatim affert exemplum in arte ædificatoria, ex quo idem intelligamus in ſcientijs contemplatiuis. [Amplius autem alia quidem ſunt genera generum] Tertium, & vltimum hic affert documentum, quod ex ſecundo pendere videtur, & eſt quòd vniuerſalium cauſæ ſunt vniuerſales, particularium particulares, vt ſtatuæ cauſa eſt ſtatuarius, huius autem ſtatuæ hic ſtatuarius, & vniuerſaliter artificij artifex vniuerſaliter acceptus, ſic etiã cauſa exiſtens poteſtate eſt cauſa effectus potentia exiſtentis, & actualis cauſa effectus actualis. Cum enim in ſecundo documento dixiſſet quærendam eſſe vnius cuiuſque cauſam ſatisfacientem quæſtioni propter quid, quæ eſt cauſa rei adæquata; & proxima; hic tertium affert documentum ad id conferens, ſi enim cauſam volumus adducere adæquatam oportet, vt rei vniuerſalis cauſam afferamus vniuerſalem, & ſingularis ſingularem, & potentialis potentialem & actualis actualem; quemadmodum etiam præſentis præſentem, futuri futuram, & præteriti præteritam; quæ omnia fuſius declarata ſunt ab Ariſtotele in ſecundo Libro poſteriorum tanquam præcepta neceſſaria ad demonſtrandum propter quid. His enim ſeruatis cauſa eſt ſimul cum effectu, & poſita ponit, & ablata aufert, & ita eſt cauſa propter quam res eſt. Hæc autem omnia præcepta tradere Ariſtoteles voluit, propter illa quæ dixerat de modis cauſarum, ne forte crederemus ſatis eſſe in qualibet re cauſam quamlibet adducere, hoc eſt, ſecundum quemcunque modum, vt effectus actualis cauſam eſſe potentialem, & effectus ſingularis cauſam eſſe vniuerſalem; nam cauſa quidem uniuerſalis poteſt effectus particularis appellari cauſa, non tamen adæquata, nec declarans propter quid. Ideò admonere nos uoluit eſſe in omnibus eligendam cauſam adæquatam, & ut hanc aſſequamur, id eſt obſeruandum, ut effectus uniuerſalis cauſam uniuerſalem afferamus, effectus enim uniuerſalis cauſa, ſcilicet, adæquata non eſt niſi uniuerſalis, & ſic de alijs, ut dictum eſt.



IACOBI ZABARELLAE PATAVINI.

In Tertium Aristotelis Physicorum Librum,

COMMENTARII.



LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

Textus Primus.

Quoniam autem natura quidem est principium motus, & mutationis: methodus autem nobis de natura est: non latere nos oportet quid sit motus, necessarium enim est, ignorato ipso ignorari, & naturam. Cum autem determinauerimus de motu, tentandum erit eodem aggredi modo de ijs, quæ consequenter sunt. Videtur enim motus continuorum esse; infinitum autem apparet primum in continuo; quapropter & definientibus continuum accidit vti sæpenumero ratione infiniti, cum in infinitum diuisibile continuũ sit.



POST tractationem in duobus libris factam, tùm rerum naturalium, tùm scientiæ naturalis, nunc Aristoteles transit ad considerationem accidentium communium, quæ omni corpori naturali communiter competunt iuxta horum librorum partitionem a nobis factam in libro nostro de naturalis scientiæ constitutione. cap. octauo. Quæ autem hæc accidentia sint, & quo ordine tractentur ab Aristotele, & quæ sit sequentium librorum diuisio, iam diffusè a nobis declaratum est in cap. duodecimo eiusdem libelli, sed etiam hic ab ipso Aristotele aliqua hac de re dicuntur in primo, & secundo contextu, quæ sunt veluti sequentium librorum procemium, cum enumeret omnia accidentia corporis naturalis, eaque tractanda proponat. Quoniam autem primum locum inter hæc omnia accidentia teneat motus, quippe qui manifestam connexionem cum ipsa natura habet, cum in eius definitione sumatur, ideò primo loco in prima parte huius contextus proponit de motu agendum, & huius tractationis rationem adducit; deinde in secunda parte proponit etiam de alijs accidentibus pertractandum, ac eius tractationis similiter rationem affert, cum secunda enim parte totum quoque secundum contextum coniunctum intelligimus. In prima parte talem rationem adducit, cum sit necessarium Philosopho naturali de motu agere, agens de natura debet etiam agere de motu: at nobis de natura tractatio instituta est: ergo debemus etiam agere de motu. Minorem, ut manifestam ponit, patet enim nos in tota hac scientia de natura agere,

re, hoc est, de rebus naturalibus, sumitur enim hic natura sit ratio formalis subiecti scientiæ naturalis, quæ totam scientiam amplectitur, & quamuis in solo secundo libro declaretur nomen, natura, tamen de natura agitur in tota scientia, quatenus est ratio formalis subiecti adæquati, quæ debet ipsi quoque toti scientiæ adæquari, Maiorem autem non ponit, sed eius loco ponit eius probationem sumptam ex definitione naturæ, cum enim natura definiatur per motum, habet essentialem connexum motus cum natura, vnde infert, ergo agens de natura debet enim agere de motu, qui in eius definitione sumitur. Verba autem illa postremò adiecta [necessarium enim est ignorato ipso, ignorari, & naturam] ponuntur ad maiorem corroborationem dictæ probationis maioris, & ad declarandum essentialem, & necessarium connexum motus cum natura, & sunt intelligenda de cognitione motus confusa, non de distincta, vt in illo cap. duodecimo dicti libri nostri ostendimus, notissimum enim nobis est dari motum, sed si supponeremus ignorari, necesse esset ignorari etiam naturam, quæ per motum definitur, cum. n. illa sit definitio nominalis, vt ait Auerroes secundo Posteriorum Quadragesimoquarto non potest intelligi nomen naturæ ignorato motu, proinde nihil de natura intelligere possumus, quia significatio nominis est principium omnis nostræ cognitionis. Hoc igitur signo ostenditur necessariò connexio motus cum natura, quo fit vt agentes de Natura debeamus omnino agere de motu. Ob id tenendum est, ne cum multis intelligamus Aristotelem loqui de cognitione motus distincta, & dicere quòd nisi ea habeatur, necesse sit ignorari definitionem naturæ. Hoc enim falsum esset, quoniam ad naturæ definitionem intelligendam patet sufficere cognitionem motus confusam, & quod sit, esset quidem necessaria etiam distincta si definiretur natura per motum tanquam per causam, & per partem essentialem priorem, sed cum definiatur per motum tanquàm per effectum posteriorem, proinde illa sit definitio nominalis, satis est cognitio motus confusa ad intelligendam significationem huius nominis, natura. Et res per se manifesta est quod ad intelligendam definitionem naturæ non est necessarium intelligere definitionem motus, tradendam mox ab Aristotele, sed multis causa erroris fuit quod Aristoteles statim post conclusionem subiungit hæc verba, quare videtur ea adijcere vt rationem conclusionis cur oporteat declarare quid sit motus, attamen verba hæc ponuntur ad maiorem confirmationem propositionis maioris, & ad ostendendum solum quod agens de Natura debet etiam agere de motu, & quod ad eundem pertinere debet tractatio de motu, & tractatio de natura. Quod ad verba attinet dicit Aristoteles [motus, & mutationis] vel ut idem significantia, ad maiorem efficacitatem, vel quia latius patet mutatio, quàm motus; prior tamen expositio est probabilior, quia adhuc nullam differentiam nouimus inter mutationem, & motum. [Methodus] hic communiter sumitur pro quacunque tractatione artificiosa, sicuti etiam in initio primi Libri, & pluribus alijs locis vsurpatam ab Aristotele inuenimus hanc dictionem. Dicit autem, [quid sit motus] non enim proponit ostendendum quid sit, si quidem notissimum est, & iam suppositum in contextu vndecimo primi libri. Est enim principium cognitionis in hac scientia necessarium, quo ignorato tollitur tota naturalis Philosophia, & quo negato nullus ad ea est aditus, idque significare voluit Aristoteles quando dixit, ignorato motu necesse esse etiam naturam ignorari, idest, totam scientiam naturalem, quia motum esse est cognitionis principium necessarium, proponit ergo solum declarandam quid sit, hoc enim ignoratur, & est maxime difficile cognitu. [Cum autem determinauerimus de motu] Proposito motu hic alia accidentia proponit, & quando dicit [de ijs, quæ consequenter sunt] non intelligit consequentia

quentia

quentia motum, vt multi interpretantur, non enim verum est, quod hæc alia accidentia sint posteriora motu, & ipsum consequantur, locus enim respectu motus est potius causa, quàm effectus consequens, sed consequentia, intelligit ratione doctrinæ tantùm, ordo enim doctrinæ seruatur, non omninò ordo naturæ, quoniam enim motus est immediate connexus cum natura, cum in eius definitione sumatur, ideo primo loco de motu agendum fuit. Hæc uerò alia tractanda similiter esse Aristoteles probat duabus rationibus: Prima, quia hæc habent connexionem cum motu, adeò vt si de motu agendum est propter eius connexionem cum natura, de ijs quoque alijs est agendum ob rerum connexionem cum motu, & ita agens de natura debet etiam agere de motu, & agens de motu debet etiam agere de his alijs, quæ habent connexionem cum motu: Altera ratio est, quia hæc omnia sunt accidentia communia corporis naturalis vniuersaliter accepti, & hæc est ratio potior; prior enim probabilis ratio fuit quàm necessaria, multa enim habent connexionem cum motu, quæ non sunt de consideratione Philosophi naturalis, vt motus est ens, tamen à Philosopho naturali non est considerandum ens. Sed hæc posterior ratio necessaria est, oportet enim contemplantem aliquod subiectum omnia eius accidentia contemplari, cum ergo in his libris subiectum sit corpus naturale communissimè sumptum, consideranda sunt omnia accidentia illi communiter competentia. Nominat autem Aristot. alia quinque acccidentia, cõtinuum, infinitum, locum, vacuum, & tempus, vel quatuor si continuum excludamus, sed hoc postea considerabimus; Et primo loco ostendit singulorum connexionem cum motu, & in primis continui, quando inquit [Videtur autem motus continuorum esse] quod non ita est intelligendum, ut dicat Aristoteles motum esse etiam de genere continuorum, sic enim esset in prędicamento quanti, quod tamen non est dicendum, & hac in re mihi uidentur lapsi esse Græci omnes, Simplicius, Ioannes Grammaticus, & Alexander referente simplicio, nam dubitarunt quomodo. Aristoteles hìc dicat motum esse sub continuò tanquam speciem, cùm tamen in prædicamentis non posuerit motum sub continuo, immò nec omninò sub quanto. Ad hoc respondet Ioannes Grammaticus Aristotelem in prædicamẽtis sub continuò non posuisse motum, non quòd non sit continuum, est enim continuum, sed quia ibi sub prædicamentis non collocat nisi illa, quæ sunt perfecta, motus uerò est actus imperfectus. Simplicius uero cum Alexandro dicit motum esse reuera continuum, & alia ratione esse in prædicamento ad aliquid: nam secundum se continuum est quiddam, id uero, quod in motu est, refertur ad aliud, mobile enim est relatiuum, ideò concordes Græci omnes dicunt uerbum [videtur] hic significare euidentiam & δοχεῖ sumi pro φαίνεται. Ego verò nullo modo accipiendam puto Græcorũ sententiã, cùm infra ex Aristotile manifeste collecturi sumus, quod motus non est species continui, nec omnino species quanti: Et miror quod res leuissima ipsis difficultatem fecerit, quamuis enim Aristoteles dicat motum esse de numero continuorum, non ob id dicit continuum esse genus motus, siquidem non omne, quod de aliquo prædicatur, de eo prædicatur, vt genus, sed potest prædicari, vt accidens seu proprium, seu commune; dicere enim possumus hominem esse de numero bipedum, nec ob id dicimus bipes esse hominis genus, Veram igitur dico esse Aristotelis sententiam in prædicamentis quod motus non est species continui, neque hic aliquid dici illi sententiæ repugnans, non enim dicit Aristoteles motum esse de genere continuorum, sed esse continuorum, hoc est esse ex rebus, quibus competit continuitas, competit autem ei continuitas, vt accidens ab eo inseparabile, qua de re loquemur postea diligentius in definitione motus. Ideò nec Themistij nec alio-

L rum

rum quorundam sententiam probandam puto , qui dicunt Aristotelem significare, quòd in definitione motus ponitur continuum, quia licèt ex definitionis motus colligatur motum debere esse continuum tanquam quiddam cum consequens , non tamen est pars illius definitionis, vt ibi videbimus ; neque enim verum est, quod plures dicunt Aristotelem horum omnium tractandorum connexum sumere à definitionibus, vt sicuti de motu agendum est agenti de natura , quia motus acceptus est in definitione naturę, ita de continuo sit agendum, quia sumatur in definitione motus, & de infinito, quia sumatur in definitione continui, siquidem non hæc mens Aristotelis est, sed absolute vtitur connexione istorum inter se qualiscunque ea sit, vt in alijs sequentibus accidentibus uidebimus; de quibus non dicit Aristoteles, ideò esse agendum quòd sumatur in definitione motus, sed quòd sunt necessariò cum motu coniuncta locus, vacuum, & tempus. Quòd uerò dicunt de illo verbo δοχῆ ego quidem verum esse puto, sed hoc eorum sententiam euertit, euidens enim dici potest, quòd motus sit continuus, & non est euidens, quòd continuum sit genus motus, cum maximè absconditum sit, in quo prædicamento sit ponendus motus. Quod uero dicunt de prædicamento relationis, id à nobis postea considerabitur. [infinitum autem apparet primum in continuo] Ostendit etiam de infinito agere debere Philosophum naturalem sumpta ratione à continuo, nam infinitum sumitur in definitione continui. ergo non potest cognosci continuum nisi intelligatur infinitum: sicut ergo agens de motu debet agere de continuo, sic agens de continuo debet agere de infinito, quia hæc omnia sunt inter se coniuncta, proinde tractanda in eadem scientia. Notandum est quod infinitum sicut etiam finitum considerantur pręcipuè in quantitate, & sunt tanquàm proprietates quanti, quoniam igitur duo sunt species quanti continuum, & discretum, rectè dicit Aristoteles [primum,] in continuò in esse infinitum (vt Græci notant,) quia competit continuò diuisibilitas in infinitum, & competit discreto augmentabilitas in infinitum & vtraque est potentialis infinitudo, quia actu infinitum non datur, sed prius competit continuo, deinde per continuum discreto, nam ex diuisione continui in partes infinita oritur augmentatio numeri in infinitum. Quod autem dicit Aristoteles infinitum accipi in definitione continui, siquidem continuum sic definitur, quòd diuiduum est in infinitum, considerationc dignum est, alia namque legitur continui definitio in prædicamentis in cap. de quanto, quam eandem legimus Quinto Physicorum Vigesimosexto, continuum est, cuius partes in communi termino copulantur, de quibus definitionibus aliàs plura diximus in secundo contextu primi libri de Cœlo, vbi Aristoteles hanc eandem profert definitionem continui, quam hic tangit. sed nunc breuibus agens dico vnius rei vnam tantum esse definitionem, non plures, ideo veram continui definitionem esse illam, quæ affertur in prædicamentis, & in quinto Physicorum, quia illa sola exprimit naturam continuitatis, quæ consistit in illa partium coniunctione in communi termino; Diuisio verò illa infinita tantùm abest vt exprimat naturam continui, vt potius sit interruptio, & destructio continuitatis. Est igitur potius proprietas consequens naturam continui, quàm differentia constituens; Ideo rectè hic dicit Ioannes Grammaticus infinitum inesse continuo per se, iuxta secundum modum dicendi per se, patet igitur hanc non esse definitionem continui, sed potius descriptionem traditam per proprietatem posteriorem, idque Aristoteles ipse significat dum dicit, [sæpenumero] nam si esset vera, & propriè dicta, definitio, semper esset continuum ita definiendum. Denotat igitur quòd quandoque

doque pro aliqua occasione definitur sic continuum per posteriora, quod ipsi Aristoteli contingit in secundo contextu primi Libri de Cœlo. Ad probandam enim perfectionem corporis commoda ei fuit hæc continui descriptio per diuisionem infinitam: & id facere eò magis ei licuit, quo erat in proœmio, vbi non est necessarium res exquisita ratione tractare. Quòd verò dicit; [ratione infiniti] modus est loquendi, definitio enim idem est ac definitum, ideò sumere in definitione continui infinitum, est sumere definitionem ipsius infiniti, sic enim etiam in definitione hominis sumi dicitur ratio animalis, quia sumitur animal ipsum. Patet autem hoc satis esse ad ostendendum coniunctionem infiniti cum continuo, cum enim sit proprietas consequens, per quam etiam quandoque definimus ipsum continuum, essentialiter sunt connexa, proinde agens de continuo debet etiam agere de infinito.

Textus Secundus.

Ad hæc autem sine loco, & vacuo, & tempore impossibile est motum esse. Manifestum igitur est, quòd, et propter hæc, & propterea quòd cunctis sunt communia, & vniuersalia hæc omnibus considerandum erit cum proposuerimus de unoquoque ipsorum; posterior enim est, de proprijs speculatio ea, quæ de communibus est.


PRAETER continuum, & infinitum addit hic Aristoteles alia tria accidentia consideranda in his Libris, locum, vacuum, & tempus, & horum tractationis rationem sumit a motu, non quidem quod ponatur in eius definitione, sed quod necessario sunt coniuncta cum motu, hoc enim satis est ad ostendendum quòd de his agere debeat is, qui agit de motu. Inquit enim esse impossibile dari motum sine his, sed de vacuo notandum Aristotelem hoc dicere non ex propria opinione, sed ex aliorum sententia, quam nondum confutauit: ponebant enim plures vacuum, vt Democritus, qui dicebat corpora constare ex pleno, & vacuo, nec moueri nisi per vacuum. Vnde patet Aristotelem hic tanquam in proœmio probabiliter loqui sicut antea dicebamus, dùm ex horum coniunctione rationem sumit tractationis ipsorum. Nam de vacuo efficacior ratio erat, quod eius consideratio debet esse coniuncta cum tractatione de loco, siquidem vacuum apud ponentes vacuum nil aliud erat, quàm locus sine corpore, quare tractare de vacuo est tractare de loco: sed quia vulgatæ erant aliorum sententiæ de vacuo, maluit Aristoteles ex earum suppositione rationem sumere tractationis de vacuo, quia apud eos non poterat motus fieri sine vacuo, quoniam corpora se mutuo penetrarent. De loco autem, & tempore manifesta res est, quamuis enim natura omnis motus sit ad locum: tamen omnis motus necessario fit in aliquo loco, quia non mouetur nisi sensibile corpus: & omne sensibile corpus est in loco; locus igitur est necessaria conditio motus; quatenus est necessaria conditio mobilis. Tempore verò omnis motus mensuratur, quia omnis motus fit in tempore, immò est tempus passio consequens primum motum, vt in quarto Libro ostendetur, quare absque dubio motus sine tempore nullo modo fieri potest. Notandum hic est Aristotelem in his accidentibus enumerandis eundem seruare ordinem, quem postea in eorum tractatione seruabit, præterquam de continuo. Nam primo loco agit de infinito in

hoc tertio Libro statim post tractationem de motu; deinde in quarto Libro agit de loco primum, deinde de vacuo, postmodum de tempore, sed in sexto agit de continuo. Qua de re duo dicere possumus, primò enim possumus dicere Aristotelem non solere in procemijs ordinem doctrinę seruare in rebus proponendis, sed solum in eorum tractatione id etiam seruat, vt notiora semper anteponat, in procemijs vero aliud aliquid respicit. Secundo possumus dicere Aristotelem reuera non proposuisse agendum de continuo, sed solum de infinito, & his quatuor alijs. Hęc enim omnia absolutè consideranda sunt a Philosopho naturali, & a nullo alio, nam licet finitum & infinitum sint propria quanti: tamen de his Mathematicus nullam considerationem facit; at de continuo absolutè non agit Philosophus naturalis, cùm de illo agat etiam Mathematicus, sed limitate nempe, de continuitate corporis naturalis, & motus, & spatij, per quod fit motus, ideò non proposuit de illo agendum, sed illud nominauit propter infinitum, vt inde eliceret necessitatem tractationis de infinito, possumus vtram volumus sententiam accipere. [Manifestum igitur est quod &c.] Alteram affert huius tractationis rationem efficaciorem, & inquit, non solum ad dictam rationem, nempè propter horum coniunctionem cum motu & cum natura esse de his agendum, sed etiam propter hanc alteram rationem, quia hæc omnia sunt accidentia vniuersalia, & communia omnibus corporibus naturalibus, omne enim naturale corpus est mobile, & est in loco, & omnis motus tempore mensuratur, quoniam igitur tractanda sunt prius vniuersalia, deinde particularia, ut etiam in procemio primi Libri dictum est, & in his libris agitur communiter de corpore naturali, in alijs verò sequentibus agetur de speciebus ipsius corporis naturalis, ideo hic agendum prius est de accidentibus communibus, quę per se competunt corpori naturali, posterius enim agetur de accidentibus proprijs singularum specierum. Ideo hæc secunda est vera ratio tractationis de his accidentibus, quoniam agendum prius est de corpore naturali communi, & eius communia accidentia consideranda, quæ sunt ea, quæ enumerata sunt. Vnde patet tractari hæc præcipuè propter se, non propter definitionem naturæ, vt Græci existimarunt, sunt enim accidentia naturalia per se digna cognitu in scientia naturali. Primo autem loco (inquit Aristoteles) de motu agendum est, hic enim præcipuus est inter hæc omnia naturalia, cum hic solus sumatur in definitione Naturæ.

Textus Tertius.

Primum autem, sicuti diximus de motu. Est igitur eorum quæ sunt, aliud quidem actu solum, aliud vero potentia. Et eorum quæ sunt actu, hoc quidem hoc aliquid, illud vero tantum, aliud verò tale, & in alijs entis prædicamentis similiter. Eorum autem quæ sunt ad aliquid, aliud quidem secundum superabundantiam, & defectum dicitur, aliud autem secundum actiuum, & passiuum, atque omnino motiuum, & mobile. Motiuum enim motiuum mobilis est, & mobile a motiuo est mobile.

AGGRE-


GGREDITVR Aristoteles tractationem de motu, & quia non uult inuestigare, an sit motus, cum sit notissimum, sed solum quid sit, hoc enim est maximè absconditum, ideò quædam prius fundamenta iacet conferentia ad inueniendam definitionem motus. In hoc textu ponere videtur tres diuisiones, sicut sæpe solet per diuisionem inuenire partes definitionis ut patet in secundo libro de Anima in indaganda definitione animæ, sed in prima diuisione Aristotelis est maxima difficultas, nam si ipsa Aristotelis verba legamus uidetur talem diuisionem proponere, entia alia sunt actu, alia potentia, ideò Latini, & Auerroes ita hanc diuisionem intellexerunt, vt Aristoteles in uno membro ponat solum actum, in altero verò solam potentiam, & quia per hoc non distinguuntur prædicamenta inuicem, cum in quolibet sit actus, & potentia, ideo dicunt Aristotelem subiungere, secundam diuisionem in decem: Hęc videtur etiam Porphyrij sententia fuisse, qui dixit diuisiones esse faciendas per membra opposita, opposita autem sunt actus, & potentia. At Simplicius hanc opinionem impugnat & uult diuisionem fieri talem, eorum quæ sunt, alia sunt actu solùm, alia verò actu, & potentia, quam sententiam etiam alij Græci tutati sunt, nititur autem Simplicius tum auctoritate antiqui Codicis, in quo inquit se legisse, alia sunt actu tantùm, alia potentia, & actu; tum ratione, quia in entibus nullum datur, quod sit solum in potentia, siquidem est implicare contradictionem dicere quòd entia aliqua sint in potentia tantùm, si enim sunt, ergo actu sunt. Præterea cum Aristoteles dicat [actu tantum] significat, alterum membrum, non modo actu esse, sed etiam potentia. Porphyrius uerò ad suam sententiam comprobandam utebatur duplici Aristotelis authoritate, una quidem hoc in loco, quia postea faciens alterius membri subdiuisionem in decem prædicamenta dicit [& eorum quæ sunt, actu, hoc quidem hoc aliquid &c.] nam si secundum membrum fuisset potentia, & actu hoc diuidendum fuisset in decem prædicamenta, si quidem in omnibus est potentia & actus, diuidit autem primum, ergo secundum non fuit nisi potentia, prædicamenta enim omnia quatenus subsistunt, actu sunt. Altera est authoritas Aristotelis infra in Textu sexto, ubi hanc eandem diuisionem commemorans inquit, [Diuiso autem secundum unumquodque genus, hoc quidem esse actu, illud uero potentia] non dicit, illud uerò potentia, & actu, ergo talem diuisionem se hic fecisse testatur. Sed Simplicius ad hæc omnia optimè respondet; ad priorem enim authoritatem dicit uerba esse legenda iuxta antiquum Codicem, in quo illa uerba καὶ ἐντελεχείᾳ non sunt a pręcedentibus separata, nec sunt acceptio alterius membri diuidendi in decem prędicamenta, sed sunt pars secundi membri primę diuisionis, unde patet mendosam esse Latinam cōuersionem, dum dicitur, [& eorum, quę sunt actu] non enim dicit Aristoteles, καὶ τῶν ἐντελεχείᾳ. Traductio, igitur debet esse talis, [alia quidem sunt actu, alia uerò potentia, & actu] ita ut Aristoteles sine reassumptione alterius membri statim prosequatur continuata oratione, [hoc quidem hoc aliquid, illud uerò tantum] hęc enim uerba immediatè adiuncta secundo membro primę diuisionis sunt eius subdiuisio in decem prędicamenta, quare nulla est alia differentia inter nostros Gręcos codices, & illum, quem se uidisse asserit Simplicius, nisi in punctis, & distinctione uerborum, resque est manifestissima perpendentibus uim Græcę locutionis, quam nos ante perpendimus, ideò decepti sunt quidam recentiores, & male Simplicium intellexerunt, putantes Simplicium dicere se uidisse antiquum Codicem, in quo legatur prius τὰ δὲ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ deinde uerò καὶ ἐντελεχείᾳ tāquàm resumptio alterius membri, hoc enim non dicit Simplicius, quia hęc esset manifesta acceptio

primi membri,non secundi,sed dicit semel poni uerba illa καὶ ἐντελεχείᾳ sed annectendo esse pręcedentibus ut partem secundi membri, sic enim res altera est, nec ullam habet difficultatem, immò secundum expositionem Porphyrij hęc neutrius membri potest esse subdiuisio,quia nullum prędicamentum est actu tantum, sicuti nec potētia tantū, neque dici potest quod sub actu subintelligatur implicitè potentia utpote ad actum reductiuum,ita ut subdiuisio sit eorum,quę sunt actu,& potentia,cū Arist.expressam fecerit exclusionē potentię in primo membro dicens,[actu tantum] quam difficulatem euitare voluit Auerroes dicens hanc esse secundam diuisionem separatam à prima, non subdiuisionem alterius membri, ut per hanc diuidatur ens in decem prędicamenta. Sed huic sententię obstat uerborum continuatio, quam cum Simplicio perpendimus, hoc enim significat manifestè subdiuisionem posterioris membri. Ad alteram uerò authoritatem Simplicius dicit, Aristotelem ibi in Textu sexto non primam, sed secundam diuisionem commemorare, dum enim dicit [diuiso autem secundum vnumquodque genus hęc quidem esse actu, hoc verò potentia] nihil aliud significat, quàm secundum membrum diuisum a se fuisse in decem genera, dixerat enim quòd illa, quæ sunt potentia & actu, alia sunt substantia, alia quantum, &c. Et sic denotare ibi vult quòd in quolibet prædicamento est potentia, & actus, vt eo in loco nos fusius declarabimus. Hanc igitur primam diuisionem inquit Simplicius esse perfectam, & ineuitabilem, quia licet videatur deesse tertium membrum, quod est potentia tantum, hoc tamen in rebus non datur, nihil enim existit, quod non habeat aliquem actum, quare entium omnium hæc duo tantum sunt genera, ea, quæ sunt actu tantum, nempè substantiæ a materia abiunctę, quæ sunt actus puri, & omnia corpora, quæ ex necessitate habent actum cum potentia mixtum, siquidem etiam Cœlum, licèt secundum substantiam careat potentia, tamen habet potentiam ratione motus localis, quia pars eius quælibet non est simul in omnibus locis. Voluit autem Aristoteles separare a substantijs naturalibus substantias abstractas, quæ sunt actus puri, quia motus non habet locum nisi in ijs, quæ habent potentiam,& actum simul, vt in eius definitione patebit. Licet enim adhuc nullam notitiam habeamus substantiarum separatarum; tamen ob quandam communem opinionem, quam de motibus diuersis homines habent, uoluit eas breuiter tangere, & indeclaratas dimittere, immò & sub dubio eas tangere videtur,quasi dicat seu dentur seu non dentur entia, quæ sint puri actus,de his non agimus, sed solum agimus de illis, quæ participant actu, & potentia, quæ sunt entia prædicamentalia. Aliqui tamen objiciunt, si intellexisset substantias abstractas,non eas vocasset actu sed actus,& ad hoc dicimus Aristotelem ruditer eas tangere voluisse. Notius enim nobis est id, quod est actu, quàm purus actus, ideo pingui Minerua loquens voluit uti eadem locutione in vtroque membro, & dicere alia actu tantum alia potentia, & actu, nec rectè fecisset dicens, alia sunt actus, hoc enim est nobis ignotissimum, sed quod res diuinæ sint actu tantum, nec sint potestate, hoc sine ulla scientiarum notitia cognoscimus.[Eorum autem quæ sunt ad aliquid.] Ponit hic tertiam diuisionem, seu prædicamenti ad aliquid iam nominati subdiuisionem, licèt non sit propriè diuisio, nam propriè diuisio fieri dicitur quando fit in omnes species, adeò vt membra omnia diuidentia adimpleant totum diuisum, quod hic dicere non possumus quicquid ad huius diuisionis plenitudinem ostendendam laboret hic S.Thomas, nam Aristoteles duas tantum species relatiuorum hic enumerat, sub quibus non continentur omnia relatiua,ut Græci omnes cognouerunt: dantur enim relatiua,quæ significant æqualitatem, ut frater fratris frater, & simile simili simile, quæ non possunt collocari sub excessu,

&

& defectu, neque sub motiuo, & mobili; nō est ergo diuisio relatiuorum, sed enumeratio duarum tantum specierum, quæ ad propositum conferebant, ut dicunt Græci, nam Arist. hęc fundamenta iacit, vt ex his sumat partes definitionis accipiendas in definitione motus, quoniā igitur aliqui definiebant motum per inęqualitatem, quę denotat excessum, & defectum, isque fuit Plato, vt inquit Simplicius, cuius sententiam postea Aristoteles est impugnaturus, ipse autem non inæqualitatem, sed mobile, & mouens sumet in definitione motus, præcipuè verò mobile, in quo putauit esse motum, ideo in prædicamento relatiuorum accepit has tantum duas species, de quibus locuturus est, excessum, & defectum, quæ sumebantur a Platone in definitione motus, & mouens, & mobile, quæ sumenda sunt ab ipso. Addit autem Aristoteles [& omnino motiuum, & mobile] quasi corrigens, nam prius nominauerat [actiuum & passiuum] quæ propriè sumpta non dicuntur nisi in qualitate, ut patet in primo Libro de generatione, ideò subdit, [& omnino] idest, & vniuersaliter motiuum, & mobile, vel hoc addit declarandi gratia, ut significaret se propriè non accipere actiuum, & passiuum secundum alterationem tantum, sed uniuersaliter pro omni motiuo, & mobili, quod extendatur ad omnia prædicamenta, in quibus potest esse motus, ideò etiam inferius dicturus est motum esse actionem, & passionem, ample sumendo actionem & passionem, prout est idem cum motu.

Textus quartus.

Non est autem motus præter res. Mutatur enim semper id quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale aut secundum locum, commune verò in his nihil est accipere sicuti diximus, quod neque hoc, neque quantum, neque quale, neque aliorum prædicamentorum illum sit, quare neque motus, neque mutatio ullius erit præter ea, quæ dicta sunt, cum nihil sit præter ea, quæ dicta sunt.

FACIT hic Aristoteles quartum fundamentum pro definitione motus, vt ait Auerroes, & Græci dicunt esse tertium, sed parui momenti lis est, nam Græci primam, & secundam diuisionem coniungunt, & unam esse faciunt, quod reuera non est alienum a locutione Aristotelis, qui continuata oratione eas ponit tanquam fundamentum unum. Hoc autem fundamentum non eodem modo ab omnibus intelligitur, cum enim dicat Aristoteles motum non esse præter res, & ex eo postea colligat fundamentum quod mox audiemus. Hoc Græci sic intelligunt quod motus non est extra mobile, & mouens, cum insit in ipso mobili, & fiat a motore, & hoc dictum sit ad excludendam ideam motus a Platone positam, quæ esset extra res mobiles. Hæc tamen sententia verbis Aristotelis consona non est, quia duplex est id, in quo dicimus esse motum; primum est in mobili ut in subiecto, est etiam in aliquo prædicamento ratione terminorum, ut quando motum dicimus esse in qualitate, quando termini sunt de prædicamento qualitatis. Græci priorem sensum, acceperunt; qui si accipiatur in uno tantum prædicamento est motus ut in subiecto, nempè in sola substantia, attamen Aristoteles dicit hic in

quatuor

quatuor prædicamentis esse motum, in substantia, quanto, quali, & vbi, quare relicto sensu illo, sumendus est alter, quem Auerroes, & S. Thomas acceperunt, & hunc Græcorum errorem etiam Vicomercatus animaduertit. Potest autem sic quoque dici quod per hoc pungatur Plato ponens ideam motus extra omnes res, in quibus est motus, sed hoc parui momenti est, cum enim soleat Aristoteles vniuersaliter carpere sententiam Platonis de ideis, non erat necessarium ut principaliter hic reijceret ideam motus, quare fortasse id Aristoteles nunc minime aspexit. Sed aliud est ipsius artificium, & scopus in hoc fundamento iaciendo, sine cuius intelligentia nihil hic possumus intelligere; cum enim omnia hæc fundamenta iaciantur pro colligenda definitione motus, videndum est quomodo ad propositum omnia conferant. In primis sumendum erat in definitione genus, vel aliquid locum generis obtinens, quoniam igitur Aristoteles dicturus est motum esse actum, eumque imperfectum, qui cum potentia est coniunctus, ideò seclusis primum ijs rebus, quæ sunt actus puri sine vlla potentia, Aristoteles accepit actum coniunctum potentiæ, quem diuisit in decem prædicamenta, deinde quia in definitione sumpturus erat mobile tanquam differentiam, dicens motum esse actum mobilis, ideò accepit postea prædicamentum relationis, sub quo ponitur motiuum & mobile, ut acciperet mobile in definitione, quod est subiectum motus, illi enim competit motus non quatenus est absolutè ens, vel corpus, sed ratione illius relationis, & aptitudinis, quam habet ad recipiendam a motore perfectionem, ideò in hoc decepti sunt Græci putantes diuisionem factam esse in decem prædicamenta, ut postea ex ijs seligeretur prædicamentum ad aliquid, sub quo motus locaretur. Hoc enim est ab Aristotele alienissimum, qui nullo modo putauit motum esse speciem prædicamenti ad aliquid, quod patet ex eo quod Aristoteles sub prędicamento ad aliquid non accepit aliquid, quod secundum eius opinionem esset genus motus; sed motiuum, & mobile, quæ erunt potius differentiæ externæ, quales sumi solent in definitionibus accidentium: Ex his autem colligimus rectiorem in hoc videri Græcorum sententiam, qui in tertio contextu non tria fundamenta, sed duo tantum iacta esse dicunt, quia duo tantum ibi fuere Aristotelis scopi, vnus sumendi actum iunctum potentiæ, quem diuidit in decem prædicamenta facta prius exclusione illarum rerum, quæ sunt actu tantum ut inde postea acciperet in definitione motus actum imperfectum, qui iunctam habet potentiam, quare totum hoc fuit unicum fundamentum, ex quo sumeretur genus ipsius motus. Alter uero scopus fuit accipere differentiam ponendam in definitione motus, & huius gratia sumpsit duo Aristoteles prædicamentum ad aliquid, & sub eo motiuum, & mobile. Quoniam vero omne ens videtur poni in aliquo prædicamento, ideò non satis erat Aristoteli accipere in definitione motus actum cum potentia, quia cum hic diuidatur in decem prædicamenta, dubium manebat, sub quonam prædicamento acciperet actum illum, qui de motu prędicaretur. Ad hoc igitur declarandum voluit Aristoteles in hoc contextu tertium fundamentum iacere, quo doceret motum non esse sub aliquo determinato genere, ita ut dicendus sit actus ex aliquo determinato prædicamento, sed esse quoddam commune per quandam analogiam, ita ut etiam eius definitio, & actus in eo accipiendus, sit commune quoddam analogum, quod ad plura prędicamenta extenditur. Ad hoc autem ostendendum sumit Aristoteles argumentum ex ipsis prædicamentis hoc pacto; prædicamentis nihil datur commune uniuocum, motus est in pluribus prædicamentis, ergo nec motus datur vniuocè omnibus communis. Maiorem ponit Aristoteles quando dicit [commune verò nihil est accipere] quam vt notam sumit, nam etiam in contextu tertiodecimo primi Libri sumpsit ens multipliciter dici, & in eo uidentur

dentur omnes consensisse, nam ibi Auerroes ait notum esse quòd ens non dicitur vniuocè de decem prædicamentis. Quod autem hic dicit Arist. [sicut diximus] legendum est in tempore præsenti [sicuti diximus] cum dicat Græcè ὡς φαμὲν, significat enim communem consensum philosophantium in hoc; Minorem aũt ponit primis verbis, quando dicit, [non est autem motus præter res.] Est.n. notandum ne in multorum errorem incidamus, non esse mentem Arist. his verbis dicere motum esse necessariò coniunctum rebus, & cum ipsis prędicamentis: per hoc.n. non fieret, vt motus non posset esse quid commune uniuocum, licèt prędicamentis nihil sit cõmune uniuocum, siquidem etiam prędicamentum relationis fundatum est semper in aliquo alio prædicamẽto, ut relatio patris & filij fundatur in substantia, maioris aũt & minoris in quantitate, similis autem cum simili in qualitate. Per hoc tamen non stat quin relatio non sit quoddam prædicamentum ab illis distinctum; coniuncta enim sunt omnia prædicamenta in substantia secundum existentiam, at secundum essentiam omnia distinguuntur. Quare ex eo quòd motus secundùm suam existentiam est necessariò cum rebus coniunctus, nec datur extra illas, non inferretur, quòd non possit esse in aliquo determinato prædicamento, vel constituere aliquod determinatum prædicamentum distinctum ab alijs, quam dicit Simplicius Plotini, & aliquorum antiquorum fuisse sententiam. Oportet autem verba hæc de ipsa motus essentia intelligere, non de existentia, sic enim argumentatio Aristotelis efficax est, [Motus non est præter res] idest, secundùm suam essentiam de qua loquimur, non est præter genera rerum, est enim in eo genere, in quo fieri dicitur. Huius autem ratio affertur optima a S. Thoma, quia motus est actus imperfectus, ut Aristoteles infra docebit, at imperfectum reducitur ad idem prædicamentum in quo est perfectum, ita aut licèt non sit verè species illius prædicamenti de qua illud prædicatur in recto, sit tamen in eo per reductionem. Sic enim materiam primam dicimus reductiuè esse in prędicamento substantiæ; motus igitur in qualitate est qualitas imperfecta tendens ad perfectionem, proinde dicitur per reductionem esse in genere qualitatis, & sic de alijs, quare videtur S. Thomas hunc locum rectè intellexisse. Hæc etiam fuit Auerrois sententia, qui hic dubitat quomodo Aristoteles dicat, motum non esse in aliquo determinato prædicamento, sed esse in pluribus, cum in libro prędicamentorum posuerit ipsum in prędicamento passionis? Respondet quòd motus non differt a forma, seu perfectione, ad quam tendit, nisi secundùm magis, & minus; dum enim existit motus, est acquisitum aliquid de termino ad quem est motus, & ita ponitur in eodem prędicamento reductiuè tanquam imperfectum, quod etiam dicebat S. Thomas; quatenus autem sumitur motus pro uia ad perfectionem, quę diuersa est ab ipsa perfectione, sic ponitur in determinato genere, & hoc modo ponitur in prędicamento passionis. Sententia ergo Auerrois est quòd motus accipi possit, & pro fluxu, & pro forma fluente, & pro fluxu acceptus in prædicamento sit passionis, pro forma autem fluente non habeat determinatum prædicamentum: sed sit in quatuor prædicamentis, vt hic ipsum considerat Aristoteles, postea vera docebit motum esse actionem, & passionem, & ibi nos diligentius naturam motus, & totam rem hanc considerabimus. Vnde patet Vicomercatum, qui in hoc carpit Auerroem, egregiè fuisse deceptum, quia non intellexit Auerroem. [mutatur enim semper id, quod mutatur] Declarat minorem prædictam, sumens tanquam notum quod nihil conspicitur mutari præter hæc quatuor prædicamenta, substantiam, quantum, quale, & vbi, quia omnis mutatio vel est ad substantiam, vel ad quantitatem, vel ad qualitatem, vel ad locum, si ergo extra hæc non reperitur motus, manifestum est motum pro forma fluente acceptum in his quatuor prędicamentis esse indistinctè.

Sumit

Sumit autem hoc Aristoteles tanquam ab omnibus concessum, quia est per se manifestum per inductionem, nulla enim datur mutatio successiua ad aliquem terminum qui sit præter hæc quatuor prædicamenta: hæc enim sola sunt diuisibilia, & acquiruntur per partem post partem, quare in his potest notari forma fluens, ad reliqua verò prædicamenta non est motus, sed mutatio subita, quæ etiam præsupponit vnum motum ad unum dictorum quatuor prædicamentorum: motum autem ad substantiam. hic Aristoteles crassa minerua sumit, quia nondum docuit non esse vere motum, quod docebit in quinto libro, nec ob id falsum est id, quòd hic dicit, quia ad substantiam est motus ratione præuiæ alterationis, ideò reuera non est alia species motus præter alterationem, sed quia forma substantialis est tunc præcipuus finis naturæ, ad quam dirigitur illa alteratio præcedens, ideò nunc Aristoteles ab hoc nominat motum tanquam a fine principali, sed posteà distinguit generationem a motu: ob id confundit nomen motus cum nomine mutationis, licèt mutatio sit communior, quàm motus, quia generatio substantialis est mutatio, at non est motus. Hanc tamen distinctionem hic Aristoteles non facit, in quinto autem libro tum distinguit generationem a motu, tum etiam ostendet in tribus tantùm prædicamentis esse motum quanto, quali, & vbi, & alia prædicamenta excludit, ut ibi patet a textu octauo vsque decimum octauum. Quare hic sumit ex eo quod multis apparet, quod in quatuor his prædicamentis est motus, sed tunc rationem adhibebit ad excludenda cætera prædicamenta, immo & prædicamentum substantiæ. Simplicius verò hic in quinto Textu præoccupat totam hanc disputationem pertinentem ad quintum librum. Maior autem propositio, quam postea Aristoteles ponit, clara est, nam id quoque sumit, ut omnibus concessum, quòd prædicamentis nihil in his datur commune uniuocum. Et notanda sunt verba Aristotelis quibus declarat quænam sit conditio & natura generis vniuoci, quando dicit, [quod neque hoc, neque quantum, neque quale] hoc enim de essentia, non de existentia est intelligendum, quia etiam genus uniuocum non existit ultra suas species, essentiam tamen propriam habet, & naturam communem distinctam a naturis specierum, ut non datur animal, quod nec sit homo, nec equus, nec alia species, attamen in his est animalis natura communis distincta a naturis singulorum; at æquiuoco nomini nulla respondet natura communis distincta a naturis rerum significatarum, ideò illas immediatè significat. At uniuocum significat immediate naturam communem, & hoc nunc denotat Aristoteles, dicens non dari aliquod commune, quod nec sit substantia, nec quantum, nec ullum aliud prædicamentum; idest, quòd significet naturam communem distinctam a naturis omnium prædicamentorum, [quare neque motus, neque mutatio.] Hęc est conclusio, idē.n. concludit Arist. de motu, quod de rerum generibus dixerat, quare neque ullus datur ullius rei motus pręter duos motus in prędictis quatuor generibus, cum enim motus non sit aliquid distinctum a re, in qua est motus, si illis quatuor prædicamentis daretur genus commune uniuocum; daretur etiam motus ad id commune, quod non esset aliquod ex generibus contentis, quare similiter etiam motus esset commune uniuocum, cum ergo prædicamentis non detur commune uniuocum, nec motus est commune uniuocum ad omnes prędictos motus. Tota igitur hęc Arist. ratio hoc fundamento nititur quòd motus pro forma fluente acceptus non distinguitur a prędicamēto in quo dicitur fieri motus. Attamen reuera hęc disputatio ad hunc locum non pertinet, neque ad definitionē motus confert scire, an in omnibus prædicamentis sit motus, & inquibus sit; sat est sumere quòd est in pluribus, ut pateat motum non esse uniuocum, quod nunc Arist. facit, ideò connumerat ętiam substantiam, quia pingui minerua hic loquitur.

Tex-

Textus Quintus.

Vnumquodque autem dupliciter inest omnibus, vt Hoc, aliud enim est forma ipsius; aliud verò priuatio, & secundum Quale; hoc enim est album, illud autem nigrum; & secundum Quantum, aliud enim perfectum est, aliud verò imperfectum, similiter autem & secundum lationem, hoc enim sursum, illud verò deorsum, aut aliud quidem leue, aliud uerò graue, quare motus, & mutationis species tot sunt, quot entis.

GRAECI dicunt Aristot. hic iacere quartum fundamentum conferens ad motus definitionem, quod an concedamus, an dicamus hoc esse coniunctum cum ijs, quæ proximè in textu quarto dicta sunt, parum refert, dummodò intelligamus quid diceret hic Aristoteles, & quomodo hic conferat ad definitionem motus, cum igitur dixerit Aristoteles motum in pluribus esse prædicamentis, quo fit ut non sit genus vnum, sed quid multipliciter dictum, nunc ut magis pateat motum dici multipliciter, docet in singulo quoque prædicamento motum dupliciter dici, cum enim motus sit transitus de contrario in contrarium, & duplex in quolibet prædicamento sit contrarium, unum nobilius, alterum ignobilius, duplex quoque in singulo motus est, ut in substantia generatio, & corruptio, & in alijs similiter: quare cum in quatuor prædicamentis sit motus, & in singulo dupliciter, manifestum est octo esse ad summum species motus. Hic est Aristotelis scopus in hoc contextu, ut Græci, & Auerroes dicunt, inquit ergo [Vnumquodque autem dupliciter inest omnibus] idest, duo hæc insunt in singulis his prædicamentis, idque statim declarat in singulis dicens [ut hoc] idest, ut substantia: hanc enim solet vocare, hoc, siue hoc aliquid, [aliud enim est forma ipsius, aliud verò priuatio] nam in primo libro ostensum est in substantia esse duo contraria, unum nobilius, quod est forma, & alterum ignobilius, quod est priuatio; sic in qualitate est contrarietas, ut albi, & nigri, & album est contrarium ignobilius, nigrum uerò ignobilius, [& secundum quantum, aliud enim est perfectum, aliud verò imperfectum] notandum hic est, Aristotelem non dicere maius, & minus, licèt enim augumentatio sit motus a minori quantitate ad maiorem, imminutio uerò a maiori ad minorem, tamen nominatione maioris, & minoris non apparebat unum esse nobilius, alterum ignobilius, siquidem in magnitudine nobis non consistit perfectio rei, non enim nobilior est maior homo, quàm minor, nec Elephas homine, nec perfectior esset mundus, si maior esset, respexit ergo Aristoteles veram accretionem, quæ non est nisi in viuentibus, in ea enim scopus naturæ est, vt viuens perueniat ad quantitatem perfectam, eaquè dicitur perfecta non ex sola mole, sed ex eò quòd apta est ad edendas naturales operationes, præsertim ad generandum sibi simile; imminutio uerò est declinatio ab hac perfectione ad imperfectionem, quæ prouenit ex necessitate naturæ, quoniam ergo accretio est motus ad maiorem quantitatem, quatenus est perfecta quantitas ratione obeundarum operationum, ideò Aristoteles nominauit perfectum, & imperfectum, vt contraria in quantitate, in quibus sunt duo contrarij motus, augumentatio, & imminutio, tandem in motu locali nominat contraria [sursum & deorsum] sursum

sum

sum enim nobilius est, deorsum uero ignobilius. Ideò ad hos terminos duo sunt motus, vnus ad locum superum, qui est ascensus, alter ad inferum, qui est descensus. Addit autem Aristoteles [aut aliud quidem leue, aliud uerò graue] quæ verba ab Auerroe dupliciter intelliguntur. Vna expositio est, quòd hæc quoque pertineant ad declaranda duo contraria in motu locali, quæ est etiam omnium Græcorum, & aliorum interpretum expositio; Altera est, quòd hæc sint exemplum generationis, & interitus, siquidem ex graui generatur leue, vt nobilius, & ex leui graue vt ignobilius. Sed hæc interpretatio accipienda non est, quia uerborum series indicat hæc quoque dici de motu locali, quare prior expositio accipienda est, cur autem hæc quoque verba addantur ab Aristotele de motu locali, nemo rationem aliquam ad duxit: ego puto hanc adduci posse rationem, quia contrarietas naturalis, quæ est in motu locali, non consistit in distantia locorum, sed in contrarietatem virium, & naturarum, hæc autem non bene significabantur per sursum, & deorsum, ideò adiecit Aristotelis, aut graue, & leue, ad significandam contrarietatem uirium superi, & inferi loci, superus enim locus est conseruatiuus leuium, ideò leuia ascendunt ad superum locum; inferus autem est conseruatiuus grauium, ideò grauia descendunt, quare ad maiorem declarationem hæc ab Aristotele adiecta sunt; leue enim tunc maximè dicitur quando est in suo loco, & alijs supereminet, sic graue quando est in loco sub alijs, ideò superum locum denotauit per leue, & inferum per graue. Considerat Simplicius Aristotelem in sola substantia nominasse formam, & priuationem, in reliquis verò tribus contraria positiua, quoniam in substantia nō est contrarietas. Adducit etiam expositionem Porphyrij, qui putauit hæc omnia adduci ut exempla formæ & priuationis, quando quidem nigrum habet formam priuationis respectu albi, sic imperfectum quantum respectu perfecti, & deorsum, & graue respectu seorsum & leuis. Sed parui momenti est meo quidem iudicio hæc disceptatio, uel enim aliud Aristoteles respexit quàm oppositionem terminorum motus ratione perfecti, & imperfecti in quolibet, & sumpsit contrarietatem largè prout amplectitur tam ueram contrarietatem positiuam quàm oppositionem priuationis, & habitus. Ideò melior est fortasse Porphyrij interpretatio, quia si Aristoteles hęc opposita adducit ut perfectum, & imperfectum, hoc discrimen maximè significatur nomine formæ, & priuationis, neque in contrarijs veris apparet, quomodo unum sit nobilitas, & alterum ignobilitas, nisi prout unum respectu alterius habet rationem priuationis. Et hoc puto Aristotelem hic considerasse, [quare motus, & mutationis species tot sunt, quot entis] Hæc est conclusio omnium dictorum, & in hoc, & in præcedenti Textu, cum enim ostendere voluerit Aristoteles motum non esse uniuocum genus, id ostendit ex eo, quòd multipliciter dicitur, quoniam dicitur in pluribus prędicamentis, & in singulo dupliciter cum differentia perfecti, & imperfecti. Notandum autem est cum Simplicio, quod dicens Aristoteles, [quot entis] non significat omne ens absolutè, non enim in omnibus generibus entis est motus, sed sumit eum restrictum ad illud, in quo est motus, vt sensus sit, tot sunt species motus, quot sunt entis, in quo est motus, ita ut cum quatuor sint prædicamenta, in quibus est motus, & in singulo sit contrarietas terminorum ut nobilioris, & ignobilioris, octo ad summum erunt species motus, nempè in substantia generatio, & corruptio; in quanto, accretio, & imminutio; in qualitate alteratio ad oppositas qualitates, & calefactio, & frigefactio; in motu locali ascensio, & descensio, sic igitur patet motum non esse communem uniuocum, sed multipliciter dictum, & secundum prius, & posterius, ideo notandum est quòd [species] hic ab Aristotele latè, & impropriè sumitur, nam propriè dicitur species illa, quæ

sub

ſub genere vniuoco eſt, quare ſi motus non eſt reuera genus, non poteſt habere ſpecies, ſic etiam prædicamenta non ſunt ſpecies entis, ſi ens non eſt reuera genus, ſed quemadmodum genus dici ſolet etiam id, quod non eſt vniuocum, ſed analogum, ita & eius ſignificata poſſunt lato vocabulo appellari ſpecies, ſolet tamen Ariſtot. prædicamenta vocare potius genera entis quàm ſpecies. Tandem eſt notandum non eſſe hic locum, in quo declarentur ſpecies motus, de motu enim communiter ſumpto dicendum prius eſt; quàm de ſpeciebus, ſed quia motus non eſt commune vniuocum, ſed dictum ſecundùm analogiam, tale autem commune non intelligitur niſi in ſpeciebus ſuis, cum nihil ſint præter illas; ideo conſueuit Ariſtoteles talia communia declarare per ſignificata ſua, quod notare poſſumus in ſecundo libro de anima, nam definiuit prius Ariſtoteles animam in communi ſine vlla conſideratione ſpecierum, ſed poſteà conſiderauit imperfectam eſſe illam animæ cognitionem ſine notitia ſpecierum, ideò facta diuiſione in ſpecies, ſeu partes animæ omnes, tradit iterum eandem definitionem ex partibus, ſeu ſpeciebus animæ, ſic igitur in præſentia Ariſtoteles ruditer hic conſiderare voluit ſpecies motus, tum vt poterat ipſum non eſſe genus uniuocum; ſed multipliciter dictum, & talem quoque eſſe aſſerendam eius definitionem; tum etiam vt his ſpeciebus leuiter intellectis melius intelligi poſſit definitio motus, propterea quòd definitio analoga non bene intelligitur, niſi cognitis aliquo modo ipſis analogatis.

Textus Sextus.

Diuiſio autem ſecundum vnum quodque genus, hoc quidem eſſe actu, aliud autem potentia, eius quod potentia exiſtit actus, quatenus huiuſmodi; Motus eſt, vt alterabilis quidem quatenus Alteratio; augumentabilis autem, & oppoſiti decreſcibilis (nullum enim eſt commune nomen in vtriſque) Augumentum, & Decrementum; generabilis autem, & corruptibilis, Generatio, & Corruptio, eius verò, quod fertur, Latio.

IACTIS fundamentis neceſſarijs hic tandem Ariſtoteles ex ijs colligit definitionem motus. Sunt in textu duæ partes; in prima ponit definitionem ipſam; in ſecunda eam declarat exemplis omnium ſpecierum motus; Ante omnia repetit Ariſtoteles primum fundamentum in contextu tertio iactum, ex quo ſtatim colligit definitionem motus, & videtur ſuperficies uerborum facere expoſitioni Porphyrij in eo tertio contextu, qui dicebat Ariſtotelem ibi hanc diuiſionem facere eorum, quæ ſunt, alia ſunt actu tantum, alia poteſtate tantùm, nam hic quoque dicit [Diuiſo autem ſecundum vnum quodque genus, hoc quidem eſſe actu, illud verò potentia] ſed non eſt hæc Ariſtotelis mens, vt bene Simpilcius animaduertit, nam ſi eo in loco dicamus Ariſtotelem duo fundamenta iacere, hic non primum ſumit, ſed potius ſecundum; ſi verò vnum tantùm iecit, quod magis dicendum eſt, hic ſumit ſecundam illius fundamenti partem, iſtud enim fundamentum vnum reuera fuit ita continuato ſermone prolatum [Eſt igitur eorum, quæ ſunt, aliud quidem actu; aliud verò potentia, & actu, hoc quidem hoc aliquid, hoc autem tantùm, aliud autem tale] ſic enim diuidit entia in ea quæ ſunt actu, & ea,

quæ sunt potestate, & actu, & continuata oratione enumerat tanquàm membra secundi membri decem summa genera, quasi subdiuidens id, quod est particeps potentiæ, & actus, in decem categorias. Hanc igitur subdiuisionem sumere hic Aristotelem his uerbis manifestum est, dicens enim [Diuiso secundum unumquodque genus hoc quidem esse actu, hoc uerò potentia] diuidit in decem summa genera id quod habet & potentiam, & actum, patet enim in singulo prædicamento locum habere hæc ambo, datur enim substantia actu, & substantia potestate, vt Socrates est actu homo, at semen est potestate homo, sic datur aliquod tricubitum actu, & aliquod tricubitum potestate, sic album actu, & album potestate, sic in alijs omnibus generibus: Quoniam igitur in quolibet prædicamento est actus, & potentia, motus autem non est extra prædicamenta, sed essentialiter est in aliquo, vt dictum est in quarto contextu, quia necessarium est vt termini motus sint in aliquo prædicamento, facit autem Aristoteles talem motus definitionem, Motus est actus eius, quod est potestate, quatenus est tale, idest, quatenus est potestate, quam definitionem inquit Simplicius ad mirabilem esse, ut reuera admirabilis, & artificiosissima est, & egregie declarat naturam motus, vt ea bene intellecta patebit. Sunt igitur primo loco declaranda ipsius definitionis verba, deinde uero difficultates maximas, quæ in ea existunt, expendamus, ac soluemus. Sciendum ergo est ex Græcis, præsertim autem Themistio, qui optimè hanc definitionem interpretatur quod actus & perfectio, quæ propriè, significatur per hoc Græcum vocabulum ἐντελέχεια, est perfectio alterius, est enim id, quod perficit, seu constituit aliquid, non quidem ad modum agentis, sed ad modum formæ, ut cum dicimus animam rationalem esse actum hominis, idest, quo homo est homo; ideo repugnantia esset siquis diceret adueniente actu alicuius rei, illam rem destrui, non potest enim destruere rem si est actus rei. Sciendum præterea est corporis mobilis multos esse posse actus, qui non omnes sunt motus, vt exempli gratia in semine plures possunt actus considerari, primum quidem semen habet proprium actum, quo est semen, & tale corpus, in quo actu dum manet, non mouetur, quare forma seminis dum manet, actus ille seminis non est motus. Alius quoque actus considerari potest; Cum enim possit mutari semen in animal, & de animali potestate fieri animal actu, si adipiscatur actu animalis, ille actus tantùm ab est vt posit dici motus, vt potius tollat motum, est enim terminus mutationis a quo, & eo adueniente definit esse motus, quare neque actus seminis, in quo manet, antequam mutetur, est motus, neque actus, in quem mutatur semen, est motus, vterque enim hic actus constituit rem actu existentem ac remouet potentiam, Actus enim seminis constituit semen, quatenus est actu semen, sic actus animalis constituit animal, quatenus est actu animal; motus verò est actus talis, qui seruat potentiam rei habentis potentiam, ideò ab Aristotele infra vocabitur actus imperfectus, quia est actus seruans potentiam, quando enim semen mouetur, vt fiat animal, actus ille est motus, quia seruat potentiam ad terminum, ad formam animalis, non satis ergo Aristoteli fuit dicere, actus eius quod est potestate, non forma animalis est actus illius materiæ, quæ erat potestate animal, sed nunc est actus eius, quatenus est animal actu. Sed adiecit, [quatenus huiusmodi] idest, quatenus est potestate, sic enim definitio non conuenit amplius formæ animalis, neque formæ seminis, sed soli motui, hic enim est actus seminis, quod est potestate animal, & quatenus est potestate, non quatenus ullo modo actu, hoc autem ideò est (vt Themistius, & Ioãnes Grammaticus dicunt) quoniã aliud est esse actũ rei potentiam habentis, seu in qua est potẽtia, aliud est esse actũ ipsiusmet potentię, forma seminis,

& forma

& forma animalis sunt actus materiæ, in qua est potentia, sed non sunt actus ipsius nec potentiæ, quandoquidem potentiam tollunt, ac destruunt, actus autem non destruit rem, cuius est actus, sed eam constituit, & seruat. Quando igitur semen actu mouetur, ille motus constituit illam potentiam acquirendi actum animalis, & ita est actus constituens rem in esse potentiali, non in esse actuali, proinde non aufert potentiam, immò eam seruat, & seruatur ipse quamdiù ipsa potentia seruatur, cùm primum autem desinit esse illa potentia, desinit etiam esse motus. Hoc ergo significauit Aristoteles dicens actum eius, quod est potestate, quatenus est potestate, quàmuis enim natura motus consistat in actu, & in potentia, tamen essentialiter ei est potentia quàm actus. Ideò in hac definitione ponitur actus tamquam genus, at potentia tamquam differentia constituens. Et nulla est alia res, cui competat hæc definitio, nisi solus motus; omnis enim alius actus, nempè, qui sit perfectio, & actus alterius rei, est actus rei, quatenus est actu, & solus motus est actus rei in potestate existentis, quatenus est potestate, propterea quod non est actus rei, in qua est potentia, sed est actus ipsius potentiæ, a quo illa potentialitas constituitur, seu illud esse potentiale. Ideò admirabilis in hoc fuit Aristoteles, qui ita penetrauit, & optimè expressit naturam motus per hanc definitionem. Simplicius hic carpit Alexandrum, & Porphyrium, & Themistium, & alios interpretes, qui videntes Aristotelem appellare motum ἐντελέχειαν vsi sunt etiam in hac definitione eodem vocabulo, quia etiam in quibusdam exemplaribus hoc idem in hac definitione inuenerunt, & mutarunt nomen ἐνέργεια, quod reuera in hac definitione est legendum, in nomen ἐντελέχεια, quod tamen ipsi Simplicio non probatur, propterea quod ἐντελέχεια propriè dicitur de actu perfecto & de perfectione. ἐνέργεια verò potest significare tùm perfectum actum, tùm imperfectum, neque idem apud Aristotelem sunt, vt illi existimarunt, nisi quando sermo est de aliquo actu perfecto, is enim æquè appellari potest ἐντελέχεια atque ἐνέργεια. Sed hanc Simplicij considerationem vanam esse puto, quia si vera esset eius sententia, oporteret de solo Deo, vti voce illa ἐντελέχεια, quia est summa perfectio absolutè, & nullam habet imperfectionem, reliquę vero res omnes perfectionem quidem habent in suo genere, at absolutè loquendo notant etiam aliquam imperfectionem, attamen in usu est nomen ἐντελέχεια de alijs quoque rebus ea tantum ratione qua perfectionem aliquam in suo genere habent: est enim musca imperfectum, & ignobile animal, habet tamen propriam ἐντελέχειαν, qua constituitur; sic motus est actus quidam & perfectio quædam rei potentiam habentis, quatenus potentiam habet, proinde constituit rem in tali esse potentiali, & potest uocari ἐντελέχεια præsertim cum alia adiecta verba declarent quem actum intelligat Aristoteles esse motum, nempe eius quod est potestate, quatenus est potestate, nam si dicere licèt hominem mortuum, hominem pictum, cum nullo modo sit homo, quia satis est ad tollendam absurditatem, si determinetur hominis significatio ab adiecto, multo magis dicere conuenit, motum esse actum eius, quod est potestate, quatenus est potestate, cum in eo seruetur aliqua ratio actualitatis, nec omnino destruatur ab adiecto tota significatio illius vocis ἐντελέχεια. Adde quòd Simplicius confitetur Aristotelem in sequentibus appellare motum ἐντελέχειαν. Si ergo hæc appellatio Aristotelis recepta est in sequentibus, cur hic absurda dicenda est? Vt alterabilis quidem quatenus est alterabile alienatio] Hæc est huius Textus secunda pars, in qua Arist. exemplis prædictam definitionem declarat, ijsque in omnibus specieb. motus, qđ ideo facit, vt bene Simplicius animaduertit, quia (ut antedictũ est,) motus nõ est genus quoddã commune vniuocum, sed potius æquiuocum, seu

M 2 analo-

analogum; quoniam igitur non conueniunt omnes motus in una aliqua communi natura, sed sunt diuersarum rationum, considerare in una specie definitionem motus non erat considerare in alijs, & eam declarare in una specie motus non erat declarare in omnibus, cum non sit omnium motuum eadem natura, & ratio. Vt igitur intelligamus definitionem hanc accommodari secundum analogiam omnibus speciebus motus, Aristoteles in omnibus eam declarat, non quòd eam inductione probet ex omnibus speciebus, (hoc enim non dico) sed quòd sensum huius definitionis applicat singulis speciebus, ut in omnibus eam eodem modo proportionaliter intelligamus, inquit ergo alterationem, quæ est species motus, nempè in genere qualitatis, esse actum rei alterabilis, quatenus est alterabilis, hoc autem est dicere, quatenus est potestate, nam alterabile denotat potentiam, actus autem, & perfectio absolutè ipsius alterabilis non est motus, sed est forma aliqua de genere qualitatis, vt calor, quo acquisito cessat alteratio, sed actus rei alterabilis, quòd eum constituit, quatenus est alterabilis, hoc est quatenus est potestate, est ipsa alteratio, quæ est species motus. Sic dicimus de motu in genere quantitatis, qui est accretio, uel imminutio, accretio enim est actus rei augmentabilis, quatenus est augmentabilis, & ita prout est potestate; nullus enim alius actus constituit augmentabile, quatenus est augmentabile, nisi augmentatio ipsa, constituit enim augmentabile non tollendo potentiam, sed eam seruando, ac perfecta quantitas, quæ est terminus ad quem accretionis, est quidem actus illius rei, non tamen, ut est potestate, sed vt est actu, constituit enim res tantæ quantitatis determinatæ; Sic de imminutione dicendum est. Notat autem Aristoteles hoc discrimen inter motum in genere qualitatis, & motum in genere quantitatis, quòd in qualitate datur vnum commune nomen complectens omnes in qualitate etiam oppositos motus, alteratio enim est commune nomen, quod complectitur tàm calefactionem quàm refrigerationem, & omnes alias mutationes secundum qualitatem. At motus in genere quantitatis non habet vnum aliquod commune impositum nomen, quod contineret tam accretionem quàm imminutionem; sed distinctis nominibus appellantur, hæc quidem accretio, illa verò imminutio. Hoc idem dicendum est de motu in genere substantiæ, qui non habet unum commune nomen, sed duo distincta denotantia contrarias mutationes, transitus enim de non esse ad esse uocatur generatio, transitus autem de esse ad non esse dicitur interitus, siue corruptio, & utraq; hoc similiter actus eius, quod est potestate, quatenus est potestate, nã generatio est actus rei generabilis, quatenus est generabilis, & corruptio est actus rei corruptibilis quatenus est corruptibilis. Tandem in prędicamento vbi motus uocatur latio, & in hoc similis est alterationi quòd habet commune nomẽ, quo indistinctè uocari potest omnis motus, secundum locum factus. Et hic similiter est actus eius, quod est potestate, quatenus est potestate, nempè rei mobilis quatenus mobilis est; nullus igitur est actus rei mobilis quatenus est mobilis nisi motus ipse, constituit enim rem actu motam, & hic actus eiusmodi est, vt connotet etiam coniunctam potentiam, moueri enim est tendere ad actum, qui adhuc non adest, quare motus est actus imperfectus, eo connotans essentialiter potentiam, ut prædiximus. Notare hic debemus generationem in quinto libro Physicorum excludi ab Aristotele a ratione motus. Hic vero Aristotelem pingui quadam Mineruа eam comprehendere sub motu tanquàm speciem quartam motus, cum tamen tres tantum sint reuera species motus; & hoc fuit notatũ supra in Tex.4. comprehenditur enim sub motu, dũ sumitur cũ tota præuia alteratione, nã si sumatur maximè propriè pro subita illa mutatione, qua recedit forma

sub-

substantialis,& alia accedit,non conuenit ei vllo modo definitio motus,vt postea considerabimus. Quoniam igitur duplex est alteratio, una, quæ desinit in sola mutatione qualitatis; altera, quam insequitur etiam substantiæ mutatio, ut quando aqua ita incalescit vt in aërem mutetur; Aristoteles hanc uocat generationem,& speciem quartam motus ponit, illam verò simpliciter alterationem,reuera tamen generatio quatenus distinguitur ab alteratione non est motus, quatenus autem est motus, non distinguitur ab alteratione: horum autem discrimen declarabitur in quarto libro. Sciendum præterea est duplex esse genus qualitatis,alia enim est qualitas habens contrariam qualitatem, alia vero quæ caret contrario; alteratio, quæ est uerè motus,non est nisi illa, quæ est in qualitate habente contrarium, nã non potest induci in subiectum aliquod noua qualitas, nisi illud sit aptum ad eam recipiendam; in subiecto autem naturaliter apto necesse est alterum contrariorum inesse, siue externum, siue mixtum ac mediocre; quocirca necesse est ut inductio qualitatis sit destructio qualitatis contrariæ, proinde habeat resistentiam, & in tempore fiat, quæ est necessaria conditio motus, at ubi qualitas non habet contrarium, nulla fit resistentia: ideo inducitur tota simul illa, quæ potest ab agente induci, vt in instanti, non in tempore, quare illa non est species motus, sed est mutatio subita, cui non conuenit definitio motus, ut in sequentibus declarabitur, & huiusmodi est illuminatio; quamuis enim lumen habeat gradus, & sit diuiduum secundùm intensionem, tamen gradus ille siue intensus, siue remissus, qui potest à quolibet lucido corpore induci in perspicuum,inducitur subitò, quare non est motus. Multa sunt in hac definitione, quæ magnam difficultatem faciunt, & digna maximè sunt consideratione. Primùm sunt consideranda duo Auerrois dicta in præsenti commentario; Vnum est quod ex definitione hac motus colligitur continuitas in ipso, quod quidem Auerroistis magnum negotiũ facessit, cum Auerroes oppositionẽ afferre uideatur non modo in Commentario vigesimitertij Octaui Physicorum, sed etiam in hoc ipso loco, inquit enim solum motum localem esse continuum, accretionem uerò, & alterationem non esse motus continuos, sed successiuos, & fieri per minima; idque declarat Auerroes in accretione,si enim puer toto unius anni tempore crescat digito,non est dicendum accretionem illam fuisse unum continuum motum, ita vt quantitas illa digiti diuidatur secundum omnes partes illius temporis, & cuilibet parti temporis correspondeat pars illius crementi, sed interpolatum est crementum illud, & aliqua illius digiti portio, licet diuidua in minores particulas, acquiritur tamen tota simul, non pars eius post partem. Hoc idem de alteratione dicendum esse significat quòd qualitas tota, quæ in tempore acquiritur, non acquiritur continui, sed cum interpolatione, & gradus post gradum, ita ut inter unum gradum & alium interponatur tempus medium, quo nullus gradus inducitur; immò in calce illius Commentarij, vigesimitertij, Octaui libri Auerroes apertè carpit Alfarabium, qui dixerat ex definitione motus colligi cõtinuitatem uniuersaliter in omni motu, hoc enim negat ibi Auerroes, & inquit non omnes motus esse continuos,& in solo motu locali apparere continuitatem, quomodo ergo hic idem affirmat,quod affirmauit Alfarabius colligi ex definitione motus continuitatem in motu? nam si hoc verum est; competit ergo continuitas motui per se, & essentialiter, ergo competit omni motui, quod enim est per se, est etiam uniuersale, & competit omni, quare omnis motus deberet esse continuus, si ex definitione motus colligeretur continuitas in motu. Suessanus hanc difficultatem considerans eam soluit dicendo Auerroem sumere continuitatem amplè, prout complectitur etiam successionem, ex definitione enim motus sumitur necessarium esse vt motus sit diui-

duus, ita ut pars fiat post partem, quia sic seruatur potentia simul cum actu, quare in omni motu necessaria est successio, sed non est necessaria talis successio, quæ sit etiam continuitas. Sed ego puto deceptum in hoc esse Suessanum, quia oportet Auerroem intelligere veram continuitatem, hæc enim colligitur ex definitionem motus, non tantùm successio vt mox ostendam. Quamobrem ad tollendam hac in re oēm difficultatem, duo nos demonstrare oportet, vnum quomodo ex definitione motus colligatur vera continuitas; alterum verò quomodo hoc posito possit Auerroes defendi, & a verborum suorum repugnantia vindicari. Quòd ex definitione motus colligatur continuitas, sic ostendo; necesse est hoc negato ut alterum duorum contingere possit in motu, vel totam formam simul in instanti acquiri, si non sit diuidua, vel si diuidua sit partem acquiri post partem, sed singulam partem acquiri in instanti, & ita successiuam non continuam fieri mutationem, quam multi appellant factam per minimam, (id enim quod totum simul aduenit in instanti, solet appellari minimum) Probo neutri harum mutationum competere definitionem motus, de priore quidem modo quòd sit à motus natura alienus, omnes consentiunt, & fatentur generationem substantialem propriè sumptam pro aduentu formæ substantialis non esse motum, sed mutationem subitam, & huius ratio manifesta est, quia nullus ibi datur actus constituens in re potentiam ad vlteriorem actum; Cum primùm enim forma accessit, iam perfectus acquisitus est actus, qui rem constituit, quatenus est actu, non quatenus est potestate, quare illa mutatio non est motus, cum fiat subito, omninò enim necesse est, ut in tempore mutatio fiat, si debeat appellari motus, sic enim ponitur actus cum potentia ad vlteriorem actum; hic ergo prior modus consensione omnium excluditur à definitione motus. Ego vero probo etiam secundum modum ob eandem rationem excludi, nequè illi definitionem motus posse competere, sumo exempli gratia argumentationem, quæ ita fiat per minima, uidelicet, vt instanti acquiratur quantitas aliqua, deinde interposito tempore, quo nulla fit nouæ quantitatis accessio, acquiratur in alio instanti aliqua alia portio quantitatis; quæ ob id solet uocari minima, quia est minima pars, quæ tota simul acquiratur, non quod alia minor non detur, (datur enim minor,) sed agens non producit minorem illa, & de hac re locuti sumus diffusius in declaratione contextus vigesimitertij Octaui libri Physicorum, hoc igitur modo si per minimorum successionem ordinatam accretio fieri statuatur, ostendo illum nō esse motum, & ità argumentor, totius illius temporis, quo absoluta esse dicitur accretio illius rei perfecta, nulla est pars, qua res illa dici possit moueri, hoc est cui competat definitio motus, ergo ille non est motus; assumptum ita probo, tota illa accretio est aggregatum plurium subitarum mutationum, & plurium interpositarum quietum, & nulla istarum est motus, ergo nec tota mutatio est motus, subitarum enim illarum mutationum nulla est motus, ut iam de generatione substantiali diximus, quemadmodum enim nec una aliqua substantialis generatio est motus, nec plurium generationum congeries constituit unum motum, ita nec una subita quantitatis accessio est motus, neque aggregatum omniū constituere potest unum motum, sed in hoc ostendendo non est elaborandum, quia Aristoteles in sexto Physicorum contextu vigesimonono, & alijs sequentibus probat, nec moueri, nec quiescere aliquid posse in instanti; sed neque interpositæ quietes possunt uocari motus; cui enim dubium quòd motus non est quies ipsi opposita? potest fortasse in illo intermedio quietis tempore res illa moueri aliquo alio motu, vt locali: vel alteratione, de quibus non loquimur, at certe dum de motu accretionis loquimur, quies illi motui opposita non est ille ipse motus, cui est opposita. Patet igitur

tur

tur quod talis successiua mutatio, quæ per minima fieri prædicto modo statuatur, non est motus, cum nulla illius pars sit motus, neque est quòd aliquis hanc consequentiam neget à partibus ad totum, sic enim merent omnia illa, quæ ab Aristotele dicuntur de motu in sexto libro Physicorum, ibi enim considerat motum, & continuum: & ipsum cum tempore comparans semper supponit cuilibet parti temporis correspondere partem motus, quod est supponere ex definitione motus colligi continuitatem unam in motu. Quod etiam ostendo considerans illam definitionem, nam ea non competit ulli parti mutationis prędictæ, sicut etiam modo dicebamus nullam esse illius temporis partem, qua res illa dicatur moueri, nam si sumatur intermedia illa quies, qua res non augetur, iam habet actu suam quantitatem, quæ rem facit esse actu tantũ; proinde est actus rei prout est actu, non prout est potestate. Neque est quod aliquis dicat adesse illam quantitatem cum potestate acquirendi maiorem, & ita esse motum: hoc enim admisso sequitur, aquam mediocriter calefactam, & cessantem amplius calefieri, moueri tamen, licet non calefiat; habet enim actu gradum aliquem caloris, & potestatem acquirendi maiorem gradum, quare etiamsi ad alium gradum non tendat, dicetur moueri, quod certo nemo assereret: est enim motus actus non modo cum potentia coniunctus, sed constituens rem quatenus est potestate, quod de illo debili calore non dicimus, constituit enim calidum actu secundum illum gradum caloris, quare est actu illius aquæ quatenus est actu, non quatenus est potestate; quantitatis igitur gradus acquisitus non est actus illius rei quatenus est potestate, sed quatenus est actu. Quare tunc ibi non est motus, dum res in illo acquisito gradu quiescit: sed neque est motus illa subita illius portionis acquisitio, quia in ea cessat motus, cum fiat subito, & sine tempore, & dum illa est nullus fiat fluxus, qui seruet in actu potentiam, illam enim ponere non est ponere fluxum, in quo consistit natura motus, & actus cum potentia coniuncta, immò est tollere fluxum. Omnino igitur dicendum est motui, quatenus est motus, essentialem esse continuitatem, hęc enim sola seruat cum actu potestatem, quia notat fluxum in motu, quæ est ipsa motus essentia, & hoc semper supponit Aristoteles in toto sexto libro Physicorum, & ita motui attribuit continuitatem, vt conditionem essentialem, hoc est, quæ essentiam motus necessario insequatur, quòd si per minimorum successionem motum fieri diceremus, non esset verum id, quod Aristoteles in illo libro sexto sumit, eandem esse & temporis, & motus diuisionem, & omnibus partibus temporis respondere partes motus, nam tempora media essent inter illas subitas mutationes, nec tamen illis vllus responderet motus. Præterea in contextu quadragesimosexto illius libri Aristoteles docet non dari actu in motu primum mutatum esse, hoc tamen daretur si aliquis vnus motus fieret ita per successionem plurium subitarum mutationum. Nam prima mutatio subita diceretur actu primum mutatum esse, sed non est in hoc ostendendo laborandum, quia omnia, quæ ab Aristotele in illo libro sexto dicuntur, testantur Aristotelem supponere motum esse continuum & diuiduum in semper diuidua sicut & tempus. Non est ergo ab Aristotele alienum id, quod Auerroes dicit ex definitione motus colligi continuitatem in motu. Cęterum si verum est hoc, videndum est quomodo a repugnantia, & contradictione posit idem Auerroes vindicari, qui & in hoc sexto Commentario tertij libri, & in Vigesimotertio Octaui negat continuitatem in motu accretionis, & in motu alterationis, immò & Aristoteles ipse in illo contextu vigesimotertio uidetur hoc de accretione, & de alteratione significare. Hæc enim non leuis est difficultas, quia omne competens generi essentialiter debet competere omnibus speciebus, quare si ex definitione motus colligitur

gitur continuitas in motu, nullus debet esse motus, qui non sit continuus. Quicquid ad hoc dubium tollendum alij dicant, ego credo solutionem sumi ex ipsius Auerrois verbis in calce illius Vigesimitertij Commentarij Octaui libri, si enim motus vniuerse sumptus esset genus vniuocum, cui vna communis natura responderet, insolubilem ego quidem hanc difficultatem esse iudicarem, at cum sit commune æquiuocum, quod secundum quandam Analogiam de locali, & de accretione, & de alteratione dicitur, facilè tollitur difficultas, nomen enim ac definitio motus competit præcipuè motui locali, alij verò motui non propriè, nec exquisitè illa definitione participant, sed per quandam similitudinem, & proportionem; ideò dicere naturam motus concernere continuitatem, & ita colligi continuitatem ex definitione motus, & alterationem, & accretionem non omnino habere continuitatem non est repugnantia dicere, sed est dicere alterationem, & accretionem non participare exactè definitione motus, sed ad eam reduci per quandam similitudinem, & eo modo, quo possunt, uel enim non habent in toto motu continuitatem, sed in partibus solum, vel neque in toto, neque in partibus habent aliquam continuitatem, sed pro continuitate accretionem plurium subitarum mutationum, quæ secundum apparentiam videtur continuitas, & facit vt modo aliquo participet definitione motus. Quoniam igitur motus communiter acceptus non vnius est rationis, Aristoteles in eo definiendo præcipuam speciem respexit, quæ est motus localis, cui verè competit continuitas, etiam toti motui ab initio ad finem tribuit, si enim lapis in concauo orbis lunæ positus descenderet vsque ad centrum mundi, vnus erit, & verè continuus ille totus motus; ideò posteà in sexto libro considerans Aristoteles motum prout est continuus, & illa quæ ipsi accidunt secundum hanc considerationem, non respicit illa, quæ peculiariter contingunt singulis motibus, nam multis impeditur illa continuitas; sed ipsam secundum se motus naturam spectat, qualem in hoc tertio libro definiuerat, quæ maximè competit motui locali, alijs verò per quamdam similitudinem, & proportionem; vel enim aliquid habent veræ continuitatis saltem in partibus, vel nullam, sed solam successionem, quæ propriè accedere videtur ad naturam continuitatis, & illi similis esse; cum præsertim credantur omnes esse continui, quia successio illa speciem, & apparentiam habet continuitatis. Hæc est Auerrois solutio in calce illius vigesimitertij Commentarij, & hanc innuit etiam Auerroes hoc in loco, cum enim dicat colligi ex hac definitione continuitatem in motu, & statim dicat non omnino competere alterationi, & accretioni, non est dicendum quòd in hac continuata sua oratione sibimet contradicat, sed vult significare non omninò summere rationem motus in alteratione, & in accretione, sed imperfectè, vt prædiximus; In generatione autem substantiali nulla seruatur similitudo cum natura motus, forma enim substantialis indiuisibilis est, & tota simul acquiritur momento temporis, quare neque continuitatem, neque successionem habet. Quomodo autem in alteratione, & in accretione locum habeat seu continuitas aliqua, seu accretio loco continuitatis alias diximus in interpretatione contextus vigesimitertij Octaui libri, quare hic eandem reponere non oportet, sed satis est cum Aristotele naturam motus communiter sumpti considerare, & declarare, specierum autem singularium particularem considerationem ad alium locum remittere.

Alterum Auerrois dictum est, quòd hæc definitio motus est communis motui nouo, & motui æterno, hoc est, motui horum inferiorum; & motui Cęli, caret autem hoc omni difficultate, quia etiam cælesti motui hanc definitionem aptari manifestum est, sumitur enim in motu cæli potentia ratione diuersarum partium

spatij,

ſpatij, cum Sol dùm per Arietem mouetur, non mouetur per Taurum, ſed habet potentiam perueniendi ad Taurum, & ita deinceps. Quare etiam ille motus eſt actus rei, quæ poteſtate eſt, quatenus eſt poteſtate. Sed aduertendum eſt non poſſe hanc definitionem eſſe communem uniuocè motui nouo, & motui æterno, quia æterno, & caduco nihil datur commune uniuocum, vt habetur in contextu vigeſimoſexto Decimi Metaphyſicorum, ſed eſt communis ſecundum Analogiam, ſicut etiam corpus ipſum naturale ſubiectum huius motus, qui hic definitur eſt commune analogum, vt nos declarauimus in cap it. decimo libri noſtri de naturalis ſcientiæ conſtitutione. Sed alia multò maior difficultas omnes interpretes perturbauit de genere motus: hic enim Ariſtoteles dicit motum in nullo eſſe determinato prædicamento, ſed eſſe in illo, in quo eſt terminus ad quem tendit motus, vt generationem eſſe ſub genere ſubſtantiæ, & alterationem eſſe in prædicamento qualitatis, & ſic de reliquis; at in libro Categoriarum poſuit Ariſtoteles motum in prædicamento paſſionis, ut ei attribuit Auerroes, licèt non appareat vbi nam Ariſtoteles in eo libro hoc dicat expreſsè, niſi dicamus id ſignificari ab Ariſtotele in cap. de actione, & paſſione, quando exempla adducens dicit calefacere eſſe agere, & calefieri eſſe pati, calefieri enim eſt moueri, & quia motus non eſt in mouente, ſed in mobili, ideo potius ad paſſionem accedit motus, quàm ad actionem. Hanc in Ariſtotele repugnantiam conſiderans Auerroes inquit uidere alterum duorum aſſerendum eſſe, vel non eſſe alijs generibus connumerandum prædicamentum paſſionis, ſicuti eſt id, quod hic Ariſtoteles dicit motum non eſſe in aliquo determinato prædicamento; vel ſi verum eſt quod motus ſit in genere paſſionis, & illud ſit prædicamentis connumerandum, iam motum habere determinatum genus, & ita non eſſe uerum id quod hic dicit Ariſtoteles motum non eſſe in aliquo determinato prædicamento, ſed in diuerſis, nempè in illo in quo eſt terminus, ad quem fit motus. Sed difficultatem hanc ſoluens Auerroes tertio Phyſicorum commentario quarto, & quinto Phyſicorum, ergo inquit motum poſſe duobus modis conſiderari, uno modo ſecundum ſuam materiam, nempe ſecundum formam ipſam fluentem; Altero modo ſecundum ſuam formam, nempè, quatenus eſt via quædam & fluxus illius formæ ad perfectionem, vt exempli gratia, ſi conſideremus alterationem ad calorem, ibi eſt calor tanquàm forma fluens ad perfectionem, & eſt tanquam materia motus, (dicimus enim motum illum eſſe ſecundum qualitatem, ſeu in qualitate tanquàm in materia,) eſt præterea ille fluxus, quo calor ad perfectionem tendit, & hic eſt tanquàm forma motus, quæ dicitur in qualitate eſſe tanquàm in materia. Hac diſtinctione conſtituta, quam Auerroes inquit eſſe ſatis notam, & vulgatam; ſoluit ipſe difficultatem ſic, Motus ſumptus pro fluxu eſt in prædicamento paſſionis, & ſumptus pro forma fluente non eſt in aliquo determinato prædicamento, ſed in illo, in quo eſt terminus ad quem, & ita alteratio eſt ſub genere qualitatis, generatio verò in prædicamento ſubſtantiæ, & accretio in prædicamento quantitatis, & latio in prædicamento vbi, ſic igitur ſecundum varias conſiderationes verum eſt vtrumque Ariſtotelis dictum. Sed videns Auerroes difficultatem per hoc penitus non tolli; propterea quod una eſſe debet natura motus, ſeu vniuoca, ſeu analoga, quare ſtatuendum omninò eſt in vtra duarum conſiderationum conſiſtat eſſentia motus, & an definitio motus illi competat, prout eſt fluxus, an prout eſt forma fluens; ideò tandem ſubiungit alterum modum eſſe magis famoſum, ſed alterum eſſe veriorem, nempè famoſiorem eſſe modum, quo motus, & fluxus ponitur in prædicamento paſſionis; veriorem autem eſſe illum, quo motus ſumitur pro forma fluente, & ponitur in diuerſis prædicamentis, non in aliquo determinato, ideò Ariſtotelem poſuiſſe in præ-

in prædicamentis modum famosiorem, in tertio autem Physicorum modum veriorem. Sed quisquis hæc Auerrois dicta consideret, cognoscet magnam ex hoc oriri difficultatem, nam significare uidetur Aristoteles definitionem motus illi competere prout est forma fluxus, non prout est fluens, sic enim defenditur quòd sit analoga respectu specierum motus, & ita motus non habeat ullum determinatum prædicamentum, quæ videtur esse Aristotelis sententia in hac parte. Sed huic sententiæ repugnare uidetur ratio, quæ ex ipsius rei natura desumitur, nam ipsummet nomen motus significare videtur nil aliud esse motum, quàm fluxum quendam à termino in terminum, & fluxus uidetur realiter distingui ab eo cuius est fluxus, quare si motus est fluxus, non est forma fluens: hoc autem dato non potest Aristoteles defendi, qui hic negat motum esse in aliquo determinato prædicamento, attamen esset in uno determinato prædicamento, si eius essentia propriè considerata consisteret in fluxu, prout distinguitur à forma fluente, sic enim esset in prædicamento passionis secundum propriam essentiam: cur ergo Aristoteles in indaganda hic accurate definitione motus nullam facit huius prædicamenti mentionem? cùm præcipuè ipsum nominare debuisset, & ipsum exprimere in definitionem motus, vt proprium genus, attamen si hoc fecisset non potuisset negare motum esse genus uniuocum, & habere determinatum prædicamentum, quod apertè negauit. Videtur itaque sententia Aristotelis pugnare cum ipsa rei natura, quæ denotare videtur motum esse fluxum, & distingui à re fluente; & hoc uidetur Auerroem induxisse vt pro Aristotelis defensione diceret potius esse famosum, & apparens quàm uerum, quòd motus significat uiam, & fluxum distinctum a forma fluente, & hac ratione sit in prædicamento passionis. Per hæc ergo patet in quo huiusce rei difficultas constituta sit, ad quam tollendam oportet sententiam Auerrois bene intelligere, & rationem dictorum eius considerare, & quia facilius Auerrois mentem assequemur, si aliorum sententias, quas ipse refutat perpenderimus, & viderimus quid in illis reprehendat, & neget Auerroes, ideò eas diligenter atque etiam breuiter considerabimus. Duæ opiniones hac de re ab Auerroe recensentur, & confutantur, in prædico Commentario nono quinti Physicorum. Vna dicitur fuisse Alfarabij, altera uerò Auicennæ. Alfarabius dixit motum posse considerari duobus modis, uno secũdum se, altero prout recipitur in mobili, secundum se quidem nihil aliud esse quàm formam ipsam fluentem, omnis enim forma diuisibilis, quæ possit acquiri per partem post partem, dicitur fluere, dum in motu acquirũtur eius partes una post aliam, propterea in tribus tantùm prædicamentis datur motus, quia trium tantùm prædicamentorum formæ sunt ita partibiles, & per successionem acquisibiles, in substantia autem uidetur quidem, & ideò Aristoteles generationem numerat in speciebus motus, tamen reuera tota successio in generatione est ratione præuiæ alterationis, & ita ratione qualitatum non ratione formæ substantialis, quia hæc impassibilis est, & tota in instanti acquiritur; sic igitur non distinxit Alfarabius fluxum à forma fluente, sed totum hoc, formam cum fluxu, vt unum accepit, quod dixit esse totum in illo prædicamento, in quo est forma illa, vt si aliquid per calefactionem alteretur, calor est forma fluens, quæ paulatim acquiritur gradus post gradum, & est de genere qualitatis simul cum illo fluxu, quia qualitatem dicebat Alfarabius diuidi in quiescentem & motum, idest, in fluentem prædicto modo per motum, & in permanentem sine fluxu, adeò, vt & calor sine motu sit qualitas, & motus ad calorem similiter sit qualitas, quia est fluxus eiusdem caloris, seu idem calor fluens, sic etiam alias formas partibiles, in quibus est motus, dicebat Alfarabius esse in eodem prædicamento tam quiescentes, quàm fluentes, ita vt etiam quantitas fluens sit in prædicamento

camento quantitatis, proinde & motus accretionis, qui nil aliud est, nisi quantitas fluens, seu fluxus quantitatis sit quantitas; sic etiam motus ad locum apud eum est sub prædicamento vbi, quia est fluxus ipsius vbi, idest, vbi fluens. Hæc igitur est natura motus secundum Alfarabium, dum ipsum secundum se nomen, & essentiam motus spectamus, ideòque est in illomet prædicamento, in quo est forma fluens, quia non distinguitur fluxus a fluente, nec differt genere fluens a quiescente. Si uerò motum non secundum propriam naturam consideremus, sed prout refertur ad mobile, & in ipso recipitur, sic dicebat Alfarabius motum esse in prædicamento passionis, quia mobile dicitur pati dum mouetur, vnde colligebat passionem non esse reuera genus ipsius motus, sed receptionis motus, si quidem receptio motus est passio, at motus ipse non est passio. Ab hac Alfarabij sententia mihi non videtur differre sententia Alberti, qui dicebat aliud esse considerare motum secundum propriam naturam; aliud esse ipsum considerare, vt relatum ad alia, nam secundum se est forma fluens, seu fluxus formę, qui est in eodem prædicamento, in quo est forma non fluens; at respectu agentis dicitur esse effectus actionis agentis, non actio ipsa; respectu autem patientis dicitur passio; non quòd sit formaliter passio, sed quia forma fluens facit passionem in mobili, quare hæ propositiones, motus est actio, motus est passio, secundum Albertum non sunt veræ in sensu formali, sed solum in causali, & hoc modo admisit dictum illud vulgatum, motus est in prædicamento passionis. At secundum rei veritatem, & secundum propriam essentiam motus ipse non est in ullo determinato prædicamento, sed in pluribus, vt etiam dixit Aristoteles, nempè, in illis, in quibus sunt formæ fluentes. Et hac ratione Albertus videtur optimè interpretari dictum illud Auerrois, quod motum esse in prædicamento passionis est opinio famosior, sed esse in pluribus prædicamentis, & in nullo determinato, est opinio verior. Auicenna verò (vt inquit Auerroes) abhorruit ab hac opinione, & hæc ipsi maximè displicuit, quia non potuit animo suo concipere quomodo fluxus non distinguatur a re fluente, cum omnino dicendum esse videatur aliud esse fluxum, aliud esse rem fluentem; idcirco Auicenna dixit motum absolutè, & secundum propriam naturam esse fluxum, non formam fluentem, & esse in prædicamento passionis. Quòd autem dixit Aristoteles motum non esse in uno aliquo determinato prædicamento, sed in quatuor, indistinctè inquit Auicenna esse referendum ad materiam motus, non ad genus eius, nam si consideremus genus id non est aliud quã prædicamentum passionis, cuius species quædam est motus secundum se consideratus, quia propria eius essentia est fluxus quidam, qui est species passionis; at si materiam spectemus, in qua locum habere dicatur motus, ea non est unum determinatum prædicamentum, sed in quatuor prædicamentis potest esse motus. Sententiam Auicennæ tuetur efficaciter Ioannes Bacco in secundo sententiarum distinct. 1. quæst. 2. artic. 2. & nititur etiam ad eam trahere Auerroem.

Auerroes autem his opinionibus relatis statim improbat in dicto loco hanc posteriorem, quæ est Auicennæ, & cum hac improbatione coniungit declarationem propriæ sententiæ, & veritatis, nihil dicens de opinione Alfarabij, nisi pauca uerba in calce illius Commentarij, vbi carpit ipsam in quodam non magni momenti, immò in quo est maximè dubitandum an rectè impugnetur Alfarabius, necne, vnde colligi posse videtur Auerroem magis adhæsisse opinioni Alfarabij, quàm opinioni Auicennæ. Ideò Albertus, qui in illa sua doctissima contemplatione de hac re profitetur se Auerrois sententiam sequi tanquàm omnium optimam, tamen sequi videtur magis opinionem Alfarabij, quia non solum eam approbat in ijs, in quibus consenserunt Auerroes & Alfarabius, sed etiam in eo, in quo Al-

farabius

farabius ab Auerroe carpitur. Referam igitur totam Auerrois disputationem, & quia varie uidetur Auerroes de hac re loqui, considerabo etiam illa, quæ dicuntur ab ipso in Commentario quarto huius tertij libri, vt si fieri possit colligamus quænam sit Auerrois sententia; & contradictiones, quibus implicata videtur, amoueamus, tandem declaremus quæ num harum opinionum verior sit. Ardua certè est contemplatio hæc, fateorque me in hoc maximè laborasse, dicam tamen quod post longam considerationem ego sentiendum existimauerim, qua in re solus me adiuuit Albertus. Cum enim omnes aliorum quæstiones, ac disputationes mihi leues & superficiales uisæ sint, solus Albertus mihi visus est profundissimè contemplans, & huiusce rei intima penetrasse. Auerroes in hoc consentire uidetur Alfarabio quod motus non sit in uno aliquo determinato prædicamento, sed sit in illo, in quo est forma fluens, non quidem in materia, quæ erat Auicennæ opinio, sed vt in genere, ita ut motus essentialiter sit forma illa fluens, & idē sit dicere fluxum formæ, & formam fluentem, quia utroque modo eadem motus natura significatur, quæ fuit etiam Alfarabij opinio, vt ante dictum est; nititur autem Auerroes argumento firmissimo, quod ex Aristotele sumitur in hac eadem parte, cum dixit Aristoteles, quamlibet categoriam diuidi per potentiam, & actum, quod significat esse in eodem prædicamento potentiam, in quo est actus, quare si equus actu existens in prædicamento substantiæ, etiam equus potentialis in eodē prædicamento sit; reuera etiam materia prima, quæ est equus potentialis substantia est, sic in eodem prædicamento est quantitas potestate, in quo est quantitas actu, ita vt antequam res augeatur, non solum sit in genere quantitatis illa quantitas minor, quam actu habet quatenus est actu, sed etiam illa eadem quatenus est potestate maior; sic de vbi potestate, & de qualitate potestate dicendum est; itaque si extrema in eodem prædicamento sunt, extrema dico potentiam, & actū eiusdem rei: infert Auerroes etiam mediam viam ab uno ad alterum esse in eodem prædicamento, uia autem est ipse fluxus, quem appellamus motum, est enim motus uia & fluxus eiusdem formæ de potentia ad actum, & tanquam medium inter potentiam, & actum, nam si potentia ad qualitatem est qualitas, licèt nihil habeat ipsius actus, multò magis fluxus à potentia ad actum est qualitas, cum habeat aliquid qualitatis actualis, & sit actus aliquis, sed imperfectus; est enim qualitas actualis fluens ad maiorem perfectionem, sic igitur alteratio est qualitas, accretio est quantitas, generatio est substantia, motus localis est vbi fluens; Hoc autem fundamentum apud Auerroem tanti momenti fuit, ut tandem reprehenderit Alfarabium in illo altero dicto, quod motus ratione suæ receptionis in mobili in prædicamento passionis locetur, quia ne hoc quidem vult Auerroes consiteri, & ita argumentatur, motum recipi in mobili nil aliud est, quàm mobile habere potentiam passiuam; siquidem recipere est pati, atqui iam dictum est potentiam esse in eodem genere, in quo est actus, ergo etiam ratione receptionis debet poni motus in eodem prædicamento, in quo est actus, & forma fluens, non autem in prædicamento passionis. Hoc igitur est in quo carpitur ab Auerroe Alfarabius: sed mihi videtur etiam in alio, quod ab Auerroe non exprimitur discrepare ipsum ab Alfarabio, nam Alfarabius uidetur æqualiter sub eodem prædicamento posuisse formam & fluentem, & quiescentem, cum diuiserit singulum prædicamentum capax motus in fluens, & quiescens. Auerroes autem vult contineri in prædicamento propriè, & præcipue id, quod est quiescens, & in sua perfectione persistens sine motu, potentiam uerò ad illud esse quidem in eodem prædicamento, sed non directè, & perfectè, sed per reductionem quandam, sic etiam uiam a potentia ad actum, quæ est quid medium inter potentiam, & actum, putauit esse in illo

illo prædicamento reductiuè, non perfectè. Quod enim hoc velit Auerroes patet, quia in illo commentario nono quinti libri inquit, [quodammodo,] sed non exprimit in hoc aliquem lapsum Alfarabij: nos tamen in verbis ipsius ab Auerroe recitatis hoc notari posse iudicamus. Sed Albertus clarissimè hanc sententiam Auerrois declarat, & sequitur, & apertè dicit, quòd & potentia, & fluxus, qui est quiddam medium inter potentiam, & actum, est reductiuè in eodem prædicamento, in quo est actus quiescens propriè & directè: quod declarat exemplo materiæ, quæ cum sit substantia potentialis est in prædicamento substantiæ per reductionem, & tanquàm principium substantiæ, non tanquàm substantia completa, nihil tamen dicit Albertus de Alfarabio, qui in hoc defecerit. Sed illud quòd mihi de Alberto mirum visum est fuit, quòd exponens sententiam suam, apertè dicit motum ratione suæ essentiæ secundum se non habere determinatum pr̨edicamentum, sed esse in eodem, in quo est forma fluens, cum sit ipsamet forma fluens, reductiuè tamen non directe, sed ratione suæ receptionis in mobili esse in prædicamento passionis, quod fuit Alfarabij dictum reprobatum ab Auerroe, attamen profitetur Auerroem optimè omnium sensisse, & se in omnibus sequi opinionem Auerrois, quomodo enim hoc profiteri possit non video, cum in hoc postremo videatur potius Alfarabio adhærere & deserere Auerroem: quid autem de hoc sit dicendum postea considerabo. Nunc autem sese nobis affert difficultas maxima in verbis Auerrois, qui sibi contradicere videtur, & notata est etiam contradictio in margine illius Commẽtarij Auerrois, non tamen soluta ab aliquo, ne ab ipso quidem Zimara, qui scripsit solutiones somnium contradictionum in verbis Auerrois; nam primo loco declarans Auerroes veritatem dicit quod motus, prout est via ad perfectionem est de genere illius perfectionis, nec differt ab ea secundum magis, & minus, hoc autem dicere est dicere, quod quatenus est fluxus ad perfectionem, est in eodem prædicamento, in quo est forma illa tum perfecta tum etiam fluens, nec vllam notat in his differentiam nisi ratione perfecti, & imperfecti; attamen statim concludens hac distinctione vtitur, motus vel consideratur secundum suam materiam, in qua est, nempè secundum prædicamentũ, quod dicitur fluere, vel secundum suam formam, quæ est transmutatio, & fluxus in illa materia, quæ fuit appellatio Auicennæ vt mox dicebamus; & primo quidem modo est in prædicamento, in quo est illa materia; at secundo modo est in prædicamento passionis, & hoc modo fuit consideratus in libro. Prædicamentorum, quando fuit locatus in prædicamento passionis. Hac eadem distinctione usus est Auerroes in Commentario quarto huius tertij libri dicens quòd motus quatenus non differt à perfectione, ad quam tendit, nisi secundum magis, & minus, necesse est vt sit de genere illius perfectionis, & ita motus ad substantiam est substantia, & motus ad quantitatem est quantitas: at quatenus est via, & transitus ad perfectionem, qui debet esse quid diuersum à perfectione, eatenus est in prædicamento passionis, non illo, in quo est forma fluens. Est igitur in Auerroe contradictio manifestissima, cum dicat motus quatenus est via ad perfectionem esse in eodem prædicamento, in quo est illa perfectio, & hoc etiam neget, dicens quod quatenus est uia, est in prædicamento passionis, quoniam via ad perfectionem est quiddam diuersum ab ipsa perfectione, simul igitur idem affirmat, & negat, videlicet, fluxum esse idem genere cum forma fluente. Adde quòd in calce illius Commentarij noni, confutans sententiam Alfarabij de receptione motus in mobili, quod sit in prædicamento passionis, apertè dicit quòd etiam sic est motus, in eo genere, in quo est forma fluens, non autem in prædicamento passionis; vnde colligitur, quòd multò magis prout est uia ad per-

fectionem, est in prædicamento illius perfectionis, non autem in prædicamento passionis. Hæc est difficultas maxima in dictis Auerrois. Exponam igitur quid in hac re sentiam, & mox considerabo, an modo aliquo defendi Auerroes possit. Puto sequendam esse in hac re opinionem Alberti, qui profitetur quidē se Auerroē sequi, tanquàm eum, qui hac in re optimè omnium senserit, sed tamen in aliquo recedit ab Auerroe, & illam, quam dixi verborum Auerrois repugnantiam non soluit, nec tangit. Primùm quidem quòd motus secundum propriam naturam in nullo sit determinato prædicamento, sed in pluribus, ratione formæ fluentis, omninò confitendum puto, propterea quòd fluxus est in eodem genere, in quo est forma fluens, & hæc non differt a forma eadem quiescente, nisi ratione imperfecti, & perfecti, & secundum magis, & minus, quæ est differentia non secundum essentiam, sed secundum esse, hoc est, secundum modum essendi, sed forma quiescens est directe in prædicamento, eadem verò imperfecta, & fluens, est in eodem per reductionem, & æquè significatur dicendo fluxum formæ, & dicendo formam fluentem. Et mouet me argumentum Auerrois, quoniam sicut potentia est reductiue in eodem prædicamento, in quo est actus, magis debet id, quod est medium inter potentiam, & actum esse in eodem prædicamento, tale autem est ipse fluxus formæ, seu forma ipsa fluens, est enim actus imperfectus cum potentia coniuncta. Præterea si vllo modo posset motus secundum propriam naturam locari in aliquo determinato prædicamento, in quo continerentur omnes species motus, sicuti dicitur de prædicamento passionis; Aristoteles defendi non posset, qui hic proponens sibi declarandam naturam motus, nihil de hoc uno genere motus dixit, sed potius apertè negauit motum generaliter acceptum habere proprium prædicamentum, & dixit esse commune analogum, sed non vniuocum; hoc autem falsum esset, si motus secundum se esset in prædicamento passionis, iam enim esset quid vniuocum, & haberet propriè species, quare non rectè fuisset tradita ab Aristotele definitio motus sine expressione huius proprij prædicamenti, in quo locaretur motus. At si non ratione propriæ essentiæ consideretur motus, sed ut ad alia relatus, nihil refert eum locare in aliquo determinato prædicamento, sicut homo est in prædicamento relatiuorum, quatenus est pater; non fit enim ob id, vt secundum propriam essentiam sit in illo prædicamento; Motus igitur vt refertur ad agens, est in prædicamento actionis, nec ob id est formaliter actio, sed causaliter quia est effectus actionis, vt Albertus ait, sic enim etiā lapis est in genere substantiæ, & locus est in prædicamento quantitatis, at lapidem esse in loco est prędicamentum diuersum, quod uocatur vbi; similiter igitur etiam motus vt prouenit ab agente est in prædicamento actionis, non quidem motus ipse, sed eius deriuatio ab agente; & eadem ratione quatenus recipitur in mobile est in prædicamento passionis, non quidem motus ipse secundum propriam naturam, sed eius receptio in mobili. Hęc fuit Alfarabij sententia, quā approbat Albertus, & quam ego veram puto, & in hoc recedo ab Auerroe, qui hoc efficaciter impugnauit, nam si hoc negetur, non defenditur Aristoteles in prædicamentis in cap. de agere, & pati, qui dixit calefieri esse pati, nam calefieri est moueri, itaque moueri est pati, quare & motus est passio. Hæc autem sententia satis defenditur, si dicamus motum secundum propriam naturam non esse formaliter passionem, esse tamen cum passione coniunctum, quia eius receptio in mobile est passio, nec satis est quod Auerroes videtur innuere, nempe, dicere Aristotelem ibi non veritatem sectari, sed famositatem, quia etiam sine testimonio Aristotelis res ipsa loquitur, & indicat receptionem formæ fluentis in mobili passionem esse, ita ut moueri quidem sit in prædicamento passionis, non tamen ob id motus

secundum

secundum propriam naturam est passio, quia moueri dicit habitudinem motus ad mobile, quæ facit appellationem passionis, at motus non dicit formaliter hanc habitudinem, sed naturam motus secundum se consideratam. Argumentum autem Auerrois contra Alfarabium facilè soluitur, dicebat enim, receptio denotat potentiam pasiuam, at potentia est in eodem prædicamento, in quo est actus, ergo etiam ratione receptionis est motus ponendus in eo genere, in quo est forma fluens, sed non in prædicamento passionis, nam si hoc argumentum efficacitatem haberet, nullum daretur prædicamentum passionis, quia semper reduceretur ad aliquod aliud prædicamentum. Dico igitur receptionem notare quidem potentiam, neque esse sine potentia passiua non tamen idem esse formaliter receptionem, & potentiam; potentia enim vt respiciens actum est in eodem prædicamento, in quo est ipse actus, quia potestate qualitas & actu qualitas in eodem sunt prædicamento, sed receptio formæ fluentis, nec permanentis debet passio appellari, patitur enim tunc mobile ab agente. Hoc autem ita clarum est, vt credam Auerroem non ex animi sententia impugnare Alfarabium, sed dubitationis gratia, eamque nobis soluendam relinquere.

Ab illa autem, quam diximus, difficillima contradictione puto defendi posse Auerroem, non est enim credendum quod in eodem loco, & in eadem verborum serie sibi contradicat, quod enim uiam ad perfectionem ipse statuat in eodem prædicamēto, in quo est illa perfectio, manifestū est in illo Commentario nono quinti libri, ergo quando dicit eandem uiam esse in prædicamento passionis non potest intelligere, nisi vt ipsemet interpretatur in Commentario quarto tertij libri, videlicet, non secundum ueritatem, sed secundum apparentiam, & famositatem, cum enim dixisset Auerroes motum aliqua ratione esse in prædicamento pasionis, & alia ratione non habere determinatum prædicamentum, si putasset vtrumque esse verum secundum diuersas rationes, nec pugnare inter se hæc duo, non subiunxisset illam esse modum famosiorem, hunc autem veriorem, sed quia non poterat simul statui utrumque secundum veritatem, quia vnum destruit alterum: ideò ad tollendam contradictionem subiunxit, unam esse sententiam famosiorem, sed alteram esse veriorem. Fatetur ergo huius comparatione illam esse minus vnam, proinde falsam esse licet famosam; attamen ego dixi posse motum constitui in prædicamento pasionis, non modo secundum famositatem, sed etiam secundum veritatem, ita ut illa famositas, seu communis illa existimatio non omninò careat veritate dum enim cum prædicamento pasionis collocamus, non quidem ipsam uiam, siquidem hæc est ipsa motus natura, quæ non differt a fluente forma, sed receptionem illius viæ, verum dicimus. Et Albertus etiam admouet melius fecisse Auerroem si hoc dixisset potius quàm viā esse in genere pasionis, ideo eum redegit ad meliorem sensum dicendo potuisse intelligere viam cum respectu ad id, quod subijcitur viæ, nempe, ad ipsum mobile, sic enim est pasio. Sententia hæc quam secuti sumus definitioni motus ab Aristotele traditæ maxime consona est, & eam claram, & manifestam reddit, actus enim positus in definitione motus non potest esse quid uniuocum, & eiusdem rationis, ut esset si significaret pasionem, sed potius quid analogum, quia colligitur ex dictis, vbi Aristoteles dixerat motum non habere aliquid commune uniuocum, sicuti neque categoricæ, significat igitur actum imperfectum & perfectionem habētem potentiam ad maiorem gradum perfectionis, & fluentem ad illum, quare etiam posteà uocabitur ab Aristotele actus imperfectus, & significat quoddam commune ad formam fluentem in omnibus illis prædicamentis, in quibus datur motus; talis autem imperfectio illius actus denotatur à sequentibus verbis [entis potestate quatenus potestate,]

testate] sicut antea declarauimus, nam illa eadem forma quiescens, & sine fluxu sumpta, actus dici potest, sed rei habentis actum, quatenus actu est, actus autem rei in potestate existentis, quatenus potestate, non est nisi forma fluens. Definitur ergo motus non per fluxum solum, non etiam per formam, sine fluxu, sed per fluxum formæ, seu (quod idem est) per formam fluentem, quæ est commune quiddam analogum, sicuti dictum est. Ideò notanda hic maxime sunt ad horum confirmationem verba Themistij, qui dicit motum nihil esse præter res, res enim intelligit illa prædicamenta, in quibus est motus, præter quæ inquit motum nihil esse, esset autem aliquid, sic cum aliquibus doceremus esse fluxum distinctum à forma fluente, & positum in prædicamento passionis, at Themistius negat esse aliquid præter prædicamenta in quibus est motus: Genus igitur in hac definitione est actus non quidem vniuocum, sed analogum, & significat formam de genere, in quo fit motus. Reliqua verba sunt differentiæ restringentes, quibus significatur imperfectio huius actus, & proprium subiectum motus, nempe id, quod est potestate, quod in sequentibus clarius ab Aristotele uocabitur mobile, sic igitur significatur motum esse actum non quidem communem, sed subiecti potestate existentis, seu mobilis, neque huius quocumque modo sumpti, sed ut potestate existentis, quod quidem indicat imperfectionem huius actus. Paucis igitur verbis optimè, & artificiosissimè Aristoteles naturam motus expressit.

Textus Septimus.

Quid autem hoc sit motus, hinc manifestum. Cum enim ædificabile, quatenus tale ipsum dicimus esse, actu fuerit, ædificatur, & hoc est ædificatio, similiter autem, & medicatio, & volutatio, & saltatio, & adolescentia, & senescentia.

HIC Aristoteles inductione probat (vt Auerroes ait) definitionem motus esse rectè assignatam, eam enim exemplis omnium specierum motus declarat, quæ simul sumpta vim inductionis habent. Notandum autem est aliam fuisse in contextu præcedenti, aliam esse in hoc definitionis declarationem, ibi sola declarata est significatio. Vt enim definitio motus intelligeretur, Aristoteles exemplis sensum eius declarauit, hic uerò probat illam esse definitionem motus, & ita recte fuisse motum definitum, nempè, quantùm licèt definitionem probare, iam enim in secundo Posteriorum docuit non posse demonstrari hanc esse definitionem rei, attamen quod demonstratione præstare non possumus, id leui aliquo argumento facere non prohibemur, quando res est manifesta, & leui eget declaratione, ut hic patet Aristotelem sola exemplari adductione, & earum collectione in vim exempli probare motum esse bene definitum. Id autem, quod hic probat Aristoteles, nil aliud esse videtur, quàm reciprocatio illius definitionis, in omnibus enim speciebus motus ostendit quòd actus eius, quod est potestate, quatenus potestate, est motus in eo genere, quoniam igitur conditio est bonæ definitionis, vt sit æqualis, & cum definito reciprocetur, probat Aristoteles ex hac conditione, quòd recte sit definitus motus, quoniam in singulis generibus cui illi competit id in eo genere est motus, quoniam igitur nulli

hæc

hæc competit, nisi motui credendum est esse definitionem motus & licet ex reciprocatione nō inferatur quod sit definitio motus, quia etiam risibile cum homine reciprocatur, nec ob id est hominis definitio: tamē ex ea id potest coniectari. Nam quod competat in quid, cognoscitur ab intellectu sine discursu, ergo nisi reciprocaretur esset genus, at non definitio: igitur ostenso quod reciprocetur cognoscitur esse definitio, quia intellectus animaduertit essentialem connexum, & prædicationem in quid. Sumit igitur exempla ex omnibus speciebus motus, licèt enim non propriè sumat dictos motus, quoniam sunt manifestiores, vult per hos intelligi motus propriè sumptos. In primis sumit ædificationem, vt exemplum generationis, est enim generatio rei artificiosæ, sed vult per hanc intelligi generationem rei naturalis, quemadmodum etiam frequenter in primo libro accipit exempla ab artefactis, ut idem intelligeremus in naturalibus, inquit ergo actum rei ædificabilis, quatenus est ædificabilis, non esse nisi ædificationem, proinde motum, quoniam ædificatio est motus; ædificabile enim dicimus id, quod habet potentiam vt ædificetur, quando igitur hoc ad actum reducatur, non quidem quo dicatur ædificatum, sed quo dicatur ædificabile, hoc enim est actus eius potestate, quatenus est potestate, non quatenus actu, illa est ædificatio, quare quando eiusmodi actus est, tunc motus est. Notat autem hic S. Thomas quòd ædificabile, & omne aliud mobile, antequam moueatur habet duplicem potentiam, unam ad actum perfectum, alteram ad imperfectum, qui est motus, ideò si ad actum perfectum sit perductum, non dicitur tunc habere motum, sed potius quiescit à motu, & quando ductum est ad actum imperfectum, nempe, qui adhuc potentiam coniunctam habet, ille actus est motus, nempe, forma fluens, & ad perfectionem tendens, & ille est motus. Hunc igitur actum imperfectum denotat Aristoteles dicens, quatenus potestate, vt quatenus ædificabile, est enim ædificatio ipsa, proinde est motus; hoc idem dicit esse in alijs speciebus, quarum exempla subiungit. Quod enim dicit [similiter disciplina, & medicatio] ad alterationem pertinet, cuius duo affert exempla, licèt sint minus propriè alterationes, cū una sit in animo, altera uerò in corpore quidem, sed ab arte; Disciplina enim hic significat actum discendi, quem sumit vt motum quendam alterationis animę; medicatio autem est alteratio facta ab arte. Quæ verò dicit, [& volutatio, & saltatio] pertinent ad motum localem, quē notat Simplicius, & ab interno, & ab externo principio fieri, ideò vtriusq; exempla Aristotelem attulisse, nam volutatio fieri solet ab agente externo; saltatio autem fit ab interno principio. Tandem verò quando dicit, [& adolescentia, & senescentia] hęc pertinent ad materiam in quantitate; nam adolescentia significat accretionem, quæ in illa ætate fit, & senescentia imminutionem, quæ fit in senio. In his autem singulis id, quod diximus, considerare quisque potest, in singulis enim actus eius, quod est potestate, quatenus est potestate, non est nisi motus, cuiusmodi sunt hi omnes, quos nominauimus. Themistius notat motum uocari actum primum, non actum secundum; & Actum primum uocat illum, qui adhuc est in uia, & imperfectus. Secundum uerò postremum illum, quomodo adueniente non est amplius motus, sed quies; primum enim, & ultimum notat secundum ordinem temporis; prius enim res est in fluxu, tandem adueniente vltimo termino cessat fluxus. Hoc idem etiam Alexander notauit, vt Simplicius refert, qui etiam reprobat hanc Alexandri sententiam hoc argumento, quòd primus ille actus est motus, postremus verò non motus, sed mutatio, itaque si Aristoteles intelligat actum primum cum exclusione postremi, separat mutationem a motu, quod tamen hic dicendum non est; in hoc enim libro confundit mutationem, & generationem etiā substantialem cum motu, vt in textu præcedenti patuit, neque horum discrimen

considerabit nisi in quinto libro. Ego tamen puto debilem esse hanc impugnationem, ac Alexandri, & Themistij sententiam defendi posse, quamuis enim hic Aristoteles sub motu ponat generationem substantialem. non tamen id facit considerando mutationem subitam, quia cuilibet tali mutationi repugnat definitio motus, cum nullus ibi notari possit fluxus, seu actus imperfectus; sumpsit ergo generationem sub motu, quia in presentia sequi uoluit id, quod supponit, nempe, generationem esse totam illam alterationem, quæ desinit in mutatione formæ substantialis; sed in quinto libro sumens illam propriæ pro sola mutatione formę substantialis distinguet eã a motu; nunc ergo Alexander, & Themistius seiungentes actum secundum à primo, qui est motus, nihil dicunt Aristoteli repugnans, neque separant generationem à motu, quia illa subita secundi acti acquisitio non est illa generatio, quàm hic Aristoteles considerat, & sub motu ponit, quòd ergo dicunt motum non esse primum illum actum imperfectum, qui est cum fluxu, & ab hoc separant actum postremum perfectum, quo existente desipit esse motus, est contrarium dictis Aristotelis. Distinctio Sancti Thomæ est imperfecta, quia potest aliquis cessare ab ædificatione quando adhuc non est absoluta domus, & illæ erit actus imperfectus, qui tamen non dicitur motus, quia est sine fluxu. Forma igitur imperfecta non semper dicitur motus, sed quando est fluens. Tunc enim est actus rei existẽtis in forma quatenus in forma. Sed forma imperfecta nõ fluẽs, est actus rei quatenus est in actu, licèt imperfecto, non quatenus est in forma. Quare non est motus. Eadem est hæc Thęmistij distinctio, quæ prius ex Sancto Thoma adducta est, ideò simul vtramque considera, & imperfectionem vtriusque distinctionis.


Sed contra ea, quæ de natura motus diximus adest dubium non spernendum, quod hic tangitur a Ioanne Gandauense in sua quæstione sexta huius tertij libri, nam si motus esset id, quod diximus de natura motus, quòd est forma imperfecta, & fluens, competeret maximè motui locali, qui maximè etiam est motus, attamen hoc de illo dicere non possumus, motus enim ad vbi non est idem cum termino ad quem, quia illud vbi non fluit, quia si ignis ascendat ad suum vbi naturale, illud vbi est in supera huius parte immobile, nec potest uocari fluens, sed transibit quidem ignis per diuersa vbi, non tamen dici poterit quòd illud vbi, ad quod tendit ignis tanquam ad terminum a quo illius motus sit fluens, motus igitur localis non est forma fluens, si illud idem vbi, quod erit terminus motus, non dicitur fluere; Ad hoc dubium Gandauensis respondet considerando differentiam quandam inter motus localem, & alios; nam in alijs motus acceptus pro forma fluente est eiusdem speciei cum termino ad quem, at in locali motus est non eiusdem speciei, sed solùm eiusdem generis, transit enim per alia vbi, quæ cum sint in prædicamento vbi sunt eiusdem generis, cum termino ad quem, & hoc sufficit; quia illud, quod dici solet, motum non distingui a termino ad quem sumptum est ab eo, quod euenit pro maiori parte, euenit enim in maiori parte, hoc in pluribus motibus, cum solus excipiatur localis, de quo saltem dicere possumus quòd genere non differt, à terminò ad quem, sed si hanc solutionem admittamus ruunt omnia, quæ de natura motus diximus cum Auerroe, & Alberto, nisi enim motus sit forma ipsa fluens, quæ est terminus ad quem, & ab ea non differens specie, sed solùm secundùm magis, & minus, vt Auerroes ait, non consistet amplius ipsa natura motus in ipsa forma fluente, neque erit forma fluens, sed fluxus distinctus ab ipsa forma fluentæ, quæ erit terminus ad quem, immò neque fluere hæc dici potest, si est quiddam immutabile, & fixum. Ego autem dico difficultatem hanc oriri ex discrimine, quod est inter localem motum

& alios,

& alios, quòd per alios uerè acquiritur forma inhærens intrinsecus ipsi mobili, quæ cum sit diuidua, & pars eius post partem acquiratur, iure dicitur fluere; at per motum localem non acquiritur forma inhærens mobili, sed potius locus, qui extrinsecus est, seu respectus quidam rei mobilis ad illum, uocatus vbi; Oportet igitur vt huic proportione quadam accommodemus id, quod de forma fluente diximus. maior enim appropinquatio ad terminum, quæ continuò crescit, est illud vbi fluens, quatenus transire dicitur ad vbi propinquius vltimo, vbi est modo quodam acquirere partem aliquam illius vltimi vbi, idquè maximè dici potest, si spectemus vim conseruatiuam, qua præditus est locus, cuius gratia mouentur alia corpora motibus suis naturalibus; quantò enim magis corpus loco suo appropinquat, tantò plus inuenit illius uirtutis conseruatiuæ; ignis enim magis conseruatur in aere, quàm in aqua, & in aere propinquior est suo loco naturali, quare uis illa conseruatiua fluit quodammodo, & attingitur per partem post partem: quòd si spatium solum spectare volumus dicendum est, vt supra, quòd accedere ad vbi, quod propinquius est vltimo vbi, est in motu locali forma fluens; quò circa patet motum non esse quid commune uniuocum, & unius rationis, cum sit cum eadem eius natura in omnibus speciebus, nisi secundum analogiam. Videtur autem occasio errandi, & deceptio in hoc consistere, quòd qui ita dubitat, comparat illud vbi, quod est ultimum motus cum qualitate fluente, quæ tamen non est comparatio conueniens, cum potius sit comparandum cum qualitate quiescente, & perfecta, quæ est terminus alterationis ad quem; quemadmodum igitur qualitas, vt perfecta est non fluit; ita neque illud vbi, quod est ultimum motus localis, sed cum qualitate imperfecta, & fluente comparandum est totum spatium per quod fit motus localis, totum enim potest vocari vbi, quia in singula eius parte mobile est in vbi, & semper acquirit vbi propinquius ultimo, ad quod tendit, & hac ratione acquirit vbi per partem post partem, quatenus acquirit partem post partem illius spatij, & semper propinquiorem ultimo ubi.

Textus Octauus.

Quoniam autem quædam eadem, & potestate, & actu sunt, at non simul, aut non secundum idem, sed, ut calidum quidem potentia, frigidum autem actu multa iam agent, & patientur a se inuicem, omne enim erit simul actiuum, & pasiuum; quare, & mouens physicè mobile est, omne enim huiusmodi mouet, cum, & ipsum mouetur. Videtur igitur quibusdam omne quod mouet, moueri, sed de his quidem ex alijs erit manifestum quomodo se habent. est enim quoddam mouens, & immobile.



IN hac particula ego cum Græcis puto Aristotelem uelle soluere unicum dubium, cuius solutio pertinet ad melius declarandam definitionem motus, immò plura simul dubia uidetur Aristoteles ijsdem verbis, & eadem sententia soluere. Dubium autem quod præcipuè Græci solui dicunt, tale est. Experientia docet, quòd agentia naturalia in agendo repatiuntur, & dum mouent mouentur, unde glacies frigefacit

gefacit manum, & ab eadem simul manu calefit: hinc colligi videtur non omnem motum esse actum eius, quod est potestate, sed quandoque esse actum eius, quod actu est, quare non rectè est tradita definitio motus; consequens autem ita deducitur, mouens mouet quatenus est actu, itaque si mouetur, dum mouet, motus erit actus eius, quod est actu. Ad hoc respondet Aristoteles concedendo quidem assumptum, nam omne mouens corporeum, dum mouet, mouetur, sed negando consequentiam, non enim sequitur, ergo motus est etiam actus eius, quod est actu: & ratio negationis est, quia potest idem esse simul potentia, & actu, non tamen simul eodem tempore, sed diuersis, vel etiam eodem tempore, sed non secundum idem, at respectu diuersorum, vt potest idem esse potentia calidum, & actu calidum, non simul eodem tempore, sed diuersis, vt aqua nunc est potestate calida, posteà fit actu calida, potest tamen eadem aqua eodem tempore simul esse potestate & actu respectu diuersorum, vt aqua nunc est calida potestate, & frigida actu; quare etiam mouens mouetur, quia est simul potentia, & actu, & mouet quatenus est actu, mouetur autem quatenus est potestate. Quod igitur mouens moueatur, nullam debet difficultatem facere cōtra definitionem motus, quia licet moueat, quatenus est actu, non ob id mouetur quatenus est actu, sed quatenus est potestate, alia enim ratione mouet, alia mouetur. Hoc autem colligit Aristoteles ex eo fundamento, quod præmittit primis verbis, nempè quod idem potest simul esse potestate, & actu, vel non simul, vel respectu diuersorum: sic igitur solutum est dubium, & firma manet definitio motus, in qua rectè dictum est motum esse actum eius, quod est potestate, quatenus est potestate, quoniam etiam mouens mouetur, non quatenus est actu, sed quatenus est potestate. Addit autem Simplicius etiam aliud dubium, quod per hoc soluit Aristoteles, nam cum dixisset motum esse actum eius, quod est potestate, quatenus est potestate, credere poterat aliquis, id, quod mouetur debere esse potestate solùm & nullo modo esse actu, quod, tamen falsum est, & repugnaret doctrinæ Aristotelis in quinto Physicorum vbi distinguens generationem a motu inquit omne, quod mouetur esse actu, quod autem generatur, non esse actu, sed potestate; Nunc ergo hoc quoque vult ex his colligi, id, quod mouetur, debere esse potestate, quia non inest motus nisi illi, quod potestate est, tantum debere etiam esse actu, licèt non ea, ratione moueatur, quatenus est actu, sed solum quatenus alio respectu est potestate, quo fit ut mobili esse actu competat quidem per accidens quatenus est mobile, per accidens tamen necessarium, est enim necessarium vt sit actu existens, si debeat moueri, at non mouetur prout est actu, sed prout est potestate, ideò hoc fuit sumptum in definitione motus, nempè quatenus est potestate, non quatenus est actu. Hæc est Simplicij consideratio, quam ego probandam puto. Possumus tamen aliud quoque dubium tertium addere, quod tollitur per hanc Aristotelis considerationem. Cum enim in definitione motus dixisset motum esse actum eius, quod est potestate, & actui potentia opposita sit, dubitare poteramus, quomodo hæc simul esse posśint in eodem mobili, nam si in ipso inest motus, qui est actus, & mobile mouetur, quatenus est potestate; inest igitur illi simul actus & potentia, quod videtur imposśibile. Aristoteles igitur docet fieri optime posse, vt in eodem sint potentia, & actus, nempe, vel diuersis temporibus, vel eodem quidem, sed respectu diuersorum, quod competit ipsi mobili, est enim uno modo actu, sed alia ratione est potestate ad quoddam aliud, & hac ratione mouetur, nempe, quatenus est potestate, non quatenus est actu. Hæc igitur omnia dubia tollit Aristoteles eadem consideratione, & magno cum artificio, & breuitate, & hoc facit in prima parte contextus huius. Posteà enim in secunda sumit ex dictis

occasio-

occasionem reprehendendi obiter quandam nonnullorum antiquorum sententiã. Sententia primæ partis clara est, iam enim uidetur satis esse declarata, ponit Aristoteles antecedens, ex quo colligit consequens, & eiusdem rationem. Quoniam enim aliqua sunt, & potestate, & actu, hinc sumitur ratio, cur aliqua mouentia moueantur, est enim ratio, quia mouent ratione actus, & mouentur ratione potentiæ. Notandus est autem in consequenti modus loquendi Aristotelis, qui non dicit omnia pati, & agere inuicem, quia falsum esset, vt ipse in secunda parte dicturus est, & vt dixit in contextu septuagesimotertio secundi libri, sed dicit multa, immò seu uerum, seu non uerum de omnibus hoc sit, ad rem non facit hic vniuersaliter hoc pronuntiare, ideò uanũ est hoc in loco disputare de reactione, quod multi faciunt, sed pertinet hæc disputatio ad primum librum de generatione. Subiungit autem Aristoteles huius dicti declarationem dum inquit, [Omne enim erit simul actiuum, & passiuum] quæ verba non vniuersaliter de omnibus intelligenda sunt, falsum enim esset, cum dentur aliqua actiua, quæ non sunt passiua, sed cum sint declaratiua præcedentium, intelligenda sunt limitatè de illis tantùm. Cum enim dixisset multa agere, & pati inuicem, nunc rationem subiungit, & quodammodo consequentiam deducit ex primo illo antecedente; ratio enim est, quoniã [omne] idest omne tale simul habet vtranque uim, tùm agendi, tùm patiendi, propter illud, quod dictum est, nempe, quòd singulum ipsorum est simul actu, & potentia; actiuum enim est quatenus est actu, & passiuum quatenus est potestate. Ex hoc autem inferre videtur aliud quodam consequens, seu corrollarium, quando dicit, [quare & mouens Physicè mobile est] quam propositionem uniuersalem esse certum est, cum dicat cum articulo τὸ κινοῦν sic enim significat omne mouens, non quidem omne absolutè, sed cum sequenti limitatione, quòd moueat [Physicè] quæ dictio videtur facere difficultatem, quia omne mouens mouet physicè, mouere enim est habere respectum ad motum, omnis autem respectus ad motum facit esse rem physicam, & de consideratione Philosophi naturalis, idquè asseritur ab Aristotele clarè in contextu septuagesimotertio secundi libri, vbi dicit duo esse mouentia physicè, quorum alterum non est physicum, nempe id, quod mouet, cum sit immobile, motorem igitur immobilem inquit Aristoteles non esse rem physicam, mouere tamen physicè; Omnis igitur motor mouet physicè, si motor immobilis mouet physicè. Hoc autem si uerum est, nugatio est in his Aristotelis verbis, quia illud aduerbium [Physicè] nihil restringit, & frustra ponitur, si omne mouens mouet physicè; Cum hac autem difficultate altera multò maior coniuncta est, videtur enim repugnantia inter locum hunc, & illum septuagesimumtertium contextum secundi libri, cum ibi dixerit aliquid esse mouens physicè, quod non est physicum, quia est immobile, hic uerò dicit, omne mouens physicè esse mobile; Non referam hic omnia, quæ in horum verborum declaratione ab interpretibus præsertim Græcis dicuntur, sed breuiter sententiam meam exponam, tangamque aliqua eorum dicta. Certum primò esse debet illud aduerbium [physicè] non eodem modo hic sumi, quo in illo septuagesimotertio contextu sumptum est, sed ibi amplius, hic verò strictius; nam ibi ad motum absolutè habuit respectum; ideò omne, quod mouet, dictum est mouere physicè, neque per illud aduerbium exclusum fuit aliquod mouens, quod sit causa veri motus, sed solùm mouens metaphorice, uel spiritaliter, quomodo dicitur finis mouere efficiens, & omne id, quod non propriè dicti motus est causa. hic autem necesse est hoc aduerbium habere respectum non ad motum absolutè, sed ad modum motus, id enim quod mouet ita vt veri motus sit causa, hic intelligitur non physicè mouere, si non vt corpus moueat, idest, non per contactum uerum, qua-

lis est

lis est corporeorum tantummodo. Quoniam igitur maximè propriè hic sumitur mouere physice pro eo,quod est mouere cum hac maximè physica conditione, ut tanquàm corpus, & uero contactu moueat, tollitur hic omnis difficultas, neque enim nugatio est in his verbis, sed hoc aduerbium facit contractionem, & excludit mouentia non corporea, etiamsi verum motum efficiant. Hæc enim in illo contextu septuagesimotertio dicta sunt mouere physicè, quia ueri realis motus sunt causæ; hic uerò negantur mouere physicè, quia strictius hic sumitur physicè,prout significat mouens esse corporeum,quæ est conditio maximè physica, cũ hæc sola habeant in seipsis principium motus, quò fit vt talia mouentia non solum physicè moueant modo aliquo, vt ibi dicitur, sed etiam absolutè physica sint. Hic igitur sumit aduerbium pro adiectiuo, ita ut [mouens physicè] significat mouens physicum, sic enim in illo contextu septuagesimotertio vocatur mouens corporeum,nulla ergo est contradictio inter hunc locum, & illum, cum non eodem modo vtrobique sumatur mouens physicè, sed hic sumatur pro illo, quod ibi dicitur mouens physicum. Et per hoc vult Aristot. considerationem reddere vniuersalem & solutionem vniuersalem. Non enim de solis mouentibus repatientibus dubium oriebatur, sed de omnibus, quæ moueant & moueantur, licet sint nobis maximè in promptu mouentia repatientia, in quibus versamur. Sed Themistius, atque Simplicius ab hac appellatione cœlum quoque excluserunt, tanquàm non mouens physicè, uel saltem tanquàm exceptum in præsentia ab hac appellatione, ducti hoc argumento, quod cœlum quidem mouet hæc inferiora, at non mouetur vicissim ab illis. Aristoteles autem hic de reactione loquitur, & inquit omne mouens physicè moueri ab eo, quod mouetur ab illo, quare excipiendum omninò est cęlum. Quam Alexandri quoque sententiam fuisse Simplicius ait, immò & Alexandrum considerasse cęlum non rectè appellari mobile, quia illud propriè dicitur mobile quod quandoque non mouetur, quare cęlum cum semper actu moueatur non rectè dicitur mobile; proinde magis patet cęlum hic excludi, quia Aristoteles loquitur de illo mouente, quod sit mobile, neque igitur moueatur vicissim ab inferioribus, neque absolutè uocandum est mobile. Ego tamen puto hos omnes errasse, neque cœlum ab hac appellatione excludendum esse, cum sit mouens, & physic, & physicum, corporeum enim omne, & per contactum mouet, ut cętera corpora, quod autem illos decepit fuit quòd putarunt Aristotelem de reactione loqui, cum tamen hec minimè verum sit, non enim dicit omne mouens physicè vicissim moueri a moto, sed absolute dicit esse mobile, nempè vel a moto, vel ab aliquo alio, quare cęlum quoque comprehenditur, quod ita mouet, vt ipsum quoque moueatur, & vocatur etiam mobile, licet sit semper in motu, vt patet legentibus passim Aristotelem,& alios Philosophantes. Ideò Ioannes Grammaticus hoc uidens postquàm alteram illam expositionem adduxit, qua cum illis exclusit cœlum,tanquàm non uicissim ab his corporibus motum, affert etiam alteram veriorem, & inquit,si intelligamus Aristotelem non dicere uicissim moueri a moto, sed moueri absolutè, sic Cęlum non excipietur, quia dum mouet inferiora,ipsum quoque mouetur, & si non ab illis: patet hoc autem etiam ex prædicamentis Loci consideratione, hic enim consilium Aristotelis non est de reactione loqui, sed considerare in mouentibus naturalibus hanc conditionem, qua propositum dubium tollitur,quòd sunt potentia,& actu, quo fit, ut & moueant, & moueantur, unde aut moueantur uicissim à motis, an ab alio, nihil refert, sat est si moueantur, per hoc enim fit ut sit potestate, cum sint actu quatenus mouentur. Ideò notare etiam debemus coniunctiuam particulam, quando Aristoteles dicit, [quare, & mouens physi-

physicè] nam præcedentibus uerbis considerauerat illa peculiariter, quæ repatiuntur à motis, hic verò colligit etiam de alijs, quæ licèt non repatiantur, mouentur tamen ab aliquo, cum sint mouentia physicè. Dubium enim maximè oriebatur in ijs, quæ mutuo agunt, & repatiuntur, sed Aristoteles transfert eam considerationem ad omnia mouentia corporea, & ad omnia, quæ vtcumque moueantur, dicens hoc habere locum etiam in alijs mouentibus physicis, quæ vtcumque mobilia sunt: & infert hoc ex eadem ratione, quam vt repassionis rationem adduxerat, cur enim aliqua agentia à patientibus repatiantur, hanc rationem adduxit, quia simul sunt actiua, & passiua, proptera quod sunt simul potentia, & actu, ideò statim dicit hanc eandem esse rationem, cur non in illis solùm quæ repatiuntur, sed absolutè in omnibus mouentibus physicis id eueniat, vt mouens moueatur, Omne enim corpus quatenus est corpus, est passibile & mobile, & est mouens quatenus est actu: prædictum, autem discrimen quòd alia corpora dum agunt repatiuntur à motis, alia non repatiuntur, est illud, quod tangitur ab Aristotele in primo libro de generatione, quia illa, quæ conueniunt in materia, agunt, & repatiuntur uicissim, ut omnia corpora inferiora inter se, cum enim per contrarium agunt, necesse est vt à patiente repatiantur; & illa, quæ non conueniunt in materia, vt cęlum, & inferiora, agunt sine repassione; agit enim cęlum in hæc inferiora, sed ab his nō repatitur, licèt absolute sit mobile, & ab aliquo moueatur, sed de reactione loqui hic intempestiuū esset, cum ad id, quod in præsentia consideratur, nil penitus conferat. [Videtur autem quibusdam omne, quod mouetur, moueri] In hac secunda parte Aristoteles tangit quendam aliorum errorem, qui omne mouens mobile esse dicebant, quod quidem ipse negat, sed quia hoc demonstrare est à præsenti loco alienum, id remittit ad Octauum huius operis librum, vbi ostendet dari aliquod mouens, quod est prorsus immobile, nunc id supponit absque aliqua probatione. Occasio autem tangendi hanc illorum sententiam manifesta est; cum enim non absolute dixisset omne mouens moueri, sed omne mouens physicum, proinde innuisset se aliquod mouens excludere, quod non moueatur, nūc subingit uideri nonnullis absque nulla exceptione omne mouens moueri, hic autem quinam fuerint, non satis constat. Alexander enim referente Simplicio dixit Platonem significari, qui animam se ipsam mouere dixit, & mentis actionem, qua intelligit se, motum appellauit, quo quidem admisso, omne mouens esset mobile. At Simplicius negat Platonem in his esse numerandum, vt qui in Parmenide clarè dixit primum principium esse immobile, qui si quando mentem moueri dixit, non uerum ac propriè dictum motum, de quo hic Aristoteles loquitur, intellexit, sed de actione ipsa mentis, quæ est intelligere. Putat igitur Simplicius significare stoicos, & alios priscos Philosophos, qui nihil existere putabant nisi corporeum, quare etiam primum principium dicebāt esse corporeum secundum quam sententiam manifestum est non dari mouens, quod non sit mobile, quia omne corpus est mobile; sed de hoc disputandum non est, quia parum refert quinam ille fuerint. Possumus Simplicij opinionem admittere, possumus etiam cum Alexandro dicere Aristotelem significare Platonem, sequendo apparentiam verborum Platonis vt Aristoteli moris fuit in expendendis aliorum Philosophorum opinionibus.

Textus Nonus.

Eius autem, quod potentia existit actus, cum actu existens agit, aut idem, aut aliud, quatenus mobile motus est, dico enim quatenus

sic.

sic. Est enim as potentia statua, attamen aris actus, quatenus as motus non est, non enim idem est ari esse, & potentia quadam mobili, quoniam si idem esset simpliciter, & secundum rationem, esse utique aris, quatenus as actus motus. Non est autem idem quemadmodum dictum est.



OLVTIS dubijs nunc Aristoteles, vt Græcis placet, repetit definitionem motus clariorem, in qua appareat earum difficultatum solutio, nempè, in illa exprimendo quòd mobile non solum est potestate, sed etiam actu, quod in prima definitione non exprimebatur. Textus habet duas partes; in prima ponitur definitio motus; in secunda exemplis declaratur: sed prima pars duas habet diuersas lectiones, quarum mentionem hic Græci faciunt; tametsi alteram dicit Simplicius frequentius in exemplaribus reperiri, quæ talis est, [Eius autem quod potentia existit, actus, quando actu existens agat, non quatenus ipsum, sed quatenus mobile motus est] quæ significat motum esse actum eius quod est potestate, quando illud idem, cum etiam actu sit, agit, hoc est in actum secundum exit, non tamen esse illius actum, prout existentis actu, sed prout est mobile, idest prout est potestate, vbi notandum est verbum, agere, passiuè sumi pro eo, quod est in operationem exire etiam patiendo. Inquit igitur Aristoteles mobile esse uno modo actu, & altero modo potentia, necessarium tamen esse actum eius, non quidem ut existentis actu, sed ut existentis potentia; necesse enim est ut mobile sit actu, sed tamen non vt actu existens mouetur, sed ut potestate, nempe tunc quando ea ratione, qua est potestate, exit in secundum actum, tunc enim moueri dicitur, & ille actus, in quem exit, est motus. Altera lectio quam inquit Simplicius in aliquibus exemplaribus repertam esse, & quam nos in nostris latinis Codicibus habemus, hæc est, [Eius autem quod potentia existit actus, quando aliquod actu existens agat, vel ipsum, vel aliud, quatenus mobile motus est.] Quæ sensum à prima diuersum habet, siquidem in hac mentio mouentis fit, in illa verò non fit; in hac enim verba illa, [quando actu existens aliquid agat] non de ipso mobili vt in priori lectione, sed de mouente proferuntur, quod iam dictum est actu esse, & quoniam ea, quæ mouentur, alia a se mouentur, alia ab alio, id significat Aristoteles dicens, [vel ipsum, vel aliud]. Sensus igitur hic est, motus est actus illius, quod potentia existit, quando aliquid actu existens moueat, siue sit internum mouens, siue sit externum, quatenus illud, quod mouetur, est mobile, quod est dicere, quatenus est potestate, quod etiam in prima definitione dictum est. In hac autem secunda lectione nihil exprimitur de mobili, quod modo aliquo sit etiam actu, sed supponitur, exprimitur autem mouens tum internum, tùm externum, & ita comprehendit tum ea, quæ secundum naturam mouentur, si quidem ea mouentur ab interno principio; tùm etiam illa, quæ mouentur vi, vel ab arte, quæ a motore externo mouentur. Ioannes Grammaticus vtriusque lectionis mentionem facit, sed neutram magis probat, quam alteram. Simplicius verò priorem approbat, quam receptam fuisse ait ab Aspasio, & à Themistio, vt apud ipsum Themistium videre est; alteram uerò refutat, quam inquit Alexandro, ac Porphyrio magis placuisse. Argumentum, quo aduersus eam Simplicius vtitur, tale est, secundùm hanc lectionem fit definitio communis etiam motui violento, quod tamen non videtur esse concedendum,

quia

quia de motu tantum naturali hic loquitur Aristoteles, cuius principium est natura, non de violento, neque de facto ab arte, propterea quod illa, quæ naturaliter mouentur, habent propensionem naturalem ad terminum ad quem mouentur, & hanc significat Aristoteles dicens actus eius, quod est potestate, quatenus est potestate, sic enim indicat naturalem aptitudinem ad terminum tanquàm ad perfectionem. Illud autem quod vi mouetur, non mouetur tanquàm ad perfectionem, neque ad illum terminum habet aliquam propensionem; ideò absurda est lectio, secundùm quam extenditur definitio motus etiam ad motum à vi, & ab arte factum. Addit & alteram rationem Simplicius, quoniam membrum illud, quod à se dicitur moueri, ne in naturalibus quidem locum habet, siquidem nullum simplex mouet se, sed diuiditur in partem mouentem, & partem motam, vt in octauo libro ostenditur, quare de nullo mobili verum est quòd moueat seipsum, quia quicquid mouetur, mouetur ab alio. Propterea inquit Simplicius veriorem esse alteram lectionem, in qua nulla fit mentio mouentis, attamen vt Alexandrum tueri uideatur, addit non posse modo aliquo solui obiectiones prædictas, nempe, ad priorem dicendo in motu quoque uiolento esse aliquam naturalem aptitudinem, siquidem habet quælibet res aptitudinem vt ad quemcunque terminum moueatur vi. Ad alteram verò quòd Alexander intellexit à se moueri illa, quæ internum motorem habent; ab alio autem illa, quæ euidenter mouentur ab externo, & separato, (hoc enim reuera intellexit Alexander,) addit tamen Simplicius se non videre cur Alexander dicat lectionem hanc esse magis consonam ijs, quæ mox dicentur, quàm alteram; cum potius econtrario magis consona esse altera videatur, in exemplis enim, quæ postea ex artibus afferuntur, non habet locum id, quod à seipso mouetur. Vicomercatus sequitur sententiam Simplicij, ductus tamen (vt ait) non Simplicij argumentis, quæ leuia sunt, sed hoc uno, quia in sequentibus nulla huius discriminis fit mentio, quod alia à se, alia ab alio mouentur. Ego verò hac in re magis quidem Simplicij lectionem approbandam censeo, sed neque Simplicij argumentis moueor, neque Vicomercati. Quòd enim ad Simplicij argumenta attinet. Puto cum Vicomercato definitionem hanc motus communem esse omni motui, etiam uiolento, & artificioso, licèt enim Aristoteles præcipue respiceret motum naturalem: tamen definitio debet esse vniuersalis, & omni motui competere, itaque si motus uiolentus est verè motus, vt negari non potest, debet illi quoque competere definitionem motus. Hoc enim si negetur, excludenda ea quoque alteratio erit, qua elementum ab elemento alteratur, est enim etiam illa uiolenta, quatenus est contra patientis naturam. Ideò sciendum est aliud esse naturalem potentiam ad terminum sui motus, aliud esse propensionem ad illum, illa quidem in definitione motus accipitur, sed non ista, nam quando graue sursum vi proijcitur, negari non potest potentiam in illo esse vt in illo loco sit, & vt ad illum feratur, si enim nulla inesset potentia, à nullo posset sursum proijci, non habet tamen propensionem ad illum secundum propriam naturam, sed ab illo abhorret secundum propriam naturam, quæ forma est, licèt is ei non repugnet ratione materiæ, immo ob id fit vt moueri ad illum possit. Argumentum autem Vicomercati est quidem signum ueritatis huius lectionis, at nullam adducit rationem, adducenda tamen esset; ideò ego dicerem non esse in definitione aliquid ponendum, quod ipsi motui, & eius naturæ sit accidentale, accidentale autem est moueri quòd ab interno, vel ab externo fiat motore, essentiale autem

quòd ab aliquo motore, quisquis ille sit, fiat, ideò huius discriminis mentio in definitione motus facienda non est, cuius signum illud est quod à Vicomercato affertur; cum enim Aristoteles neque ante, neque post, in tota hac de motu tractatione huius discriminis vllam faciat mentionem; id inditio est, nihil ad naturam motus intelligendam hoc mouentium discrimen conferre. Proinde reprobandam quidem esse censeo eam lectionem, quæ Alexandro, & Porphyrio placuit, & quam in Codicibus latinis habemus, & alteram omnino accipiendam, quam Simplicius probat, cum præsertim, & frequentior fuerit, vt ipse testatur, & ab ipsomet Alexandro non negata; & præterea maximè consentanea ijs, quæ proximè dicta sunt, cum enim Aristoteles difficultatem, quæ oriri poterat, sustulisset in præcedenti contextu, dicens id, quod mouetur, non solùm potestate esse, verùm etiam actu, & inde fieri vt idem diuersis rationibus & moueat & moueatur, nunc debet motus definitionem repetere, in qua exprimatur esse quidem omne mobile tum actu, tùm potestate, attamen non moueri, quatenus est actu, sed quatenus est potestate. Immò eius ego sententiæ sum, hanc non esse dicendum repetitam definitionem motus, sed potius declarationem definitionis motus ex dubiorum solutione, propterea quòd mobile non quatenus est actu mouetur, sed quatenus est potestate, cum enim sit ei accidentale esse actu, quatenus est mobile, licèt sit accidens necessarium, non erat in ipsa definitione exprimendum, ut definitionis pars. Cui sententiæ nostræ attestantur illa, quæ in sequentibus ab Aristotele dicentur, postea enim definitionem motus est allaturus elaboratiorem, in qua hanc conditionem non exprimet quòd mobile sit actu. Dicamus igitur hanc esse definitionem motus cum eius conditionis expressione, non tanquàm partis definitionis huius sed tanquam collentis omnes prædictas difficultates. Et quia dixerat his verbis Aristoteles mobile tùm esse actu, tùm potestate, moueri tamen quatenus potestate, non quatenus alia ratione est actu; ideò hoc statim declarat exemplo, quando dicit [dico autem quatenus sic] idest, id, quod dixi, quatenus mobile intelligo sic, æs est materia statuæ, & est simul actu, & potentia; actu quidem est, quatenus æs, sic enim habet actu statuæ naturam, sed est potestate respectu formæ statuæ, quam non habet actu, recipere tamen potest, quando igitur mutatur æs ad formam statuæ recipiendam is motus non ea ratione dicitur actus æris, quatenus æs habet actum æris, idest, naturam æris; hoc enim dato sequeretur quòd motus ille esset forma ipsa, & actus æris, quo est æs, hoc tamen nemo diceret, motus igitur est actus æris, non quatenus est æs actu, sed quatenus est potestate statua; aliud enim est esse potestate statuam, aliud est esse actu æs, & natura motus illud per accidens respicit, licèt accidens necessarium, hoc autem per se, quia non ea ratione mouetur, qua est æs, sed quatenus potentiam habet recipiendi formæ statuæ, moueri enim ad eam est potentiam illam exire in actum illi respondentem; & actus ille est motus. Sunt autem notanda verba illa, [si idem esset simpliciter, & secundum rationem] nam negari non potest idem esse subiecto hæc duo, nempe, esse actu æs, & esse potentia statuam, sunt enim in eodem, at ratione differunt, ideò inquit Aristoteles, si idem esset, [simpliciter] idest penitus idest, etiam, [secundum rationem] tunc absurdum illud sequeretur quòd forma, & perfectio æris, qua æs est æs, esset ipse motus, quod quidem nemo assereret; non sunt igitur idem secundum rationem, sed distinguuntur. Notare autem in hoc exemplo manifestè possumus, Aristotelem declarare præcedentia verba iuxta The-

rà Themiſtij, & Simplicij lectionem, non iuxtà alteram Alexandri; nam ſecundùm Alexandri lectionem nihil dicitur de mobili quod ſit actu: ſecundùm alteram verò hoc clare exprimitur, cùm Ariſtoteles dicat [quando actu exiſtens agat, non quatenus ipſum] ideſt, non quatenus actu eſt, [ſed quatenus mobile] ideſt, quatenus poteſtate, quod ſtatim declarans Ariſtoteles dixit, ut non quatenus eſt æs, ſed quatenus eſt potentia ſtatua, & ita mobile ad formam ſtatuæ recipiendam; ſic igitur omnia manifeſtè conſonant, & res clara eſt.

Textus Decimus.

Manifeſtum eſt autem, & in contrarijs, poſſe enim valere, ac poſſe ægrotare alterum eſt, namque ægrotare quidem; & valere idem eſſet: ſubiectum autem & id, quod valet, atque ægrotat, ſiue humiditas, ſiue ſanguis, vnum, & idem eſt, quoniam autem non eſt idem (quemadmodum neque color idem, & viſibile) poßibilis, quatenus poßibile, actus, manifeſtum quod motus eſt.


HIC Ariſtoteles, ſumpto argumento à contrarijs confirmat id, quod proximè dixerat, actum eius, quod eſt æs, & potentiam æris ad formam ſtatuæ, non eſſe idem omninò, hoc eſt, ſecundùm rationem, licèt ſint idem ſubiecto; idquè etiam altero comprobat exemplo, indeque tandem colligit definitionem motus ritè traditam eſſe; quod inquit in prima parte tale eſt; ſumit argumentum à contrarijs potentijs eiuſdem ſubiecti, patet enim contraria inter ſe non poſſe idem eſſe ratione, at contra eſt potentia ad ſanitatem potentiæ ad ægritudinem, non ſunt ergo idem ratione; quod etiam confirmat Ariſtoteles argumento ſumpto ab actibus, quos illæ potentiæ reſpiciunt, ſanum enim eſſe & ægrotare non ſunt idem ratione, ergo nequè potentiæ ſunt idem quia vt ſe habent actus inter ſe, ità & potentiæ, cum potentiæ natura pendeat ab actu, quod quidem inquit Simplicius uetum eſſe ratione ſaltem contrarietatis, quia ſi contrarij inter ſe ſunt actus, neceſſe eſt, vt potentiæ quoque inter ſe ſint contrariæ, cum ex nullo alio fonte emanet conrrarietas potentiarum niſi ex contrarietate actuum, nec alia ratione dici queant contrariæ, niſi ob actuum contrarietatem; quare ſi quis aſſereret inquit Ariſtoteles idem eſſe potentiam ad ſanitatem, & potentiam ad ægritudinem; ſequeretur idem eſſe ſanitatem, & ægritudinem, quod quidem abſurdum eſt. Et illatio eſt a poſteriori, & ab effectu ad cauſam; ex eò igitur quòd valere, & ægrotare differant ratione, cum ſint actus contrarij, oſtendit Ariſtoteles potentias etiam differre ratione, & ſimiliter inter ſe habere contrarietatem; quo conſtituto ita argumentatur; ſubiectum huius vtriuſque potentiæ vnum & idem eſt, nempè, quòd aptum eſt & valere, & ægrotare, potentiæ verò differunt inter ſe, ergo aliud eſt ſubiectum, vt ſecundum ſe acto exiſtens, aliud eſt eius potentia ad aliquid aliud aſſequendum, vel agendum, quoniam ſi idem eſſet, contraria quoque ſibi inuicem idem eſſent, vt ſi idem

penitus esset esse hominem, & posse ægrotare: similiter & esse hominem, & posse valere: idem quoque inter se essent posse ægrotare, & posse valere, quia quæ sunt idem alicui tertio, ea quoque inter se idem sunt: hæc autem si sunt idem, oportet etiam actus esse idem, nempè valere, & ægrotare, quod quidem est manifestè falsum. Quoniam igitur differunt actus rei, & potentia eiusdem ad aliquid aliud, sicut actus æris, prout est æs, & potestas eiusdem ad formam statuæ recipiendam, recte dictum a nobis est motum esse actum rei [possibilis] idest, potentiam habentis, quatenus potentiam habet, non quatenus actu, licèt alia ratione etiam actu esse dicatur eadem res. Interponit autem Aristoteles aliud exemplum, quo hoc idem declaratur, cum inquit, [quemadmodum neque color idem ac visibile] nam licèt reciprocentur color & visibile, quia omnis color est visibilis, & omne visibile est color, tamen differunt ratione, color enim est natura quædam absoluta, & proprium actum habens, quæ visibilis dicitur ut relata ad aliud, nempe, ad uisum, proinde qui colorem dicit notat actum, quo color est color, qui uerò dicit uisibile dicit potentiam ad uisionem, quæ non sunt idem ratione, quod patet in eorum definitionibus. Sed in his recensendis notandus est Græcorum error, qui definitionem attulerunt, quam videtur Aristoteles ponere in contextu sexagesimo septimo secundi libri de Anima in cap. de visu, quæ talis est, color est motiuus diaphani, quod est secundum actum; attamen si ea est definitio coloris, competit ei vt uisibili, & relato ad uisionem; nam uidere est mouere, & esse visibile est esse motiuum, & oculus quoque mouetur à colore vt perspicuus; quare hoc esset contra consilium Aristotelis, qui significare hic vult colorem esse quid absolutum, & actum proprium habens, visibile verò notare potentiam ad aliud, At ipsi hoc pacto dicunt etiam colorem notare essentialiter formam, & respectum ad aliud, immò & idem ratione, quod visibile. Ideò Simplicius recte subiungit alteram coloris definitionem, quæ habetur in libro de sensu, & sensilibus, Color est extremitas perspicui terminati, quæ absoluta est, & notat actum, quo color est color. Ideo hanc fortasse adiecit Simplicius corrigendi gratia. Quod autem uisibilitas sit accidens coloris, quod illi inest per se in secundo modo dicendi per se, iam declarauimus in secundo libro de anima; nunc exempli gratia ab Aristotele tangitur, neque in eo est immorandum: quemadmodum etiam de subiecto sanitatis, & morbi nil in præsentia dicendum est, licèt Aristoteles dicat exempli gratia, [siue sit humor, siue sanguis.] Variæ namque de hoc sententiæ extiterunt, quas hic Simplicius recenset, cùm alij sanguinem dixerunt esse primum subiectum sanitatis & morbi, alij humorem uniuerse, alij etiam spiritum, alij partes solidas, alij alia, ut apud Simplicium legere possumus. Ad id enim, de quo nunc agimus, nullius est momenti hæc disceptatio, quicquid enim sanitatis primum subiectum esse statuatur, id aliud est secundum se sumptum, ut habens proprium actum, quo est, aliud eius potestas, qua dicitur posse ægrotare, & aliud alia potestas, qua dicitur posse valere. Definitionem autem motus Aristot. hic concludit, non ut aliam, neque vt elaboratiorem, sed vt eandem penitus, eam enim repetit colligens ex dictis eam esse rectè assignatam, rectè enim dictum est, quatenus est potestate, non autem quatenus est actu. Licet etiam actu sit illud idem, quod moueri dicitur.

Textus

Textus Vndecimus.

Quod igitur est hic, & quod accidit tunc moueri cum actus iste est, & neque prius, neque posterius clarum est, contingit enim unumquodque quandoque operari, quandoque autem non, ut ædificabile, quatenus ædificabile, & ædificabilis actus, quatenus est ædificabile ædificatio est. Aut enim huius ædificatio, aut domus actus est ædificabilis, sed cum domus sit non amplius ædificabile est; ædificatur autem ædificabile: necesse est ergo ædificationem actum esse, ædificatio autem motus quidam est. At uerò eadem conueniet ratio, & in alijs motibus.




EA quæ in hoc Textu dicuntur ad declarandam definitionem motus, sicut etiam omnia præcedentia, pertinere nulli dubium est, sed quomodo, & quid declaretur non liquet. Nam Latini dicunt Aristotelem hactenus declarasse separatim omnes partes definitionis, nunc verò declarare totam definitionem; attamen certū est Aristotelem totam definitionem declarasse, quare non apparet, quid noui hic declarare uelit. Græci mihi videntur magis ad Aristotelis mentem accessisse, sed tamen sub nube potius vidisse, quàm exactè declarasse consilium Aristotelis in hac particula. Exponam igitur quid dicendum putem, vt postea quisque legens ea, quæ a Græcis dicuntur, cognoscat eos hoc idem significare voluisse. Hactenus Aristoteles ea dubia soluit, quæ pertinebant ad oppositionem potentiæ, & actus, quæ in definitione motus posita inuicem pugnare videbantur, & docuit posse in eadem re esse potentiam, & actum diuersis rationibus, ita vt etiā mouens, cum moueat quatenus est actu, moueatur tamen quatenus est potestate, non quatenus est actu; Et omne mobile, licet debeat esse actu, tamen non ea ratione dicatur mobile, quatenus est actu, sed alia quatenus est potestate. Per hæc autem omnia nihil declaratum est, nisi quòd actus & potentia possunt in eodem reperiri, & ita sunt idem subiecto, sed differunt ratione, proinde motus, cum attribuatur rei, quæ simul est actu, & potestate varijs rationibus, attribuitur tamen illi, prout potentiam habet, non prout habet actum, sed quia præter actum ipsius mobilis, quo mobile dicitur actu esse, vt actu æs, actu lignum, ipse quoque motus uocatus est ab Aristotele essentialiter actus, isque diuersus ab illo actu, quo mobile est actu. Aliud maius dubium oritur, quomodo dare possit actus, qui constituat rem quatenus potestate existentem; hoc enim est dicere actum includere formaliter potentiam, & potentiam includere formaliter actum, quo fit vt potentia, & actus idem sint omni ratione, cum actus constituat rem potentia existentem, quatenus potentia existit; quamuis enim ille actus, quo æs est æs, differat ratione a potentia æris ad formam statuę, tamen alius actus æris, qui prędicatur de motu, non differt ratione ab hac potentia, cum potius eam constituat; hoc igitur inducit magnam difficultatem contra definitionem motus, quæ ob id non uidetur rectè fuisse assignata. Nam motum dari manifestum omnibus est, hæc autem definitio, si implicat contradictionem, non datur, sed impossibile est dari talem actū,

qui formaliter potentiam includat, sequitur hanc non posse dici definitionem motus, cum significet rem impossibilem, motus autem detur manifestè in rebus. Hoc igitur vult hic declarare Aristoteles, quia hoc maximè declarandum relinquebatur ad bene intelligendam definitionem motus, & hoc est, quod Greci sub nube tantum viderunt. Quòd hæc sit mens Aristotelis patet in primis verbis, cum enim dicat, [quod igitur est hic] proponit probandam existentiam, & non potest probare motum dari, quia hoc supponitur, quare probandum proponit quòd detur hic actus, qui fuit acceptus in definitione motus, videtur enim impossibilis, & series verborum hoc significat, vnde in calce præcedentis contextus concluserat motum esse actum possibilis quatenus est possibile. Nunc sequitur, [quod igitur detur actus talis, qui sit rei possibilis, vt possibilis,] dictio enim illa [hic] est αὕτη generis feminini, nec potest referri nisi ad illam dictionem ἐντελέχεια proximè nominatam; sed quia non satis erat hoc ostendere, quia hoc etiam ostensô negare aliquis poterat talem actum prædicare de motu, & esse eius definitionem, nec concedere quidem poterat talem actum dari, sed negare motum esse talem actum, ideò Aristoteles hoc quoque probare vult, & hoc proponit quando inquit, [& quod accidit tunc moueri cum actus iste est, & nequè prius, nequè posterius] & notandum est quòd nulla ratione probari potest aliquid alicui competere in quid, & esse illius definitionem, vt Aristoteles docet in secundo Posteriorum, & vt nos declarauimus tùm in Commentarijs nostris, tùm etiam in cap. Decimoquarto tertij libri nostri de Methodis, vbi diximus posse quidem prædicata essentialia probari de re, vt quæsita ignota, quarum prædicationem ignoramus; sed non posse probari quod prędicentur de re in quid, & sicut essentialia, quia hoc per seipsum elucescit postquàm nouimus, quòd de re prædicentur. Aristoteles igitur hic non probat hanc esse definitionem motus, sed probat dare in natura id, quod per talem definitionem significatur, & probat illam prædicari de motu. Hoc enim cognito in lucem prodit non posse aliam esse motus essentiam, ac definitionem quàm istam, hoc autem probat inductione sumpta ab illis omnibus, quæ mouentur, & quiescunt; ab illis enim, quæ semper mouentur, argumentari non poterat, sed ab illis tantùm, quæ quandoque mouentur, quandoque quiescunt, vt considerando quòd ante motum non habent actum talem, qui includat potentiam, neque etiam postquam desinunt moueri, infert quòd tunc solùm habent talem actum quando habent motum, vt inde pateat motum esse talem actum, proinde hanc esse definitionem motus intelligamus, motus est actus rei possibilis, quatenus possibilis est, sic enim simul ostenditur in his, quæ mouentur, talem actum dari, & tunc solùm quando mouentur, non antea, neque post; hoc Aristotelis artificium est, quod nemini fuit perfectè cognitum. Proponit igitur primò Aristoteles id, quod ostendere vult, deinde probationem aggreditur, quando inquit [contingit enim] & notandum est Aristotelem dicere, [accidit tunc moueri] deinde dicere, [contingit enim] quia consideranda sumit illa tantùm, quæ quandoque mouentur, quandoque quiescunt, ab his enim solis potest argumentum sumere, hæc autem contingenter moueri dicuntur, cum contingat etiam vt illa eadem non moueantur, ideò non est dubitandum de Cęlo, quod semper mouetur, quasi definitio motus non tradatur vt communis cælo. Et qui de hoc dubitant, mentem Aristotelis non assequuntur, qui non vult docere ad quænam extendatur definitio motus, sed cum eam absque dubio tradiderit communem omni motui tam æterno quàm nouo, hic tamen non ex omnibus motibus argumentum sumit, sed ex ijs tantùm, qui sunt noui, & competunt etiam rebus capacibus etiam quietis, vt inde colligatur natura mo-

ra motus vniuersè sumpti,& complectentis, tam motum nouum quàm æternum. Quod autem a nouis tantùm motibus argumentum sumat, ipse aperte testatur, cum dicat, [contingit enim vnumquodque quandoque quidem moueri quandoque autem non] hæc igitur sumens considerat quomodo se habeant ante motum, & in motu,& post motum,& singulis his temporibus accommodans actum hunc cum potentia coniunctum, ostendit neque existere ante motum, neque post motum, sed solum in motu. Sumit igitur exempli gratia ædificabile, vt ædificabile, est, & inquirit quis nam sit actus ipsius, quatenus ædificabile, vt pateat non esse alium quàm ipsammet ædificationem, & primùm quidem spernit Aristoteles ipsum considerare ante ædificationem, cum certum sit nullam tunc actum illi competere, nam est quidem actu aliquid, & non quatenus ædificabile, sed quatenus lapis vel lignum,nunc autem quęrimus actum ædificabilis non alia ratione quàm vt ædificabile est: habet autem meram potentiam ad ædificationem absque ullo actu, ergo tunc nullus est actus, qui illi competat vt est ædificabile. Restat igitur vt uel ipsa ædificatio sit actus eius quatenus est ædificabile, vel domus iam absoluta sit eiusmodi actus, at domus dici non potest, iam enim non est amplius ædificabile, & cessauit iam omnis potentia ad ædificationem, nos autem loquimur de actu ędificabilis quatenus est ędificabile, proinde de actu rei habentis potentiam, qui ei competit quatenus potentiam habet, restat igitur vt hic actus sit sola ædificatio. Quòd enim actus quidam sit negari non potest, prius enim quando non ædificabatur,erat in pura potentia, & accedente ædificatione transiuit ab illa potentia ad actum quendam,quoniam non potest seruare potentiam coniunctam, quia ædificatio est transitus ad perfectionem actum, qui ad huc non adest, & formaliter includit potentiam simul cum actu; atqui, (ait Aristoteles) nil aliud est ædificatio nisi motus quidam, vt omnibus considerantibus patet; datur ergo talis actus, qui est rei potestate existentis, ut potestate existentis, idest, qui non adimplet, nec destruit potentiam, sed potius constituit rem existentem potestate, vt existentem potestate, & quia patet hunc actum prędicari de motu,quia ędificatio est quidam motus, patet etiam hanc esse ipsammet essentiam motus, quia prædicata quidditatiua,quando cognoscuntur inesse,cognoscuntur etiam quidditatiua. Notemus autem in hoc contextu Aristotelem usum esse uoce ἐνέργεια,quæ proprie significat actionem,seu operationem,vt denotaret quòd ædificabile transit de potentia ad actum,quando ædificatur,postquàm nō ædificabatur. Est autem exitus in actum secundum respectu rei, qui tamen fungitur officio actus primi in constituendo illa eadem quatenus potentiam habente,& quatenus mobili. Verba autem illa postrema [At verò eadem conueniet ratio, & in alijs motibus] In aliquibus Codicibus Græcis non inueniebantur, sicuti etiam testatur Alexander referente Simplicio, attamen Græcis omnibus placuit ea legere, & ego existimo ea esse omnino legenda. non quòd consilium Aristotelis sit particulariter declarare species motus, sed ut à speciebus confusè cognitis, quas etiam superius tetigit, inductionem sumeret ad probandum quòd actus ille potentię admixtus non reperitur in rebus antequàm moueantur, neque postquàm desinunt moueri, sed solum dum mouentur, hoc enim patet inducenti in omnibus, vt inde colligamus actum hunc esse motum ipsum; sicuti enim patet ędificationem esse motum, ita de singulis alijs patebit cuilibet consideranti. Sic igitur patet dari actum, qui essentialiter potentiam includit, & patet hunc esse motum ipsum, proinde rectè fuisse explicatam naturam motus per definitionem prædictam.

Textus Duodecimus.

Quod autem bene dictum sit, manifestum, & ex ijs, quæ alij de ipso dicunt, & ex eo, quòd non facilè est definire aliter ipsum, neque enim motum atque mutationem ponere in alio genere poterit vtique aliquis, neque qui aliter dixerunt de ipso rectè faciunt. Manifestum est autem considerantibus quod ponunt nonnulli ipsum alterum, inæqualitatemque, & quod non est dicentes esse motum. Quorum nullum necessarium est moueri, siue altera sint, siue inæqualia, siue non existentia.



VULT Aristoteles in hac parte definitionem motus a se traditam confirmare per ea, quæ antiqui Philosophi de ipso dixerunt. Sed in hoc discordes sunt interpretes; quòd Alexander, & cæteri omnes præter Simplicium, dicunt Aristotelem velle hoc facere per declarationem erroris, ac defectus antiquorum, cum enim illi non bene expresserint naturam motus, magis apparet veritas sententiæ Arist. per eorum comparationem, quia uerum fit euidẽtius per eius collationem cum falso. At Simplicius, ut Platonem tueretur, cuius sententiam hic Arist. tangit, inquit Aristot. uelle Antiquorum opinionem considerare, non ut eam reprehendat, sed vt ex ea suam definitionem confirmet, quoniam antiqui licet obscurè & imperfectè, expressere tamen naturam motus, & illud idem quod Aristoteles sensit, significare voluerunt; Attamen certum est Aristotelem reprehendere hos antiquos, & aperte dicere eos errasse, nec bene declarasse motus naturam, quare sequendam prius puto communem aliorum opinionem. Nam ex ipsismet antiquorum sententijs nullam suæ opinionis confirmationem Aristoteles sumit, sed solum ex causa, quæ eos ad ita dicendum induxit; causam enim esse dicit ipsam motus naturam a se jam declaratam, quam tamen ipsi non bene expresserunt. Inquit igitur Aristoteles esse manifestum quòd motus fuit bene definitus, quoniam non est facile aliam afferre definitionem; hoc autem dicit modestiæ gratia; dicere enim debuit esse impossibile aliter motum definire, propterea quòd vnius rei vna est uera definitio, quæ essentiam declaret; siquidem vnius rei vna tantum est essentia, quod ipse Aristoteles sequentibus verbis significat dicens, quia non potest motus sub alio genere collocari nisi sub eo, sub quo a nobis est collocatus. Fuit autem sumptus actus, vt genus motus, vt Themistius ait, non tamen ut vniuocum, sed vt analogum, significat enim actum proportione communem omnibus prædicamentis, in quibus est motus, & actum quidem cum potestate commistum & imperfectum, vt mox dicturus est; ideo subiungit antiquos non rectè sensisse, qui aliud aliquid tanquam genus motus acceperunt. Quare manifestum est Aristotelem eos reprehendere, & ex eorum reprehensione sumere propriæ sententiæ confirmationem, quia dum inter se conferimus illa, quæ ab antiquis, & id, quod ab Aristotele tanquam genus motus adducitur, apparet nullum illorum, sed hoc solum esse ipsius genus. Deinde sententias antiquorum exponit, & inquit eos dixisse motum esse alietatem, & inæqualitatem, & non ens, quæ omnia Græci dicunt a Pythago-

ricis

ricis fuisse prolata, deinde etiam a Platone, qui ab illis hanc eandem sententiam recepisse, & approbasse uidetur. Simplicius tamen perpendens uerba ipsa Platonis varijs in locis, vbi hoc dixit, nititur eum trahere in Aristotelis opinionem: sed in hoc non est nobis immorandum, hanc enim prolixam considerationem potest quisquis apud Simplicium legere, sat est ipsam antiquorum sententiam, & apparentiam uerborum suorum, quam Aristoteles quoque respexit, considerare. Illi enim motum appellauerunt alietatem, quia per motum res fit alia, siue secundum substantiam, siue secundum accidentia; mutari enim hoc significat. Ob eandem rationem uocarunt etiam inæqualitatem, quia id, quod mouetur, non permanet in eodem statu, sed mutatur, & fit sibi dissimile, seu inæquale. Vocarunt etiam non ens, quia per motum res transit ad aliquem terminum acquirendum, quem non habet, est igitur non ens quatenus non est illud, ad quod tendit. Sed Aristoteles quando dicit [quorum nullum necessarium est moueri] errorem antiquorum ostendit. Cùm enim allata definitio cum definito reciprocatur, non ob id asseuerare possumus esse definitionem, quia adhuc non patet per eam exprimi essentiam definiti. Hoc igitur obijcit illis Aristoteles; nam si essentia motus in alietate consisteret, omne aliud moueretur, non est tamen necessarium, vt omne, quod est inæquale, moueatur; aliquid enim est aliud ab alio, & illi inæquale, quod tamen non mouetur; neque etiam omne non ens mouetur, nam hircoceruus est non ens, nec tamen ob id mouetur. Alexander verò, & Themistius præterea non considerarunt quòd si illi dicunt se non intelligere alietatem ipsam, & reliqua nominata, esse motum, sed transitum ad ipsa, nempè, transitum ad alietatem, seu inæqualitatem, seu a non ente, adhuc tamen reprehensione non carent, ille namque transitus nil aliud est quàm motus, motum ergo per motum declararunt, & definiuerunt, neque aliud dixerunt nisi motus est motus, quare essentiam motus non explicarunt. Sed ipse quoque Aristoteles hoc idem obijcit in sequenti contextu quando dicit.

Textus Tertiusdecimus.

Sed neque mutatio, aut ad hæc, aut ex his magis est, quàm ex oppositis. Causa autem cur in his ponant illi, est, quoniam indeterminatum quiddam uidetur esse motus, alteris autem coordinationis principia, ex eo, quia sunt priuatiua indeterminata sunt, neque enim hoc, neque tale, vllum ipsum est, quoniam neque aliorum quicquam prædicamentorum.




SVPPONENS enim eos dicere motum esse non illa, sed transitum, & mutationem ad illa, obijcit illis, quod ad opposita illorum potest fieri mutatio, quare non minus per opposita posset definiri motus; sicut enim potest res mutari in inæqualem, ita etiam in æqualem mutari potest: & sicut ab inæquali, ita etiam ab æquali. Cur ergo motus est potius inæqualitas, quàm æqualitas? Ita si quid est idem alicui, potest mutari in aliud, & diuersum, sed potest etiam ex diuerso mutari in idem, ita non minus ex ente in non ens, quàm ex non ente in ens, cur ergo potius alietatem, & non ens, quàm identitatem, & ens dixerunt esse motum? Ideò inquit

Auerroes Aristotelem significare eos definisse motum per accidentalia, non per essentialia, quo fit vt genus ipsius motus non tetigerint. [Causa autem cur in his] Postquàm Aristoteles reprehendit antiquos, hic tanquàm excusandi eos gratia considerat rationem, quæ eos induxit ad locandum sub ijs generibus motum, & rationem hanc sumit ab ipsa natura motus, quàm ipse eam declarauit; cognouerunt enim Pythagorei motum esse quiddam indeterminatum, & habens esse priuatiuum, propterea quod non est permanens, sed fluens ad aliquod consequendum, quod adhuc non adest, quoniam igitur duas statuerunt series, quę omnium principia essent, unam decem bonorum, quæ formam significarent, alteram decem malorum, quæ significarent priuationem, ideò in his decem priuatiuis numerarunt motũ; propterea quòd habet esse priuatiuum, & indeterminatum, proinde ipsum appellarunt alietatem, & inęqualitatem, & nòn ens, quæ omnia significant indeterminationem, & naturam priuatiuam, quæ conuenit illis omnibus decem malis, quę cum habeant esse priuatiuum sub nullo prædicamento locantur. neque enim sunt substantia, nec quantum, nec quale, nec vllum aliorum, quare Pythagorei inter hæc posuerunt motum; per hæc autem significatur priuationem non esse directè in prędicamento, sed solum per reductionem ad habitum, qui propriè est in prædicamento: non vult autem Aristoteles significare motum reuera esse priuationem, sed ex ore antiquorum loquitur, & rationem reddit, cur ipsum locauerint in serie priuationum, nempè, quia viderunt ipsam habere motum indeterminatum; quam indeterminationem Aristoteles quidem non negat, immò hoc solùm sumit ab antiquis ad veritatis comprobationem, non tamen accipit id, quod ipsi ex hac in determinatione intulerunt de essentia motus, & indicat eos non ignorasse rationem huius indeterminationis, quam ipse statim adducet in sequenti contextu, nempè, deductam ex definitione motus prædicta, & hoc quoque comprobat sententiam Aristotelis, cum ipse facillime reddat rationem indeterminationis naturæ motus concessæ ab antiquis, sed ipsis, vt videtur, non satis cognitam.

Textus Quartus Decimus.

Cur autem videatur indeterminatus esse motus, causa est, quod neque in potentiam eorum, quæ sunt; neque in actum, licet ponere ipsum simpliciter, neque enim id, quod potest esse quantum mouetur ex necessitate, neque id, quod actu quantum est.




AFFERT ipse Aristoteles rationem indeterminationis motus, quæ atiquos induxit ad ipsum ponendum in serie priuatiuorum, cùm priuatio sit quiddam indeterminatum, & in nullo certo genere collocetur, significare autem modò videtur non fuisse antiquis cognitam hanc rationem; licèt indeterminationem cognouerint, nam ex propria de motu sententia rationem hanc Aristoteles adducit; rationem igitur inquit esse propterea quòd motus neque sub potentia locari potest, neque sub actu, quoniam igitur entia omnia diuiduntur per potentiam & actum non uidetur motus esse in numero entium, cum neque sit potentia, neque actus, rectè autem dicit Aristoteles [licet ipsum ponere simpliciter]

pliciter,] idest, absolutè, & omnino. Nam postea dicet esse quid medium inter potentiam, & actum, neque igitur est omnino potẽtia, neque omninò actus. Quod autem neutrum horum sit declarat exemplo; Id enim, quod potest assequi maiorem quantitatem, non necessario ad illam mouetur, sed habere potest potentiam ad illam, nec tamen augeri: Id uerò quod est iam actu tantæ quantitatis non mouetur ad illam, neque igitur poni potest sub potentia, neque sub actu: Ideò est indeterminatæ naturæ, quod Pythagoreos mouit ad eum ponendum in serie priuationum, quæ in nullo determinato genere ponuntur.

Textus Quintusdecimus.

Et motus actus quidem aliquis esse uidetur, imperfectum tamen; causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile, cuius est actus, motus. Et ob hoc iam difficile est accipere, quid ipsum sit, aut enim in priuationem necesse est ponere, aut in potentiam, aut in actum simplicem, horum autem nullum videtur esse posse: relinquitur igitur dictus modus, actum quidem quemdam esse, talem autem actum qualem diximus, difficilem quidem cognitu, sed qui esse possit.



PTIME locum hunc cum præcedentibus connectit Auerroes dicens, cum Aristoteles causam ex posuerit, quæ mouit antiquos, vt motum sub priuatione ponerent, nempe quia est quoddam indeterminatum, nunc declarat eorum errorem, & causam erroris; deinde uerò in secunda parte contextus ad eos quodammodo excusandos considerabit difficultatem cognoscendi essentiam motus. Inquit igitur in prima motum non esse reuera priuationem, vt illi putarunt, sed actum quendam, vt iam dictum est, imperfectum tamen, propterea quòd est actus rei possibilis quatenus est possibilis; possibile autem dicit imperfectionem, quia potentia denotat defectum actus, quoniam igitur est talis actus, qui essentialiter potentiam includit est actus imperfectus, & hæc eius imperfectio fuit causa erroris antiquorum. Cum enim id, quod est imperfectum, sit propinquum priuationi, ipsi ad priuationem reduxerunt motum, cum potius ad actum sit reducendus. Ratio est, quoniam conuenit quamlibet rem nominare a positiuo non a priuatiuo, id enim quod est, est per illud positiui, quod habet, non per priuatiuum, est ergo motus appellandus potius actus, quàm priuatio. [Et ob hoc iam difficile est] sumit ex dictis rationem difficultatis in cognoscenda natura motus, ita vt excusationem aliquam antiqui mereri videantur, si eam penetrare non potuerunt: rationem autem difficultatis esse inquit, quoniam motus est medium quoddam inter actum & potentiam, atque priuationem. Omnis enim potentia habet annexam priuationem, ob id non potest reduci nisi ad aliquod istorum, nullum tamen uidetur illi posse accommodari: non est enim priuatio, cum habeat aliquod esse positiuum: non est etiam potentia, cũ habeat aliquid actus, vt considerari potest, quod licet sit nominandum ab actu potius quem habet, quam a potentia; sed neque actus dici potest, quia priuationem, & potentiam habet coniunctam: rectè autem dicit Aristo-

Aristoteles [actum simplicem] idest, actum purum sine potentia, hoc enim manifestum est, quia cum motus habeat actum imperfectum, & potentiæ commistum, non potest dici actus purus, nullum igitur est ex dictis purum, & simplex, sed medium quoddam, quod præcipuè ab actu nominandum est, sed est actus imperfectus. Ideò concludens Aristoteles inquit, [relinquitur igitur dictus modus.] Restat vt dicamus motum non esse actum purum, & perfectum, sed imperfectum, qualem esse diximus, & cum quidem cognitu difficilem propter naturam fluxilem ipsius motus, & propter hanc commistionem potentię cum actu, talem tamen, qui dari possit, & reuera detur in rebus non enim difficultatem facit quòd aliqua res sit simul potestate & actu varijs rationibus, & qua ratione est actus ea ratione non sit potestate, hoc enim frequentissimè in rebus videbimus, sed quòd detur actus, qui essentialiter quatenus est actus, notet potētiam, & constituat rem possibilem, quatenus possibilis est, non quatenus est actu, hoc est intellectu difficile, verum tamen est, quia possibilis est talis actus in rebus, & datur, vt iam in contextu vndecimo ostensum est, quem locum innuit Aristoteles dum inquit, [sed qui esse possit] quod quidem nostram eius loci interpretationem confirmat.

Textus Sextusdecimus.

Mouetur autem, & mouens, sicut dictum est, omne cum sit potentia mobile, & cuius immobilitas quies est. Cui enim motus inest, huic immobilitas quies est, nam ad hoc agere quatenus huiusmodi idipsum mouere est, hoc autem facit tactu, quare simul, & patitur. Iccircò motus est actus mobilis, quatenus mobile existit.



CVM hic Aristoteles ad aliud quoddam transire uideatur & nouum sumat exordium, vt Themistius ait, nullum esse alium eius scopum arbitror quàm quem Auerroes dicit, & quem Grçci omnes significare uidentur, nempè aliam adducere definitionem motus, seu potius definitionem iam allatam mutare in aliam manifestiorem. Quoniam igitur in initio huius textus repetit id, quod in octauo contextu dixerat, omne mouens physicum in mouendo moueri, idquè magis declarat, necesse est hoc pertinere ad afferendam postea hanc secundam definitionem motus, & illius gratia adduci. Pertinet autem hoc modo, cum enim afferenda sit hęc definitio, motus est actus mobilis, quatenus est mobile, vidit Aristoteles dubitare aliquem potuisse, an sit actus mobilis, aut mouentis, cum non solum in mobili, sed etiam in mouente inesse motus uideatur, ut igitur pateat motum esse actum mobilis, Aristoteles docet omne mouens physicum moueri, & repati, quod etiam dixit in octauo contextu, vt per hoc cognoscamus quòd si mouenti inest motus, inest rei quatenus est mobile, non quatenus est mouens, quia actus mouentis non est moueri, sed est mouere, nempè quatenus est mouens, ideò hunc quoque fructum hęc consideratio nobis præstabit, quòd ex ea intelligemus quomodo se habeat ratio mouens ad motum, est enim non quidem subiectum, quatenus est mouens, sed causa, & origo, quod confert ad perfectam motus definitionem colligendam, in qua sumendum est, & mobile tanquàm subiectum, & mouens tanquam causa ipsius motus. Alia etiam ratione hoc conferet ad sequentia, vt

tia, vt dixit Alexander referente Simplicio, quoniam in sequentibus solututus est Aristoteles illam quæstionem, an motus sit in mouente, an in mobili, ideò voluit prius declarare quomodo se habeat mouēs ad ipsum motum, & docere quòd se habet vt principium non vt subiectum, nisi sumatur quatenus etiam ipsum est mobile, sic enim est etiam subiectum motus, has igitur ob causas, & ob afferendam perfectam definitionem motus Aristoteles hic docet mouens moueri, sed quia non omne mouens eiusmodi est ut a patiente, repatiatur, sicut etiam in Textu octauo dictum est, sed solum mouens corporeum, ideò Aristoteles contrahit mouens per illa verba [quod est potentia mobile] sic enim uertenda sunt illa Græca verba τὸ δυνάμει ὂν κινητὸν vt sit differentia contrahens, non enim omne mouens mouetur, ut in contextu octauo dictum est, sed id, quod sit potentia mobile, quod idem Aristoteles alijs verbis significat, quando subiungit [Et cuius immobilitas quies est] quies enim est priuatio motus, nec dicitur quiescere nisi id, quod possit moueri; datur igitur mouens prorsus immobile, quod nec moueri, nec quiescere aptum est, proinde eius immobilitas nō est quies, sed vera immobilitas. De hoc igitur non loquitur hic Aristoteles, sed de illo, quod sit mobile, idest, cuius non moueri sit quiescere, hic enim dictio ἀκινησία non significat immobilitatem, quæ est negatio potentiæ ad actum, sed solum negationem motus actualis; motor igitur, qui quando non mouetur actu quiescere dicitur, est motor mobilis, qui quando mouet, mouetur. Ipse autem Aristoteles hoc declarat dicens, [cui enim motus inest huic immobilitas quies est] idest, id, quod est capax motus, quando non mouetur, quiescit; sic enim declarat quietem esse priuationem motus cum potentia ad eum. Et quia hæc omnia dixit Aristoteles ad significandum quòd licèt idem reipsa sit mouens & mobile: differunt tamen ratione, quia alia ratione est mouens, alia mobile, quo fit vt nō moueatur ea ratione qua est mouens, sed quatenus est mobile, & ideò motus sit actus non quidem mouentis, sed mobilis, ob id statim hoc declarat, quando dicit, [nam ad hoc agere, quatenus huiusmodi idipsum mouere est] significat enim actum mouentis quatenus est mouens, non omne moueri, sed mouere, nam cum dixisset id, quod motus est capax, quando non mouetur, quiescere, nunc subiungit, quòd agere in hoc, quatenus tale est, idest, quatenus capax motus, & quiescens est τὸ κινεῖν ipsum mouere, & ita actus mouentis est agere in mobile, quod dicitur mouere, at quoniam [hoc facit tactu] non enim ageret, nisi tangeret, [ideò simul, & patitur] idest, accidit mouenti vt simul dum mouet moueatur, & repatiatur, propterea quòd agit per contactum, proinde necesse est vt repatiatur, & ita accidit ei vt moueatur, dum mouet, quia non ratione suæ actionis patitur, sed ratione contactus, cum enim illud idem mouens sit cum mobili, & potentia tale, quale est patiens actu, fieri non potest quin in contactu patientis repatiatur ab illo. Omnium enim, quæ conueniunt in materia, necessaria est conditio, vt quando potentia tale tangit actu tale patiatur ab ipso, accidit ergo mouenti vt moueatur sed est accidens necessarium, quia est necessarium vt tangat si agere debeat, ex contactu autem fit necessario vt repatiatur, quoniam igitur ea ratione mouetur quatenus est mobile, non quatenus est mouens, hinc colligit Aristoteles nouam definitionem motus, quando dicit [iccircò motus est actus mobilis quatenus mobile est] in qua definitione considerandum est, & quomodo differat ab altera priore, & cur ab Aristotele adducta sit. Sententia fuit Alexandri à Simplicio relata, & approbata quòd prior definitio motus nimis ampla fuerit, ideoque Aristoteles voluerit eam coarctare per hanc secundam, illa enim fuit communior motu, hæc verò æqualis, & cum motu reciprocatur; cum enim illa tradita sit per ens in potentia: in quolibet autem prædicamento locum habet

P poten-

potentia, & transitus de potentia ad actum, illa fuit communis omnibus prædicamentis, non tamen in omnibus habet locum motus. Quod autem illa sit communis mutationi, quæ fit in omnibus prædicamentis, patet exemplo sumpto in relatiuis, moueor enim ad locum, quo columna fit mihi dextra, fit ergo mutatio tum mei ad acquirendam hanc relationem, quo dicor sinister, tum columnæ ad acquirendum hanc relationem ad me, quod est facta mihi dextra, quamuis enim in altero tantum uideatur facta mutatio, est tamen facta in vtroque, quia eadem est vtriusque potentia, & idem transitus de potentia ad actum, quo ego sinister factus sum, & columna dextra, illa igitur mutatio est actus rei possibilis, quatenus est possibilis, nec tamen est motus, quia ad relationem non est motus. Quamobrem uidens Aristoteles illam definitionem latius patere, quàm motum, adiecit hanc secundam strictiorem, in qua mutauit nomen possibile in nomen mobile, dicens motum esse actum mobilem, quatenus est mobile, hæc enim non competit amplius alijs prædicamentis præter quatuor illa prędicta, quia mobile non significat nisi illud, quod ueri motus est capax. Contra hanc sententiam Themistius inuehitur, nec iniuria, quia nullo pacto est admittenda, & doctissime considerat priorem definitionem non competere mutationi factæ in relatiuis, sed soli uno motui facto in quatuor prædicamentis, & facto in tempore, cum continuitate, vel successione, mutatio enim ad relationem fit subitò, & sine tempore, quatenus non potest uocari actus rei possibilis, quia actus ille totus simul acquiritur, nec vllam potentiam seruat, quare non potest uocari actus rei potentia existentis, quatenus potentia existit, sed potius actus rei actu existentis, quatenus actu existit, omninò igitur necesse est successionem fieri, si debeat vocari actus eius, quod est potentia, ita ut pars actus sit acquisita, & res pergat transire ad aliam partem acquirendam, sic enim mutatio illa est actus rei potentia existentis, quatenus potentia existit. Est etiam Aristotelis manifeste sententia hæc, qui tradita priore illa definitione motus statim ostendit eam competere omnibus speciebus motus. Deinde verò in contextu vndecimò ostendit etiam eam reciprocari, & omnem talem actum esse motum, vult ergo eam esse æqualem motui, neque reprehensione vacaret Aristoteles, si definitionem attulisset, quæ latius pateret quàm definitum, nulli itaque mutationi subitæ conuenit illa definitio, quia nulla talis mutatio est actus seruans potentiam. Et rectè contra Alexandrum Themistius ait non oportere illam definitionem reprehendere vt nimis amplam, nisi prius ostenderet in mutatione ad relationem, & ad reliqua prædicamenta esse actum imperfectum, quod tamen ostendi non potest, quia talis mutatio non est nisi perfectus actus, quare ei non conuenit definitio illa motus. Vult igitur Themistius Aristotelem mutasse illam definitionem in hanc secundam, non quia illa sit communior, sed quia videtur esse communior, proinde obscurior est, hæc verò manifestior, nomen enim potentiæ, & possibilis conuenit omnibus prædicamentis, non sic nomen, mobile, quod solis quatuor prædicamentis competit. Et hoc uidetur etiam fassus esse Alexander referente Simplicio, qui alternatiua vtens dixit, Aristotelem mutasse nomen possibilis in nomen mobilis, & illam definitionem in hanc, vel quia manifestius est nomen, mobile, quàm nomen possibile, vel quia communius, & competens omnibus prędicamentis, proinde restringendum per hanc posteriorem definitionem. Quamuis enim magis videatur Alexander adhæsisse huic posteriori membro, tamen alterum non negauit, immò ex vi locutionis eius illud accipi potest omisso secundo, cur autem notius sit mobile quàm possibile, seu ens potestate, ratio est, ut ait Auerroes, à quo posteà Latini acceperunt, quia ens, & potentia sunt uoces


tran-

transcendentes, quæ licèt hic sumantur contrariæ ad res naturales, sunt tamen secundum se termini Metaphysici, at mobile terminus naturalis est, quoniam autem Philosophus naturalis considerat res cum sensili materia, a qua Metaphysicus abstrahit, ideò mobile notat materiam sensilem, ens autem est quid a materia abstractum per indifferentiam, ideò significat potius formam. Quoniam igitur forma vt forma non est sensilis, materia autem naturalis sensilis est, nempè ipsum mobile quod est corpus naturale compositum, ob id hæc definitio, vt inquit Auerroes, est tradita per materiam, nempè, per materiam naturalem, per ipsum corpus mobile: altera uerò prior fuit tradita per formam, & per terminos formales & transcendentes, proinde hæc est notior, quia mobile est magis sensibile quam ens potestate. Aristoteles igitur vt clarius, & naturalius loqueretur, mutare voluit possibile in mobile, cùm tamen vtroque modo eadem essentia motus significetur, & eadem definitio. Sed cur Aristoteles non adduxit hanc posteriorem solam dimissa illa? ratio affertur optima ab Auerroe, quoniam prior definitio magis declarat essentiam motus, licet posterior manifestior sit, nam Aristoteles in contextu centesimo septuagesimo octauo Primi Posteriorum docet tres ob caussas aliquam scientiam esse alia scientia exquisitiorem, quarum secunda est quòd illa, quæ est sine materia exquisitior est, quoniam materia, ut ibi Auerroes notat, causa est incertitudinis, & ignorantiæ, quod quidem ibi in meis Commentarijs declaratum legi potest, ob hanc igitur rationem prior definitio cum sit magis formalis declarat exquisitius essentiam motus, quàm hæc posterior, nam mobile illud est, quod ex materia, & forma constat & ex potestate, & actu, quare ad plura distrahi animus noster potest in referendo actu ad mobile. In priori autem definitione exprimitur potentia, & ens potentia, cuius actus propriè est motus, quatenus est ens potentia, ideò ea definitione intellecta exquisitius intelligetur essentia motus: per secundam autem fit notior, quia secunda sensilior est propter materiam: Rectè igitur fecit Aristoteles, vtramque definitionem adducens, vt per vnam exactius essentiam motus exprimeret, per alteram verò eam redderet euidentiorem: Ideò notat S. Thomas priorem esse quodammodo causam secundæ, nam ideò motus est actus mobilis, quia mobile significat potentiam habens, motus autem est actus eius, quod est potestate, non est autem propriè causa, per quam hęc definitio posset demonstrari, sed est solùm ratio formalis, quia ipsi mobili competit hic actus, qui dicitur motus, competit enim mobili, quatenus significat potentiam ad acquirendam perfectionem, ideò diximus priorem definitionem traditam esse per formam, hoc est, per rationem formalem secundæ, cum secunda materiam sensilem concernat. Dubitant Græci contra hanc definitionem, quia declarari videtur motus per æquè ignotum, mobile enim, & motus sunt æquè ignota: Respondet Alexander referente Simplicio motum, & mobile esse relatiua, proinde necessarium fuisse vnum per alterum declarare: hac eadem responsione vsus est etiam Themistius, sed cognouit eam esse infirmam, quia hæc non sunt relatiua nisi secundum dici, qua ratione omne accidens relationem habet ad suum subiectum, quantitas enim est alicuius quantitas, nec ob id sunt definienda omnia talia relatiua vnum per alterum, sed de solis relatiuis secundum esse verum est id, quod Alexander dicit. Ideò Themistius alia quoque utitur responsione, & negat motum, & mobile esse æquè ignota, cum enim in præsentia non quęramus an motus sit, sed quid sit, idque sit nobis ignotum, declaratur per mobile, quod est notius motu; immò etiam ratione existentiæ notius est mobile quàm motus, vt ait Aristoteles Quarto Physicorum centesimo quarto. Mobile namque habet esse demonstratum, motus verò minimè, sed est fluens, proinde per mo-

bile cognoscimus motum. Considerandum præterea est quòd motus est accidens proprium corporis naturalis, ideò definiendum omnino per subiectum, quare videtur hæc vna responsio ad dubium illud posse sufficere, necessarium fuit definire motum per mobile, quia propriæ affectiones subiecti sumere necessario debent subiectum in suis definitionibus, quod habet locum differentiæ contrahentis, & hac ratione notius est; sicut enim dicentes, Ecclipsim esse priuationem luminis, non intelligemus Ecclipsim, nisi exprimamus in quo corpore sit illa priuatio luminis; ita dicendo motum esse actum quendam non intelligemus naturam motus, sed addendum fuit cuiusnam sit actus; addendum igitur fuit, mobilis, ideò cum per hoc declaretur natura motus, quæ sine hoc non intelligeretur, dicendum est definiri motum per mobile, tanquàm per notius; est enim notius ratione quidditatis motus ignotæ, quam declarat, vt Themistius considerabat. Et præterea est etiam notius quo ad existentiam, quia motum dari cognoscimus per mobile, vt diximus ex Aristotele in cõtextu centesimoquarto Quarti Physicorum.

Textus Decimus Septimus.

Accidit autem hoc tactu motiui, quare simul & patitur. Formam autem semper afferet aliquam id, quod mouet, aut hanc, aut talem, aut tantam quæ principium, atque causa motus erit cum moueatur, vt actu homo facit ex eo, quod potentia existit homo, hominem.



LLATA definitione motus hic Aristoteles subiungit quomodo se habet mouens ad motum, idque facit duas ob causas, vt ego arbitror, vna est vt distinguat motorem a mobili, & ita rationem reddat cur mobilis actum non mouentis dixerit esse ipsum motũ, & hanc sumit ex proxime dictis, altera verò est vt mouenti quoque aliquem det aditum ad definitionem motus. Reuera enim sumendum est etiam mouens in ea definitione, si perfecta esse deberet, quia in definitione accidentis sumere oportet non solum subiectũ, sed etiam causam: nunc igitur declarare vult quomodo mouẽs ad motũ se habeat, seu potius quoddã dictum proferre, à quo sumat occasionem magis declarãdi quomodo ad motũ se habeat ipsum mouens, quod quidẽ faciet in sequentibus, & perfectam tradet definitionẽ motus, per mobile, & per motorem. Nunc autem docet hanc motoris conditionem, quod quatenus est mouens, debet esse actu, quia omne agens agit propter formam, quã habet, quæ est conditio cõtraria conditioni mobilis, mobile enim quatenus est mobile, dicit potentiam, quoniam igitur motus est actus eius, quod est potestate, non eius, quod est actu, sequitur quod sit actus non motoris, sed mobilis; quare etiam si videatur esse actus etiam motoris, quia etiam motor mouetur, non est tamen eius actus, nisi quatenus idem est etiam mobile, sicut antea dixit Arist. & nunc etiam repetit, dum dicit [accidit autem hoc tactu motiui, quare simul, & patitur] dixerat enim motum esse actum mobilis, quatenus est mobile, nunc subdit hoc non fieri sine motiuo tangente, mobile enim non patitur nisi agente aliquo p contactũ, ex eo autem contactu fit vt etiam motiuum vicissim patiatur, vt antea diximus, vt per hoc habeamus, quòd motiuum pertinet ad motum, vt eius causa, non ut subiectũ, nisi per accidens, hoc est non quatenus est motiuum, sed potius quatenus est mobile,

bile, mobile enim est subiectum motus, & id cuius actus est motus, patet igitur in definitione motus sumendum esse mobile vt subiectum, & motorem vt causam, vt Aristoteles ipse in sequentibus docebit. Ad ostendendum autem quòd motor non mouetur ut motor; statim declarat conditionem motoris contrariam conditioni mobilis, cum enim mobile quatenus est mobile sit ens potestate, mouens quatenus est mouens, est ens actu, nam (inquit Aristoteles) semper mouens habet aliquam formam, quæ est principium mouendi, & causa motus effectiua, & quia hic consideratur motor in communi ad omnes species motus, ideò Aristoteles nominat plura prædicamenta, in quibus potest esse motus, vt intelligamus significari formam ex aliquo horum prædicamentorum. Nominat autem substantiam, & quantitatem, & qualitatem, substantiam uocat [hanc] idest, hoc aliquid, & statim in sola mutatione substantiali exemplum adducit dicens, vt in hominis generatione agens est actu homo, & habet actu formam substantialem hominis, quæ est principium motus, quia per eam generat alium hominem, qui prius erat potestate solum. Hæc est sententia verborum Aristotelis, in quibus tamen magnæ difficultates existunt: primo dubitatur de illo verbo [afferet] quod Græce est οἴσεται potest enim significare inferet, & sic denotaretur non forma agentis, sed forma altera similis ab agente producta in patiente, & sic sensus erit, agens semper inferet patienti aliquam formam, siue substantialem, siue de genere quanti, &c. quem sensum aliqui acceperunt: potest etiam significare formam producentem, nempè, illam, quæ in mouente est, à qua illud est motiuum, sic Græci intellexerunt, & sic reuera est intelligendum, quamuis enim illi verbo οἴσεται vterque sensus accommodari possit, cum Aristoteles se ipsum statim declarans dicit [quæ principium & causa motus erit,] ergo non potest intelligere formam productam in patiente, quia est potius effectus, quàm causa, sed intelligit illam, quæ est in agente, ita vt dicere, feret, sit dicere, habebit. Sed alijs maioribus difficultatibus locus hic vrgetur, nam Aristoteles hoc dicens, significat omne agens, esse vniuocum, & conueniens in specie cum te genita, cum dicat formam agentis vel esse substantiam, qua generat aliam similem in specie; uel qualitatem, qua generat similem aliam qualitatem, vel quantitatem, qua producit quantitatem; attamen in contextu trigesimo primo septimi Metaphysicorum apertè dicit, non omne quod fit, fieri ab vniuoco, quod etiam est per se manifestum, vermis enim non generatur à uerme per formam vermis, sed à cælo ex materia putri, ergo non est verum id, quod hic Aristoteles dicit, idest, agens habere formam similem, qua aliam similem generat; immò etiam in accidentibus videtur esse falsum, calor enim producitur quandoque à motu, non à calore, motus autem non est qualitas. Præterea dubitatur de quantitate, nam Quarto Physicorum octuagesimo quarto habemus quòd quantitas non est actiua, ergo falsum est, quod Aristoteles dicit de mouente, quòd habet formam de prædicamento quantitatis, qua aliam similem producit in patiente mobili. Tandem dubitatur de mouente secundum locum, quamuis enim hic Aristoteles illud non exprimat, tamen dicit vniuersaliter de omni mouente intelligere, præsertim cum localis motus sit præcipuus, & præcipuè respiciatur ab Aristotele in tota hac parte, attamen non est verum quod mouens aliquam rem naturaliter ad locum habeat actu illammet formam, idest, illum locum, anima enim mouet animal ad locum, in quo ipsa non est, immò in nullo loco per se est anima. Ad hæc dubia cum multi multa dicant, ego optimam esse puto responsionem Simplicij, qui tertium solum dubium proponens, talem affert eius solutionem, qua omnia soluuntur. Inquit Simplicius Aristotelem non dicere ean-

dem formam in agente semper esse, quam in patiente producunt, hoc enim esset dicere omne agens esse vniuocum, quod minime uerum est, sed dicere agens debere esse actu, & habere aliquam formam, seu eandem, quam producit in mobili, seu aliam, omnino enim necessarium est vt agens sit actu, & quatenus actu eatenus agat; per hoc igitur omnia dubia soluuntur. Ad primum enim iam patet responsio, nil enim aliud dicit Aristoteles nisi quòd agens debet habere formam, quæ sit de genere substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, quod quidem nemo negare potest, at non ob id dicit omne agens esse vniuocum, nam etiam agens virtuale est eiusmodi, vt formam aliquam habeat, per quam sit actu; & si non eiusdem speciei cum illa, quam in patiente producit. Ad secundum de quantitate respondent aliqui actiones omnes esse suppositorum, ideo licet quantitas non producat quantitatem, quia non est actiua, tamen suppositum quantum, cui actio tribuitur, est id, quod omne quantum producit, homo enim quantus generat hominem quantum. Sed hęc responsio probanda non est, nam cum Aristoteles nominet hęc omnia prædicamenta, credendum est tamen respicere species motus antenominatas, quæ in his prædicamentis fiunt, ergo nominatione quantitatis significare vult nomen augmentationis, qualis non est ille, quem isti adducunt; Homo enim quantus generat hominem quantum sine motu augmentationis, sed per generationem cum præuia alteratione. Mutat enim semen in hominem per mutationem formæ substantialis, & nullam addit materiam, qua res, quæ prius erat reddatur maior, sed eidem materiæ formam mutat, immò nec quantitatem generat, cum quantitas sit æterna, sed solum quantitati materię dat nouos terminos consequentes nouam formam. In motu autem augmentationis agens mutat alimentum quantum in substantiam rei quantæ alendæ, & ita addendo quantum quanto reddit quantitatem maiorem, sed nunquam educit de materia quantitatem, quæ prius non fuerit; iam enim diximus quantitatem esse ingenitam, & incorruptibilem. Præterea horum solutio non tollit difficultatem, nam dicendo actiones esse suppositorum, & agens quantum producere rem quantam, significat illud agere vt quantum, & ita quantitatem esse rationem agendi; quod tamen verum non est, quare dubium adhuc uigeret, quia recepta hac solutione manifestum est nullum alium esse posse sensum verborum Aristotelis, nisi per agens quantum, quatenus est quantum producit in mobili quantitatem, quod significat quantitatem esse actiuam. Ego igitur dico utendum esse solutione Simplicij. Aristoteles enim non dicit quòd agens habens formam de genere quantitatis, agat quantitatem, sed absolutè considerans agens, & eius conditiones, inquit, omne agens, seu mouens tale præsertim, quod separatur a mobili, nempè, corporeum, habet aliquam formam, qua agit, & quia tria tantum sunt prædicamenta absoluta, quæ proprię formam significant, quia reliqua significant respectum ad aliud; vnde motum ad formam solent distinguere Latini a motu ad vbi. Ideo tria hæc prædicamenta nominat tanquam propriè significata nomine formæ, & indistinctè profert aliquam huiusmodi formam debere in agente esse, locutio autem alteratiua non requirit ut omnia membra separatim veritatem habeant, sed sat est si aliquid tantum ex ijs uerum sit, non enim necessarium est ad tuendum Aristotelis dictum vt aliquando agens habeat formam de genere quantitatis, per quam agat, hoc enim non vult Aristoteles in præsentia discutere, sed satis habet indistinctè pronuntiare quòd omne agens habet formam aliquam ex uno horum trium prædicamentorum, quæ est illi ratio agendi, etiam si quandoque non sit eiusdem speciei cum ea, quæ producitur in patiente, quare tueri possumus nunquam quantitate messe rationem agendi, hoc tamen Aristotelis dictum non labefactari. Similiter

militer patet responsio ad postremum de loco, quam expressè apud Simplicium legimus, mouens enim secundum locum non habet ipsum actum, quem producit, nempe, locum, ad quem mouet, sed habet tamen actum aliquem, & formam, per quam mouet, nisi enim habet formam, non moueret aliud loco: forma autem illa, vel est de genere substantiæ, uel de genere qualitatis, ut anima mouet animal, forma autem elementi, vel eius grauitas, aut leuitas mouet illud elementum, proinde ipsum elementum est mouens se per formam suam substantialem, vel de genere qualitatis, quæ est qualitas motiua. Hinc ratio colligitur, cur Aristoteles non nominauerit hic prædicamentum vbi, licet in eo quoque sit motus, ratio enim non est, quia uelit subintelligi formam quoque de prędicamento vbi, ut multi putant, sed est, quia in eo prędicamento non dicitur propriè forma, quia illud notat respectum ad aliud, forma autem qua mouens fit actu, & dicitur mouens quocunque genere motus, etiam secundum locum, debet esse de genere substantiæ, uel de genere qualitatis, vel de genere quantitatis, non quòd horum quodlibet vnum esse possit, sed quia indistinctè hoc probat Aristoteles, quia non vult de hac re disputare, reuera autem forma, quæ est ratio agendi mouenti, est semper uel de genere substantiæ, uel de genere qualitatis, etiam in motu locali.



IACOBI

IACOBI ZABARELLAE PATAVINI.

In Octauum Aristotelis Physicorum Librum,

COMMENTARII.



LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

Textus Primus.

Vtrum autem factus est aliquando motus, cum non esset prius, & corrumpitur rursus, adeò vt moueatur nihil; an neque factus est, neque corrumpitur, sed semper erat, & semper erit, & hoc immortale, & sine quiete ijs inest, quæ sunt, veluti vita quædam, quæ inest natura subsistentibus omnibus? Esse igitur motum omnes affirmant, de natura aliquid dicentes, propterea quod mundum faciunt, & de generatione, & corruptione est contemplatio omnibus ipsis, quàm impoßibile est esse, nisi sit motus. Sed quotquot infinitos mundos, & esse dicunt, & quosdam quidem fieri quosdam autem corrumpi mundos, semper dicunt esse motum. Necessarium enim est generationes, et corruptiones ipsorum esse cum motu. Quicunque autem vnum, aut non esse semper, etiam de motu supponunt secundum rationem.



AGGRESSVRI Octauum Physicæ auscultationis Librum duo ante omnia cognoscere debemus; Vnum est quid in septẽ præcedentibus libris egerit Aristoteles, ut huius octaui cum illis connexio habeatur; Alterum uerò, quodnam sit Aristotelis consilium in hoc Octauo Libro. Videretur quidem etiam de ipsius diuisione dicendum, sed quia in singulis huius libri partibus obscurissimum est quid agat Aristoteles, ideò ne in præsentia, uel intempestiuam disputationem instituamus, uel ea, quæ in controuersia sunt posita, ac disputatione indigent, sine probatione supponamus, huiusce libri diuisionem ad opportuniorem locum remittemus, dabitur enim nobis occasio post noni contextus declarationem dicendi de libri partitione, sed adhuc clarius, & fusius de eadem dicemus in initio contextus vigesimiprimi.

Quòd igitur ad primum attinet, possemus quidem de alijs præcedentibus septẽ libris

libris plura dicere, in quibus multum temporis esset nobis intempestiue conterendum; sed nos, vt occasio postulare videtur, dimissis superuacaneis, quæ nihil ad huius Octaui libri intelligentiam conferre videntur, dimissa etiam omni de ijs libris disputatione, simplicem veritatis enarrationem faciemus de ijs, quæ in septem illis libris ab Aristotele tractata fuere, vt ad propositum nobis octauum librum quàm primum nos conferamus; Ante omnia statuendum nobis est subiectum in tota scientia naturali esse corpus naturam habens, siue naturale, vt perfectè cognoscendum, perfectè autem cognoscetur, si cognouerimus tùm ipsum communissimum genus, tùm omnes eius species usque ad infimas, quæ dicuntur specialissimę, sic enim acceptum corpus naturale cum omnibus sub se contentis speciebus est subiectum adæquatum totius naturalis philosophiæ. Quoniam autem ordine doctrinæ communiora anteponenda alijs sunt, ideo primus liber totius scientiæ huius debuit habere subiectum ipsummet corpus naturale communissimum genus vt abstractum à speciebus suppositis. Hoc igitur est subiectum adęquatum in his octo libris Physicis, corpus naturale communissimum genus seiunctum adhuc à consideratione specierum. Subiecto autem cuiusque scientiæ, vel libri constituto, oritur statim duplex authoris consilium; siue intentio in eo libro, vt fusè ostendimus in libro nostro logico de præcognitis, nempè principia, & accidentia illius subiecti contemplati, ideò necesse fuit de corpore naturali vniuersè sumpto duplex esse Aristotelis consilium in libris Physicis, vnum declarandi eius principia ipsi scilicet æqualia, & communia, alterum demonstrandi eius accidentia illi similiter æqualia, & communia, vt æqualia semper inter se hæc tria sint, subiectum, principia, & passiones. Huic duplici intentioni Aristotelis in his libris consentanea est diuisio horum librorum in duas partes, cuius Græci interpretes mentionem fecerunt, dixerunt enim aliquos horum librorum esse de principijs, aliquos verò de motu, in eo autem discordes fuerunt, quòd Porphyrius, & Ioannes Grammaticus, quatuor priores dixerunt esse de principijs & quatuor posteriores de motu. Simplicius verò, & Adrastus quinque priores de principijs, tres verò posteriores de motu. His autem temporibus videtur esse communis omnium sententia, quod duo tantum priores sint de principijs, sex verò posteriores de motu, quam ego quoque, ut veram, & satis per se manifestam semper secutus sum, eamque in præsentia sine disputatione supponam cum iam Græcorum opinio ita sit explosa, vt in ea confutanda non sit tempus consumendum. Illud tamen est animaduertendum, vt cum dicimus duos priores libros esse de principijs, sex verò reliquos de motu, non de solo motu in ijs libris agi putemus, sed nominatione motus tanquã accidẽtis naturalis principalissimi alia quoque accidentia corporis naturalis comprehendamus, quæ in his libris tractantur ab Aristotele, & in initio tertij libri proponuntur, sunt autem infinitum, locus, tempus, vacuum, continuum, cùm enim motus maximè omnium habeat connexionem cum natura, & maximus etiam sermo de ipso in his sex libris habeatur, potuerunt expositores, immò & Aristoteles ipse alijs in locis hos omnes sex libros appellare de motu, nominationem hanc sumentes a parte, & maiori, & principali. Considerandum igitur breuiter est quomodo duo priores libri sint de principijs, & reliqui sex de affectionibus corporis naturalis, fusius enim de hac re disserui in libro, quem iam composui de fabrica scientiæ naturalis, quem propemodum cum alijs operibus naturalibus editurus sum. De primo libro quomodo sit de principijs corporis naturalis iam manifestum est, nec vlla eget declaratione; secundus autem ipse quoque dicendus est de principijs nam præcipua eius pars, quæ est tractatio de natura, de ijsdem principijs est, sed alio modo consideratis, docet enim in secundo libro Aristoteles naturam

turam esse quidem præcipuè, & propriè formam, sed aliquo etiam modo, & secundario etiam materiam dici naturam, immò, & priuationem modo quodam dici posse naturam. Illa igitur eadem tria principia, quæ in primo libro respectu corporis naturalis considerata sunt, qua ratione eius principia, & causæ, & maximè propriè etiam elementa appellantur; eadem (inquam) in secundo libro considerantur respectu accidentium naturalium nempe motus, & quietis, qua ratione subeunt appellationem naturæ. Tractatio autem de natura fuit in hac scientia omninò necessaria, & maximè principalis, est enim in initio cuiusque scientiæ prænoscendum de subiecto quid sit, definitur igitur natura ab Aristotele, vt subiectum scientiæ naturalis, idest, vt pars præcipua, & ratio formalis subiecti, nomine enim naturæ intellecto statim intelligimus quid sit corpus habens naturam, ideò ipse quoque Aristoteles in eo secũdo libro statim post allatam definitionem naturæ, colligit ex ea expresse in contextu quarto definitionem corporis naturalis tanquam subiecti uniuersæ naturalis Philosophiæ. Hinc colligimus non spernendam esse Diui Thomæ sententiam, qui dicit agi in primo libro de principijs corporis naturalis, hoc est, de principijs essendi, in secundo autem de principijs scientiæ naturalis, idest, de principijs cognitionis, nam inter principia cognitionis in vnaquaque scientia principem locum tenet definitio proprij subiecti, præsertim uerò definitio nominalis, qualis est ea naturæ definitio, vt ait Auerroes secundo Posteriorum quadragesimoquarto, & vt alio in loco oportunius ostendemus. Sunt etiam cognitionis principia omnia reliqua, quæ in secundo illo libro tractantur, nempè distinctio scientię naturalis a Mathematicis, distinctio generum causarum, & illa consideratio, quænam causarum genera sint cognoscenda a philosopho naturali, hæc enim omnia præmittenda erant, ut principia cognitionis totius naturalis Philosophiæ, vt fusius, ac diligentius ego declaraturus sum in memorato libro de fabrica scientiæ naturalis.

Tractationem de principijs sequitur tractatio de communibus accidentibus corporis naturalis, quæ incipit ab initio tertij libri, vbi Aristoteles manifestissimè proponit agendum, de motu, de continuo, de infinito, de loco, de vacuo, ac tempore. Rationem enim claram adducit huius propositæ tractationis, quoniam sunt communia accidẽtia corporis naturalis, quorum consideratio ad hos libros absq; dubio pertinebat. Nos igitur huius tractationis seriem prius ordinatim referamus, postea uerò ordinis, qui in his seruatur ab Aristotele, rationem afferamus.

In tertio libro agit Aristoteles de motu, & magno cum verborũ apparatu inuestigat eius definitionem, vt ibi videre est, deinde in tertio libro agit longo sermone de infinito, & ostendit quomodo detur in rebus naturalibus infinitum, & quomodo non detur, datur enim potestate in infinitum, vt patet in diuisione continui, actu verò infinitum non datur. In quarto libro agit de loco, deinde de uacuo, postmodum de tempore, & magna cum diligentia docet quid sit locus, & quid tempus. In quinto libro reuertitur ad considerationem, quæ in tertio libro non fuerat absoluta, & diuidit motum in species, separat generationem a motu; considerat in motibus oppositiones, tum motus cum motu, tum motus cum quiete; docet etiam varias motuum differentias, vt quis sit vnus, quis non vnus, quis dicatur continuus, & quis non continuus; qua sumpta occasionem docet horum omnium nominum significationes, quid sit continuum, quid sit contiguum, quid sit consequenter, quid sit simul. Postea in sexto libro agit de continuo. Cum enim & corpus ipsum mobile, & motus, & etiam tempus sit cõtinuum, Arist. in eo libro multa Theoremata tractat pertinentia ad hæc omnia quatenus continua sunt. Demum in septimo libro, vt omnes consentiunt, nil aliud facit Aristoteles, nisi

quòd

quòd quædam docet, quæ pertinent ad melius intelligenda illa, quæ in hoc octauo dicenda sunt, ideò septimus ille est quædam præparatio ad octauum, nam maior pars Theorematum, quæ tractantur in septimo, tractantur etiam in Octauo, vt quòd quicquid mouetur ab alio mouetur, & quòd in mouentibus non est processus in infinitum, sed datur status in aliquo primo mouente, ideò Eudemus in horum librorum interpretatione dimisit septimum vt superuacaneum, sed Simplicius, & Alexander animaduerterunt, quòd licèt eadem Theoremata in vtroque libro demonstrentur, tamen non sunt utrobique eędem demonstrationes, si quidem in septimo sunt leuiores, & faciliores; in octauo autem ualidiores, sublimiores, & magis essentiales. Putarunt igitur Aristotelem de rebus altissimis, & difficillimis in hoc Octauo libro scripturum voluisse prius easdem in septimo leuiter adumbrare, & rationibus facilioribus planiorem nobis uiam reddere ad intelligentiam profundiorum. Hoc idem de hoc septimo libro sensit Auerroes, vt patet legentibus primum eius commentarium inhunc octauum librum, cius enim uerba non referam. Restat vt eorum, quæ diximus de ordine ab Aristotele seruato, in prædictis accidentibus naturalibus, rationem afferamus, plura enim dubia aduersus ordinem illum occurrunt, quæ illum oppugnare videntur; hæc tamen omnia ego non referam, etenim cum omnium eadem sit solutio, unicum considerare satis erit, quod tale est, uidetur male fecisse Aristoteles, qui non uno & continuato sermone omnia, quæ de motu dici poterant, absoluit, saltem de motu absolutè accepto, sed aliqua de motu dixit in principio Tertij libri, & aliqua in quinto libro, cur ergo tractationem de motu absolutè accepto interrupit tractationibus interpositis de infinito, de loco, de uacuo, de tempore? Nec soluitur dubium dicendo, quòd infinitum, & locus, & tempus, affinitatem habent cum definitione motus, ideoque statim tractanda fuere post declaratam in tertio libro motus definitionẽ, hoc enim nullius momenti est: primum quidem, quia dicendum potius uidetur, quòd hæc habent affinitatem cum motu quàm cum ipsa motus definitione, immò si definitionem loci quarto libro traditam spectemus, nulla prorsus in ea apparet affinitas cum definitione motus, neque cum motu ipso, dicere enim locum esse superficiem extremam corporis continentis non est affinitatem aliquam notare cũ definitione motus, immò neque respectum ullum ad motum. Præterea ut admittamus hanc, quam dicunt affinitatem, per hanc non stat quin Aristoteles prius debuerit totum de motu sermonem absoluere, deinde singillatim de his alijs accidentibus agere, quæ cum ipsa natura motus affinitatem habere dicuntur. Alia igitur huius ordinis ratio afferenda est, ea quæ (ut mihi uidetur) aliunde sumi non potest, nisi ab ipsa ordinis natura, quam ego in primo libro meo de Methodis declaraui, ea enim in hoc consistit quòd ea quæ ad aliorum cognitionem uel necessarium, uel utile est cognoscere, tractanda prius sunt, alia uerò posterius; Aristoteles igitur rectè fecit, qui primo loco de motu ea tractauit, quæ sine aliorum accidentium notitia intelligi poterant; alia verò de eodem motu tractanda ad quintum librum remisit, quorum declaratio supponebat cognita inter alia accidentia infinitum, locum, & tempus, quod quidem paucis verbis declaro. In quinto libro diuiditur mutatio in quatuor species, quarum tres sunt propriè motus, nempè latio, alteratio, augmentatio, quarta uerò non est motus, nempe generatio, & corruptio, non ea tamen est Aristotelis intentio, ut hæ species distinctæ in his libris cognoscantur, is enim non est proprius locus, sed id fit in primo libro de generatione, vbi perfectè agitur de generatione, de alteratione, & de augmentatione, sed in quinto Physicorum de his breuiter agitur, & confusè, non propter ipsarum specierum cognitionem, sed ob maiorem cognitionem generis nempè motus, nam ualde imperfe-

perfecta est generis cognitio, quando quot species habeat ignoramus. De his igitur noluit Aristoteles ibi pauca dicere ad maiorem cognitionem ipsius motus generis, cuius consideratio horum librorum propria est. Illa tamen species, quæ dicitur motus localis, dum communiter accipitur, non pertinet ad alium locum, quàm ad libros Physicos, siquidem omnibus corporibus naturalibus communis est motus localis, ea quæ inter species motus est maximè præcipua, & de ea prædicatur nomen motus per prius; itaque si motum localem respiciamus, ad quem præcipuè respiciunt omnia, quæ de motu dicuntur in his libris, non poterat de ipso sermo haberi, nisi prius esset cognitus locus, qui ad ipsum habet rationem causæ finalis, vel saltem melius, ac facilius cognoscitur motus localis ex habita prius cognitione loci, quæ traditur in quarto libro, quocirca conueniens fuit prius agere de loco in quarto libro, & posteà de speciebus motus in quinto. Cum tractatione autem de loco debuit esse coniuncta tractatio de vacuo, vt manifestum est: similiter tractatio de tempore debuit præcedere tractationem, quæ in quinto libro habetur, patet enim eum librum legentibus fieri sæpè temporis mentionem, præsertim verò in declaratione vnitatis motus, quoniam igitur cognitio eorum, quæ in quinto libro dicuntur de speciebus, ac de differentijs motus, nihil conferebant ad melius cognoscendum locum, vel tempus, contra uerò cognitio loci, vel temporis non parum conferebat ad ea, quæ in quinto libro dicuntur, intelligenda, statuit Aristoteles illam de motu tractationem reijcere ad quintum librũ, & prius in quarto de loco, & de tempore agere. De infinito autem omninò necessarium fuit prius agere quàm de loco, & de tempore, quia si daretur corpus actu infinitum, tolleretur omninò locus, & motus localis, & tempus, quod dicitur numerus ipsius motus, prius ergo oportuit ostendere non dari corpus mole infinitum actu, quia hoc non ostenso, vanum omninò erat de loco, ac de tempore loqui, hac igitur ratione voluit prius Aristoteles in tertio libro agere de infinito. In sexto autem libro cur agatur de continuo, ratio in promptu est, cum enim continuum sit vnum ex accidentibus corporis naturalis, quæ in initio tertij libri ab Aristotele proposita fuerant, oportuit aliquem locum in his libris esse, in quo de continuo ageretur; in eo igitur libro sexto declarat Aristoteles naturam continui, & probat omne naturale corpus, quod ibi mobile uocat, esse continuum, & diuiduum in semper diuidua: Et multa Theoremata tractat pertinentia ad naturale corpus, quatenus continuum est, & quia simul cum corporis continuitate considerat etiam ibi Aristoteles temporis, & motus cõtinuitatem, præsupponit illa tractatio tractationem de motu factam in tertio, & in quinto, & tractationem de tempore factam in quarto, & declarationem nominis continui, quæ habetur in quinto libro, qua etiam ut connexione quinti cum sexto utitur Aristoteles in principio sexti libri, repetens definitionem continui, & contigui in quinto libro traditas, & inde occasionem sumens tractationis de continuo, quæ habetur in toto illo sexto libro. Sunt autem notanda verba Aristotelis in vltimo contextu illius sexti libri, in quibus apparet manifesta connexio illius sexti libri cum octauo, ibi enim dicit Aristoteles esse considerandum posterius an detur vnus continuus motus infinitus, & æternus, quod quidem tractandum est in hoc octauo, nam per hoc significat Aristoteles id, quod de septimo libro iam diximus, nempè eum esse quandam præparationem ad octauum, ita ut habendus sit tanquàm pars quædam octaui, sic enim clara erit connexio sexti cum septimo, quia cum octauus sit de æterno motu, etiam septimus intelligitur esse de æterno motu, quatenus ea, quæ ibi dicuntur diriguntur ad tractationem de æterno motu.

Hæc de septem præcedentibus libris dicta sufficiant, ad octauum accedamus, & quid

& quidnam in eo sit Aristotelis consilium, consideremus, sed in primis annotandum est quòd cùm aliud sit de subiecto propriè sumpto loqui, aliud sit loqui de intentione, seu consilio Authoris, ut fusè declarauimus in libris de præcognitis, si quidem subiectum est id, quod supponitur tanquàm notum, intentio uerò refertur ad ea, quæ in eo ignorantur, & quæruntur. Hic ego non rectè a quibusdam factum esse arbitror, qui quæstionem proponunt de subiecto proprio huius octaui libri, & propriè accepto, cùm enim concedunt agi de æterno motu in hoc libro, dicunt subiectum esse non æternum motum, sed corpus naturale æterno motu mobile. Quam sententiam ego quidem non probo, nam in eum primò errorem incidunt, quòd rationem formalem subiecti sumunt a passione, quod faciendum non est, sic enim dicendum etiam esset in tertio Libro subiectum fuisse corpus naturale vt mobile, in quarto corpus naturale, ut locabile, & sic de reliquis. Præterea si per hoc intelligant ipsummet naturale corpus, quod in his octo libris subiectum est, non dicunt proprium octaui libri subiectum, vt se dicere profitentur; si verò speciem aliquam corporis naturalis, vt porè cælum, non rectè sentiunt quia in his octo libris nón est aliud subiectum statuendum, quàm corpus naturale in communi, nec debet in his libris tractari de aliqua specie, si quidem de speciebus tractatio primùm incipit a libris de cœlo. Præterea subiectum in principio scientiæ debet esse præcognitum, de hac tamen specie, quæ sit corpus æterno motu mobile, Aristoteles hic nihil dicturus est, nec tale corpus nominaturus: sed res hæc clarior fiet in disputatione, quam in primo contextu facturi sumus, de quonam motu sit quæstio Aristotelis, ibi enim ostendemus nullum alium considerari in hoc libro subiectum æterni motus nisi corpus naturale ita confusè, & indistinctè sumptum, quod in his omnibus octo libris subiectum est, cum quodam tamen discrimine, quòd ibi a nobis considerabitur. Non est igitur in hoc octauo libro subiectum quærendum distinctum a subiecto aliorum septem, sed quærenda est intentio Aristotelis tantum, cum hi omnes octo libri idem habeant subiectum, & diuersis tantùm intentionibus distinguantur, idque ipsi quoque; aliorum enim librorum solas diuersas Aristotelis intentiones considerarunt, dicentes in hoc agi de motu, in illo de loco, de tempore, & ita de alijs, de subiectis tamen nihil dixerunt, cùm tamen non omne fortasse naturale corpus habeat locum, neque a quolibet oriatur natura temporis.

Rectius igitur faciemus, si communi subiecto constituto omnium octo librorum corpore naturali quæramus solum de intentione Aristotelis in hoc octauo, quæ alia esse non potest, quàm inquirendi aliquam passionem, uel aliquod principium corporis naturalis, sed quia iam diximus sex omnes posteriores libros esse de motu, hoc est, de passionibus corporis naturalis, & cum ipse Aristoteles in ipso huius libri initio dicat se acturum esse de æternitate motus, & inuestigaturum, an detur in rebus naturalibus aliquis æternus motus, res clara videtur, est enim reuera intentio Aristotelis agere de æterno motu, tanquàm de passione corporis naturalis. Et connexio quoque huius libri cum alijs manifesta est, cum enim egisset prius absolutè de motu, deinde etiam de motu quatenus est continuus, agendum etiam erat de eodem quatenus est æternus, si tum detur reuera in naturali corpore æternus motus; & hæc consideratio debuit esse postrema: Supponit enim iam declarata esse omnia, de quibus actum est in alijs libris, præcipuè uerò naturam ipsam motus, & naturam temporis, & continuitatem, & alia multa, de quibus egit Aristoteles in præcedentibus libris. Hæc igitur rei veritas est, sed difficultatem facere videtur tractatio de primo motore, quæ in hoc libro habetur, cùm enim primus motor æter-

nus sit quid nobilius æterno motu, magis habere uidetur rationem finis, quàm motus æternus, idquè uidetur Auerroem mouisse ad dicendum intentionem Aristotelis esse agere de æterno motore, non de motu æterno, & de hoc agi propter primum motorem, vt ex æterno motu primus motor inuenietur. Hanc Auerrois sententiam alias omnes Philosophi sequebantur, ego enim decimoseptimo ab hinc anno cum hunc eundem librum publice interpretarer: inueni omnium Philosophorum mei temporis esse hanc opinionem, quod primaria intentio Aristotelis in hoc libro esset agere de æterno motore, unum tamen excipio Reuerendum Thomam Peregrinum Metaphysice Professorem virum rectè excellentissimum, quem certè ego plurimi feci, qui cognouit hunc communem errorem, & eum refutauit, sed sententiam penitus contrariam defendens quòd de motore æterno agere debet solus Metaphysicus: Philosophus autem naturalis de eo loquitur obiter, & omnino per accidens. Ego verò eo anno hanc alterationem uidens nixus sum diffusè aduersus vtramque sententiam disputare, & ostendere falsam esse vtramque, mediam uerò sententiam ueram esse, quòd primaria intentio Aristotelis sit hæc sola agere de ęterno motu, de æterno autem motore non per accidens hic agatur, neque per se primario, sed per se secundariò, & propter cognitionem perfectam æterni motus, cum enim passio causam habens non possit sciri nisi per suam causam demonstretur, non potuit sciri motus æternus nisi per motorem æternum, qui est eius propria, & æquata causa. Sed quia euenit posteà, ut omnes Philosophi, qui etiam Auerrois sententiam sequebantur, & in veram sententiam uenientes fassi sint, & nunc etiam fateantur de motore æterno agi propter ęternum motum; non est quòd amplius in hac disputatione tempus conteramus. Sed magnum quidem operę pretium faciemus, si totius ueritatis rationem, & radicem nobis exposuerimus, ex qua facile nobis erit dubia omnia, & omnia demum illarum sectarum argumenta soluere. Ratio enim ducta ex natura rei, hęc omnia pręstare solet, totius igitur veritatis ratio consistit in cognoscendo discrimine tractationis de primo motore in octauo Physicorum, & in duodecimo Metaphysicorum, hoc enim a multis non bene intellectum esse uideo, nam multos audiui dicentes discrimen consistere in diuersitate attributorum, alia namque cognoscere ad Metaphysicum pertinet, alia uero ad Philosophum naturalem, quòd enim sit prima forma, & actus purus, & abstractus a materia, & intelligens, & mouens vt finis, hæc & alia eiusmodi cognoscere de substantijs illis ad solum Metaphysicum pertinet, quia nullum habent respectum ad motum. At cognoscere quod sint motores æterni, & immobiles pertinet ad Philosophum naturalem, quoniam hæc attributa respiciunt motum. Hæc tamen sententia probanda non est, & eius falsitatem ipsa ueritatis cognitio declarabit. Solent etiam multi dicere Metaphysicum considerare substantias abstractas secundum quid est, Naturalem uerò solam rationem existentiæ, sed hoc est tangere differentiam secundariam, & prætermittere primariam, ut mox ostendemus ex ipsa ueritatis declaratione. Ego quidem puto nullum aliud discrimen adducendum esse, nisi id, quod colligitur ex Auerroe in ultimo Commentario Primi Libri Physicorum, nam si quæ alia sunt discrimina, ea hoc primarium consequuntur. Auerroes in memorato loco disputans contra Auicennam ostendit, quòd demonstrare existentiam substantiarum separatarum non pertinet ad Metaphysicum, sed ad Philosophum naturalem, & utitur tali ratione, Substantiæ abstractæ in Metaphysica habent locum

subiecti,

subiecti, ergo non possunt demonstrari in Metaphysica. Patet consequentia, quia nulla scientia potest demonstrare existentiam sui subiecti. Ex hoc colligimus, quòd cum secundum Auerroem substantiæ abstractæ demonstrentur in scientia naturali, non possunt in ea habere locum subiecti, hoc enim dato ratio Auerrois contra ipsummet uigeret, igitur differentia, quam significat Auerroes, hæc est quòd substantiæ considerantur à Metaphysico ut subiectum, à naturali autem non ut subiectum, sed ut principia, scilicet, passionis naturalis æterni motus. Hæc est sufficientissima distinctio duarum scientiarum, qua utitur Aristoteles in secundo Physicorum in distinguenda scientia naturali à Mathematicis, cùm enim hæc tantùm tria in qualibet scientia considerentur, subiectum, principia, & passiones, satis habet Aristoteles ibi dicere, quòd eædem quantitates Mathematicæ in eis scientijs considerantur ut abstractæ à corpore naturale, proinde ut habentes locum subiecti; in scientia verò naturali, ut inhærentes naturali corpori, proinde ut passiones naturales: hæc ergo est semper idonea distinctio duarum scientiarum in consideratione eiusdem rei, quod ibi ut subiectum, hic ut passio, seu ibi vt subiectum, hic verò ut principium. Hoc idem colligo ex Aristotele in contextu septuagesimoprimo, & septuagesimotertiò secundi libri Physicorum, ibi dicit Aristoteles, quod quæcunque mouent, & mouentur, sunt Physicæ considerationis, quæcunque autem mouent, & non mouentur, non sunt Physicæ considerationis: cuius dicti hanc rationem subiungit, quia non habent in se principium motus, sed immobilia sunt. Communis expositio eius loci est, quòd Aristoteles probet substantias abstractas non esse Physicæ considerationis secundum quidditatem, sed non propterea prohibeat quin possint considerari a Physico secundum existentiam solam. Hæc tamen communis expositio aliena est ab Aristotele, quod ostendo per ipsa Aristotelis verba in eo loco, cur enim motor non consideretur à Physico Aristoteles utitur ea ratione, quoniam non habet in se principium motus, attamen manifestum est per hoc non ostendi, quod non possit considerari a Physico secundum quidditatem: nam similiter argumentarer, motus & locus non habent in se principium motus, ergo non possunt secundum quidditatem considerari à Physico, antecedens uerum est, at consequentia falsa, cum consequentis falsitas sit manifesta, si quidem accidentia naturalia considerantur etiam secundum quidditatem à Physico, tamen non habent in se principium motus, cum hoc sit proprium corporum naturalium. Dicendum igitur est medium illud nil aliud ostendere nisi motorem immobilem non considerari à Physico vt subiectum physicum, sic enim ratio in omnibus ualida est, motus, & locus non habent in se principium motus, ergo non considerantur à Physico, ut subiectum physicum, Hoc enim notissimum est, cum non ut subiectum, sed ut passiones considerentur. Digna autem consideratione sunt uerba Aristotelis in principio illius contextus septuagesimitertij, quæ sunt hæc, [duplicia sunt principia mouentia physicè, quorum alterum non est physicum quia non habet in se principium motus, sed immobile est] negat Aristoteles mouens immobile esse ut subiectum physicum, ut eadem adducta ratio declarat, quia non habet in se principium motus, tamen ibidem fatetur esse physicum ut physicum principium, nam dicit duo esse principia mouentia physicè, omne enim mouens, quatenus mouens, est physicum, quia omne habens respectum ad motum, quatenus tale, physicæ est considerationis.

Ex hac primaria differentia facile est considerare quomodo altera differentia deducatur, quæ ab alijs vt primaria adducebatur, nam considerare primum mo-

torem ut subiectum, notat necessitatem cognoscendi quidditatem eius, quælibet enim scientia debet cognoscere naturã, & essentiam sui subiecti, presertim Metaphysica, quæ suprema est, nec habet supra se aliam scientiam, quæ id præstare possit. Naturalis uerò cum non consideret primum motorem, vt subiectum, sed solum vt principium, non debet nec potest eius quidditatem cognoscere, si quidem eius quidditas est absoluta, ipse autem non considerat ipsum nisi in respectu ad effectum, remanet igitur, vt non possit ipsum cognoscere nisi ratione suæ existentiæ.

Tertia uerò differentia, quæ ab alijs afferebatur ex diuersitate attributorum, est omninò falsa, & reijcienda, nam si consideremus quid nam sit considerare primum motorem, vt subiectum, manifestè significat esse ibi consideranda omnia eius attributa nullo pretermisso, ad perfectam enim cognitionem subiecti cuiuscunque in qualibet scientia requiritur, vt omnia attributa per se nullo excepto cognoscantur, vno enim ignorato scientia illa manca, atque imperfecta foret, omnia igitur attributa substantiarum separatarum sunt Metaphysica, etiam hoc, quòd sint æterni motores, ut etiam patet hoc fuisse ab Aristotele consideratum in duodecimo Metaphysicorum. Absolutè igitur omnia attributa sunt Metaphysica, nullum est naturale, tamen quia naturalis considerat æternum motorem, ut causam eterni motus, necesse habuit sumere, & tangere cum moderatione aliqua attributa pertinentia ad cognoscendum causam æterni motus, nempè, illud, quod sit penitus immobilis, & a materia abiunctus, sic enim fit ut non laboret propter materiam, & sic possit mouere perpetuò. Hanc conditionem Philosophus naturalis, non ad habendam aliquam cognitionem Dei secundum se, sed ad habendam perfectam cognitionem æterni motus per suam causam, quia non cognita illa conditione non poterat cognoscere, cur sit aptus perpetuò mouere, adeò ut si alijs attributis indiguisset Physicus ad cognoscendum æterni motus causam, ea quoque leuiter tetigisset, ut attributa motoris æterni, non vt attributa talis entis, in his ergo attributis nulla est alia differentia quàm hæc, omnia sunt secundum se Metaphysica, & necessaria ad perfectam cognitionem substantiarum separatarum, aliqua tamen horum vt attributa æterni motoris communicantur cum philosopho naturali, non omnia, qua de re etiam aliqua diximus in libro nostro de præcognitis, capitulo sexto.

Ex his colligo veram esse hanc propositionem, Metaphysicus cognoscit entia abstracta esse motores æternos, hoc enim est cognoscere proprium attributum de subiecto proprio. Hæc autem est falsa, Metaphysicus cognoscit Deum, seu entia abstracta, ut motores æternos, sic enim attribuitur Metaphysico consideratio illa respectiua quatenus sunt causæ æterni motus, quæ est propria Philosophi naturalis, dicendum igitur est, Metaphysicus considerat Deum esse æternum motorem, non tamen considerat Deum ut motorem. Naturalis verò considerat Deum ut motorem: & hæc fuit sententia Aristotelis secundo Physicorum septuagesimo tertio, quando dixit motorem immobilem, quatenus est principium motus, esse physicum motorem, idest, principium physicum.

Summa igitur totius ueritatis hæc est, intentio Aristotelis est agere de æterno motu, & ostendere dari in corpore naturali unum æternum motum continuum, & quia passio non bene cognoscitur, nisi per suam causam demonstretur, causa autem est æternus motor immobilis, ideò agitur de motore immobili non propter se, ut ipse absolutè acceptus cognoscatur, sed propter æternum motum perfectè cognoscendum; tractatio igitur de eterno motu tota nominanda est, quia de causa agere, quatenus est causa, est de effectu agere. Possumus

igitur

igitur æternum motorem, & ſecundariò, & etiam primario hic conſiderare: vt enim ſumitur vt quodam dinſtinctum ab æterno motu, ſic ſecundario conſideratur, quia in gratiam æterni motus; ſed quatenus eius cognitio includitur in cognitione perfecta æterni motus, & tota de æterno motu tractatio cum omnibus, quæ ad eius complementum requiruntur, primaria dicenda eſt, eatenus & æterni motoris conſideratio primaria dici poteſt, nimirum vt æterni motus conſideratio, non vt æterni motoris diſtincti ab ipſo motu. Hæc fuit ſententia Alexandri à Simplicio relata, & approbata in initio huius libri, & in contextu vigeſimoprimo, qui veram eſſe dixit intentionem Ariſtotelis in hoc libro, nempè, oſtendere demonſtratiue quòd in rebus naturalibus detur æternus motus per ſuam cauſam, quæ eſt motor æternus immobilis. Hoc modo clara eſt connexio huius libri cum alijs ſeptem. Eſt enim libris de motu connumerandus, ſed ei poſtremus locus debebatur, quia prius oportuit agere abſolutè de motu, poſteà de eodem vt æterno, videbimuſque in hoc libro manifeſte quòd huius libri tractatio præſupponit omnia, quæ tractata fuerunt in præcedentibus libris, ſupponit enim & cognitionem motus, & ſpecierum motus, & temporis, & continui, vt in progreſſu videbimus ipſummet Ariſtotelem teſtari. Aliam quoque rationem cur hic liber debuerit eſſe poſtremus, afferemus ſub libri initium, quando diſputabimus de quo motu, & de qua æternitate quæſtio Ariſtotelis intelligenda ſit. Reſtat ut id, quod ratione cognoſcimus, teſtimonio quoque Ariſtotelis comprobemus, & quædam apud eum loca expendamus, quæ ad duas contrarias ſententias confirmandas afferre ſolebant, vt videamus per ea non confirmari niſi hanc opinionem, quam declarauimus. In primis verbis primi libri Meteorum dicit Ariſtoteles ſe in libris Phyſicis ægiſſe de primis cauſis naturæ, & de omni motu naturali, de primis enim cauſis naturæ intelligit ſe egiſſe in primo libro, atque etiam in ſecundo: ſequentes autem libros dicit eſſe de motu, hoc eſt, de accidentibus naturalibus, quare in hoc octauo non dicit ſe egiſſe niſi de motu, non tamen ex ijs verbis colligitur quòd hic de motore agat per accidens, quia nominatione motus comprehenditur omne illud, quod neceſſarium eſt cognoſcere ad cognoſcendum ipſum motum, ut prædiximus. In primo libro de generatione contextu quarto decimo ait Ariſtoteles ſe de primo motore immobili egiſſe in primis ſermonibus de motu, cum ergo dicat ſe egiſſe hic de primo motore, indicat non eſſe de illo actum per accidens, ſed per ſe, non enim citantur tractationes, niſi quæ per ſe ſunt inſtitutæ, attamen cum dicat de illo actum eſſe in libris de motu, & librum hunc dicat eſſe de motu, indicat actum eſſe de motore æterno non propter ſe, ſed propter motum æternum, quoniam nominationes librorum ſumuntur ab ijs, quæ propter ſe tractantur, non ab ijs, quæ propter aliud. Similiter in contextu ſeptuageſimo primo primi libri de Cælo dicit ſe in libris de motu oſtendiſſe quòd nullum finitum habet uirtutem infinitam, neque ullum infinitum virtutem finitam; citat autem his uerbis tractatum de impartibilitate primi motoris, qui habetur in vltimo capitulo huius libri, attamen librum dicit eſſe de motu, quia de motore agit propter motum, nam hoc tantum hac authoritate oſtenditur, non oſtenditur quòd de primo motore agatur per accidens. In contextu ſexageſimo primo ſecundi de generatione inquit Ariſtoteles ſe prius dixiſſe in alijs quod ſi motus eſt ſemper, neceſſe eſt ut etiam motor ſit ſemper, & ſit immobilis, quibus uerbis citat conſequentiam à ſe factam in hoc libro ab æterno motu ad æternum motorem immobilem, quam quidem fieri in hoc libro manifeſtum eſt, ut à nemine negari poſſit, per hoc tamen non oſtenditur quòd præcipuus ſcopus ſit agere de motore, non enim nominat librum de motore, tantùm dicit ſe hanc conſequentiam hic fe-

hic fecisse, quam reuera fecit, sed eo consilio ut regressum posteà faceret ab æterno motore ad æternum motum, hæc enim est intentio præcipua in hoc libro. In tertio Physicorum contextu octauo dicit manifestum fore ex alijs quòd datur quoddam mouens immobile, sed hoc nihil aliud probat, quàm quòd in octauo Physicorum ostenditur dari primum mouens immobile, non probat primum motorem esse præcipuum finem in hoc octauo libro.

Sic in primo capitulo libri de motu animalium inquit se ostendisse dari motorem immobilem, quando etiam de motu sempiterno locutus est, & docuit an sit, & quis sit, quibus verbis solum dicit quid egerit, non dicit quis fuerit huius tractationis scopus, & potius indicat scopum fuisse æternum motorem, quam motorem ipsum immobilem. Argumenta verò, quibus contrariæ illæ sectæ vtebantur, facilè solui possunt per ea, quæ diximus, ideò recensenda non sunt. Vnum nolo silentio præterire; Dicebant aliqui, quando in aliquo libro plura considerantur, illud magis habet rationem finis, quod nobilius est, at qui in hoc libro considerantur & æternus motus, & æternus motor, & motor est longe nobilior motu, motor igitur habet magis rationem finis, & principalius consideratur quàm motus. Possum ad hoc dupliciter respondere, primum quidem apud me dubium est illud fundamentum, quod ipsi vt manifestum constituunt, id, quod nobilius est, principalius consideratur, nam hoc quidem locum habet in disciplinis operatiuis, quæ ad finem quendam consequendum omnia dirigunt: at in contemplatiuis, in quibus sola cognitio quæritur, non uidetur uerum. Philosophus enim omnium rerum scientiam quærit, & Philosophus naturalis æque omnium rerum naturalium scientiam habere vult, nec principalius asinum cognoscere, quàm lapidem, sed & hunc & illum per se, & propter se, quia vterque est per se dignus cognitu, sed hoc etiam in præsentia admisso dico, esse tunc tantummodo concedendum, quando de ijs omnibus fit perfecta tractatio, quare si perfecta tractatio de primo motore in octauo Physicorum fieret, fortasse possent hoc argumento ostendi principalius ipsum considerari, quàm motum æternum, sed cum non hic, sed in Metaphysica fiat perfecta tractatio de primo motore, hic vero leuiter cognoscatur, & ex professo sumatur ad demonstrandum motum æternum, non debet dici principalius consideratus, licèt nobilior sit, quia hic non est locus, in quo perfectè tractetur.

Contextus Primus.

Vtrum autem factus est aliquando motus cum non esset prius, & corrumpitur rursus adeo vt mouetur nihil, an neque factus est. Neque corrumpitur, sed semper erat, & semper erit, & hoc immortale, & sine quiete ijs inest, quæ sunt, veluti vita quædam quæ inest natura subsistentibus omnibus? Esse igitur motum omnes affirmant, de natura aliquid dicentes, propterea quod mundum faciunt, & de generatione, & corruptione est contemplatio omnibus ipsis, quàm impoßibile est esse nisi sit motus. Sed quotquot quidem infinitos mundos, & esse dicunt, & quosdam quidem fieri, quosdam autem corrumpi mundos, semper dicunt esse

motum,

motum. necessarium enim est generationes, & corruptiones ipsorum esse cum motu. Quicunque aut unum, aut non esse semper, etiam de motu supponunt secundum rationem.

PRIOR hęc pars primi contextus est veluti proœmium huius octaui libri, in quo Aristoteles proponit nobis scopum & consilium suum in hoc libro, ipsumque inquit esse considerare an aliquando incæperit motus omnino,& aliquando sit omnino interiturus, an potius sit æternus,qui nec incęperit unquam,neque sit unquam finem habiturus. Hoc autem sententiam nostram iam a nobis comprobatam mirificè confirmat, non enim proponit Aristoteles quærendum an detur ęternus motor, sed solùm an ęternus sit motus, quare hęc una est Aristotelis intentio in hoc libro agere de æternitate motus. Sententia huius partis ea est, quam diximus, & est satis manifesta: hanc enim unam continet bimembrem quæstionem, an motus incęperit aliquando,& aliquando etiam desinet omnino esse,an potius ex utraque parte sit æternus. In uerbis aliqua sunt notanda, inquit, [cum non esset prius,] ad maiorem præcedentium uerborum declarationem, & ad remouendum ab eis prauum sensum, poterat enim quis intelligere factam respectu motoris, siquidem motus habet suum esse positum in fieri,proinde a motore aliquo, in quo sensu unum est motum non esse nisi factum, idest, habere suum esse in fieri à motore, sic enim motus semper fuit factus,& nunc fit,& semper dicetur fieri, seu factus respectu motoris, à quo semper pendet. Volens igitur Aristoteles significare se intelligere factum non respectu motoris, sed ratione temporis,ideò subiungit [cum non esset prius,]idest, intelligo aliquandò factum ita vt prius non fuerit omnino motus,sic ergo declarat se per illam dictionem [aliquando] sinificasse initium temporis, quo vniuersus motus incæperit esse, similiter quærit Aristoteles de parte posteriori quando dicit, [& corrumpitur rursus] sumendo corrumpi impropriè pro eo quod est desinere esse, nam corrumpi propriè dicuntur solæ substantiæ corporeæ, & addit,[adeò ut moueatur nihil] ad significandum se non loqui de aliquo tantum particulari motu, sed de vniuerso motu, an ita incæperit, vt pri us nullus omnino motus extiterit, & ita sit interiturus ut nihil omninò amplius moueatur, dictio enim [nihil] omnem prorsus motum excludit. [An neque factus est, neque corrumpitur] Proponit alterum quæstionis membrum oppositum an potius neque principium temporis habuit,neque finem habiturus est, & quia hanc quęstionis partem ipse ostensurus est tanquàm ueram,ideò cum magno verborum apparatu eam proponit, ad eam enim magis declarandam subiungit [& hoc] idest, hic motus vniuersus, de quo loquimur, [immortale, & sine quiete inest ijs,quæ sunt,ueluti uita quædam existens natura subsistentibus omnibus] & utitur metaphora pulcherrima,motum uocans vitam; nam vitam propriè appellamus incessantem operationem animæ uegetalis, quæ in uiuente nunquam desinit operari,ac nutrite ipsum viuens, sed Aristoteles rationem respiciens, qua hæc uiuentis operatio dicitur uita, ob eius rationis similitudinem etiam motum vocat vitam rerum naturalium,si æternus sit, quasi innuens motum non esse appellandum uitam, si æternus non sit. Vocat enim in secundo membro motum uitam, ut per hanc appellationem contradistinguat secundum quæstionis membrum à primo; est igitur consideranda hæc rationis similitudo; Simplicius dicit animantia dici uiuentia,quoniam a seipsis mouentur,& ab interno principio, & ideò omnium naturalium corporeum motum posse uocari uitam,quatenus est ab

interno

interno principio, quod est natura, inquit autem Aristotelem ita loqui secundùm opinionem Platonis, qui elementa putauit esse animata, & a seipsis moueri proinde eorum quoque motum posse dici vitam, quo fit ut omnis motus naturalis possit hac ratione uocari uita, citatque Simplicius verba Platonis in decimo libro de legibus. Sed expositio hæc mihi non probatur, tùm quia Aristoteles hic ex propria sententia loquens non potest sequi Platonem, à quo hac in re dissensit, tùm quia contrarium hic diceret eius, quod posteà osten surus est in hoc libro, elementa enim dicet non à se moueri, neque esse animata, & in hoc ea contradistinguet ab animalibus, quæ solùm dicet moueri a seipsis: Adde quòd concessa etiam hac Simplicij, & Platonis opinione omnis motus naturalis poterit uocari uita non minus si incæpisse statuatur, quàm si sit æternus, Aristoteles tamen uitam appellat motum, si solùm æternus sit, ut prædiximus, non est igitur approbanda hęc expositio cum fieri ab interno principio non dicat æternitatem, quam vult Aristoteles significare. Multi in hoc consentiunt quòd Aristoteles æternum motum appellet uitam quasi incessantem operationem, ad similitudinem uitæ in animantibus, quæ est operatio animæ uegetalis nullà quięte interrupta, continuus enim & perennis in uiuente est motus ab hac animæ parte, & eius cessatio mors est. Hæc communis expositio tolerabilior est, sed ea quoque eandem difficultatem patitur, sic enim appellatio uitæ dicit quidem continuitatem, sed non æternitatem, nam illa uiuentis operatio continua quidem est, nec interrupta, incępit tamen, ac desinet, nec per hoc stat quin dicatur uita. Hæc igitur expositio, qua inter alios etiam Sanctus Thomas hic utitur, uel falsa est, uel manca, & aliud quidpiam in ea desideratur. Mihi uidetur optimam huiusce loci interpretationem ab eodem Thoma adduci, nempè, in prima parte summæ quæst. decima octaua. Articulo primo, ubi hunc locum citans, in quo Aristoteles motum uocans uitam rationem assignat, cur motus animatorum uocetur uita, at motus elementorum non appelletur uita, nam elementis competit moueri, quatenus sunt extra suam naturalem dispositionem, si enim sint in suis locis, non mouentur, sed quiescunt: corpora autem animata mouentur, quatenus sunt in sua dispositione naturali, non quatenus extra eam sint, & ad illam accedant, ideò motus ille propriè uocatur uita. Vel igitur ueram huius loci interpretationem nouit S. Tho. uel saltem nos eam ex eius verbis colligere facilè possumus, certum est Arist. hic nomine uitæ denotare uelle præstantiam, & perfectionem motus, quam ei non attribueret, si æternus non esset, vitam igitur puto appellari motum ea ratione, quā S. Tho. tetigit, uidelicet, quia non sit quidem trànsitus ad perfectionem, sed executio, & conseruatio propriæ perfectionis. Rectè huiusmodi motus in animantibus uocatur uita, non sic motus elementi diceretur uita, ut modo cum S. Thoma dicebamus, incessantem igitur motum, atque sempiternum rectè Aristoteles uocat uitam rerum omnium, quasi conseruantem rerum omnium perfectiones, ne aliquando intereant, sed ęterne perdurent. Hęc absque dubio est mens Aristotel. sic enim, & incessantem animantium motum uocamus uitam, quoniam per eum conseruantur, & donec eo motu mouentur, dicuntur uiuere, sed hoc posteà melius intelligetur in disputatione, quam mox de hac quęstione Aristotelis facturi sumus. Inquit Aristoteles [veluti uita quędam] quia non vult motum uniuersum propriè dici vitam, cum loquendi consuetudo sit ut in solis animantibus uita esse dicatur, sed per similitudinem, & metaphoram. Neque est quòd aliquis dicat Philosophos non debere metaphoris vti. Id enim potissimè verum est in definitionibus, a quibus alienę sunt metap horę, sed extra definitiones nō est prohibendus omnino Philosophis vsus Metap horarum, quando ad aliquid melius declarandum conferre possunt, sed maximè

ximè

ximè admittendus est metaphorę usus in proęmijs,ubi authores oratoriè loqui solent, ut hoc in loco, quem huius octaui libri proęmium esse diximus. Aduertendum pręterea est quęstionem Aristotelis non eam esse, quam multi putant, ut de motu tanquàm de subiecto ostensurus sit ęternitatem, tanquàm prędicatum quęsitum,motus enim cum in hac scientia sit affectio,& accidens, non potest esse subiectum alicuius demonstrationis,ut iam ostendimus in libro nostro de pręcognitis, sed hoc totum,æternus motus, accipiendum est ut accidens in hoc libro demonstrandum de corpore naturali tanquàm de subiecto, hoc indicant uerba Aristoteles in proponendo hoc quæstionis membro,inquit enim [adeò ut moueatur nihil] posteà clarius dicit in secundo membro [& hoc immortale, & sine quiete inest ijs,quæ sunt] quærit igitur an æternus motus insit ijs, quæ sunt,idest,corporibus naturalibus. Simplicius dubitat, quoniam Aristoteles uidetur his uerbis contra distinguere motum ab ijs,quæ sunt,& ita significare ipsum non esse in numero entium. Respondet entia hic appellari solas substantias naturales,& corporeas, quæ uerè,& propriè sunt entia, in quorum entium numero non est motus, cum sit accidens, sic etiam in initio secundi libri diximus Aristotelem dicentem [Eorum quæ sunt]non intellexisse alia entia quã corpora naturalia. Notandus est error quidam in Latinis verbis, cum enim Græca uerba sint οἷον ζωή τις οὖσα dicẽdum erat, [veluti uita quædam existens natura constantibus omnibus] at latinus interpres dixit[uita quædam quæ inest]cum tamen Aristoteles non dicat motum inesse omnibus ut uitam,sed dicat motum esse uitam omnibus,hoc autem non parum refert,ut mox in disputatione considerabimus.

Sed de hac ab Aristotele proposita quæstione controuersia est maxima,quemnam motum respiciat,& quam nam æternitatem. Græci omnes, & Latinorum magna pars,& posteriores Philosophi omnes nullo excepto in hac opinione consentiunt,quòd Aristoteles non quærat de aliquo uno singulari motu,an sit æternus æternitate continua,sed de motu in communi,& generaliter accepto,de quo est probaturus æternitatem minus propriè dictam,quæ uocatur successiua, uidelicet, ante quemlibet motum præcessisse alium motum priorem & post quemlibet motum succedere alium posteriorem, ita ut neque primus motus ullus fuerit, neque vltimus vnquam futurus sit, hoc enim modo æternus dicitur motus, quia semper est motus aliquis. Hanc eandem sententiam inquit Auerroes fuisse omnium Arabũ Auicennæ,Auempaces, & Alpharabij,& se quoque eandem diu secutum esse, sed posteà cognouisse eam esse falsam,& aliam recepisse vt veriorem, & menti Aristotelis magis consentaneam. Quòd quęstio Aristotelis sit de vno singulari motu,quẽ velit ostendere æternum esse uera æternitate idest, unum numero continuum durare in infinitum, hunc autem certum est nullum alium esse nisi motum cęli, hunc igitur unum quæstio Aristotelis respicit secundum Auerroem, quam sententiam secuti sunt inter latinos Albertus Magnus, Linconiensis, Ioannes Gandauensis,& Burlæus,aliorum autem posteriorum, quos ego, vel eorum scripta uiderim solus Marcus Antonius Ianua præceptor, & Auunculus meus, nam cæteri omnes, qui paulò ante me, & meis quoque temporibus philosophati sunt, & ad hanc usque diem philosophantur, acerrimè opppugnant opinionem Auerrois, & alteram communiorem sequuntur. Quoniam igitur ea,quæ ad consilium,& scopum Aristotelis pertinent, diligenter consideranda sunt, controuersiam hanc expendere accuratè,ac discutere oportet,eò autem gratior auditoribus disputatio nostra esse debebit,quòd Auerrois sententiam,quam nunc omnes impugnant, defensuri sumus, cum enim alterius sententiæ defensiones non desint à pluribus clarissimis Philosophis factæ, gratum, & exoptabile philosophantibus esse debebit uidere

quid

quid aduersus alios pro Auerroe dici possit, præsertim cum ab alijs, qui alias Auerroem tutati sunt, non omnia fortasse adducta fuerint, quæ pro sententiæ Auerrois defensione dicere necessarium erat. Ante omnia non est ignorandum, in quo lis hæc constituta sit, & in quo omnes consentiant, quòd, enim à contextu quadragesimo quinto usque ad quinquagesimum secundũ Aristoteles ex æternitate vnius singularis motus continui in infinitum, probet dari primum motorem æternum penitus immobilem, nemo est qui neget, manifestum enim est Aristotelem ex solo motu cęli æterno probare motorem æternum, & quia in illa parte non exprimit Aristoteles quis nam sit iste unus motus æternus continuus, ideò in alia sequenti parte, quæ est post contextum quinquagesimum tertium per longum processum ostendit hunc non esse nisi motum circularem, propterea quòd nullus motus rectus potest idem numero continuus perpetuari, quod ibi Aristoteles probat longa oratione usque ad contextum septuagesimum septimum, in quo legimus epilogum respondentem ijs, quæ in primo huius libri contextu proposita fuerant, & quamuis neque in tota illa parte nominet Aristoteles cælum, neque dicat illum motum esse motum cæli, tamen quia clarum est motum circularem non esse aliũ quam motum cæli, ideò id quoque inter omnes conuenit quòd etiam tota illa pars est de sola æternitate continua motus cæli. De sola igitur prima huiusce libri parte controuersantur, cum enim ab initio libri vsque ad contextum vigesimum Aristoteles probet æternitatem motus duobus argumentis, & aduersus eam tria dubia adducat, & eadem statim soluat, dicunt Gręci, & alij, qui eos sequuntur, Aristotelem in hac parte non loqui de ęternitate numerali unius singularis motus, sed de illa successiua motus generaliter accepti, & hanc proponere in primo contextu, posteà verò a textu quadragesimo quinto usque ad finem libri dicunt Aristotelem ex æternitate successiua motus in communi probare ęternitatem numeralem unius motus continui, qui est solus cęli motus, & ex hac demùm probare primum ęternum motorem immobilem. Contra Auerroes dicit in prima quoque huius libri parte Aristotelem respicere solum motum cæli, & probare ęternitatem numeralem unius motus continui, alterum verò ęternitatem successiuam omniũ motuum nullibi in hoc libro ab Aristot. considerari imò neque dignam esse nomine æternitatis, neque propositam ab Aristotele fuisse, in primo contextu. Pro vtraque opinione duo argumentorum genera afferuntur, vnum considerando quid agat, & quæ doceat Aristoteles in hoc libro, alterum uerò considerando ratione duce quid agere debuerit, sed priorem argumentationem nos in præsentia missam faciemus, nam infirma, & obscura essent argumenta omnia, quæ sumerentur ex verbis Aristotelis in contextibus sequentibus, quos nondum intelleximus, sed posteà inter legendum singulos locos considerabimus, & ostendemus omnes fauere manifestissimè opinioni Auerrois, ita ut altera opinio nullomodo defendi possit, nunc satis nobis erit rationes aliquas pro vtraque parte considerare, quibus ostendatur quam æternitatem, & cuius motus, potuerit, & debuerit Aristoteles in initio libri proponere, & in ipso libri progressu demonstrare.

1 Illi, qui dicunt Aristotelem proponere quæstionem de motu generaliter accepto, primùm ita argumentantur. Libri Physici sunt de rebus communibus omnibus corporibus naturalibus, ergo in ijs non conuenit proponere quæstionem de motu cæli, qui est propria passio cæli, de qua non est tractandum nisi in libris de cælo, at de motu in communi maxime loqui conuenit in his libris, & de eodem sermo habitus est in libris præcedentibus, ergo etiam in octauo: quare si de motu circulari cęli aliqua in hoc libro dicuntur, id non potest esse nisi obiter factum, & quodammodo per accidens, non fuit ergo in initio proponendum.

Secun-

2 Secundò dicunt, potest demonstrari æternitas motus in communi, potest etiam demonstrari æternitas numeralis motus cęli, at quæstio uniuersalis debet præcedere particularem, ergo etiam si in hoc libro Aristoteles loquatur de æternitate numerali motus cæli, debuit tamē prius agere de æternitate motus in communi: hanc igitur proponit, & demonstrat in initio huius libri.

3 Tertiò argumentantur Aristoteles in postremo huius libri parte ostensurus est dari vnum motum continuum æternum, qui est motus cęli, ergo si in hoc quoque libri initio hoc demonstraret, bis ageret de eadem re, & altera tractatio superuacua esset.

4 Quartò considerant etiam uerba Aristotelis in primo contextu, non enim de solius cęli motu quæstionem proposuit, sed de motu generaliter sumpto, qui contineat omnes omnium rerum motus: dixit enim [vt moueatur nihil] deinde dixit [inest ijs, quę sunt] tanquam uita existens natura constantibus omnibus.

1 Ex altera parte pro Auerroe argumenta non desunt, eaque ita ualida vt putem ea bene solui non posse, primum ac pręcipuum, quo Auerroes utitur, tale est, æternitas motus propriè ac uerè in solo cælesti corpore radicata est, & eius naturam consequitur secundum Aristotelem, æternitas autem successiua motuum inferiorum est æternitas accidentalis, quia isti omnes motus sunt accidentaliter ordinati, quę est communis omnium sententia, ut in hoc libro uidebimus, neque ab ullo aduersariorum negatur; sed id, quod est tale per accidens non potest esse, neque intelligi nisi per id, quod est tale per se, ergo ista motuum successio ęterna non potest cognosci immò nec ab intellectu nostro comprehendi, nisi prius intelligatur unus motus singularis continuus æternus, qui alios omnes contineat, itaque si Aristoteles non considerata uera ęternitate numerali probaret in primis ęternitatem plurium motuum successiuam, probaret rem accidentalem, quę ab intellectu capi non potest, dum ignorat motum continuum ęternum.

2 Secundo, sumitur ex ijsdem fundamentis aliud argumentum, passio est demōstranda de subiecto, cui primò inest, sed ęternitas primò competit motui cęli, seu ęternus motus primò competit cælesti corpori, his autem inferioribus secundariò, & per illud, immò etiam per accidens, ergo nullo modo de his, sed de cælesti tantum corpore est demonstranda æternitas motus.

3 Prætereà facilè ostendo absurditatem sententiæ aduersariorum, cum enim negare non possint Aristotelem saltem in posteriore huius libri parte agere de æternitate numerali motus circularis, de illa tamen tractatione sunt discordes, nam aliqui dicunt eam tractationem fieri ab Aristotele obiter, & ferè per accidens, quia est tractatio particularis, in libris autem physicorum non sunt tractandæ nisi res communes, & vniuersales. Alij uerò dicunt eam esse tractationem principaliorem, & Aristotelem prius ostendere æternitatem motus generaliter accepti, ut ex ea posteà probet æternitatem motus cęli, & ex hac tandem inueniat æternum motorem. Sed utrumque dictum absurdum est, prius quidem, quoniam de æternitate motus cęli faciet Aristoteles prolixam tractationem; non enim negant agi de illa à contextu quadragesimoquinto usque ad septuagesimum septimum, ergo non est ab Aristotele facta per accidens, quia quę per accidens tractantur, tractantur breuiter, non oratione ita prolixa. Pręterea ubi res demonstratur per suam proximam, & adęquatam causam, ibi non dicitur considerari per accidens, sed maximè per se, atqui ęternitas motus cęli per suam causam demostrabitur in hoc libro ab Aristotele, non sic in libris de cęlo, ubi non consideratur primus motor ęternus: ideò proprie, & per se consideratur in octauo libro Physicorum æternitas motus cęli, in libris autem de cęlo sumitur ut probata in octauo Phycorum. Alterum verò alio-

rò aliorum dictum propriam eorum sententiam euertit, nam si Aristoteles pręcipuè agere vult de æternitate motus cæli: de altera uerò æternitate successiua secundariò, & illius gratia, ergo non debent negare in primo contextu proponi æternitatem motus cæli, cum in proœmijs non proponantur illa, quæ secundariò, & aliorum gratia tractanda sunt, sed illa tantùm quæ primariò.

4 Præterea argumentum sumitur ualidissimum pro Auerroe ex ijs, quæ tractantur ab Aristotele à contextu quadragesimoquinto usque ad quinquagesimum secundum: in ea namque parte nusquā reperitur illa probatio, quam aduersarij somniantur, uidelicet, qua ex æternitate motus in communi probetur æternitas motus cæli, idque ibi manifestissimè declarabimus, sed ibi nil aliud probat Aristoteles, quam ex uno continuo motu singulari æterno æternitatem, & immobilitatem primi motoris, hanc enim consequentiam legimus in ipso statim initio illius partis, nempè, in contextu quadragesimoquinto, eaque posteà Aristoteles magis declarat, ac repetit in alijs sequentibus, præcipuè verò in quadragesimonono, ipsum autem antecedens Aristoteles ibi non probat, nempè, æternitatem motus, sed supponit dicens esse iam ostensum superius, sed ante illam partem nulla legitur alia probatio æterni motus, nisi illa, quę habetur in hoc libri initio, ergo in hac parte Aristoteles est probaturus æternitatem solam motus cęli. Sic enim ipse clarissimè seipsum in contextu quadragesimono interpretatur, sed argumentum clarius erit cum ad illius partis interpretationem peruenerimus. Alia quoque plura loca in hoc octauo considerare possemus, & ostendere Aristotelem in hoc libro ne verbum quidem facere de æternitate successiua motus in communi, est enim res accidentalis, quæ non meruit considerari, sed hęc omnia, ut ante dicebamus, melius est remittere ad propriam singulorum locorum interpretationem.

5 Possumus etiam considerare verba Aristotelis in primo contextu, nam ibi motum æternum appellauit vitam omnium rerum naturalium, vita autem significat operationem incessantem, & conseruantem perfectiones rerum, quare motus in communi sumptus non potest vocari uita, quia non omni motui naturali competit appellatio vitæ, ut ibi de motibus elementorum dicebamus, itaque si bene consideremus nullus motus potest uocari uita omnium rerum naturalium, nisi motus cæli, qui omnia fouet, atque conseruat, neque dixit Aristoteles uitam hanc rebus omnibus naturalibus inesse, sed hunc motum esse vitam omnibus, quare non est necessarium, ut motus ita æternus intelligatur, ut insit rebus omnibus. Præterea dixit ibi Aristoteles motum immortalem, & sine quiete, ergo non potuit respicere, nisi unum motum continuum, plures enim subordinati motus habent quietes interpositas, sic igitur non erit motus sine quiete. Quòd si dicant esse quidem inter duos motus mediam quietem cum eius quietis tempore esse etiam motum in aliqua alia re, quare non est dare tempus aliquod, quo non sit aliquis motus, hoc nihil est, neque id uult Aristoteles, sic enim non solùm non est dare tempus, quo non sit motus, sed etiam non est dare tempus, quo aliquid non quiescat, itaque ostenditur hac ratione tùm æternitas motus, tùm æternitas quietis, Aristoteles tamen significare vult ita semper esse motum ut nunquam sit quies, quod non est uerum nisi de motu cęli.

6 Confirmant hanc eandem sententiam verba Aristotelis in ultimo contextu sexti libri Physicorum, vbi proponit considerandum, an detur aliquis unus motus continuus æternus, non proponit indagandā illam æternitatem successiuā plurium motuū, quamuis enim ibidē eam nominet, tamen spernit, ut ibi uidere est; is ergo locus magnā fidem facit de consilio Arist. in hoc octauo, cum ferè immediatè sextus liber coniungatur huic octauo, siquidem septimus est pręparatio quędā ad octauū.

Præte-

7 Prætereà in initio libri de motu animalium asserit Aristoteles se determinasse quòd oportet primum mouens esse immobile, quando & de motu sempiterno dictum est vtrum sit, an non sit, & si sit, quis sit, manifestè igitur dicit se in hoc libro egisse de uno singulari motu æterno, non de motu in genere, siquidem genus non est demonstrabile digito.

His omnibus argumentis adducor ut credam sententiam Auerrois ueram esse, vt igitur eam ab aliorum obiectionibus facilè vindicemus, videamusque eorum opinionem esse falsam, notanda sunt quædam. Ante omnia sciendum est, motum cæli posse dupliciter considerari, uno modo ut proprium accidens cęli, & eius naturam consequens, vt speciei corporis naturalis, altero ut est motus mundi vniuersi, certum est enim motu circulari, quo totus cęlestis globus mouetur, maximam partem inferioris mundi circumferri, videlicet, totum elementum ignis, & totum aerem superæ regionis, adeò ut solus paruus globus terræ, & aquæ, & exigua aeris pars inferior nempe eius regio, quę infra montium cacumina terram ambit, excipiantur ne totum mundum eo motu moueri affirmemus, quare cum illius excepti corporis paruitas tanta sit ut omnem cum uniuerso comparationem superet; dicere uerè possumus motum cęli esse uniuersi mundi motum, & ita eum appellauit in contextu quadragesimotertio libri duodecimi Metaphysicæ. Aristoteles loquens de motu diurno, uocauit eum motum totius, & dixit cum articulo τοῦ παντός, quod significat propriè uniuersum. Sed prætereà quamuis terra, & aqua, & eis propinqua aeris pars non circum ferantur illo ipso motu, mouentur tamen incessanter alijs motibus ab illo primo motu tanquàm à causa: horum enim omnium sublunarium corporum partes incessanter mutantur uarijs motibus, tum secundum locum, tùm secundum alterationem, ijquè omnes motus consequuntur motum cęli tanquàm effectus causam, cessarentque omnes cessante illo, quo fit vt motus cæli tum extensione sua, tùm sua uirtute seu causalitate sit omnium corporum, & totius mundi motus. Hoc cum ita sese habeat, non fuit Auerroes ita fatuus, & ordinis doctrinæ ignarus, ut putauerit motum cæli, ut proprium talis corporis, quod cælum dicitur, & est species corporis naturalis, considerari in octauo libro Physicorum, cùm manifestum sit talem considerationem pertinere ad secundum librum de cælo, sed dixit motum cæli considerari in hoc libro, & probari ęternum, ut motum vniuersalem, & vt omnium naturalium corporum motum, quatenus moueri cęlum est omnia moueri, cum illum cæteri omnes motus consequantur, hoc apertè apud Auerroem legimus in calce primi Commentarij & in Commentario nono huius libri, ubi eum uocat motum continentem omnia, & inquit quęstionem Aristotelis esse uniuersalem, & toti mundo communem ideò decipiuntur illi, qui dicunt quæstionem Aristotelis secundum Auerroem esse particularem, cum ipsi potius attribuant Aristoteli quæstionem particularem, ut mox ostendam. Sic igitur patet consentaneum esse rationi opinionem Auerrois.

8 Vt autem uideamus sententiam aliorum absonã esse & absurdam oportet eius sensum diligẽter expendere, scire igitur oportet aliud esse ipsum commune genus, aliud esse ipsam specierum omnium collectionem; æquipollent enim generi materialiter, sed formaliter distinguuntur, ut ait Aristoteles in quadragesimo primo contextu primi libri Posteriorum, uideamus igitur, quomodo intelligant aduersarij motum in communi, cuius æternitas demonstretur, ipsum quidem secundum se sumptum motum ut genus accipere nullo modo possunt, quod ita ostendo, in omni uniuersali duo cõsiderari possunt, vnum quidem res ipsa, alterum verò illa communitas, quæ secundum Auerroem primo de Anima octauo est opus intellectus, ideò rectè notat Ioannes Grammaticus in contextu quinquagesimotertio primi

libri de generatione, quòd vniuersali alia competunt ut uniuersali & ut generi, alia competunt ut rei: illa quidem quæ illi competunt vt rei, necesse est omnibus, & singulis particularibus competere, sed quæ competunt ei ratione communitatis non est necessarium ut singularibus competant, animali ut rei competit sentire, esse animatum, esse corpus, esse generationi, & interitui obnoxium, ideò hæc singulis competunt animalibus, sed prædicari de pluribus, esse genus, esse æternum secundum Aristotelem, & alia eiusmodi competunt ei ratione uniuersalitatis, ideò non debent competere indiuiduis, hæc quidem consideratio logica est, illa uerò realis, & philosophica, ideò si quæratur an animal sit æternum an caducum? logicus æternum esse respondebit, naturalis autem philosophus non ęternum, sed corruptibile. Quęrendum igitur ex aduersarijs est an putent Aristotelem attribuere motui ęternitatem ut rei, an ut communi, ostendo neutrum dici posse, non ut rei, quia sic oporteret quemlibet singularem motum esse ęternum, ideò manifestus hic est Vicomercati error, qui sententiam Auerrois oppugnans, & alteram defendens, inquit Aristotelem uelle demonstrare motum habere naturam immortalem, sic enim tribuit ęternitatem ipsi naturæ motus, proinde dicit quemlibet motum esse ęternum, quod falsum est. Sed neque ut communi, quia hęc est consideratio logica, uidemus autem omnia quę ab Aristotele fuerunt de motu considerata in his libris competere motui ut rei, non ut communi, ideò & definitio motus tradita in tertio libro, & omnia, quę de motu dicta sunt, in quinto, sexto, & septimo, competunt etiam singulis particularibus motibus. Vidimus etiam in primo contextu Aristotelem proposuisse quęstionem de motu tanquam de re inexistente extra animam in corporibus naturalibus, hoc idem significant verba Aristotelis in principio libri de motu animalium iam citata. Pręterea de motu hoc non quæreretur, sed quęrendum esset communiter de omnibus speciebus an sint æternę, eadem enim est ratio de omnibus, neque etiam esset talis ęternitas qualem hic Aristoteles quærit, species enim omnes etiam si non semper actu existant, æternas dicimus, ut rosam, semper enim esse dicitur in uirtute suarum causarum, at non semper actu, ergo si motui hæc eidem æternitas attribueretur, quæ omnibus generibus, ac speciebus attribuitur, diceretur motus æternus etiam si quandoque non esset, attamen Aristoteles talem quærit motus æternitatem, quæ sit sine ulla interposita quiete, quare manifestum est considerationem Aristotelis esse realem, non logicam, & talem esse quæstionem hanc de motu, ut non sit quæstio communis omnibus alijs rebus. Sed in re manifesta non est immorandum, quia licet aduersarij omnes indistinctè hac in re loquantur, nec considerent quid per motum in communi intelligendum sit, tamen dum eorum sententiam expendimus, uidemus impropriam esse eorum locutionem, & dicentes motum in communi non intelligere ipsum commune genus, sed totum aggregatum omnium singularium motuum, hoc enim dicunt esse æternum per successionem unius motus post alium in infinitum. Hæc reuera est illorum omnium sententia, & eam tribuit Auerroes suis Arabibus, atque impugnat, talem igitur sententiam perpendamus, & cum Auerroe consideremus, an admitti possit. Quærit Auerroes an in hoc aggregato omnium motuum comprehendant vnum continuum motum, qui alios contineat, an potius cum talis motus exclusione solum finitorum motuum successionem infinitam dicant hic ab Aristotele demonstrari; si comprehendant unum primum motum continuum, qui contineat alios, fieri non potest quin tota demonstratio dirigatur ad illum, qui est primò, & per se æternus, & per quem alij consequuntur,

quuntur, æternitatem successiuam: & quia tota questio referatur ad radicem totius eternitatis in motu, quare hec dicere est uenire in opinionem Auerrois, nam & ipse dicit Aristotelem uelle demonstrare æternitatem vnius continui motus, & secundum suam extensionem communissimi, qui omnes motus, qui in mundo fiunt, contineat. Si verò dicant non comprehendi in hac questione vnum motum continuum, qui contineat alios, sed solos considerari motus finitos, & ostendi quod ante quemlibet motum est alius motus, & sic in infinitum, tunc incidunt in errorem, quem ipsi attribuunt Auerroi, faciunt enim quæstionem Aristotelis particularem, nec communem toti mundo, sed solis corporibus mundi inferioris, quia in hac questione, & in sequenti demonstratione non comprehendetur motus celi. At secundum Auerroem questio Aristotelis est uniuersalis, est enim de uno motu, qui in se omnes motus includit.

Veritate ita declarata facilè est omnia argumenta contraria soluere. Primum potest contra aduersarios retorqueri, nam si agere de motu celi non est agere de communibus, nec pertinet ad libros Physice, ergo non rectè Aristoteles fecit tractans in posteriore huius libri parte de ipso celi motu: quòd enim per accidens de eo loquatur, vt nonulli dicunt, iam falsum esse demonstrauimus. Preterea etiam secundum ipsos hec tractatio non est de communibus, sed de aggregato particularium motuum, neque etiam omnium: sed facilè soluitur argumentum, dicimus enim librum Physice non esse de ijs tantùm communibus, que sint communia predicatione, nam certum est primam materiam & primum motorem esse duo singularia, sic etiam tempus, sed esse de communibus uel prædicatione, uel extensione, prima materia, & primus motor non sunt uniuersalia in prædicando, sed in causando, quia sunt omnium causæ, hac ratione sunt res communes, quæ ad omnia naturalia extenduntur, sic igitur & motus celi est res communis omnibus corporibus mundi, quia continet omnes motus, licet sit unus numero continuus in infinitum.

Ad secundum dico impugnari maximè hoc argumento eorum opinionē, quia collectio motuum singularium finitorum neque est quid commune secundum predicationem, neque secundum extensionem, ut iam ostendimus. Soluitur autem argumentum, quia demonstratio uniuersalis illa dicenda est, qua demonstratur accidens de subiecto, cui competit primò, male enim demonstraretur de genere eius, ut risibilitas de animali, quare æternitas motus est primò demonstranda de cælesti corpore, cui primò competit, sic enim est etiam vniuersalis, quia sic etiam demonstratur æterna successio aliorum motuum, quæ necessariò consequitur illam ueram æternitatem cælestis motus, de ipso autem genere motu non rectè demonstraretur æternitas, quia non omni competit: sed id, quod eos decepit, fuit quòd Aristoteles in tractatione de æterno motu à confusis ad distincta progreditur, quod illi non intelligentes putarunt esse progressum ab uniuersali propriè sumpto ad particularia; sed de hoc posteà loquemur.

Ad tertium dico Aristotelem, in prima, & in postrema libri parte agere de eterno celi motu cum hoc tamen discrimine, quod hic confusè, ibi uerò distinctè, & per causam: procedere autem a confusis ad distincta non est idem frustra docere bis, sed est magno uti artificio, ut loco suo ostendemus. Ad verba Aristotelis in primo contextu facilis est responsio, nam cessante motu celi nil amplius moueretur, rectè igitur dixit Aristoteles [adeo ut moueatur nihil] rectè etiam dixit motum æternum inesse omnibus corporibus naturalibus, quia motus cæli est vniuersalis, & communis toti mundo, & cælum moueri est omnia moueri, & hic propriè appellatur vita omnium naturalium corporum, quod de motu

communiter sumpto, aut de collectione omnium naturalium motuum dici nullo modò potest.

[Esse igitur motum omnes affirmant] In hac secunda parte huius contextus Aristoteles (vt omnes dicunt) vult soluere tacitum dubium, quod secundum Simplicium, quem omnes alij sequuntur, tale est, quæstioni compositæ debet præcedere quæstio simplex, ergo prius quærendum uidebatur an sit motus, quæ est quæstio simplex, quàm an sit æternus, quæ est quæstio composita. Ad hoc dicunt Aristotelem respondere non esse quærendum an motus sit, quoniam omnes antiqui naturales illum concesserunt. Sed hæc communis sententia mihi non probatur, neque enim dubitatio conueniens est, neque responsio esset sufficiens; illud patet, quoniam Aristoteles in principio primi libri supposuit motum dari, & eo usus est ad primam materiam inueniendam, & ad definiendam naturam, & corpus naturale, cuius nomen omnino intelligendum ante omnia erat, quum sit subiectum totius naturalis philosophiæ, nullo igitur modo conueniens est in hoc octauo libro existentiam motus in dubium reuocare, seu imaginari aliquem posse negare motum, & eius ostensionem requirere, cum iam sit suppositum dari motum. Sed neque responsio ad illud dubium sufficiens esset, quia non ideò debet Aristoteles abstinere à probatione motus, quòd antiqui de eo consenserint, siquidem in multis alijs consenserunt, quæ ab Aristotele impugnantur, ut in generatione mundi, sed solùm, quia motus est principium cognitionis in hac scientia, quod omnino supponendum est, cum præsertim satis superque cognoscatur sensu. Ego igitur puto aliud opportunius dubium hic solui ab Aristotele, quod pertinet ad declarandam quæstionem propositam, & verbis Aristotelis est maximè accommodatum, præsupponit Aristoteles non posse probari motum, & absurdum esse eum in dubium reuocare, ideò dubitat aduersus quæstionem propositam, quia quærere an semper sit motus, potest uideri alicui idem esse ac quærere an sit motus, proinde quæstio uideretur absurda, respondet Aristoteles non esse eandem quæstionem an sit motus, & an sit æternus motus, idque declarat testimonio antiquorum, omnes enim antiqui naturales motum esse concesserunt, non ita concesserunt motum esse æternum, sed in hoc discordes fuerunt, non igitur idem est quærere, an motus æternus sit, & an motus sit, cum in uno antiqui consenserint, in altero autem maximè discordes extiterint, quæstio igitur non est absurda, immò maximè opportuna, litera satis clara est, nam Aristoteles prius declarat antiquorum consensionem in concedenda existentia motus, deinde verò eorum dissensionem in concedenda æternitate motus, cum alij dixerint semper esse motum, alij uerò non semper, sententia primæ partis clara est, dicit enim omnes antiquos naturales posuisse motum, quoniam enim omnes posuerunt mundum genitum, proinde de generatione & interitu mundi necessariò locuti sunt, necesse est eos posuisse motum, quia generatio non potest esse sine motu: non dicit autem Aristoteles absolutè omnes, sed omnes naturales consensisse motum vt distingueret naturales à quibusdam supernaturalibus, ut a Parmenide, & Melisso, qui negabant motum, sic etiam locutus est in contextu trigesimosecundo primi libri Physicorum. [Sed quotquot quidem infinitos mundos] Transit ad considerandam dissensionem inter antiquos de æternitate motus, & prius ponit eos, qui dicebant motum semper esse, qui dicebant infinitos simul esse mundos, vt Democritus, Leucippus, Anaximander, & Epicurus, dicebant enim nullum esse tempus, quo aliquis mundus non

generetur,& quo aliquis non intereat,quoniam igitur generatio; & interitus est necessario cum motu, ideò secundum eos semper ponebatur esse motus. Deinde quando inquit,[quicunque autem unum, aut non esse semper] ponit alteram contrariam sectam eorum, secundum quos non semper erat motus, hos autem dicit fuisse illos,qui unicum mundum ponebant, non plures simul mundos, hi namque ponendo mundum genitum,ponebant non semper esse motum. In uerbis est aliqua obscuritas, quando enim dicit, [quicunque aut unum, aut non esse,semper,] dictio illa [aut]difficultatem facit, quia cum sit aduersatiua indicare uidetur quòd quando Aristoteles dicit [vnum] intelligat semper existentem, & hoc modo intellexit Simplicius, ut sit breuitas & mutilatio in uerbis, & aliquid præterea desideretur, quod sit subaudiendum, & sensus sit, quicunque autem aut unum semper, aut non esse semper unum: priorem quidem sententiam inquit fuisse Platonis, qui posuit mundum æternum; secundam uerò Empedoclis, qui unum ponebat mundum non semper manentem eundem, sed infinities renouatum, & renouandum. Et uidetur ad eandem sententiam accedere Themistius. Ea tamen mihi non probatur, quia sic Aristoteles hoc ipso in loco sibi contradiceret, prius enim dixit omnes antiquos naturales posuisse mundum genitum, quomodo igitur nunc dicere potest aliquem posuisse mundum æternum? Prĳterea his verbis certum est Aristotelem significare illos tantùm, qui ponebant non semper esse motum, ut hos ab alijs prioribus distinguat, sed quomodo isti quoque non ponebant motum æternum,si eorum aliqui ponebant unum mundum æternum? Præterea Aristoteles in primo libro de cælo attribuit Platoni, quòd posuerit mundum genitum, & incorruptibilem, & in contextu centesimosecundo illius libri dicit omnes antiquos posuisse mundum genitum.Quicquid ergo reuera senserit Plato de mundo, de hoc enim non est in præsentia disputandum, certum est Aristotelem illi attribuere quòd mundum genitum dixerit, quare non potest hic significare mundum esse æternum secundum Platonem. Ego igitur sententiam Simplicij, & eius additionem in verbis factam censeo non esse admittendam, & puto verba hæc altero duorum modorum esse intelligenda, vno modo, vt dicamus, particulam,aut,hic poni pro,&,vt etiam Auerroes, & latini in suis codicibus habuerunt, habemus quidem græcè, ἢ sed tamen particula hæc quandoque usurpata inuenitur pro coniunctiua: alter modus est ut si uelimus hanc dictionem esse disiunctiuam dicamus per eam disiungi modum Anaxagoræ à modo Empedoclis, nam alter ponebat unicum omnino mundum, ideò Aristoteles dicit [quicunque unum] alter uerò unum quidem, sed non semper manentem eundem, sed renouatum infinities, ideò dicit [aut non esse semper]idest, aut non semper manere eundem vnum, licet non plures simul, sed unus tantùm: ob id neque Anaxagoras, neque Empedocles ponebant semper esse motum,nam Anaxagoras ponebat mundum semel esse genitum, cum antea nec mundus ullus fuerit, nec ullus motus: Empedocles uerò infinitis quidem temporibus ponebat genitum esse mundum, & interijsse, & generandum, & interiturum, attamen inter unius mundi interitum, & alterius generationem tempus intercedebat medium, quo nullus erat motus. Hos itaque dicit Aristoteles [de motu supponere secundum rationem] idest, prout de mnndo sentiunt ita & de motu, seruando eandem rationem motus ad mundum, quam alij quoque seruarunt, sicut enim illi dicentes esse infinitos mundos, semperque fuisse, ac fore, motum quoque dicebant semper esse quia semper erat alicuius mundi generatio, & alicuius mundi interitus, ita isti non ponendo semper esse mundum, nec motum semper esse ponebant. Hic aliqui considerant Aristotelem tribuere priori se-

& antiquorum naturalium, quòd posuerint motum ęternum, cum tamen illi non posuerint æternitatem motus numeralem, sed successiuam, nam post generationem vnius mundi erat secundum eos generatio alterius: hoc autem facit contra Auerroem, & pro alijs dicentibus Aristotelem uelle hic probare æternitatem successiuam motus generaliter accepti. Sed leuis est hæc dubitatio. non enim eo consilio hæc dicuntur ab Aristotele de antiquis, ut ex eorum sententia colligat, quam motus æternitatem sit demonstraturus, sed solum vt eorum testimonio ostendat aliud esse quærere, an sit motus, aliud esse quærere, an sit æternus motus; æternitatem autem motus in eorum sententijs eam considerat, quæ considerari poterat; quia cum eorum nullus unum æternum mundum posuerit, vt ipse eis attribuit, nemo potuit ponere vnum continuum motum æternum. considerat igitur in eorum sententijs æternitatem motus saltem successiuam, quia hæc satis est ad ostendendam duarum illarum quæstionem diuersitatem. Notare autem possumus Aristotelem in considerando motu ab antiquis posito æterno nullum alium respexisse motum nisi qui fiebat in generatione mundi, siue mundorum, motus enim particulares huius & illius partis mundi non considerauit, vt inde cognosceremus ipsum non de alio motu loqui, quam de motu vniuersali, qui sit vniuersi mundi motus. de particularibus autem rerum motibus non loqui, sicut enim generatio mundi apud antiquos erat cum uno quodam totius mundi motu, ita Aristoteles vult quæstionem suam intelligi de uno singulari motu, qui sit omnium rerum motus, an incæperit, an sit ęternus, quod mirifice Auerroi fauet.

Contextus Secundus.

Si igitur contingit aliquandò nihil moueri, dupliciter necesse est hoc accidere. Aut enim ut Anaxagoras dicit, inquit enim ille, simul omnibus existentibus, aut quiescentibus infinito tempore, mentem fecisse motum, & disgregasse. Aut ut Empedocles in parte moueri, & rursus quiescere, moueri quidem, cum amicitia ex multis facit unum, aut lis multa ex uno; quiescere verò
„ in intermedijs temporibus sic dicens. Quatenus unus quidem
„ ex pluribus consueuit nasci, & rursus uno generato plura perfi-
„ ciuntur. Eatenus quidem, & fiunt, & non est ipsis firmum æ-
„ uum. Quatenus uerò permutantur omnino, neque simul desi-
„ nunt. Eatenus semper sunt immobili secundum circulum.
Hoc enim quatenus permutantur, hinc illud dicere ipsum opinandum est.



POSTQVAM ostendit Aristoteles quæstionem non de motu esse, sed de æterno motu. Hic declarat quomodo intelligat æternum esse motum. antequam enim aliquid probare aggrediamur debemus quęstionẽ ipsam, & id, quod probaturi sumus, intelligere, quod latini nostri uocarent titulum quæstionis declarare. hoc igitur declarat hic Arist, per declarationem,

rationem; & exclusionem oppositi. inquit enim duos esse modos ponendi non semper esse motum, vt a contrario sensu intelligamus probandam proponi talem motus æternitatem, quæ sit cum exclusione utriusque modi contrarij; hos autem duos modos declarat Aristoteles in duabus opinionibus antiquorum, nempè Anaxagoræ, & Empedoclis, ut in his tanquam exemplis rem melius intelligamus, ad hos autem modos ab his duobus Phylosophis positos rediguntur omnes modi ponendi non semper esse motum. Prior ab Aristotele positus est modus. Anaxagoræ, qui dixit motum aliquando omnino incæpisse postquàm nunquam antea fuerat, sed ante eum prçfuit infinita quies, & post eam mens diuina in initio temporis cæpit generationem mundi per motum segregationis singularum rerum ex illo chaos, in quo erant confusæ, quam segregationem nunquàm absoluet, quod significare videtur mundum posteà duraturum per tempus infinitum. Alter est modus Empedoclis, qui dixit nunquàm ita cæpisse motum ut prius non fuerit, sed infinito tempore ante fuisse motus infinitos generationis, & corruptionis mundi, interruptos tamen medijs quietibus, quod quidem est non semper esse motum. dicebat enim ex quatuor elementis constare mundum & generari à lite, corrumpi autem ab amicitia tanquàm effectricibus causis. lis enim separans inuicem elementa mundum generat, amicitia uerò eadem iterum commiscens & confundens interimit mundum, & generat quoddam confusum uocatum ab eo sphærum; finitis ergo temporibus durat mundus, & sphærum, sed infinities fuerunt, & infinities erunt, modo mundus, modo sphærum. Non est hic prætereundus error quidam Auerrois, qui sententiam Empedoclis de mutuo reditu motuum, & quietum ità intelligebat, ut Aristoteles dicat quietem esse post interitum mundi, quoniam existente sphæro nullus est motus, sed non post generationem mundi. genito enim mundo manet motus in ipsis mundi partibus, sed hæc non est mens Aristotelis ut in litera patet, qui in his opinionibus aliorum non considerat alium motum, quàm illum uniuersalem, qui fit in generatione, uel interitu totius mundi, ideò in sententia Empedoclis quietem dicit esse, & post interitum mundi, & post eius generationem. absoluta enim generatione mundi, & motu, qui cum illa fit, quietem esse dicit in mundo permanente, quia non considerat motus particulares, qui fiunt in partibus mundi; nam uerba Aristotelis clara sunt, qui motum esse dicit, [quando amicitia ex multis facit unum] idest, in ipso mundi interitu, & generatione sphæri, [aut lis ex uno multa,] idest, aut in generatione mundi ex multis elementis separatis per litem, deinde subiungit [quiescere verò intermedijs temporibus] in plurali numero dicens, temporibus, quare intelligit tam tempus sequens generationem mundi, quam tempus sequens eius interitum. Refert autem Aristoteles quædam carmina Empedoclis, in quibus hæc eius opinio exponitur, quæ clara sunt, & subiungit declarationem postremorum uerborum Empedoclis. dicebat enim Empedocles entia ratione quadam non habere firmam permanentiam, cum nec mundus, nec sphærum semper maneat; alia tamen ratione habere firmitatem quandam, & immobilitatem. hæc enim æterna circulatio, & æternus transitus mundi in sphærum, & sphæri in mundum infallibilis, ac necessaria est, quia semper sic factum est, & semper sic fiet, est igitur in rebus mutabilitas perpetua, eaque immutabilis dici potest, quatenus subiecta est legi immobili, & inuiolabili, quæ iubet necessariam ac perpetuam esse hanc circulationem. Duo igitur sunt modi dicendi non semper esse motum, vnus qualem Anaxagoras posuit, ut omninò incæperit motus postquàm antea non fuerit vnquam, seu cessaturus aliquando sit ita ut nunquam amplius futurus sit. eadem enim est ratio de utraque parte. Alter, qualem Empedocles posuit, ut nec incæperit unquàm, nec

vnquàm omnino cessaturus sit, interrumpatur tamen intermedijs quietibus, neutro enim modo motus dici potest æternus. Ex vtriusque igitur modi negatione vult Aristoteles intelligi, qualem ipse ostensurus sit motus æternitatem, oportet enim ita probare æternum esse motum, vt nec incæperit unquàm, nec vnquam posteà desinat, nec intermedio tempore vlla, vel minima quiete unquam interrumpatur. Hoc itaque est nobis memoriæ mandandum, quia oportet rationes Aristotelis sequentes ita ostendere æternum esse motum, vt nulla intermedia quiete unquam interrumpi possit, hoc enim mirificè suffragabitur opinioni Auerrois de motu cœli, & refragabitur opinioni aliorum de motu in communi, ut uidebimus. Notatur hic à Zimara contradictio in verbis Auerrois magna, ac difficilis ad soluendum: hic enim dicit Auerroes sententiam fuisse Anaxagoræ quòd mundus sit factus postquàm per infinitum tempus non fuit, & aliquando interibit, & per infinitum tempus non erit, quam eandem sententiam attribuit Anaxagoræ in commentario centesimosecundo primi libri de Cœlo, tamen contrarium dicit Auerroes primo Physicorum trigesimosecundo, vbi dicit Anaxagoram posuisse mundum genitum in principio temporis, sed duraturum per tempus infinitum, & nunquàm interiturum, idque etiam Aristoteles asserit primo Physicorum trigesimonono, dicens Anaxagoram dixisse mentem diuinam cæpisse mundum per segregationem partium homogenearum ex illo chao, quam nunquam perficiet, sed perseuerabit segregare in infinitum, quare mundus æterno tempore durabit, sic etiam in contextu quintodecimo huius libri inquit Aristoteles Anaxagoram posuisse motum infinitum post infinitam quietem. Hæc contradictio est ita manifesta, vt nullum admittere subterfugium, & solui non posse multis uideatur. Alij tamen eam soluere conati sunt, quidam dixere literam Auerrois esse corruptam, & hic loco Anaxagoræ legendum esse Anaximandrum, sed non rectè dicunt, nam Aristoteles hic de Anaxagora loquitur, quare etiam Auerroes interpretans Aristotelem non potest nisi de Anaxagora hæc dicere. Ipse autem Zimara ita soluit. Anaxagoras dixit mundum interiturum, & iterum generandum, non tamen eundem numero, sed specie solum, in hoc enim distinguitur ab Empedocle, qui dicens mundum infinities renouari intellexit eundem numero, qui prius fuerat, sic igitur tollitur contradictio, aliquando enim dicit Auerroes secundum Anaxagoram mundum esse interiturum, nempè, secundum indiuiduū, aliquando etiam dicit nunquàm interiturum, nimirum, secundum speciem.

Reprobatur ab omnibus hæc solutio Zimaræ, & iure, cum manifestum sit Aristotelem, & in primo Physicorum, & infra in contextu quintodecimo attribuere Anaxagoræ, quòd putauerit mundum perpetuò duraturum, non modò specie eundem, sed etiam numero, segregationem enim a mente diuina nunquàm esse absoluendam, & post quietem infinitam fieri motum infinitum est mundum manere æternum etiam secundum indiuiduum. Præterea aduersatur Auerroi hoc in loco, qui dicit Anaxagoram putasse mundum esse interiturum, & post eius interitum fore quietem tempore infinito, negat igitur esse amplius renouandum, quod tamen ei tribuit Zimara. Ego credo vel non posse Auerroem defendi, uel accipiendam quorundam recentiorum solutionem, quam sumunt ex uerbis Simplicij in contextu Quintodecimo huius octaui libri, ibi ait Simplicius Anaxagoram reprehensum fuisse ab Eudemo quòd ex eius dictis non magis colligatur mundum mansurum in infinitum, quàm interiturum, cum enim Aristoteles ibi Aduersus Anaxagoram, dicat nullam esse rationem cur mens tunc potius quàm prius incæpisset generationem mundi, Eudemus ait; si Anaxagoras respondeat tunc incæpisse, quia tunc uoluit, non prius, ergo mens illa est agens voluntarium, quare non

re non est clarum, an uelit prosequi illam segregationem in infinitum, & sic mundum durare perpetuò, an potius per eandem arbitrij libertatem sit aliquando deliberatura confundere iterum res omnes, & mundum destruere. Hac igitur ratione defendere Auerroem possumus, qui modo tribuit Anaxagoræ quòd dixerit mundum perpetuò duraturum respiciendo id, quod Anaxagoras dixit, nunquam esse absoluendam segregationem, modo etiam attribuit ei quod putauerit mundum interiturum respiciendo id, quod necessarium est Anaxagoram existimasse mentem diuinam ex libera uoluntate mundum generasse, si quidem ex eadem libera uoluntate potest mundum interimere, uidetur enim utrumque posse Anaxagoræ attribui, ut etiam Simplicius, & Eudemus existimasse uidentur.

Contextus Tertius.

Considerandum igitur de hoc quomodo se habet. Operæprecium enim est non solùm ad eam, quæ de natura est, considerationem aspicere ueritatem, sed & ad methodum, quæ de principio primo est.


PROPOSITA quæstione, & eius sensu declarato Aristoteles antequàm ad eius examen accedat, proponit in hoc contextu utilitatem huius inquisitionis, ut nos promptiores, & attentiores reddat. Duas esse dicit huius contemplationis vtilitates, unam [ad naturam] idest, ad scientiam naturalem, alteram, [ad Methodum, quæ est de primo principio,] quam methodum aliqui intelligunt hunc octauum librum Physicæ, in quo agitur de primo motore, sed decipiuntur, quia Aristoteles hanc distinguit a tota scientia naturali, quare non potest esse pars aliqua scientiæ naturalis, sed est aliqua alia scientia diuersa. Præterea uerba Græca maximum pondus habent ob articulum bis duplicatum, inquit enim ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν μέθοδον τὴν περὶ τῆς ἀρχῆς τῆς πρώτης, quare significant sublimem aliquam scientiam, & inter omnes eminentem, quæ sit non de omni principio, sed de eo, quod sit absolutè, & omninò primum; quare non potest aliam intelligere quàm scientiam diuinam, ut est communis omnium aliorum sententia. Adde quòd de aliqua re scientia aliqua esse dicitur quando de illa perfectè agit, & eius essentiam contemplatur, & maximè quidem quando de ea agit tanquàm de subiecto, quamobrem scientia naturalis non rectè vocatur scientia de primo principio, cùm neque de eo agat, vt de subiecto, nec eius essentiam penetret, immò neque perfectè ipsum cognouit, ut principium, quia vt principium æterni motus tantum, quare non assequitur eius præstantiam, quæ non in hoc est constituta quòd sit causa alicuius accidentis, sed quòd substantiarum, & omnium quæ sunt in mundo causa sit, qualiter eius cognitionem habet Metaphysicus. Inquit enim Aristoteles in Contextu trigesimooctauo duodecimi Metaphysicorum [a tali ergo principio, & cęlum, & natura dependet,] quare sola Metaphysica uocari potest methodus de primo principio. Vocat autem Aristoteles totam scientiam Methodum, ut etiam vocauit in initio primi Physicorum, quia methodis vtitur, vt nos abundè declarauimus in primo libro nostro de Methodis. Videndum igitur est quænam sit hæc vtraque vtilitas; Aliqui priorem vtilitatem declarantes dicunt quæstionem hanc

esse

esse utilem ad scientiam naturalem, quia confert ad libros de Cęlo, vbi ostenditur æternitas mundi, quæ fit manifesta ex æternitate motus, necnon ad libros de generatione, vbi generationis perpetuitas declaratur ex æterno motu cęli, qui eius causa est. Sed isti mihi videntur secundariam vtilitatem considerare, & præcipuam prætermittere, nam æternitas motus non solum ad alia theoremata utilis est, sed & ipsa per se est res dignissima cognitu in scientia naturali, idque præcipuè respexit Aristoteles, dicens enim πρὸ ἔργου significat esse operæprecium, & esse per se dignum cognitu. Dicamus igitur esse operæprecium hoc considerare in scientia naturali, quia ad perfectam cognitionem rerum naturalium requiritur cognitio omnium accidentium, quæ illis per se competunt, in quorum numero hoc maximè dignum est cognitu æternitas motus. Quod si ad alia quoque naturalia Theoremata discutienda hæc quæstio conferat, eo maior eius utilitas redditur, sed hæc est secundaria, illa uerò principalis, & eam hic Aristoteles respicit. Ad diuinam autem scientiam hæc consideratio utilis est, quia ex cognitione æterni motus ducentur in cognitionem primi principij, nempè, Dei, & substantiarum abiunctarum à materia, de quibus tanquam de subiecto agit Metaphysicus.

Contextus Quartus.

Incipiamus autem primum ex definitis a nobis prius in Physicis. Dicimus itaque motum esse actum mobilis, secundum quod est mobile. Necesse est ergo existere res, quæ possunt moueri secundum vnumquemque motum. Et sine etiam motus definitione omnis utique confitebitur necessarium esse moueri id, quod potest moueri secundum unumquemque motum, ut alterari quidem alterabile, ferri autem secundum locum mutabile. Quare prius oportet combustibile esse antequam comburatur, & combustiuum prius quàm comburat.



IC dicunt aliqui tractationem hic incipere, & omnia præcedentia fuisse prohemium, cum Aristot. hic dicat [incipiamus] & cum tex. tertio dixerit utilitatem, quod quidem ad procemium pertinet. Lis quidem est parui momenti. Ego tamen puto procemium fuisse solam primam partem primi tex. Quamuis enim hic incipiat probationem, non propterea incipit vniuersam tractationem. Nam etiam quæstionis declaratio præcedens est pars tractationis, sine qua tractatio esset imperfecta, Ex hoc enim dignoscitur tractatio a procemio. Particula autem [igitur] in initio secundę partis primi tex. indicauit initium tractationis. Nunc autem fit initium probationis. De utilitate autem libri iam proposita dicere debemus non esse ex eo tantum iudicandum procemium, si quidem potest author etiã in medio libri tangere utilitatem, nec ob id erit procemium. Sed requiritur etiam vt id sit ante vniuersam tractationem, ut significat nomen procemij. Igitur Aristoteles incipit probare æternitatem motus, & primam rationem adducit, quę ab hoc contextu incipiens definit in nono, hæc multis difficultatibus plena est. Ideo in ea declaranda ita progrediar. Primo loco breuiter proferam ipsam Aristotelis ra-

lis rationem, deinde horum sex contextuum verba interpretabor, vbi eandem fu-sius explicabo, & explanabo; postmodum considerabo qualis hæc ratio sit, quam habeat vim, & quam æternitatem probet. Ratio talis est, supponit Aristoteles aduersarium dicentem fuisse motum primum. Sumendo primum non quidem primitate perfectionis, uel causalitatis, seu naturæ, sic enim solus motus cœli dicitur primus, sed primitate originis, & temporis, ita vt nil aliud sit hoc in loco motus primus nisi initium uniuersi motus, supponendo igitur aduersarium dicentem fuisse aliquando motum primum ducit ipsum ad hanc contradictionem quòd daretur motus prior primo, ipsa autem deductio talis est, in primis supponit motum necessario pendere a mobili, & a motore, & sine his esse non posse, idqui dicit colligi ex definitione motus tradita in principio tertij libri Physicorum, immo, & clarum per se esse sine definitione motus quòd motus supponit motorem & mobile, fundamentum hoc iacit Aristoteles in contextu quarto, deinde in quinto quærit, cum motus supponat mobile, & motorem, & per aduersarium fuerit motus primus, an motor ille, & illud mobile sint facta, seu ambo, seu alterum ipsorũ, an sint ambo ęterna, vt vtrouis dato ostendat sequi illud impossibile, quod daretur motus prior primo; postea in contextu sexto accipit, quòd sint facta intelligendo seu ambo, seu saltem alterum, & facit hanc consequentiam, si facta, ergo per motum, quoniam generatio non fit sine motu, ergo fuit motus prior primo, siquidem motus ille, quo fuerunt genita, præcessit illum, quem tu ponis fuisse primum motum. Deinde in contextu septimo sumit Aristoteles alterum membrum, quòd & motor, & mobile sint æterna, & ex hoc similiter infert, quod fuit motus prior primo. Et hanc illationem declarat in textu septimo, octauo, & nono, in quibus explicandis nos huius illationis uim diligentius considerabimus, nunc satis sit si eam breuiter referamus, quæ in hoc consistit, quòd si motor, & mobile æterna fuerunt, antequam inciperent motum, quærenda est ratio cur tunc non facerent motum, necesse enim est, ut aliquo impedimento detenta fuerint, vel ambo, vel alterum, ne motum facere possent, in quo impedimento si semper mansissent, fuissent semper in eadem dispositione, quare nunquam motum cæpissent, ergo si incæperunt motum, necesse est prius sublatum fuisse impedimentum, id autem fieri non potuit sine motu, ergo fuit motus prior motu primo, hæc est ratio Aristotelis a contextu quarto vsque ad nonum. In hoc igitur quarto contextu Aristoteles hoc fundamentum statuit, quòd motus supponit motorem, & mobile, & inquit se hoc sumere ex definitione motus tradita in tertio libro Physicorum, quæ talis fuit, motus est actus mobilis quatenus est mobile a motore. Ex hac igitur patet quòd motus requirit necessariò, & motorem, & mobile. Sed consideranda sunt Aristotelis verba dum dicit, [ex definitis a nobis prius in Physicis,] cum enim significet tertium Physicorum in quo tradita est definitio motus, quam hic Aristoteles statim adducit, videndum est, cur eum vocet Physicum. Aliqui dicunt uocari Physicum, quoniam hæc est propria appellatio horum octo librorum, ut dicantur Physici seu φυσικῆς ἀκροάσεως. Sed non rectam rationem adducunt, nam in octauo libro tertium uocans Physicum indicat octauum non esse Physicum. Quare ostendere oportet quomodo ille tertius ad differẽtiam octaui possit uocari Physicus, Simplicius dicit Aristot. consueuisse Physicos uocare ex his libris illos, qui sunt de principijs, nempe quinque priores, ad differentiam trium posteriorum, qui non de principijs sunt, sed de motu, φύσις enim natura est, & natura est principium. Sed hæc Simplicij sententia admittenda non est, tum quia aliàs ostendimus tertium librum esse maxime proprium de motu, non de principijs; tum etiam, quia Aristoteles omnes hos libros indistinctè solet uocare Physicos, vt pa-

tet ex

tet ex communi inscriptione φυσικῆς ἀκροάσεως, & Aristoteles duodecimo Metaphysicorum quadragesimotertio, citans hunc octauum librum inquit, diximus in Physicis: & in contextu quadragesimo huius octaui citans sextum librum Physicorum eum uocat librum de natura, attamen etiam secundùm Simplicium liber ille numeratur in libris de motu, non in libris de principijs. Ego puto Aristotelem significare alios præcedentes libros ad differentiam octaui dici Physicos, quatenus sunt uniuersaliter de natura, & de motu, cum hic octauus sit de uno continuo singulari motu, qui æternus esse ostendetur, quem proposuit in calce sexti libri inuestigandum, & quem tractaturum hic fuisse asserit in principio libri de communi motu animalium. Confirmant hanc expositionem uerba Aristotelis iam citata in contextu quadragesimo huius octaui, ubi citans sextum Physicorum dicit se egisse uniuersaliter de natura, quasi in hoc de natura particulariter agat, quatenus agit de æternitate unius singularis motus. Hac interpretatione utitur hic Sanctus Thomas, nesciò quo spiritu ductus, inquit enim Aristotelem dicere [in Physicis] quoniam ibi actum est de motu in communi, in hoc autem octauo incipit magis applicare motum ad particularia, sic enim ueritate coactus S. Thomas fatetur hunc octauum librum esse de uno singulari motu æterno, cum tamen in huius libri initio dixerit quæstionem proponi ab Aristotele de æternitate motus in genere, non de æternitate motus circularis. Patet igitur locum hunc mirificè fauere opinioni Auerrois quòd quæstio sit de motu cęli, nec difficultatem faciat quòd libri Physici sunt de communibus non de particularibus, iam enim diximus quòd motus æternus, qui in hoc libro consideratur, & si prędicatione non est uniuersalis, est tamē uniuersalis extensione, quia est tanquàm rerum omnium motus, & hac ratione in hoc libro consideratur. Sumit igitur Aristoteles ex tertio libro definitionem motus, quæ fuit ista, actus mobilis quatenus est mobile, cui etiam ibi adiecit aliam particulam, a motore, quam hic omittit, quia eadem est ratio de vtrisque, & ex hac definitione collegit necessarium esse motui ipsum mobile, nec posse esse motum nisi existat aliquod mobile, cui insit ille motus. Sed postea subiungit, quòd etiam sine definitione motus hoc manifestum est, sensu enim cognoscimus quòd omnis motus requirit mobile, in quo fiat, quod quidem Aristoteles exemplis declarat habentibus uim inductionis, si enim fieri debet alteratio aliquid existere debet alterabile, si debeat fieri localis motus, aliquod debet esse corpus, quod illo moueri dicatur, sic si debet esse combustio, necesse est aliquod esse combustibile, quòd comburi dicatur, & addit [combustiuum] significans motum requirere etiam motorem à quo fiat, hoc enim similiter colligitur ex definitione motus, & sine illa quoque manifestum est cuilibet bene consideranti; motus igitur supponit necessariò & mobile, in quo fiat, & motorem, à quo fiat. Sciendum hic est Græcos omnes ita hunc locum intellexisse, ut dixerint Aristotelem supponere mobile præcedere tempore motum, hoc enim significare uisa sunt in contextu uerba illa, prius oportet combustibile esse antequàm comburatur. Hanc eandem expositionem declarat, & defendit Auerroes in Commentario, & dicit eam fuisse Alfarabij, & aliorum, idem etiam Ioannes Grammaticus existimauit, ideò hoc constituto nixus est primum ex hoc capite diluere rationem hanc Aristotelis, nempè, de moliendo fundamentum hoc, & ostendendo quòd non est necessarium, vt mobile præcedat tempore motum. Simplicius autem, & Auerroes pro Aristotelis defensione nituntur soluere omnes Ioannis obiectiones, sed tandem Auerroes in calce Commentarij notat superuacaneum esse totam hāc disputationem, quia quamuis reuera tueri contra Ioannem possumus, quod mobile præcedit tempore motum, tamen Aristoteles non supponit hoc, neque eget hoc fundamento,

sed

sed solum supponit quòd motus requirit necessario, & mobile, & motorem, posteà enim videbimus rationem Aristotelis totum suum robur obtinere etiam sine illo fundamento, & solùm sumendo quòd motus fit necessariò in aliquo mobili & ab aliquo motore, ideò quando dicit Aristoteles [prius esse combustibile antequàm comburatur] non sunt hæc intelligenda de præcedentia temporis, sed solum de necessaria pendentia motus à mobile, & à motore, ita ut habeamus quòd motor, & mobile sunt priora motu, vel tempore, vel saltem natura. Itaque ne in superuacaneis tempus conteramus, possumus Ioanni Grammatico id condonare, quòd non est necessarium ut mobile sit prius tempore motu. Si quis autem cupiat intelligere quomodo defendatur Aristoteles etiam supponendo, quòd dicat mobile præcedere tempore motum, Auerroem legat qui longe melius, quàm Simplicius hoc fundamentum tuetur. Cùm enim obijceret Ioannes motum cæli æternum esse apud Aristotelem, qui non est tempore posterior mobili, Auerroes dicit Aristotelem hoc non supponere de motu æterno, sed de motu nouo tantum, non enim ex sola definitione motus supponit mobile esse prius tempore motu, sed ex ea simul cum positione aduersarij. Aduersarius autem asserebat motum omnino esse nouum, & cæpisse, quare apud eum nullus datur motus æternus. Videns Ioannes hoc, conatus est id ostendere etiam in motibus nouis, nam ex ligno genitus ignis, simul est tempore cum suo motu, statim enim genitus mouetur. Ad hoc dicit Auerroes, quod etiam sic mobile est prius tempore illo motu, si non illud idem mobile aliud saltem specie, si enim non præcedit ignis ille illum motum, at certè lignum præcessit, quia omnino necesse est ut quicquid actu incipit esse postquàm non fuit actu, prius fuerit in potentia quàm in actu, igitur potentia ad motum illum præcessit, vel in eodem mobili secundum numerum, vel in alio & numero, & specie. Hic possumus considerare quòd Aristoteles posteà in hoc libro probaturus est quòd quicquid mouetur, ab alio mouetur, & quia necesse illi erat prius ostendere motus æternitatem, in qua ostendenda illo fundamento egebat, quòd omnis motus fit à motore, ideò hanc fortasse ob causam in initio septimi Physicorum ostendere voluit alia ratione quòd quicquid mouetur, mouetur ab alio, vt hoc satis ei esset ad demonstrandam hic motus æternitatem, alia posteà ratione idem probaturo.

Contextus Quintus.

Ergo & hæc necessarium est, aut facta aliquando esse cum non essent, aut perpetua esse.



ACTO illo fundamento quòd motus requirit motorem, & mobile, Aristoteles hic incipit argumentari, & supponens aduersarium dicentem incæpisse omnino motum, quærit ab eo an motor, & mobile sint facta, an sint æterna, vt ex utrolibet dato ostendat fuisse motum priorem primo motu, quæ est implicatio contraditionis. Dictio [ergo] non habet hic uim colligendi ex dictis, sed incipiendi argumentationem. Similiter quando dicit.

Contextus Sextus.

Si igitur factum est mobilium, ac motiuorum vnumquodque necessarium est prius quàm accepta, aliam esse factam mutationem, & motum, secundum quem factum est, id quod potest esse motum, aut mouisse.

DICTIO illa, [igitur] non significat conclusionem, sed incæptionem deductionis ad impossibile, sumens enim primum quòd aduersarius dicat mobile, & motorem esse facta, idest, habuisse principium sui esse postquam non fuerant, ducit eum ad hoc impossibile quòd daretur motus prior motu illo posito, quem dicit aduersarius fuisse motum primum. Et deductio manifesta est, si enim motor, vel mobile, fuit factum antequam fecerit illud primum initium motus, ergo fuit factum per motum, generatio enim non fit sine motu, nempè, sine præuia alteratione, quæ est uerus motus, quare motus ille, quo genitum est mouens, uel mobile, præcessit illum, quem aduersarius inquit fuisse primum motum. [accepta,] significat motum illum, qui ab aduersario, ut primus accipitur, duarum autem illarum dictionum, [mutationem, & motum,] posterior est declaratiua prioris, non satis enim est dicere mutationem, si quidem intelligi poterat mutatio subita, ex qua non inferretur propositum, sed dicit præcessisse talem mutationem, quæ fit cum uero motu, quia generatio non fit sine præuia alteratione. In hac deductione Aristotelis notandum est idem consequens inferri, & ponendo ambo genita, & ponendo alterum saltem genitum, seu mobile, seu motorem, nã vtrouis posito sequitur fuisse motum priorem motu primo, hoc significauit Aristot. quando dixit, [mobilium, & motiuorum unumquodque,] quolibet enim uno istorum genito, necesse est primo motu fuisse alium motum tempore priorem, prius enim necesse est genitum esse mobile, postea moueri a motore motu illo, qui ponitur primus, sic necesse est prius fuisse genitum motorem, posteà uerò mouisse illud mobile, hoc idem significat etiam clarius postremis verbis, quando inquit, [id quod potest esse motum, aut mouisse,] disiunctiua enim indicat satis esse, si alterum duorum dicatur esse genitum. Notandum præterea est id, quod supra cum Auerroe diximus, suppositionem illam quòd mobile præcedat tempore motum, non esse necessariam ad huius consequentis illationem, etenim si ponatur etiam mobile nunquam extitisse sine motu, sed statim genitum cæpisse moueri, non minus sequitur, quòd oportet alium fuisse motum priorem, quo illud mobile fuit genitum. Dubitari hic posset aduersus illam consequentiam Aristotelis, si facta, ergo per motum, nam motum hunc lapidis possumus dicere factum, non tamen per motum, quia motus per motum non fit. Audiui aliquos ita soluentes, necesse est omne factum, esse factum per motum, idest post motum, dum igitur sumitur dictio illa, per, pro, post, tollitur omne dubium, quia etiam hic motus lapidis fit post alium præcedentem motum. Sed isti decipiuntur, quia hæc non est mens Aristotelis, qui talem motum præcedere intelligit, qui ad illam generationem dirigatur tanquam ad finem. Inquit enim [motum secundum quem factum est,] quod non significat fieri solum post motum, sed per motum, ita ut ad illam generationem tendat ille motus, uel saltem consequatur illum motum generatio hu-

ius rei; at non sic fit motus per motum, quamuis enim per accidens eueniat, ut hunc lapidis motum alius motus præcesserit, non tamen hic per motum illum factus unquam dicetur. Ideò ad argumentum ego aliter puto esse respondendum. Aristotelem non loqui de alijs factis, nisi de illis, quæ habent esse permanens, ita ut tota simul fieri dicantur. Talia enim esse statuuntur mobile, & motor, de quibus in præsentia loquimur, hæc enim non incipiunt esse nisi per motum, sed res fluentes, qualis est motus, non ita fiunt per motum, ut sint finis motus, & de his non loquitur Aristoteles, quia hæc non ita fiunt, vt tota incipiant esse, & quamuis Aristoteles in primo contextu motum uocauerit factum, hoc est, incæpisse postquàm non fuit, non tamen hic de tali facto intelligit, quòd debeat esse factum per motum.

Contextus Septimus.

Si autem quæ sunt ante erant semper, motu non existente, irrationabile quidem uidetur etiam ijs, qui a seipsis sciunt. At uerò magis vltra progreßis hoc necessarium est accidere. Si enim alijs quidem mobilibus existentibus, alijs autem motiuis aliquando quidem est quid primum mouens, aliquid autem quod mouetur, aliquando autem nihil sed quiescit, oportet hoc mutari prius. Erat enim aliquid causa quietis; quies enim priuatio motus est, quare ante primam mutationem erit mutatio prior.

SVMIT Aristoteles alterum membrum quod motor, & mobile præfuerint æterna ante motum primum, ut ostendat hoc quoque posito idem absurdum sequi, quòd daretur motus prior illo motu, qui ponitur primus. In quo deducendo uersatur Aristoteles in his tribus contextibus septimo, octauo, & nono, dicit primùm positionem hanc cuilibet consideranti uideri irrationabilem quòd motor, qui est aptus mouere, & mobile aptum moueri, præfuerint æterno tempore absque ullo motu, cur enim non faciebant motum? cur tunc potius quàm antea? itaque dogma hoc omnino repugnat rationi, ut quilibet, qui etiam a nullo sit edoctus, per se ipse animaduertere potest. Sed mittatur hoc (inquit Aristoteles) si ratione duce progrediamur, uidebimus esse necessarium idem absurdum sequi, idque deducere incipit quando inquit [si enim alijs quidem] & sensus clarus est, si est necessarium dari motorem, & mobile, & in rebus sunt aliæ, quæ mouent, aliæ quæ mouentur, tu uerò dicis aliquid fuisse [primum mouens] idest, quod fecit primum motum, qui fuit initium uniuersi motus, & aliquid mobile, quod eo primo motu moueri cæpit, ante quem motum nihil mouebatur, sed quiescebant omnia [oportet hoc] idest, aut mouens, aut mobile [mutari prius] idest, ante primum illum motum. Quod ita ostenditur [erat enim aliquid causa quietis] cum enim res aptæ facere motum tunc quiescerent, necesse est aliquam fuisse illius quietis causam: quod sic probatur, [quies enim est priuatio motus] quod enim alterius oppositi causa est, solet esse impedimentum respectu alterius oppositi, quando igitur non faciebant motum vllum, necesse est aliquod fuisse impedimentum respe-

ctu motus, quod idem diceretur causa illius quietis, siquidem opponuntur motus & quies ut habitus, & priuatio. Durante igitur illo impedimento motus, hoc est, causa illa quietis, nunquàm potuisset motus incipere: at incœpit, ut ponimus, ergo aliquid prius remouit illud impedimentum, illa autem impedimenti remotio fieri non potuit nisi per motum, ille igitur motus pręcessit motum illum, quem tu ponis primum. Quæritur hic an omnis priuatio ab aliqua causa proueniat, sicut Aristoteles hic uidetur significare. Nos prolixam hac de re disputationem omittentes satis est si dicamus necessarium esse ut omnis priuatio propriè accepta causam habeat, propriè autem acceptam dico illam, quæ est absentia oppositi habitus in re capace habitus, necesse est enim vt res capax habitus, si illo careat, causam aliquam habeat, propter quam careat, quod inductione in omnibus ostendi potest, cum enim humana natura sit visionis capax, necesse est si homo aliquis sit cæcus, ut aliqua sit causa illius cæcitatis, nempè, uitium aliquod, vel læsio in corpore facta: luna est capax luminis sibi a sole communicati, eo priuatur aliquando propter statutam causam, quæ est obiectio terræ: prima materia habet priuationem formæ hominis, causa illius priuationis est præsentia formæ oppositæ, quæ est forma seminis, hanc enim consequitur necessario priuatio formæ humanæ. In his autem omnibus similiter manifestum est non posse priuationem remoueri, nisi remoueatur eius causa, quæ est impedimentum oppositi habitus, eaque remotio non potest fieri nisi per motum, vt hic inquit Aristoteles, vt priuatio formæ humanæ à materia remoueri non potest nisi remoueatur forma seminis, idque fieri non potest nisi per eius corruptionem cum præuia alteratione, sic priuatio luminis in luna non potest remoueri nisi remoueatur terræ interpositio, hæc autem non remouetur nisi per ipsum lunæ motum, sic in homine cæcitas, si curabilis sit, non potest remoueri nisi per motum, siue localem, siue alterationis, idque manifestum est in omnibus consideranti, quare ratio hæc Aristotelis non uidetur habere difficultatem.

Contextus Octauus.

Alia enim mouent singulariter, alia autem, & secundum contrarios motus, ut ignis quidem calefacit, frigefacit autem non, scientia autem uidetur contrariorum esse una. Videtur igitur & illic esse aliquid eiusmodi, frigidum enim calefacit, uersum quodammodo, & abscedens, sicut, & peccat uoluntarius sciens, quando è contrario vtitur scientia. At uerò quæcunque possunt facere, aut pati, aut mouere, aut moueri, ea moueri non pœnitus possunt, sed si sic se habeant, & appropinquent sibi inuicem, quare cum propinqua fuerint, & ita fuerit. Vt sit hoc quidem motiuum, illud autem mobile, aliud quidem mouet, aliud autem mouetur.


REDO contextum hunc ita secundum Auerroem esse cum praecedentibus connectendum, cum Aristoteles dixisset motorem & mobile, si ponantur aeterna, non potuisse incipere motum, nisi factus sit alius motus prior, quo remoueretur, uel a mobili, uel à motore impedimentum, quod erat causa quietis. Poterat aliquis pro huius solutione confugere ad motorem uoluntarium, qui per liberum suae uoluntatis arbitrium potest & mouere, & non mouere prout vult, cum enim de mobili clara res sit, quòd quando in ipso est impedimentum, id non potest remoueri nisi per motum, cum etiam clara sit de motore non cognoscente. Dicere aliquis poterat nullum fuisse impedimentum in ipso mobili, cum mobile semper fuerit aptum moueri, sed fuisse impedimentum in motore, sed motorem fuisse uoluntarium, & libere mouentem, proinde a nullo alio recepisse hoc impedimentum, sed à propria tantum uoluntate, prius enim mouere potuisset si uoluisset, non mouit, quia noluit, nullo igitur motu remotum est hoc impedimentum, siquidem transiuit ipse de nolle ad uelle sine ullo motu per solum liberum suae uoluntatis arbitrium. Statuendo igitur quòd mobile semper fuerit in eadem dispositione, & sine ullo impedimento, eo quòd motor ille fuerit uoluntarius, nunc Aristoteles ostendere vult, eum non potuisse transire de non mouere ad mouere, seu a nolle ad uelle nisi facto aliquo reali motu, qui sit prior tempore motu illo, quem primum esse aduersarius ponit, adeo ut ratio Aristotelis sit efficax, & locum, ac uim habeat de omnibus, & mobilibus, & motoribus cuiuscunque generis. Scire tamen debemus quod Aristoteles infra in contextu vigesimo, & quinquagesimo primo melius ac diligentius tollet dubium hoc de motore uoluntario: hic leuiter tantum ipsum tangit, ne aliquis ob hoc existimaret rationem Aristotelis hoc modo solui posse, & inefficacem esse, quomodo enim hoc sit non declarat hic, quia posteà id declaraturus est, sed solum dicit uerum esse etiam in motore uoluntario quòd non potest transire de non mouere ad mouere sine sui mutatione, ut de omni mobili, & motore cuiuscunque generis manifestum maneat fundamentum hoc per inductionem in omnibus mouentibus, & mobilibus. In textu hoc Aristoteles tria facit, primò distinguit duo genera mouentium, & eorum discrimen declarat. Secundo tangit aliquam eorundem conuenientiam. Tertio declarat uniuersalem conditionem omnium mobilium, & mouentium, ut non sint apta moueri, uel mouere, nisi sint & conuenienter propinqua, & certis quibusdam dispositionibus praedita; mox in contextu nono applicabit haec omnia ad concludendum suam demonstrationem. Distinguit igitur Aristoteles agens in duo genera, in agens naturale, quod cognitione caret, & agens per cognitionem, & horum differentiam considerat quòd agens naturale non potest agere nisi alterum oppositorum, ut ignis calefacere tantum potest, frigefacere autem non potest. Agens uerò per cognitionem potest aequè agere utrumlibet oppositorum; potest enim homo, & ambulare, & non ambulare, potest tùm sursum tum deorsum moueri; potest Medicus, & exsiccare, & humectare; potest & calefacere, & frigefacere, & utrumque per se, & quatenus est Medicus, & in hoc differentia perpetua consistit inter agens naturale, & agens rationale, quòd agens rationale est aptum agere utrumque oppositum, nempe, diuersis temporibus, & utrumque per se. Agens uerò naturale nunqnam potest agere per se utrumque, & hanc differentiam tangit Aristoteles in prima parte huius contextus. In secunda verò tangit eorundem conuenientiam in agendo unum oppositorum per se, & alterum per accidens: contingit enim quandoque ut frigidum calefaciat per accidens, discedens enim calefacit, sed est per accidens, quia non ut frigidum, sed ut discedens, sic etiam hyemis tempore frigus externum ca-

lefacit interna animalium per antiparistasim, non per se, sed per accidens, quia per mediam frigefactionem; frigefaciens enim per se externa animalis facit ut calor ipsum fugiens interna animalis petat, & concentretur, & ita maior fiat, quare immediatè frigefacit solùm, at mediate, & per frigefactionem facit etiam calorē per accidens. Hoc idem etiam inquit Aristoteles contingere agenti rationali, quo circa in hoc similia sunt, nã Medicus quandoque sponte peccat, & abutitur preceptis illius artis ad necandum, quod est contra eius artis naturam, cũ ad sanitatem, & ad uitam, non ad necem dirigatur, ideò est per accidens, quia non necat quatenus medicus, si finis medicæ artis est sanitas. Poterat autem Aristoteles cum hac similitudine notare aliquam dissimilitudinē, quamuis enim ambobus contingat agere alterum oppositum per se, & alterum per accidens, non est tamen idem modus accidentalitatis. Frigidum enim nunquàm calefacit immediatè, sed semper mediatè; at Medicus immediatè ex præceptis artis, quibus abutitur, necat, idque dicitur facere per accidens, quia contra artis naturam, quæ est propter sanitatem, non quia mediatè. Aristoteles hanc differentiam considerare neglexit in secunda parte, quia ad ipsum non pertinebat, & satis habuit similitudinem, quam diximus, considerare, quod quidem fecisse uidetur, ut solueret taciam obiectionem, cum enim in prima parte dixisset agens voluntarium in hoc differre ab agente naturali, quòd agens uoluntarium potest agere utrumque oppositorum, naturale uerò alterum tantùm; obijcere aliquis poterat quòd etiam agens naturale agit opposita, nam frigidum, (quemadmodum diximus) aliquando calefacit, ideò Aristoteles respondet id uerum esse, sed esse per accidens, veluti etiam quandò agens uoluntarium agit alterum oppositorum per accidens, dum sponte peccat. Responsio igitur in hoc consistit, concedimus similitudinem esse inter agens naturale, & agens rationale in hoc quòd possunt unum oppositorum agere per se, alterum per accidens: sed dico perpetuum esse eorum discrimen in hoc, quòd agens uoluntarium potest etiam per se agere utrumque oppositorum, quod agenti naturali nunquam contingit, hæc igitur est differentia, quæ in prima parte huius contextus facta est. Hanc esse puto Aristotelis sententiam in hac parte, non quam aliqui existimarunt, qui non cognouerunt alium modum, quo artifex agat utrumque oppositorum, nisi quatenus sponte peccat, & tunc dicunt ipsum per se agere utrumque, quamuis enim peccet, tamen cum ex intentione agat, dicitur per se agere. Sed hi certè decepti sunt, quia licèt Medicus ex professo, & data opera interficiat, attamen non potest dici per se, quia non quatenus medicus, cum sit contra illius artis naturam, quæ à sola sanitate sumitur tanquam à fine: negari etiam non potest, cum sit per se manifestum, posse artificem agere utrumque oppositum per se, & absque illo spontaneo peccato, ut quando sanitatis gratia modo exsiccat, modo humectat, quem modum isti uidentur ignorasse. Vicomercatus quoque hoc ignorans, in alium errorem incidit, quòd omninò negauit agens uoluntarium posse agere per se utrumque oppositorum, sed dixit semper agere vnum per se, & alterum per accidens, deceptus authoritate Aristotelis perperàm ab eo intellecta nono Metaphysicorum, ubi dicit scientiam esse cõtrariorum, sed unius per se, alterius uerò per accidens, at uerò quòd deceptus sit res ipsa declarat, patet enim agens rationale posse utrumque agere per se, authoritate autem illa Aristotelis abutitur absque ullo dubio, siquidem Aristoteles ibidem de actuali scientia loquitur, hic uerò de potentiali, ibi enim significare vult quòd vnius contrarij scientia actualis, cum illius sit propriè, & primo est etiam alterius contrarij cognitio secundario, & per accidens, at non negaret Aristoteles eundem scientem, qui primo scit vnum contrarium, posse etiam alterius contrarij cogni-


cognitionem habere per se, & primo, licet eam nunc non habeat per alterius contrarij cognitionem formaliter, idque nunc respicit Aristoteles. Verba Aristotelis in prima, & secunda parte clara sunt, dictio [enim] vim probandi habet, vult nanque Aristoteles per dubij solutionem probare inductione in omnibus quod mouens, & mobile non possunt de quiete transire ad motum, nisi post mutationem factam ab altero ipsorum, qua sit sublatum impedimentum, quod erat causa quietis, [alia mouent singulariter] idest, agunt alterum tantum oppositorum, quæ sunt agentia naturalia quòd autem dicit [scientia verò contrariorum uidetur esse vna] significat, solum autem agens per scientiam, & cognitionem potest vtrumque contrarium agere, nos autem addamus per se, nam si intelligamus per accidens non ipsum solum sed etiam agens naturale potest agere opposita. [At uerò quæcunque possunt facere, aut pati] Hoc statuit Aristoteles tanquam fundamentum per se notum, sed etiam infra magis declarandum, & statim facit consequentiam conditionalem, ex qua postea in textu nono argumentatur à destructione consequentis. Facta mouentium diuisione & enumeratione, eorumque discrimine declarato, Aristoteles in hac tertia particula proponit communem conditionem omnium mobiliū & omnium mouentium nullo excepto, hoc est & naturalium, & rationalium, ut non sint apta moueri, uel mouere, nisi sint conuenienter disposita, illa ut moueri, hæc ut mouere possint, significare uolens, quòd etiam motor rationalis debet esse bene dispositus, si mouere debeat, sicuti etiam motor naturalis, adeò ut si sint bene disposita & mobile, & motor, necesse sit illud moueri, hoc autem mouere, si uerò non moueant, necesse sit uel mobile, uel motorem carere debita dispositione, quæ non potest induci nisi per motum, uel habere aliquam contrariam dispositionem, quæ sit causa quietis, eaque similiter non potest remoueri nisi per motum. Non declarat tamen Aristoteles quomodo hoc locum habeat in motore uoluntario, quia postea alio in loco est accurate id declaraturus, sed satis habet pro præsenti occasione hæc enuntiare, ut intelligamus nullam esse differentiam in hoc inter motorem naturalem, & motorem uoluntarium, vterque enim quando non moueat, est impeditus, nec potest impedimentum remoueri nisi per motum, hoc enim in præsentia satis est pro dubio tollendo de motore rationali, & pro facienda perfecta inductione in omnibus mobilibus, & motoribus nullo excepto, quam concludit Aristoteles in contextu nono sequente. Hæc est huius particulæ sententiæ. In uerbis quædam perpendenda sunt. Dictio aduersatiua [at verò] significat quòd licet sit in mouētibus differentia iam memorata, tamen quantum ad id, de quo in præsentia loquimur, eiusdem sunt conditionis, quippe, requirunt omnia certas quasdam dispositiones, si debeant esse apta mouere, & dicit Aristoteles, [quæcunque,] vt omnia complectatur, & mobilia, & mouentia, quæ in hac conditione nullo excepto conueniunt omnia. Dispositiones autem ab Aristotele tanguntur duplices, requirunt enim motor, & mobile debitam distantiam inter se, sine qua non fit motus, requirunt etiam singula proprias quasdam affectiones sine quibus non faciunt motum, ideò Aristoteles dicens. [Si sic se habeant,] denotat affectiones, seu qualitates in his singulis requisitas. Deinde dicens, [& appropinquent sibi inuicem,] tangit distantiam loci conuenientem, quam etiam respicit, quando posteà dicit [cum propinqua fuerint.] Deinde quando subiungit, [& ita fuerint] respicit qualitates, seu affectiones in singulis requisitas. Notandum autem est, quòd quando Aristoteles dicit, [possunt facere, aut pati] verbum possunt non significat potentiam illam, quæ præcedit actum, sic enim etiam quando sunt impedita, dicerentur posse, idest, habere potentiam mouendi, quod tamen Aristoteles negat, sed significat potentiam cum actu

conjun-

coniunctam, quia Aristoteles dicit, quòd quando possunt tunc iam mouent, & mouentur, possunt autem quando nullo tenentur impedimento, quare vult talem potentiam mouendi esse coniunctam cum ipso mouendi actu.

Contextus Nonus.

Si igitur non semper mouebatur, manifestum est quod non sic se habebant, vt posset hoc quidem mouere, illud autem moueri, sed oportebat mutari alterum ipsorum, necesse enim est in ijs quæ sunt ad aliquid hoc accidere, vt si non erat duplum, nunc duplum est mutari, si non vtrumque alterum; erit igitur quædam mutatio prior prima.



HIC Aristoteles omnia, quæ in præcedenti contextu dixit, accommodat ad rationem suam concludendam, facitque duas consequentias, quarum prior supponit consequentiam factam in fine octaui contextus, & est processus a destructione consequentis, ibi enim dixit, si sunt ambo bene disposita, ergo unum mouet, & alterum mouetur, nunc procedens a destructione consequentis dicit, at prius per se non faciebant motum, inquis enim non semper fuisse motum, ergo sequitur quòd prius nō erant ita disposita, ut unum mouere posset, alterum uerò moueri. Ex hoc consequente infert posteà Aristoteles alterum secundum consequens, nam illa verba [sed oportebat mutari alterum ipsorum] vim habent alterius secundi consequentis à priore deducti, nam si non erant conuenienter disposita, uel ambo, vel alterum, necesse est, si debeant incipere motum, ita mutatio fiat, uel in ambobus, vel saltem in altero ipsorum, & ita detur motus prior illo, quem tu poni primum. Harum duarum consequentiarum prior (vt diximus) manifesta est ex præcedenti contextu. Alteram posteriorem probat Aristoteles redigens ad syllogismum, quando inquit [necesse enim est in ijs, quæ sunt ad aliquid] & syllogismus talis est, Quandocunque acquiritur, seu aduenit aliquibus duobus aliqua relatio inter se, quam prius non habebant, necesse est ut ea aduenerit post præcedentem motum, sed actu moueri, & mouere sunt relatiua, & inter se referuntur, eaque relatio nunc ijs duobus aduenit cum prius eam non haberent, ergo aduenit post præcedentem motum, is igitur motus fuit prior illo, quem tu ponis primum. Maiorem, & conclusionem syllogismi ponit Aristoteles: minorem uerò non exprimit, sed ut per se notam supponit. Maiorem declarat Aristoteles exemplo, duplum enim & dimidium sunt relatiua inter se, siquid ergo non erat alicuius duplum, & posteà est factum duplum, necesse est mutatum esse uel utrumque, uel saltem alterum ipsorum, ita ut post illum motum sit acquisita hæc noua relatio, quæ non erat prius, uel enim motus augumentationis præcessit quo alterum est factum maius, uel aliquis alius motus. Sic etiam si columna illa nunc est mihi dextra, quæ prius dextra non erat, non potuit hæc relatio aduenisse nisi post motum, factus enim est in me motus localis, quo ad hunc locum accessi, vbi columna est mihi facta dextra: sic igitur nunc dicimus, mouere & moueri sunt relatiua inter se, quorum relatio autem non erat, quia aduersarius ponit quòd antea nec motor mouebat, nec mobile mouebatur, quare si nunc facta est eorum relatio, cum motor moueat, & mobile mouea-

moueatur, necesse est factum esse post aliquem motum, isque fuit motus prior hoc, quem ille primum esse ponit. Ad huius maioris propositionis intelligentiam sciendum est ex Aristotele in quinto libro Physicorum quòd in tribus tantum prædicamentis est verus motus, in quantitate, in qualitate, & in vbi, in alijs uerò non est motus, tamen si aliquid ipsorum fiat postquam non erat, non potest fieri nisi post aliquem unum motum factum uel in quanto, uel in quali, vel in vbi, vt prius de relatione columnæ diximus, quæ acquisita est post motum localem, sic forma substantialis acquiritur post motum præuiæ alterationis, sic acquiritur relatio, & quodlibet aliud septem prædicamentorum præter illa tria, in quibus est motus. Sed non est ignorandum quòd quando per motum acquiritur relatio illa non est propriè terminus illius motus, nam uerus, ac proprius terminus prædicti motus, quo columna facta est mihi dextra, est illud vbi, quod ego adeptus sum, quare est semper ex eo prædicamento, in quo est motus ille, proinde, proprius, & intrinsecus terminus cuiusque ueri motus semper est uel quantitas, uel qualitas, uel vbi, sed cum consequitur alius externus terminus ex alio prædicamento tanquàm accessorius, & accidentalis, nisi sit per se intentus à motu præcedente, seu ab eius motore, quod euenire uidetur in generatione substãtiali, fit enim post præuiam alterationem, cuius intrinsecus terminus est qualitas, extrinsecus autem forma substantialis, intenta tamen primario à natura, & finis illius præcedentis motus. Vtcunque autem hoc sese habeat, illud certum est non posse relationem nouam acquiri, nisi post motum factum in altero relatorum, ut hic Aristoteles dicit. Sed aduersus hoc dubitatio occurrit, quia non uidetur in omnibus uerum esse hoc Aristotelis dictum, nam si ego sim conuenienter propinquus igni, ita ut ab illo calefieri possim, sit tamen interpositus lapis, quo ibi posito non possit ignis ne calefacere, remoueatque aliquis alius illum lapidem, statim incipiam calefieri, nulla tamen erit facta mutatio in igne, neque in me, falsum ergo dicit Aristoteles quando inquit necesse esse, vt uel in utroque relato, uel in altero motus aliquis fiat, si debeat aduenire noua relatio. Alia similia dubia legi possunt apud Burlæum, quorum omnium una est solutio, quam hic affert Auerroes, qui dicit regulam Aristotelis ueram esse cum aliqua limitatione, nempe, si debeat aliquibus duobus aduenire aliqua relatio noua necesse est prius motum aliquem factum esse uel in vtroque, uel in altero, uel si in neutro, saltem in aliquo tertio, hoc enim non potest labefactare sententiam Aristotelis, cum non minus per hoc inferatur consequens ab Aristotele deductum, satis enim est ostendere dari motum priorem motu primo, nec refert àn motus ille prior præcesserit in altero duorum relatorum an in aliqua alia re, considerandum hic esset quomodo sit verum illud, quod Aristoteles dixit quòd adueniente noua relatione mouentis, & moti, necesse est, si nulla in mobili mutatio præcessit, ut præcesserit in motore siue rationali, siue naturali: sed hoc ab Aristotele ipso declarabitur infra in contextu vigesimo, & quinquagesimoprimo, ideò nunc sat est pauca dicere. De motore quidem naturali clara res est, cum enim ignis non sit aptus per se nisi calefacere, nec possit nisi calefacere, nisi ab aliquo impediatur, ideò necesse est, vt quando non calefacit, impedimento aliquo detineatur, nec possit vnquam incipere calefactionem, nisi prius remoueatur impedimentum, quod quidem nisi per motum remoueri non potest. De mouente autem rationali obscurior res est, sed optimè declaratur ab Auerroe tum hic, tum in commentario quadragesimo octauo secundi libri Physicorum, vbi dicit proprium esse potentiæ actiuæ posse agere alterum tantum oppositorum, potentiæ autem passiuę posse pati vtrumlibet indistinctè, ideò si potentia rationalis uidetur esse apta utrumlibet agere, id

sit, quia redolet potius naturam potentiæ passiuæ, est enim agens quoddam remotum, quod instar materiæ est indifferens ad vtrumque, ideò ex se nunquam ageret alterum potius quàm alterum, nisi ab aliquo appetibili contraheretur ad hoc potius quàm ad illud agendum. Nunquam igitur incipiet agere, nisi moueatur ab aliquo appetibili, vt cum ego æquè possim moueri & quiescere, moueor tamen ad ignem, qui fit mihi appetibilis si frigescam. Neque hoc ita intelligendum, est quasi motus ille, quo anima mouetur ab aliquo appetibili, dicatur esse motus ille præcedens, quem Aristoteles primo priorem esse asserit, hoc enim nihil esset, siquidem is motus, qui fit à fine, improprius, & metaphoricus finis est, non est realis, & uerus motus, ideò aduersarius diceret se concedere talem motum præcessisse, at non uerum realem motum: sed est intelligendum quòd alius verus motus præcesserit factus ab aliquo efficiente, nõ à causa finali, necesse enim est vt nouus ille Metaphoricus motus, quo anima ab appetibili mouetur, sequatur aliquem verum motum, non enim mouerer ego ab igne tanquàm appetibili, nisi prius à frigore externo fuissem frigefactus, quę est alteratio, & uerus motus, idque in omnibus verum esse comperietur. Sed hac de re superuacaneum est plura dicere, cum Aristoteles ipse in memoratis locis eam diffuse declaraturus est. Intellecta hac prima Aristotelis demonstratione quędam in ea consideranda sunt. Primo loco sunt considerandæ obiectiones Ioannis Grammatici contra hanc primam Aristotelis demonstrationem, quas recensent, ac soluunt Simplicius, & Auerroes, quod quidem nos breuiter faciemus, cum enim apud Simplicium, & Auerroem hæc disputatio legi possit, nobis quædam pauca tangere satis erit, præsertim cum magna eius disputationis pars superuacua penitus sit, & ad Aristotelem minimè pertinens. Ioannes igitur uolens pro Christiana ueritate contra Aristotelem pugnare, conatus est hanc primam rationem demoliri, totaque disputatio ipsius tribus capitibus continetur, vt apud Simplicium legere possumus, Primùm enim videns Aristotelem in quarto contextu hoc fundamentum statuisse quòd mobile pręcedit tempore motum, ostendere nixus est huius fundamenti falsitatem. Secundò carpit Aristotelem in hoc quòd ad concludendam hanc suam primam demonstrationem poterat vti meliore principio, ac fundamento, quo tamen non est usus, uti enim poterat Aristoteles hoc fundamento ex nihilo nihil fit, & ratio Aristotelis fuisset efficacissima, quo tamen non est usus. Tertio, cum Aristoteles demum in contextu nono usus sit hoc fundamento, relatiua præcedunt tempore relationem, hoc quoque destruere Ioannes conatus est, quasi hoc euerso, necesse sit rationem Aristotelis corruere, ipse enim in pluribus ostendit quòd relatiua non præcedunt relationem tempore, nam partes animalis dextra, & sinistra eodem momento incipiunt esse, & inter se referri, sic ignis genitus statim ascendit, adestque tunc relatio inter ignem motum, & eius uirtutem motricem, quæ tamen illi relationi non præfuerunt tempore. Sed de primo, ac de tertio huius disputationis capite nil nobis dicendum est, siquidem falsò utrumque à Ioanne attribuitur Aristoteli. Quod enim ad primum attinet, iam diximus Aristotelem non supponere quòd mobile præcedat tempore motum, & in hoc errarunt Ioannes, & Simplicius ita existimantes, nam (vt bene notauit Auerroes) Aristoteles hoc non accipit, sed solùm quòd motus requirit mobile, seu prius tempore, seu natura, ideò omnes illæ obiectiones possunt Ioanni concedi, concessis enim, nullum ratio Aristotelis recipit detrimentum. Hoc idem de tertio capite optimè animaduertit Simplicius, reuera enim Aristoteles hoc non supponit quòd fundamenta pręcedant tempore relationem, idque Ioannes falsò Aristoteli attribuit, nam Aristoteles ex aduersario assumpsit, quòd motiuum, & mobile præcesserint tempore

rela-

relationem, quæ est inter mouens actu, & motum actu, & ostendit quòd illa posteà adueniens relatio, non potuit aduenisse nisi per motum, qua re tota hæc disputatio est præter rem. Restat ut de secundo disputationis capite aliqua dicamus. Obijcit Ioannes Aristoteli quòd non usus sit hoc principio, ex nihilo nihil fit, ex quo hæc demonstratio fuisset ualidissima. Ad hoc Simplicius, & alij respondent concedendo non usum esse Aristotelem hoc fundamento, quoniam (dicunt) maluit vti principijs proprijs, quàm principio illo nimis communi, ideò uti voluit definitione motus, ut principio proprio, & ex natura motus demonstrare motus æternitatem. Sed horum sententia mihi non probatur, errasse enim Ioannem, & hos omnes puto, dum opinati sunt Aristotelem eo principio usum non esse, cum potius ratio hæc ita ex hoc principio pendeat ut eo sublato omninò corruat, non enim quòd Aristoteles hoc principium non exprimat dicendum est quòd eo principio non utatur, siquidem principiorum communium is frequentissimus est vsus, ut sine expressione ipsis innitantur demonstrationes, & sine his nullam habeant efficacitatem. Ostendo igitur quòd sine hoc principio demonstratio Aristotelis nil roboris habet, & hæc est responsio, qua nos prò Christiana fide vti debemus ad hoc Aristotelis argumentum, eamque ponit S. Thomas in prima parte summæ quæstione quadragesima sexta articulo primo, quando enim quęrit Aristoteles si fuit primum initium motus motor & mobile sunt ne facta an sunt æterna? nos respondemus motorem quidem semper fuisse, & semper eodem modo se habuisse; sed mobile, nempè, vniuersum mundum, esse factum à Deo. Cum autem Aristoteles argumentatur dicens, si factum: ergo per motum, nos negamus consequentiam, dicimus enim esse factum à Deo in instanti, non per generationem, sed per creationem ex nihilo, quæ quidem est sine motu, dum enim confugimus ad creationem ex nihilo, ratio Aristotelis nihil concludit, quamobrē si debet habere efficacitatem, necesse est pręsupponere fundamentum hoc, ex nihilo nihil fit: Ioannes ergo decipitur, dum inquit Aristotelem non esse vsum hoc principio. Admonere autem hic uolo me hac in re non omnino Diuo Thomæ assentire, quòd enim dicat rationem Aristotelis ita solui, id quidem verissimè dicitur, sed quòd hæc fuerit Aristotelis mens, nempe, quòd de creatione cognouerit, quòd fieri possit ex nihilo, & de sola generatione dixerit quòd nihil potest ex nihilo fieri; hoc quidem ego nullo modo sentio, sed credo Aristotelem negasse omnem productionem ex nihilo, neque cognouisse creationem, siquidem non fuit Christianus, quando igitur utitur hoc principio ex nihilo nihil fit, puto ipsum semper intelligere id uniuersaliter uerum esse, ita ut nulla detur productio nisi ex præsupposita materia, hoc enim ita constituto ualida est consequentia hæc, factum, ergo per motum, sed eo negato, vt nos negare debemus, ratio Aristotelis corruit, & nihil habet efficacitatis. Videns autem Ioannes rationem Aristotelis adiecto hoc principio fieri efficacissimam conatus est illud demoliri, & ostendere Deum posse ex nihilo creare nulla præsuposita materia, ideò occasionem dedit, & Simplicio, & Auerroi disputandi contra creationem ex nihilo, de qua disputatione nil nobis dicendum est, siquidem apud nos est articulus fidei, & principium indemonstrabile, Deum ex nihilo mundum creasse. Contra verò in Philosophia Aristotelis est principium indemonstrabile, quod nullo modo potest aliquid fieri ex nihilo, at certum est nullam esse posse disputationem inter eos, qui non conueniunt in principijs, uana est igitur omnino hæc disputatio, nec nos in præsentia aliud dicere debemus, nisi quòd in principijs Aristotelis hæc ratio est ualidissima, & insolubilis, à nobis tamen Christianis facilè soluitur negato illo principio ex nihilo nihil fit, dicimus enim mundum a Deo creatum statim incepisse

pisse moueri, nec ostendi posse quòd fuerit motus alius prior illo primo, propterea quod creatio fit sine ullo motu, & nulla præsupposita materia. Sed quamuis ratio Aristotelis soluta esse uideatur; tamen ex ea solutione alia exoritur difficultas, nam uigere aduersus nos uidetur altera pars rationis Aristotelis sumpta à motore, cum enim motor inceperit motum, & nulla potuerit prius facta esse mutatio in ipso mobili, siquidem uniuerso motui nullum præsupponitur mobile, quia totus mundus creatus à Deo est in instanti ex nulla præexistente materia, necessarium uidetur, ut facta sit mutatio in motore, siue enim sit motor naturalis, siue voluntarius. Ratio Aristotelis demonstrare uidetur, quòd non potuerit transire de non mouere ad mouere, seu de non velle ad velle, nisi cum sui mutatione facta ab alio externo motore. Hac de re diffusè disputat Auerroes infra in commentario quintodecimo, & nititur pro Aristotele ostendere, quòd ab agente æterno non potest produci immediate effectus nouus, sed solum mediate idest, per medium effectum æternum. Sed hæc disputatio excedit limites philosophiæ naturalis, ideò dicam breuiter quid secundum Theologos nostros respondendum sit ad rationem Aristotelis, præsertim verò secundum S. Thomæ doctrinam in prima parte secundæ, questione quadragesima sexta, articulo primo, & solutio in duobus consistit, Vnum est quòd Deus est agens voluntarium, & liberum, non autem necessarium, quod aliter agere non possit, ut Aristoteles existimasse uidetur, quamuis enim nō inficietur Aristoteles Deum agere per uoluntatem, non tamen cōcedit eum ęquè posse agere vtrumque oppositum, & ad vtramlibet partem contradictionis liberum esse, sed vult non posse agere, nec uelle, nisi alteram partem: Alterum uerò est, quòd non omnis duratio tempus est, sed ea duratio, qua Deus ante mundi creationem æternè durauit, æternitas est, non tempus, æternitas autem non habet prius, & posterius, sed est tota simul, nec fluit, licèt hoc nobis difficile intellectu sit, qui non possumus ullam durationem imaginari nisi ad modum temporis. Dicimus igitur non posse quæri, cur Deus prius mundum non creauerit, siquidem simul, & mundum, & tempus creauit, & creauit in puncto æternitatis, in qua non est prius, neque posterius, uana igitur redditur quæstio Aristotelis, quare non prius, sed concedendo etiam quòd in illa æternitate uti possumus his dictionibus prius, & posterius, vt denotantibus saltem tempus imaginarium, adhuc soluitur ratio Aristotelis, nam uoluntas in Deo creandi mundum æterna fuit, immò & cuiuslibet effectus producendi fuit in Deo voluntas æterna, sed non propterea uoluit producere ullum effectum æternum, quoniam igitur ab æterno uoluit mundum creare in quodam determinato puncto temporis, uoluitque ab æterno initiū mundi in eo puncto esse, ideò nulla facta est in Deo mutatio de non velle ad velle, quia semper uoluit. Quod autem Deus voluerit creare mundum in eo tantum puncto temporis, nō in alio, id non prouenit ex motione in eo facta ab aliquo agēte externo, sed ex solo eius consilio, & uoluntate æterna, qua æternè constituit creandum a se esse mundum in tali puncto temporis. Ex hoc igitur uidetur error Aristotelis processisse quòd nō cognouit discrimen inter agens particulare, quod hanc rem producit ex alia, quoniam extra se habet alias res, & agens uniuersale, extra quod nihil est, & quod simul omnia produxit ex nulla materia præsupposita: agens enim particulare non potest transire de non agere ad agere, nisi cum sui mutatione, si in ipso mobili non fuerit facta mutatio, atque si sit agens uoluntarium, non potest nisi mutari de non uelle ad uelle, quia supponit motorem alium externum, à quo patiatur: agens autem uniuersale nil supponit extra se, & a nullo pati aliquid potest, quare mundum creauit ex suamet libera uoluntate æterna absque vlla sui mutatione, & hac de re satis.

Duo

Duo in hac Aristotelis demonstratione consideranda supersunt, vnum quam æternitatem probet, an successiuam motus in genere sumpti, an continuam vnius singularis motus: alterum uerò, qualis sit demonstratio, an à causa, an ab effectu, an aliud aliquod ostensionis genus. Quod ad primum attinet multi vano, & apparenti argumento ducti dicunt manifestum esse quòd per hanc demonstrationem non ostenditur motus in genere, nil enim aliud probauit hac ratione Aristoteles, quàm quòd ante quemlibet motum est alius motus prior, & is quidem non idem numero, & illi continuatus, sed alius numero, & fortè etiam specie, in hoc enim consistit tota uis demonstrationis Aristotelis, quòd motor, & mobile non possunt incipere motum, nisi post alium motum priorem. Sumunt etiam argumentum ex uerbis Aristotelis in hac demonstratione, sæpè namque nominat in plurali numero mouentia & mobilia, quare argumentatur à motore, & mobile communiter acceptis, eodem igitur modo debet accipere etiam motum, quod eo quoque argumento confirmatur quòd Aristoteles argumentatur à definitione motus, quæ non fuit definitio alicuius singularis motus, sed motus communiter accepti, huius igitur æternitatem probat. Sed decipiuntur, eorumque error satis in hoc uno cognoscitur, quòd ratio Aristotelis non est ostensiua, ut ipsi fingunt, sed est ducens ad impossibile, esset enim ostensiua, si conclusio ab Aristotele illata vera esset, at falsa est, & impossibilis; non enim Aristotelis conclusio est, ante omnem motum est alius motus, sed ante primum motum fuit alius motus prior, quæ impossibilis est, siquidem est implicatio contradictionis, quod detur aliquis prius primo, quod autem hæc sit conclusio Aristotelis in contextu manifestum est. Sed hoc uidentes aduersarij dicunt esse quidem rationem Aristotelis ducentem ad incommodum, tamen consilium Aristotelis esse ut formetur etiam ostensiua, quia per hanc eandem ostenditur ostensiuè quòd ante quemlibet motum est alius motus prior. Ego vero dico hoc falsum esse, quoniam probaui quidem posse esse motum ante quemlibet motum, sed non ob id probatur æternitas motus, iam enim diximus in secundo contextu Aristotelem ita uelle probare motum esse æternum, ut nulla sit interruptus quiete, quod etiam in primo contextu dixit. At ratio hæc Aristotelis non probat, quòd inter motum priorem, & posteriorem non sit quies media, immò potius ostenditur contrarium; nam inter duos motus numero distinctos necesse est mediam quietem intercidere, vt Aristoteles ostendit in quinto Physicorum, & in calce huius octaui, quod enim dicit de motu reflexo, quòd habet mediam quietem, locum habet in quibuscunque duobus motibus eiusdem mobilis. Ego igitur dicam quòd ante primum motum illud mobile non mouebatur, propter nimiam eius distantiam à motore, ideòque oportuit illud idem mobile ab alio motore moueri loco, & appropinquari primo motori, à quo postea cœpit moueri, quoniam igitur illud idem mobile mouetur duobus distinctis numero motibus, uno post alium, eiusdem tamen speciei, necessarium omnino est vt media quies interponatur, ut in memoratis locis Aristoteles ostendit. Ratio autem est quoniam, si vnum & idem instans esset finis vnius motus, & principium alterius, iam non essent duo motus, sed vnius numero continuus; siquidem continuum est, cuius partes in uno communi termino copulantur, quoniam igitur supponimus eos esse duos motus, non potest idem instans esse finis unius, & principium alterius, duo ergo erunt distincta instantia, inter quæ necesse est intercipi medium tempus quietis, ut ex

T Aristo-

Aristotele colligitur in contextu vigesimosexto sexti libri Physicorum, & clarius in sexagesimoquinto huius octaui. Neque est quòd aduersarij ad hanc ipsam Aristotelis rationem confugientes quærunt, quænam sit causa illius mediæ quietis, ego enim dicam breuem illam quietem non habere aliam causam quàm ipsam, & motus & rei mobilis naturam, natura enim cuiuslbet motus finiti est, ut sit inter duas medias quietes, natura etiam mobilis ea est, ut necesse sit ipsum in initio aliquantum resistere ipsi mouenti, & nullum est aliud agens remouens quietem illam, nisi illud idem, quod post eam breuem resistentiam incipit motum, sed necesse est ut in ipso primo congressu cum mobili inueniat aliquam resistentiam in mobili, quam ipsummet remouet perseuerando agere. Ratio igitur Aristotelis præsens, quando quærit causam quietis præcedentis, nil aliud probat, nisi quòd necessarium est præcessisse alium motum priorem, non probat ita præcessisse ut post illum, & hunc nulla quies media intercipiatur. Quòd uero aliquis dicat tempore illo mediæ quietis fieri alium motum in aliqua alia re, hoc nihil est, est enim uoluntarium dictum, quod per hanc rationem non ostenditur, ideò rectè dicebat Auerroes nos non posse in his motibus finitis imaginari æternitatem successiuam non concepto vno continuo motu, qui contineat omnes, quia in his, qui sunt accidentaliter ordinati, nullam possumus habere certitudinem quòd inter unum & alium non sit vlla media quies: patet igitur quòd ratio Aristotelis ita intellecta, vt alij uolunt, non probat ita æternum esse motum, vt Aristoteles eum probandum proposuit. Addò quòd quæstio, & ratio Aristotelis sic intellecta non uidetur posse mente comprehendi, cum enim supponat aduersarium dicentem fuisse primum motum, primum autem non possimus intelligere nisi vnum singularem, & alicuius singularis mobilis, motus enim in communi sumptus non potest dici primus, nec secundus, cuius ergo mobilis imaginabimur esse hunc primum suppositum motum? an lapidis? at certum est lapidem non esse omnia, proinde, initium motus in lapide non posse sumi ut initium uniuersi motus, siquidem extra lapidem innumera alia corpora sunt, quæ mouentur, ergo si debet ratio hæc Aristotelis intelligi, necesse est ut iste motus, qui primus esse supponitur, sit ita unus singularis ut sit etiam omnes, & ut sit vnius talis mobilis quod etiam sit omnia. Non est igitur possibile hac argumentatione uti, nisi de motu cæli, qui continet omnes, eius enim initium est, uniuersi motus initium: de hoc igitur formata demonstratio Aristotelis optima est, supponit enim aduersarium dicentem hunc motum cæpisse, & ipsum ducit ad hoc absurdum quòd daretur motus prior primo, quòd enim inter illum motum, & hunc cadat media quies, nihil refert, nil enim aliud ostendere vult Aristoteles, nisi quòd hoc impossibile sequatur, ita ut si hoc absurdum uitare uelimus, dicere cogamur falsum esse suppositum aduersarij, quòd hic motus, qui omnes continet, incæperit, dum igitur motum hunc respicimus, non possumus de eius continuitate dubitare, manifestum enim est eum esse continuum, & nulla quiete interruptum, at de initio tantum, ac de fine dubitamus, hoc enim incertum est, idque proposuit in primis uerbis huius libri Aristoteles, an incæperit aliquando motus, & sit aliquando habiturus finem: probatio igitur ad hoc tendit ut ostendat nunquam cæpisse motum, supponendo ipsum continuum, at de successione plurium motuum finitorum non possumus ostendere quòd sit æternus motus, quia nec supponere possumus quòd nullam habeat mediam quietem, nec demonstratio Aristotelis id probat, æternum tamen motum dixit Aristoteles intelligi illum, qui neque incæperit unquàm, nec unquàm sit cessaturus, nec ulla media

quiete

quiete sit interruptus. Quod hæc sit mens Aristotelis, pluribus eius testimonijs confirmatur, nam in postremo contextu sexti libri Physicorum, inquit, esse posteà considerandum an detur aliquis vnus continuus motus perpetuus, & reijcit considerationem æternitatis successiuæ tanquàm indignam consideratione: in principio autem libri de communi motu animalium dicit, se hic considerasse de motu sempiterno an sit, vel non sit; & si sit, quis sit, sic igitur testatur se hic tractasse de æternitate unius singularis motus, & significat qualis sit hic suus progressus, est enim à confusis ad distincta, nam prius ostenditur motum æternum esse, intelligendo unum continuum, qui sit omnium rerum motus, posteà verò destinctius declaratur, quisnam sit, cum in hac prima libri parte fuerit solum adumbratus. Sed in hoc quoque libro Aristoteles hoc idem testatur, & hunc ipsum locum declarat, nam in contextu quadragesimonono ex æterno motu probat æternitatem primi motoris: æternum autem etiam motum dicit probatum esse superius (significans præsentem locum, nullum enim alium citare potest) eumque unum, & continuum esse debere, secus enim non diceretur æternus. Posteà uero in contextu quinquagesimo quarto, & alijs sequentibus per longum processum ostendit motum hunc æternum non posse esse nisi circularem, quia nullus rectus potest idem numero perpetuari. Verba quoque Aristotelis in hac ipsa demonstratione nobis suffragantur, non refragantur, quòd enim utatur definitione motus, nobis non officit, ea namque vtitur vt accommodet primo motui, & sumat quòd ille quoque requirit motorem, & mobile: motorem autem & mobile nominat quidem quandoque in numero plurali, quia confusè loquitur, tamen etiam in singulari ea nominat, nam in textu septimo nominat vnum primum mouens, & unum mobile, & iure, quia etiam in singulari nominat primum motorem, nam ad vnum motum concurrit unum mouens, & vnum mobile, non plura. Notanda autem ibi maximè sunt verba Auerrois, qui inquit, [est quid primum mouens, & aliquid quod mouetur, aliquando autem nihil, sed quiescit] vnum enim tantum nominat primum mouens, & vnum primum mobile, sed vult illud esse tale, vt eo quiescente nihil moueatur. Hoc igitur Aristotelis dictum, si mente à nobis comprehendi, & agitari possit, non potest intelligi nisi de primo aliquo mobili, cuius motus sit omnium rerum motus, & quo quiescente nihil moueatur, res igitur clara est, & omni carens dubitatione.

Declarata conclusione huius demonstrationis, restat ut etiam medium consideremus, & uideamus qualis nam hæc ostensio sit. Videntur omnes in hoc consentire quòd non sit ratio probabilis, sed demonstratiua magnam enim habet efficacitatem secundum principia Philosophiæ Aristotelis, & uidetur inniti proprijs huius scientiæ principijs, cum sit sumpta ex ipsa natura motoris, & mobilis, & ex ipsa etiam definitione motus. Hoc igitur constituto, quod ego quoque uerum esse puto, quod sit ratio necessaria, & demonstratiua, uidendum est, quænam sit hæc demonstrationis species. Omnes quidem, qui rem hanc considerauerunt, concordes dixisse videntur hanc esse potissimam demonstrationem, sed huius sententiæ non eamdem rationem attulerunt. Alij namque dixerunt esse demonstrationem propter quid, quia sumitur ab ipsa rei natura, à definitione motus, cuius probanda est æternitas, etenim demonstratio propter quid medium habet ipsam rei demonstratæ definitionem. Alij uerò dicunt esse demonstrationem propter quid, quatenus sumitur a natura motoris, & mobilis, tanquàm à proprijs causis ipsius motus. Errarunt tamen absque dubio omnes, quia hæc demonstratio non est propter quid, si enim esset propter quid, cer-

tè in ea animus noster acquiesceret. & omnia dubia per eum facile tollerentur, attamen non acquiescimus, nec dubia soluuntur. Aristoteles enim paulo post aliqua dubia adducit contra æternitatem motus prius demonstratam, & ijs tunc leuiter solutis perfectam eorum solutionem remittet, ut faciendam post aliam longam contemplationem: sed res clara uidetur; unius enim affectionis demonstrandæ una est proxima causa, quæ declaret propter quid, causa autem æternitatis motus non est absolutè acceptus motor, sed æternus motor, quem adhuc non cognoscimus, neque hoc medio Aristoteles usus est, ergo hæc non potest esse demonstratio propter quid, nam si æternitatem continuam probari dicamus; huius causa est solus primus motor æternus immobilis; si uerò successiuam, huius causa non alia est nisi motor æternus mobilis, quod cęlum est, quod ipsi quoque aduersarij confitentur, quorum motorum neutrum adhuc cognoscimus. Sed causa erroris horum omnium fuit, quòd non considerauerunt non motum hic quæri, sed æternitatem motus; proinde, aliam esse causam motus, aliam æterni motus, potest quidem definitio motus & motor, & mobile causa appellari respectu motus, at non respecta æterni motus: nam si ex ipsa motoris, & mobilis natura æternitas motus ostenderetur tanquàm ex uera causa, omnis motus æternus esset, quia omnis motus habet motorem, & mobile: sic si ex definitione, & ex ipsa natura motus colligeretur motus æternitas, quemlibet motum æternum esse oporteret, quia quod alicui competit secundum eius naturam, id singulis indiuiduis competat necesse est, sed tantum abest ut ex natura motus colligatur æternitas, ut potius contrarium colligatur, nempè, finitudo, ut Aristoteles considerat in quinto Physicorum, & in calce huius octaui in tractatu de motibus. Ea enim est motus natura ut de termino in terminum sit, & de contrario in contrarium, quam conditionem ostendet Aristotels competere modo aliquo etiam motori circulari, quatenus est semper in termino, ut ibi uidere est. Sed quòd uana sit eorum sententia, qui dicunt Aristotelem demonstrare æternitatem motus ex definitione motus, Aristoteles ipse testatur, nam in contextu quarto sumit definitionem motus non ut per eam ostendat æternitatem motus, sed solum ut ex ea sumat hoc fundamentum, quòd motus requirit necessariò motorem, & mobile, immò statim subiungit, id esse etiam per se manifestum absque definitione motus, asserit ergo non esse necessariam definitionem motus ad hanc demonstrationem concludendam. Quod uerò dicunt se non dicere quòd ex natura motus seu ex motore, & mobili probetur æternitas unius motus, sed quòd probetur æterna successio plurium motuum, hoc quoque uanum est, neque eos tuetur, hæc enim successio est accidentalis, & motore ipsi, & motui, & mobili, accidit enim huic motui ut eum ille alius motus sequatur, accidit motori ut post eius motum alius fiat motus, sic etiam mobili. Et quod nullum horum sit uera causa huius successionis, hinc euidentissimè patet, quia eius causa non est alia, quàm motus, cęli unus numero æternus, qui alios omnes continet, & facit ut unus alij succedat, & sic in infinitum. Alios etiam multos errores contra præcepta Logica hi committunt, dum dicunt hanc ob rationes prædictas esse demonstrationem propter quid, quos ego alijs considerandos relinquo. In hac difficultate quid sentiam ego scripsi aliàs in libro de speciebus demonstrationis capitulo septimo, vbi hoc tanquàm exemplo usus sum, credo enim hanc esse demonstrationem non ab effectu, neque à causa proxima, sed à causa remota, quod paucis declaro: alia namque, quæ in eo loco scripsi, legi possunt, docet Aristoteles in primo libro posteriorum, quòd causa remota est quid communius, & latius causa

causa proxima, proinde sub se causam rei continet, ut animal sub se continet habens pulmonem tanquàm eius speciem, quo fit ut ex negatione talis causæ semper sequatur negatio effectus, non tamen necessariò ex eius positione ponatur effectus, quare hæc demonstratio fit semper negatiua, licet aliquandò per accidens fieri etiam possit affirmatiua, quando aliqua talis causa est æqualis effectui, quod quidem rarum est. Hæc autem demonstratio nostra absque dubio est à causa, non ab effectu, nam si redigatur ad demonstrationem ostensiuam ea talis est, motor, & mobile non possunt incipere motum nisi post alium præcedentem motum, ergo non datur primus motus, idest, primum motus initium, est ergo à motore, & mobili quæ sunt causæ ad motum æternum, qui est effectus. Sed uerum est quòd motor, & mobile latè sumpta non sunt causa adæquata æterni motus, nam causa adæquata est motor æternus, non motor absolute, & subiectum adæquatum est mobile æternũ, non mobile absolutè sumptum, ergo cum motor absolute acceptus latius pateat quàm æternus motor, qui est proxima causa, sumitur causa remota, ideò & conclusio ostenditur negatiua, scilicet, ergo non datur motus primus, ut igitur dixi, clara res est, hæc enim est demonstratio, cum sit argumentum necessarium, ut omnes confitentur, at non est demonstratio per causam proximam æterni motus, ut patet, non est etiam ab effectu, ut similiter patet, restat igitur ut non sit nisi demonstratio à causa remota, quod etiam ipsam demonstrationem expendendo satis clarè probauimus. Hæc est mea opinio, quæ à nullo alio unquàm prolata, uel cognita fuit, eam ego alijs considerandam relinquo. Ratio autem cur Aristoteles coactus sit ad talem demonstrationem confugere, fuit hæc, ut etiam dixi in dicto capitulo septimo, libri de speciebus demonstrationis, præcipuus, & ultimus scopus Aristotelis in hoc libro est demonstrare æternum motum per motorem æternum immobilem, quæ est demonstratio propter quid, quam legimus in textu quinquagesimotertio huius libri, sed Aristoteles ab hac exordiri non potuit, quia motor primus immobilis offertur nobis incognitus, ab ignoto autem nulla demonstratio progreditur, fuit ergo prius demonstrandus primus motor immobilis, & quia ad ipsum demonstrandum non datur aliud medium nisi motus unus continuus æternus, ideò prius oportuit ex motu æterno demonstrare motorem immobilem, quę est demonstratio quid a posteriori, quam habemus a contextu quadragesimoquinto usque ad quadragesimum nonum. Sed neque hac demonstratione uti poteramus, quia similiter ęternus motus nobis proponebatur incognitus, nec igitur à motore ęterno ad ęternum motum, neque ab ęterno motu ad ęternum motorem progredi poterat Aristoteles, nisi aliquo alio medio demonstraret dari ęternum motum, igitur confugit ad causam remotam, per quam hic demonstrat dari ęternum motum, cum motus incipere non potuerit, deinde ex hoc ita demonstrato incipit in contextu quadragesimoquinto demonstrare æternum motorem à posteriori, quo inuento regreditur tandem in quinquagesimotertio ab æterno motore ad æternum motum demonstratione propter quid, colligi autem ex his potest, aliquid de diuisione huius libri in partes, sed eam fusius declarabimus in initio contextus vigesimiprimi. Sed quædam ex dictis difficultas oritur, si enim à motore communiter sumpto Aristoteles hic argumentatur, uidetur, quòd etiam motus in communi ęternitatem probet, quod nos antea negauimus. Dicendum est Aristotelem in hac demonstratione non sumere motorem in communi, sed unum singularem, qui faciat illum motum, qui primus esse dicitur, qui similiter unus est singularis, sed in eo sensu dixi sumptum esse motorem in communi, quia sumptus est sine illis proprijs conditionibus, quæ ipsum restringunt ad motorem illum, qui est causa

adæquata æterni motus. Conditiones autem sunt istæ quòd est motor primus secundum ordinem essentialem mouentium, & ęternus, & penitus immobilis: hic igitur Aristoteles sumit motorem sine his conditionibus, sed cum solis conditionibus communibus, quę competunt omni motori, sumit enim ipsum ut motorem tantum, in hoc autem conuenit cum alijs omnibus, non sumit ut primum in ordine mouentium, nec ut æternum, nec ut immobilem, sed indistinctè sumit ut motorem, & indistinctè tum ut factum, tum ut ęternum.

Contextus Decimus.

Ad hæc autem prius, & posterius quonammodo erunt, tempore non existente, aut tempus non existente motu? Si uerò tempus est ipsius motus numerus, aut motus quidam, siquidem tempus semper est, necesse est, & motum perpetuum esse. At uerò de ipso quidem tempore præter unum concordes esse uidentur omnes; ingenitum enim esse dicunt, & propter hoc Democritus monstrat, quod impoßibile est omnia eße facta, tempus enim ingenitum esse. Plato uerò ipsum generat solus, simul enim ipsum cum cælo factum eße, cælum autem factum esse ait.



LTERO argumento probat Aristoteles ęternitatem motus, quod sumitur a tempore, facit enim hanc consequentiam, tempus est æternus, ergo motus est æternus, & tum consequentiam probat, tum etiam tribus argumentis antecedens; duobus in hoc contextu, tertio autem in sequente. In hoc quidem contextu hunc ordinem seruat. Primo loco ponit primam antecedentis probationem. Secundò consequentiam ipsam principalem. Tertio probationem consequentiæ. Quartò probationem secundam antecedentis. Secunda pars continetur his verbis, [aut tempus non existente motu?] sensus enim est, tempus semper est, ergo & motus semper est. Sed prius probat antecedens ijs uerbis, [prius & posterius quonammodo erunt tempore non existente?] & probatio hæc est, prius, & posterius semper sunt, ergo tempus semper est, cuius nec assumptum probat Aristoteles, nec consequentiam, nam consequentia clara est ex definitione temporis in quarto libro tradita, quæ talis fuit, tempus est numerus motus, secundum prius, & posterius, quare patet prius & posterius esse differentias temporis, assumptum uerò uidetur euidens ex ipso modo loquendi. Quocunque enim tempore sumpto datur prius, & quocunque sumpto datur posterius, prius ergo, & posterius semper sunt; uidetur etiam Aristoteles modo quodam hoc sumere ex ore aduersarij, qui dicit motum ita incepisse, vt prius non fuerit, quicunque etiam dicat tempus incepisse is necesse est, ut dicat, prius non erat tempus, quoniam igitur quocunque temporis initio constituto possumus considerare prius, & prius est differentia temporis, manifestum est prius, & posterius semper esse. Ipsa uerò consequentia principalis, tempus semper est, ergo motus semper est, facilè probatur ab Aristotele, quando dicit, [si uerò tempus est ipsius motus numerus,] & probatio sumitur ex ijs, quæ in quarto libro de tempore dicta sunt. Dixit ibi Aristoteles,

senten-

ſententiam aliquorum fuiſſe quòd tempus ſit ipſemet motus, nempè motus primæ ſphæræ: quam opinionem, nec prorſus approbauit Ariſtoteles, nec prorſus reprobauit, oſtendit enim tempus eſse quidem aliquid illius motus, ſed non omnino eſse motum illum, eſt enim numerus illius motus. Ad cuius rei intelligentiam ſciendum eſt duo in ipſo tempore conſiderari: vnum, quod inſtar materiæ eſt, alterum verò, quod inſtar formæ, materia temporis eſt ipſa extenſio motus; forma verò eſt diſtinctio illius extenſionis facta ab anima in partes priorem, & poſteriorem, quæ ab Ariſtotele uocatur numeratio, anima enim numerat partes extenſionis motus, & ille numerus tempus eſt, non quidem numerus numerans, ſed numerus numeratus, nempè, illæ extenſiones motus partes numeratæ ab anima. Patet igitur tempus eſſe quandam paſsionem motus. Eſt enim illa duratio motus primi mobilis, ut numerata ab anima, ideſt, diſtincta in partes priorem, & poſteriorem. Ariſtoteles igitur nolens de illa antiquorum ſententia diſputare, loquitur hic cum diſiunctione dicens, ſi tempus eſt numerus motus, vel motus quidam, vtrouis enim poſito, manifeſtum eſt non poſſe tempus exiſtere ſine motu, quare conſequentia manifeſta eſt, tempus eſt æternum, ergo motus quoque eſt æternus. Deinde cum dicit. [At uerò de ipſo quidem tempore,] affert ſecundam antecedentis probationem, quæ ſumitur ex antiquorum conſenſu, omnes enim uno excepto Platone tempus æternum eſse dixere, aliorum autem nullum nominat Ariſtoteles niſi Democritum, qui id manifeſtè aſſeruit; uolens enim probare non omnia eſſe genita, hoc argumento uſus eſt, tempus nunquam genitum eſt, ergo non omnia ſunt genita. De Anaxagora quoque, & Empedocle quòd tempus ęternum poſuerint, manifeſtum eſt ex eorum opinionibus antea declaratus. Quòd ad Platonem attinet, nititur Simplicius demonſtrare Platonem quoque putaſſe tempus eſſe ęternum, & ego quoque arbitror hoc ſenſiſſe Platonem, reuera enim, & tempus & motum, & mundum ęterna eſſe exiſtimauit, quando autem hęc dixit eſſe facta, non accepit factum prout diſtinguitur à perpetuo, ſed prout diſtinguitur ab indepedente, qualis eſt Deus ſolus, cętera enim omnia dicuntur facta, quatenus habent ęternam pendentiam à Deo, hanc enim fuiſse Platonis ſententiam facilè cognoſcere poteſt quiſque legens ea, quę ab ipſo in Timæo dicuntur. Hanc autem omnium rerum pendentiam à Deo declarat optimè Sanctus Thomas in prima parte ſummę quęſtione octaua, articulo primo, nec non quęſtione nona, articulo ſecundo, dicens Deum non modo dediſse eſſe rebus quando cęperunt eſſe, ſed dare etiam continue eis eſſe dum conſeruantur, quemadmodum Sol non in ipſo tantum initio produxit in aere lumen, ſed continue producit lumen, ut igitur ſubtracta actione ſolis, ſtatim lumen nihil eſſet, ita ſubtracta à rebus actione Dei, omnes redigerentur in nihil. Talem igitur rerum creationem æternam Plato generationem appellauit, ſed Ariſtoteles apparentiam ſumens verborum eius, ei attribuit, quòd mundum, & tempus ita genita eſſe dixerit, ut antea non fuerint. Auerroes hic notat antiquos cognouiſſe quidem tempus eſſe æternum, non tamen dixiſſe motum eſſe æternum, quia tempus conſequi motum non cognouerunt, tempus enim noſcebant confusè ſolum, ſed eius naturam ignorabant. Ariſtoteles autem utitur eo teſtimonio non ad confirmandum motus ęternitatem, ſed temporis ſolum, ex qua poſteà ipſe infert etiam motus æternitatem, quam illi velint nolint confiteri coguntur, dum temporis æternitatem confitentur. Colligit autem hoc ex natura temporis in quarto libro [illegible] arata, quam ignorantes antiqui in contradictionem incidere dicentes tempus æternum eſſe, motum tamen non eſſe æternum.

Con-

Contextus Vndecimus.

Si igitur impoßibile eſt, & eſſe, & intelligere tempus ſine ipſo Nunc. Nunc autem eſt medium quoddam, & principium, & finem habens ſimul, principium quidem futuri temporis, finem verò præteriti, neceßſe eſt ſemper eſſe tempus. Vltimum enim finiti accepti temporis in aliquo ipſorum Nunc erit, nihil enim eſt accipere in tempore, præter Nunc. Quare quoniam eſt, & principium, & finis ipſum Nunc, neceßſe eſt, ipſius utraque ex parte, ſemper eſſe tempus, at uerò ſi tempus, manifeſtum eſt, quod neceßſe eſt, & motum eſſe. Si quidem tempus paßio quædam motus eſt.

TERTIO argumento probat hic Ariſtoteles, illud idem antecedens, tempus ſemper eſt, & in fine contextus repetet ipſam conſequentiam principalem, & ita ſuam hanc demonſtrationem concludet: Hoc autem tertium argumentum ſumitur a natura inſtantis, ideò inquit Simplicius eſse argumentum ex maximè eſsentialibus, quoniam inſtans eſt ſummè neceſsarium & eſsentiale tempori, quod ipſe quoque Ariſtoteles hic ſignificat, qui antequam argumentetur, iacit fundamentum hoc ex quarto libro Phyſicorum acceptum, impoſsibile tempus eſse, aut intelligi ſine ipſo inſtanti. Huius igitur ſuppoſiti utramque partem declaro, prior pars, quòd non poſsit tempus eſse ſine inſtanti, poteſt intelligi duobus modis, uno modo quòd inſtans fluens dicitur producere tempus, quare ſine ipſo tempus non eſset. Sic etiam ſecundum Mathematicam imaginationem dicimus punctum fluens producere lineam. De inſtanti autem iam docuit Ariſtoteles in quarto Phyſicorum quòd eſt unum, & idem ſemper manens ſecundum eſſentiam, differens autem ſecundum rationem, dum fluendo aliam, & aliam temporis partem producit. Altero modo dicimns inſtans facere tempus eſſe, quia facit tempus eſſe actu, temporis enim nihil eſt actu, niſi ſolum inſtans, quod dicitur præſens, præteritum autem non eſt, ſed fuit, fuitque ea tantum ratione, quatenus fuit aliquando præſens merito inſtantis tranſeuntis per ipſum, ſic futurum non eſt, ſed erit, erit autem quatenus fiet præſens ab inſtanti, quod per ipſum tranſibit: exiſtentiam igitur actualem tempus habet a ſolo inſtanti, & hac ratione impoſſibile eſt tempus exiſtere ſine ipſo inſtanti, qui ſenſus maximè eſt ad propoſitum accommodatus, & congruens verbis Ariſtotelis, qui dicet nihil poſſe accipi in tempore, niſi ipſum inſtans, quippe cum inſtans exiſtat actu. Quòd verò inquit Ariſtoteles tempus non poſſe intelligi ſine inſtanti, ex eo manifeſtum eſt, quòd natura temporis conſiſtit in numeratione prioris, & poſterioris in motu facta ab anima, at non poteſt anima diſtinguere prius à poſteriori, niſi per inſtans medium, ideò Ariſtoteles in quarto libro oſtendit non poſſe cognoſci tempus ſine cognitione inſtantis: fundamentum igitur hic ab Ariſtotele iactum manifeſtũ eſt, habet enim tempus ab inſtanti, & ut ſit, & ut cognoſci poſſit. Hoc iacto fundamento Ariſtoteles ita argumentatur, omne inſtans eſt medium inter duo

tem-

tempora, est enim finis unius temporis, & principium alterius, ergo tempus semper fuit,& semper erit. Consequentia uidetur ex illo supposito esse manifesta, & necessaria, antecedens verò sumi uidetur à natura instantis iam in quarto loco declarata, ibi enim docuit Aristoteles instans esse connexionem præteriti temporis cum futuro, quo fit ut non possimus imaginari instans quòd sit principium tantum,non finis, vel quòd sit finis tantum, non principium:ita igitur ex natura instantis probat Aristoteles temporis æternitatem:deinde in calce huius contextus repetit consequentiam principalem, tempus est æternum, ergo motus æternus, & verba omnia clara esse uidentur. Notandum autem est quòd Sanctus Thomas putat hanc non esse rationem ad probandam temporis æternitatem, sed esse complementum primæ sumptæ à priori, & posteriori. Reuera enim tanta est harum duarum rationum similitudo ut vnum & idem argumentum esse uideatur, nam dicere dari semper prius quocunque tempore dato,& similiter dari posterius quocunque, idem uidetur ac dicere omne instans esse medium inter duo tempora. Hanc expositionem confirmat dictio illa [igitur] in initio huius contextus, indicat enim Aristotelem prosequi, & absoluere illam primam rationem sumptam à priori, & posteriori. Ego tamen cum Græcis, omnibusque recentioribus puto hanc esse tertiam rationem ad probandum antecedens consequentiæ principalis, iam enim uidimus Aristotelem ex eo quòd prius,& posterius semper sunt, intulisse ipsummet antecedens argumenti principalis, quod non erat faciendum, si ea non fuit ratio separata ad illud antecedens probandum, sed potius debuisset ex eo,quòd prius,& posterius semper sunt colligere mediationem instantis,& ex hac demum colligere tempus semper esse, quod fuit antecedens consequentiæ principalis; neque etiam credendum est Aristotelem uoluisse hanc primam rationem interrumpere alio illo argumento sumpto a consensu antiquorum. Dictio autem illa, [igitur,] nil aliud indicare uidetur quàm similitudinem huius tertiæ rationis cum prima, seu etiam denotat hoc quod de instanti dicitur, hic sumi ex dictis alibi; sumitur enim ex quarto Physicorum ubi Aristoteles de natura instantis, & de temporis pendentia ab ipso abunde locutus est, sed hæc omnia clariora fient post sequentium difficultatuum examinationem,ac dissolutionem.

Ioannes Grammaticus hanc quoque secundam Aristotelis demonstrationem euertere nixus est, & videns consequentiam illam labefactari non posse, qua ex temporis perpetuitate perpetuitas motus inferebatur,solum antecedens oppugnare contendit. Cum igitur Aristoteles tribus argumentis illud comprobauerit, ea omnia soluere conatus est; Ad primum sumptum a priori & posteriori respondet negando consequentiam,concedit enim prius,& posterius semper esse, sed negat sequi quòd tempus semper sit,& rationem negationis hanc abducit,quoniã prius, & posterius non semper significant tempus, sed quandoque habent significationem negatiuam,& quando quærimus,an ante mundi creationem fuerit tempus,illa dictio,ante,non dicit positiuè tempus, sed negatiuè: nisi dicamus per eam significari tempus imaginarium, quod etiam contingere inquit in illa dictione, extra, quando enim dicimus, extra cęlum nihil est, dictio illa non dicit locum positiuè extra cælum,sed negatiuè,& secundum solam imaginationem, vt perinde sit, ac si dicamus, quicquid non est intra cęlum,nihil est; quemadmodum igitur per hunc loquendi modum non fit, ut extra mundum dicamus esse positiuè locum, ita nec dicendo,ante mundi creationem ponimus tempus ante mundum. Hoc confirmabat Ioannes duobus argumentis, vnum erat, solus Deus omnia simul contemplatur,reliqui autem intellectus licet non discurrant,tamen non simul res intelligũt, sed aliam prius,aliam posterius,atqui eorum operatio est supra tempus,ergo illud

prius,

prius, & illud posterius non dicunt tempus, quamuis sumantur secundum durationem, Alterum argumentum erat etiam, primus intellectus, qui Deus est, intelligit alia fieri prius, alia posterius, & vult alia prius, alia posterius fieri, ergo etiam in intellectione diuina est prius, & posterius sine tempore, si quidem intellectio Dei est omnino abstracta a tempore. Dicere etiam possumus solutionem Ioannes consistere in negatione antecedentis, Negat enim prius & posterius semper esse quatenus sunt differentiæ temporis, propriè igitur sumendo, prius, negat antecedens, latè uerò sumendo negat consequentiam.

Simplicius volens Aristotelem tueri in eo maximè laborauit, vt ostenderet hanc dictionem, prius, significare positiue tempus, ad hoc demonstrandum considerauit significationes prioris allatas ab Aristotele in libro Categoriarum, quas omnes reducit ad tres, prius positione, & prius tempore, ad quod reducitur omne prius duratione. Quando igitur dicimus, tempus incæpit, cum prius non fuerit, illud, prius, non potest denotare prius positione, neque prius natura, ergo prius tempore, & sic ponitur tempus ante tempus. Ad id autem, quod Ioannes in confirmationem adducit de illa dictione, extra, inquit Simplicius non similem esse harum dictionum significationem, nam dictio, extra, habet manifestè significationem negatiuam, at dictio, prius, habet manifestè significationem positiuam, & unum tempus ponit, vt cuilibet huius vocabuli vim consideranti manifestum est, aliquid enim reale significat, quod ei extra animam respondet, idque non potest esse nisi tempus. Ad rationem autem Ioannis sumptam ex intellectu intelligente aliam rem prius, aliam posterius, Simplicius multa dicit, sed responsio in hoc est constituta quòd intellectus abstractus a materia intelligit omnia simul, non hoc prius; illud uerò posterius. Vel si concedatur intellectum intelligere hanc rem prius, illam posterius, siue ut corpori est iunctus, siue etiam vt abstractus, negari nō potest hanc eius operationem in tempore esse; omnis enim duratio fluens, & habens partem priorem, & partem posteriorem, tempus est; idque etiam apud Sanctum Thomam legimus in prima parte summæ quæstione decima, articulo quinto, ubi dicit Angelos secundum suum esse in æuo esse, non in tempore, eorum tamen operationes habentes prius, & posterius mensurari tempore. Quando igitur Ioannes supponit operationem intellectus nullo modo subijci tempori, & habere prius, & posterius secundum durationem, implicat contradictionem, quia omnis duratio fluens tempus est. Quantum uerò attinet ad solutionem argumenti Aristotelis a Ioanne Grammatico adductam, dubium non est eam a Simplicio leuiter impugnari, proinde, & argumentum Aristotelis a nobis facile solui, nam ante creationem mundi hæ dictiones, ante, & prius, reuera dicunt quid positiuum, ut Simplicius animaduertit, non tamen dicunt tempus, sed æternitatem. Significant enim quòd quando non erat tempus, erat æternitas, & quia nos non possumus imaginari ullam durationem nisi ad modum temporis, ideò rectè dicunt cum Ioanne Grammatico etiam Theologi nostri, quòd hæ dictiones tunc significant tempus imaginarium. Aristoteles verò non dixit quidem durationem Dei mensurari tempore, sed cognouit eam esse supra tempus, quare non ignorauit æternitatem, quam uidetur appellare æuum in contextu centesimo primi libri de cælo, & fateri æuum esse supra tempus, & non habere fluxum, attamen cum Deum putauerit esse agens necessarium, à quo ab æterno mundus, ac tēpus defluxerint, ideò æternitati quoque existere tempus existimauit, & ad ipsum solum pertinere has dictiones, ante, post, prius, posterius: at nos dicimus has significare quidem tempus, dum tempus existit, sed quando dicimus prius non esse mundi, quam esse mundi, per illud prius significamus durationem æternitatis non

tis, non temporis, dicimusque illud non effluxisse, sicut effluit prius temporis, siquidem æternitas non fluit, ideò cum hæc in tempore non simul sint, simul tamen sunt in æternitate, quo fit ut Deo totum tempus sit præsens. Ideò alia illa Ioannis ratio sumpta ab intellectu diuino captiosa est, quando enim dicit, Deus intelligit, & ea, quæ prius, & ea quæ posterius fiunt, ergo in intellectione diuina est prius, & posterius, neganda est consequentia, quamuis enim Deus cognoscat ordinem temporis, tamen non cum ordine temporis cognoscit, quare cognitio diuina non est subiecta tempori, cum cognoscat omnia simul; totus autem ordo temporis, & successio in rebus ipsis est, quæ tempore mensurantur. Contrà secundum Aristotelis argumentum objicit Ioannes, quòd Aristoteles alibi nihili facit omnium aliorum consensum, vt de mundi generatione, ergo neque hac in re deberet eo vti, quod ipsemet in alijs iudicauit nullius esse authoritatis. Præterea (inquit Ioannes) licèt quinque, vel decem Philosophi dixerint tempus esse perpetuum, non tamen ex numero asserentium unitas iudicanda est, sed ex doctrina, & sapientia, quare uel unius Platonis testimonium pluris est faciendum quàm omnium aliorum communis assertio. Addit etiam non esse uerum, quòd solus Plato tempus esse genitum dixerit, cum alij quoque sapientissimi viri eiusdē fuerint opinionis. Ad hoc dicendum est cum Simplicio, quod nil aliud per hoc ostenditur, nisi quòd argumentum Aristotelis sumptum ab antiquorum consensione non est demonstratiuum, hoc enim, & nos concedimus, sed non ostenditur, quòd non sit argumentum probabile, siquidem non modo probabile est illud, quod videtur sapientioribus, sed etiam quòd uidetur pluribus. Quòd verò præter Platonem alij fuerint viri sapientes, qui tempus genitum esse asseruerint, id falsum omnino esse Simplicius ait, debuisseque Ioannem eos nominare, quod si fortè legislatorem Hebræorum Moysem significauit nulla esse dignum fide eius testimonium, dùm dicit, In principio creauit Deus cęlum & terram, siquidem sine ratione loquitur, & ea omnia sumpsit ex fabulis Aegiptiorum; hæc dixit Simplicius ut carens lumine fidei, nam demonstrationem requisiuit creationis mundi, quam ut articulum fidei nos, & constanter asserimus, & demonstrari non posse arbitramur. Ideò Ioannes iure plurimum tribuit testimonio Moysis. Demum tertiam Aristotelis rationem soluens Ioannes dicit fieri in ea petitionem principij, siquidem ad probandam temporis æternitatem sumere, quòd omne instans habet ex utraque parte tempus, est sumere tempus esse æternum, quod probandū erat, quemadmodum si proposita linea ita in longum protensa ex utraque parte, ut termini non uideantur, probare aliquis uolens eam esse infinitam, sumeret, quòd omne in ea punctum habet ex utraque parte lineam, sic enim absque dubio acciperet illam esse infinitam, quod idem demonstrandum ei proponebatur. Simplicius pro Aristotelis defensione probat non esse petitionem principij, proponēs enim tres modos petitionis principij, ostendit sub nullo eorum rationem Aristotelis contineri, Primus enim modus est, quando idemmet expresse sumitur ad suiipsius demonstrationem; Secundus quando demonstramus antecedens per consequens, idest hoc per illud demonstramus, quod non potest fieri notum nisi per hoc. Tertius quando duo æque ignota reciprocantur, & unum per alterum demonstramus. Sub nullo autem horum modorum est Aristotelis ratio, neque enim idē est formalis sensus æternitatis temporis, & mediationis ipsius instantis, neque mediatio instantis eget notificari per ęternitatem temporis, neque sunt æquè ignota. Cum mediatio instantis sit notior, non enim eo quod reciprocentur est ob id petitio principij, nam in omni potissima demonstratione termini sunt pares, & reciprocantur, alter tamen ignotior, qui ex altero notiore notificatur. Ad intelligen-

ligentiam huius responsionis Simplicij cognoscendum nobis est, Vnde nam sumat Aristoteles quòd omne instans sit medium inter duo tempora, & quomodo hoc dicatur esse notius æternitate temporis. Et quia Ioannes argumentabatur argumento sumpto a linea, & puncto, considerandum est quomodo hæc differant à tempore, & instanti, ita ut de linea quidem committeretur petitio principij, at non de tempore, in hoc enim uidetur tota difficultas consistere. Multi hac in re profitentur se Auerroem sequi, tamen quid Auerroes uoluerit, non consentiunt, varia enim Auerroi attribuunt, quæ omnia difficultate non carent; aliqui etiam relicto Auerroe Simplicium sequuntur, quoniam eos putant esse discordes. Horum igitur dicta in medium afferre, & de ijs disputare non est operæpretium, quia nimiam temporis iacturam faceremus. Referam igitur sententiam meam dimissis alijs. Ego puto eandem esse hac in re Simplicij, & Auerrois sententiam, eamque recipiendam esse, quia est verissima, licet ab alijs non plenè intellecta. Putauit Auerroes, & cum eo Simplicius rationem mediationis instantis inter duo tempora esse, quia est fluens, ad differentiam puncti, quod non fluit, non tamen vt quocunque modo fluens, sed ut fluens proprio quodam fluxu, qui non competit motui. Hanc ergo differentiam nos cognoscere oportet, vt intelligamus rationem hanc in tempore locum habere ad demonstrandum ipsum esse æternum, non sic in motu; nam si locum haberet in motu, sequeretur quemlibet singularem motum, cum sit fluens, debere esse æternum. Si igitur cognoscamus quid in motu ita dicatur fluere, vt instanti in tempore proportione respondeat, discrimen manifestum erit. Multi putant momentum in motu, seu (ut uocant) mutatum esse, respondere instanti in tempore, siquidem ut instans est indiuisibile temporis, & punctum est indiuisibile lineæ, sic momentum est indiuisibile motus. Sed hæc non recta est comparatio, quia in præsentia consideramus instans ut fluens, & faciens tempus, ideò comparare ipsum debemus cum aliquo, quod fluens faciat motum, tale autem non est ipsum mutatum esse, cum non dicat nisi finem præcedentis motus, sed non principium alterius sequentis, nec possit ei attribui fluxus, sed quietem potius denotet in fine motus. Congruam igitur comparationem accipiamus ex Aristotele quarto Physicorum centesimo quarto, & centesimoquinto, vnde accepit Sanctus Thomas prima parte summæ quæstione decima, articulo quarto, ad secundum inquit ibi Aristoteles instans in tempore conferendum esse nam ipso mobili in motu, quemadmodum enim mobile fluens facit motum, ita instans fluens facit tempus, mobile enim habet rationem indiuisibilis, quia est unum, & quiescens tum ante motum quàm post motum habet rationem duorum terminorum motus, sicuti etiam duo puncta sunt termini lineæ, & duo instantia terminant aliquam statutam temporis partem: hæc cum ita se habeant, differentia magna est inter fluxum mobilis in motu, & fluxum instantis in tempore, mobile namque idem numero cerni potest quiescens, & in principio, & in fine motus, siquidem habet positionem, & ita est aptum moueri, ut sit etiam aptum quiescere, instans verò non potest bis demonstrari idem, quia non potest quiescere, nam si imaginaremur instans non fluere, destrueremus totam naturam temporis, & instantis, hinc fit ut mobile, cum possit quiescere, faciat motum finitum, instans verò cum non possit quiescere, faciat tempus infinitum, siquidem non potest cerni ita finis unius motus, ut non sit principium alterius. Ex ipsa igitur natura instantis, proprioque eius fluxu sumitur eius mediatio inter duo tempora secundum Aristotelem, vnde infertur æternitas temporis, quare est modo quodam ratio à causa ad effectum, cum ab instanti fluente producatur tempus. Quod siquis dicat rationem esse ab eodem

ad

ad idem, siquidem instans fluens ita dicitur facere tempus ut illud tempus ipsum fluit; saltem habemus quòd ratio Aristotelis est a notiori ad ignotius; nobis enim notius est instans medium inter duo tempora, cum sit nobis præsens quàm infinita temporis extensio, & ante, & post; quam ut à præsenti remotam non uidemus, immò quàm maxime ignoramus. Ratio igitur Aristotelis non petit principium, cum sit à notiori ad ignotius: sumit enim instans ut præsens, cum dicat [nihil enim est accipere temporis præter nunc] quod Auerroes considerans inquit, impossibile est imaginari instans, quod non sit finis præteriti, & principium futuri, & causa in hoc est, quia non inuenitur aliquid de tempore in actu, nisi nunc; & cum hoc est impossibile demonstrari, ut punctum, quia cum demonstratur, statim fluit. Per hæc igitur ostendimus contra Ioannem Grammaticum quòd ratio Aristotelis non petit principium, non enim ex sola mediatione instantis argumentum sumit, nempe, quatenus conuenit cum mediatione puncti in linea, sic enim esset absque dubio petitio principij, sed ex natura instantis deducit eius mediationem nempe ex instanti ut fluente, & tali fluxu, qualem diximus, esset igitur de linea petitio principij, at non de tempore. Quòd enim ex natura instantis rationem sumat Aristoteles, patet in memoratis eius uerbis, dicens enim [nihil enim est accipere temporis præter Nunc] rationem reddit mediationis instantis sumptam ex ipsa instantis natura, nempè ex proprio eius fluxu, & ex eius præsentia. Quamobrem si soluenda sit ratio Aristotelis, alio potius modo soluenda est, quàm quo à Ioanne Grammatico soluitur, cum enim argumentetur Aristoteles ab instanti nobis noto, quia est nobis præsens, ad alia omnia, quæ non sunt præsentia, quasi necesse sit ut quale est hoc, talia sint omnia, hanc consequentiam nos negare possumus, quippe que optimè imaginamur unum primum instans, quo creatum est tempus cum mundo, quod fuit solum principium temporis, at non finis. Sed Aristoteles existimans non dari tempus nec instans, quo non fuerit aliud tempus prius, & ita hanc dictionem, prius, significare uerum tempus positiuè, necessariam esse hanc tantum argumentationem existimauit, qua tùm ex partibus temporis priori, & posteriori, tùm ex instanti medio probauit temporis æternitatem.


Rationem hanc Aristotelis manifestum est esse à posteriori ad prius, à tempore ad motum, cum tempus sit natura posterius motu, & eius passio, ut ipse Aristoteles ait. Illud etiam manifestum est non probari hac ratione aliam æternitatem quàm unius singularis continui motus, qui est motus cęli, nam tempus unum numero est, & continuum, ut in quarto libro ostensum est, & eius partes copulantur in instanti medio tanquam in communi termino, qualem ergo æternitatem tribuit Aristoteles tempori, talem motui tribuere debet, oportet enim cuilibet parti temporis correspondere partem motus illi coexistentis, si quandocunque tempus est, tunc oportet, & motum esse, nam si duo subordinati motus considerentur, inter eos est quies media, qua existente tempus est fine motu. Adde quod a tempore argumentatur Aristoteles tanquàm à posteriore, & tanquàm a passione motus, non est autem passio nisi motus circularis, ut in quarto libro ostensum est, ibi etiam dictum est tempus esse passionem motus circularis, sed mensuram aliorum motuum immò, & oppositarum quietum, cum igitur mensura prior est mensurato, tempus prius natura est motibus finitis, sed posterius primo motu, ex æternitate igitur temporis non ostenditur æternitas horum motuum successiua, cum ei non solum motus sed etiam quietes respondeant, nec eos tempus supponat. At probatur optimè æternitas motus

V cæli,

cęli, cuius est passio posterior, cum enim motum illum tanquàm natura priorem tempus necessario supponat, nec sit numerus nisi illius, necessarium est semper esse motum, si semper sit tempus, siquidem sine illo motu tempus esse non potest, at posset esse sine alijs. Res igitur clara est, quare non sunt audiendi illi, qui dicunt Aristotelem uocare tempus passionem omnium motuum, non solius circularis: aduersantur enim Aristoteli, qui in calce quarti libri Physicorum hac ratione probat tempus unicum esse, quia unius motus est passio, uel enim dicendum tot esse tempora, quot sunt motus: uel si unum est tempus, illud non consequi nisi unius motus naturam, sed habemus etiam testimonium Aristotelis clarum in secundo libro de generatione textu sexagesimoprimo, ubi dicit [Tempus est continuum, ergo necesse est motum quoque esse continuum, quoniam tempus sine motu est impossibile esse, motus igitur continui numerus est, ergo circularis] & subiungit, [quemadmodum in ijs, qui a principio sermonibus dictum est] si enim his verbis hunc locum citat, claram habemus ipsiusmet Aristotelis interpretationem; si uerò quartum librum Physicorum, non potest hic intelligere tempus esse numerum & passionem motus, nisi ut in quarto libro declaratum est.

Textus Duodecimus.

Eadem autem est ratio, & de eo quod est incorruptibilem esse motum. Vt enim in eo quod est factum esse motum accidit quandam esse priorem mutationem prima, sic hic posteriorem ultima. Non enim simul desinet moueri & esse mobile, vt comburi, & esse combustibile, contingit enim combustibile esse, quod non comburitur, nec motiuum, & mouens.



PROPOSVIT Aristoteles in primo contextu inquirendum, an motus ex utraque parte sit æternus, deinde in contextu quarto usque ad nonum probauit eius æternitatem a parte ante, ostendens quòd si motus incæpisset, fuisset motus prior motu primo, posteà in contextu decimo, & vndecimo ratione sumpta a tempore probauit æternitatem motus ex utraque parte. Nunc igitur uidens aliquem proteruum ad primam rationem dicere posse æternum quidem esse motum a parte anteriore, quia nunquam incæpit, ut illa ratio probat, at non esse æternum à parte posteriore, hoc enim ratio illa non probauit, sed esse corruptibilem, ita ut futurum sit ut nullus penitus sit motus. Hoc igitur hic vult ostendere Aristoteles non quidem aliquo aliquo nouo argumento, sed solum accommodando illud idem primum argumentum ad demonstrandum æternitatem motus etiam à parte posteriore, sicut enim ibi aduersarium duxit ad hoc imposibile, quòd daretur motus prior primo, ita hic ducet ad hoc, quod daretur motus posterior ultimo, quod est idem ferme absurdum, & similiter implicans contradictionem. Notare autem debemus ex Simplicio quòd si manifestum esset, quòd oporteat omne ingenitum esse incorruptibile, satis fuisset Aristoteli ostendere motum esse ingenitum, sed quia id nondum manifestum est, siquidem ostendetur in calce primi libri de cælo, ubi Aristoteles probauit hæc reciprocari inter se genitum,

genitum, & corruptibile, sic etiam ingenitum, & incorruptibile, ideò non satis fuit ostendisse motum nunquàm incepisse, sed oportuit etiam expresse demonstrare eum esse incorruptibilem, quòd hic Aristoteles facit. Dicens igitur [eadem est ratio] significat se non uti hic noua ratione, sed eandem accommodare ad partem motus posteriorem: deinde declarat quomodo sit eadem ratio, ostendens sequi ex eadem parte idem posibile, eadem enim est implicatio contradictionis quod detur motus prior motu primo, & quod detur posterior postremo. Deinde quando dicit [non enim simul desinit moueri, & esse mobile] deducit consequentiam, & deductio non penitus eadem est cum illa præcedente, sed cum quodam discrimine, quod mox notabo, cogor autem in expositione huius deductionis Aristotelis ab alijs omnibus dissentire. Auerroes enim & alijs omnes dicunt Aristotelem hic vti eadem deductione, qua antea vsus est, ut enim ibi supposuit hoc fundamentum, quod motus requiret motorem & mobile, deinde sumendo hæc tum vt facta tùm ut æterna deduxit ad hoc inconueniens, quòd fuit motus prior motu primo, ita hic supponens idem fundamentum argumentatur à motore, & mobili, tùm corrumpendis, tùm etiam æternis à parte posteriore, cum hac tamen differentia quòd sumendo ea esse corrumpenda, facit deductionem expressam impossibilis prædicti, idque in principio contextus tertijdecimi, sed deductionem omittit, si ponantur esse æterna, quia eam relinquit nobis faciendam eadem ratione, qua ipse usus est supra in textu septimo, octauo, & nono, eam enim supponit breuitatis gratia. Est igitur aliorum communis expositio, quòd Aristoteles solam exprimat deductionem absurdi, si ponantur corrumpenda, alteram uerò breuitati studens omittat, ut a nobis sub intelligendam, quia superius hac eadem vsus est. Hæc tamen sententia mihi non probatur, nam si vera esset, multo magis omittere debuisset Aristoteles alteram deductionem, si sit corrumpenda, siquidem eadem penitus cum illa, quam fecit supra in sexto contextu, ibi enim dixit, si facta, ergo per motum, ergo motus prior motu primo; hic verò dicet, si corrumpenda, ergo per motum, & ita erit motus posterior postremo. At sumendo illa æterna, non potest eadem penitus esse deductio hic, & ibi, nam ibi locum habebat illa consideratio quod si motor, & mobile erant æterna, & non finiebant motum, necesse erat aut ambo, aut alterum impedimento aliquo detineri, nec esse conuenienter disposita, hic autem ad probandum quòd si post ultimum motum manent æterna, erit motus posterior ultimo, nullum amplius locum habet consideratio dispositionum, & impedimenti, dicet enim aduersarius motorem, & mobile esse aliquando impedienda, ne faciant motum, illudque impedimentum perpetuum fore, alia igitur hic opus fuit deductione, quare non possumus eandem deductionem subintelligere, nec deductionem istam debuit hic prætermittere Arist. Ego igitur puto Arist. hic exprimere vtramque deductionem, & primum quidem in hoc contextu duodecimo, (quod alij non cognouerunt) sumere quòd motor, & mobile post vltimum motum manebunt æterna, & inde ad hoc deducere, quòd erit motus posterior ultimo, deinde verò in contextu tertiodecimo (ut alij quoque dixerunt,) ad idem deducere sumendo, quod sint corrumpenda. Quòd autem hæc, quam dixi, sit uera huius contextu duodecimi interpretatio, res ipsa declarabit, si quidem plures difficultates facilè tolluntur, quæ alioqui magnum negotium facesserent. Dico igitur Aristotelem in hoc contextu duodecimo ita argumentari, non potest simul corrumpi potentia, & actus, sed necesse est, ut si in aliquo corrumpatur actualis motus remaneret in eo potentia ad motum. Quando igitur motor desijt actu mouere; &

mobile desijt actu moueri, illud desijt quidem esse mouens, sed non desijt esse motiuum adhuc enim mouere potest, sic quando mobile desijt moueri, non desijt esse mobile, adhuc enim aptum esse moueri, quoniam igitur potentia est aliquando ad actum ducenda, faciet aliquando motum, isque erit posterior postremo, quod est impossibile. Hæc est ratio Aristotelis quam manifestum est nullius esse momenti, nisi sumendo motorem, & mobile manere æterna post ultimum motum. Nam dicere aduersarius posset, remanet quidem in eis potentia ad motum, sed motum præoccupabit corruptio illorum, vel alterius, prius enim quàm ad motum redeant, corrumpentur, at dum statuuntur manere æterna, consequens necessario sequitur, cum enim maneat in eis potentia ad motum, & illa sint perpetuò duratura, non potest esse frustra illa potentia, quare aliquando ducetur ad actum, & ita fiet motus posterior motu postremo. Sic etiam soluitur difficultas, quæ Simplicio tantum negotium facessit, ut tres ad eam tollendam responsiones attulerit. Difficultatem enim facit exemplum Aristotelis, quando dicit, non simul desinere [comburi, & esse combustibile] innuit enim, res postquam combusta est, adhuc manere combustibilem, quod tamen falsum est, quia lignum postquam est combustum, non est amplius comburi aptum. Simplicius tres solutiones adducit, prima est quòd hoc dicitur ab Aristotele exempli gratia; exemplorum autem non est quærenda ueritas, sed per combustibile vult Aristoteles ut intelligamus mobile aliquo uero motu. Secunda est quòd intellexit combustionem illorum, quæ ex combustione non intereunt, qualis est metallorum liquatio, nam post liquationem sunt iterum apta condensari, & liquari. Tertia est, quòd Aristoteles supponit quòd id, quod corrumpitur, non transeat in nihil, sed maneat prima materia, quæ est apta recipere omnes formas, quare aliquam recipit aliquando, quæ constituit rem combustibilem: iam enim diximus superius primam Aristotelis rationem supposuisse illud principium, ex nihilo nihil fit, quod apud antiquos philosophos, ut axioma habebatur, at simile axioma est non posse ens aliquod transire in nihil. Harum solutionum ego quidem secundam reprobandam censeo, cum ea sit nimis impropria locutio, tertiam non reprobo, quia per eam saluatur ueritas exempli Aristotelis, licet id non esset necessarium, sed primam puto esse sufficientissimam, quoniam exemplorum non est quærenda ueritas, præsertim uerò secundum nostram expositionem, cum enim Aristoteles supponat hic motorem & mobile post ultimum motum manere æterna, non potest per hoc exemplum significare mobile penitus corrumpi, quare combustionem nominat, non ut eam illi mobili accommodaret, sed ut hoc exemplo declararet solum hoc discrimen potentiæ, & actus, uidelicet, quod aliud est comburi, aliud est esse combustibile, quod etiam ipse indicat quando dicit [contingit enim combustibile esse, quod non comburitur] sic enim declarat distinctionem potentię ab actu, cum detur aliquid habens potentiam ut comburatur, quod tamen actu non comburitur.

Textus Tertiusdecimus.

Et ipsum autem corruptibile oportebit corruptum esse, cum corrumpitur, & huius corruptiuum rursus posterius, corruptio enim mutatio quædam est. Si igitur hæc impossibilia sunt, manifestum est, quod est perpetuus motus, & non aliquando quidem

est,

est, aliquando autem non, etenim sic dicere figmento magis assimilatur.



VMIT Aristoteles alteram partem, uidelicet quòd motor, & mobile sint corruptibilia, vel ambo, vel aterum, & ex hoc quoque membro deducit idem consequens; ergo daretur motus posterior vltimo. Et deductio clara est, si enim est corruptibile, necesse est corrumpi aliquando, corruptio autem (inquit Aristoteles) non est sine motu, fiet igitur post ultimum motum alius motus posterior. Notanda sunt uerba illa, [& huius corruptiuum rursus posterius] quæ Simplicio difficultatem fecerunt, si enim vel mouens, uel mobile sit corruptibile, satis erat dicere quod aliquando corrumpetur ab aliquo corrumpente, sed nil ad rem pertinebat dicere, quòd etiam illud corrumpens corrumpetur posterius ab alio corruptiuo, cum præsertim id falsum uideatur, multa enim corrumpũtur à cęlo, quod est corrumpens incorruptibile. Dubium hoc traxit Simplicium & alios multos in longas disputationes, quæ omnes sunt extra rem, uanum est enim hic considerare, an omne quod corrumpitur, habeat corrumpens proximum corruptibile, cum Aristoteles hoc in loco id non supponat secundum propriam opinionem, sed id sumat ex ore Aduersarij. Sensus enim est uerborum, si aduersarius dicat motorem uel mobile esse corruptibile, necesse est ut aliquando corrumpatur ab aliquo corrumpente, quemadmodum si dicat illud quoque corrumpens esse corruptibile necesse est ut id quoque posterius corrumpatur, & ita plures etiam erunt motus posteriores motu postremo. Sumit ergo hoc Aristoteles tanquàm si dicatur ab aduersario, non quòd ex propria sententia id asserat. Sunt notanda uerba illa [corruptio enim mutatio quædam est] cum enim sumat mutationem pro motu, non vult dicere simpliciter corruptionem esse motum, sed esse motum quendam, nam propriè accepta corruptio non est motus, est tamen motus quatenus supponit motum præuium, nec potest fieri sine motu. [Si igitur hæc impossibilia sunt] Hic tandem Aristoteles ex destructione consequentium impossibilium concludit falsitatem positionis, ex qua inferebantur, uidelicet, quòd motus aliquando incæperit, & aliquando sit penitus corrumpendus, unde infert contradictorium ut verum, ergo motus est æternus, quod probandum erat, impossibilia autem in plurali numero dicit illa, quæ tetigit in contextu duodecimo, uidelicet, dari motum priorem primo, & dari posteriorem ultimo, quare testatur manifestè primam rationem fuisse ad impossibile, non autem ostensiuam. Hic autem notare debemus quòd in hac ratione tertia, (si tertiam appellare possumus, cum non sit diuersa a prima nisi secundum considerationem) manifestius est quàm in prima, quod si intelligatur ostensiua, nòn probat æternitatem motus, nam si maneant motor, & mobile post ultimum motum æterna, uel etiam corruptibilia, probat Aristoteles quòd aliquando necesse est alium motum fieri, non tamen ita propinquum motui corrupto ut nulla intercedat media quies, siquidem possunt motor, & mobile manere post ultimum motum, nec nisi post longum tempus redire ad motum. Ad probãdum igitur æternitatem successiuam ratio hæc nihil roboris habet, sed Aristoteles reuera non argumentatur nisi ad impossibile, & satis habet ostendere quòd si quis dicat motum aliquando omnino esse corrumpendum, sequitur hoc impossibile, quòd erit motus posterior motu ultimo, quòd enim media quies intercidat, uel non intercedat, nihil refert, dum argumentatio est ducens ad impossibile. Sunt etiam perpendenda Græca uerba, quando Aristoteles

dicit δῆλον ὡς ἔστιν ἀΐδιος κίνησις cum enim Ariſtoteles motum dicat ſine articulo, non poteſt ſignificare motum in genere, articulus enim ſignificaſſet motum in vniuerſali, ſed ſine articulo propoſitio eſt indefinita, quæ uim habet propoſitionis particularis, nec aliud ſignificat, quàm datur æternus motus, hoc autem non poteſt ſignificare niſi unum aliquem ſingularem motum, qui dicatur æternus, vt etiam ſignificauit Ariſtoteles in primis uerbis libri de motu animalium, dum dixit ſe hic docuiſſe, an detur æternus motus, & ſi detur quis nam ſit.

Notare autem hic debemus aliud quoddam leue diſcrimen inter hanc rationem, & primam, in illa enim diximus Ariſtotelem non ſuppoſuiſſe quod motor, & mobile præcedant tempore motum, quia eo fundamento nō indiguit, licet id quoque verum eſſe defendi poſſit; hic autem in demonſtranda motus æternitate a parte poſteriore ſecus eſt, oportuit enim Ariſtotelem ſupponere motorem & mobile eſſe poſteriora tempore vltimo motu, quia in prima illa ratione ſatis fuit ſupponere quòd ſint natura priora motu, at hic quòd ſint natura poſteriora dicere non poterat, quia falſum fuiſſet, dixit igitur eſſe poſteriora, quia hoc neceſſarium eſt dicere, cum enim & motor, & mobile debeat eſse actu, non poſsunt deſinere a motu, & eodem momento corrumpi, quia corruptio requirit præuiam alterationem, oſtenſurus ergo Ariſtoteles dari motum poſteriorem ultimo, coactus eſt ſumere, quod maneant poſt ultimum motum, nec corrumpantur niſi per alium motum poſteriorem illo ultimo.


Ioannes Grammaticus hanc quoque Ariſtotelis argumentationem demoliri nixus eſt, negauitque tria Ariſtotelis dicta in hac argumentatione, inſtantiaſque contra ea ſingula adduxit. Primum quidem negat id, quod Ariſtoteles dixit, non poſſe ſimul tolli actum, & potentiam, & aduerſus illud hanc inſtantiam adducit, Multa ſunt, quorum motus eſt perfectio ipſorum, ideò ſimul deſinunt moueri, & eſse mobilia, immò etiam omnino deſinunt eſse, ut cor, & pulmo non amittunt actualem motum, quin ſimul amittant etiam potentiam ad illum motum, quia ceſsante illo motu corrumpuntur, & deſinunt eſſe, ſic ignis ſi aſcendendo intereat, amittit ſimul actum motus, & potentiam ad motum, quia amittit ſuum eſſe. Ad hanc reſpondet Simplicius non poſſe rem aliquam ita interire ut redigatur in nihil, patet enim impoſſibile eſſe fieri aliquid ex nihilo, & aliquid tranſire in nihil, remanet igitur materia apta recipere uarias formas, & cum potentia ad varios motus, idque in præſentia ſufficit, dummodo enim fiat alius motus poſterior ultimo, nil refert quiſnam ſit ille motus, & cuiuſnam mobilis, ſi enim non ſit illius eiuſdem, ſat eſt ſi ſit alicuius alterius. Hanc Simplicij reſponſionem ego quidem non reprobo, puto tamen iuxta ea, quæ antea diximus, poſſe breuius reſponderi ſic, Ariſtoteles in eo duodecimo contextu dum eo fundamento utitur, argumentatur ſupponens aduerſarium dicere motorem & mobile poſt ultimum motum manere æterna, non corrumpi, hoc autem conſtituto neceſſe eſt ut mobile incorruptum manens ſeruet ſemper potentiam ad motum, dum enim manet integrum, neceſſe eſt etiam ut ſit aptum moueri, vt patet in ijs omnibus, ex quibus Ioannes argumentum ſumebat, ſeruatur enim potentia ad motum, dum ſeruatur proprium eſſe.

Secundo aduerſus illud, quod Ariſtoteles dixit in contextu Tertiodecimo, ſi corrumpuntur, ergo per motum, quia corruptio eſt motus quidam, negat Ioannes eam conſequentiam, & talem inſtantiam adducit, detur etiam ſecundum Ariſtotelem mutatio ſubita, ut alteratio ſubita, nempe illuminatio, congelatio, nec non generatio, & corruptio ſubſtantialis, quæ non ſunt motus, dicam igitur poſſe mobile corrumpi ſubitò a Deo ſine ullo motu, quare non ſequitur quòd fiat motus

tus posterior ultimo. Ad hoc uidetur respondere Simplicius non dari ullam momentaneam mutationem, sed illas, quæ a Ioanne nominantur, in tempore reuera fieri, licet ita breui ut in instanti fieri nobis uideantur. Quam Simplicij responsionem aliqui impugnant, nec iniuria, nam nisi daretur ulla momentanea mutatio, sed quælibet in tempore fieri, necessarium esset asserere in omnibus prædicamentis dari propriè sumptum motum, quod tamen Aristoteles negat, quoniam igitur credendum non est Simplicium in re tam clara allucinatum fuisse, rectius, & humanius illi egissent, si uerba Simplicij ad verum sensum trahentes, quem facile recipiunt, ipsum tueri potius quàm impugnari statuissent. Vera igitur solutio, quam solam puto Simplicium denotare uoluisse, est ea, quæ declaratur ab Auerroe quarto Physicorum centesimo vigesimonono, & sexto Physicorum trigesimosecundo, & quadragesimoquinto, de qua etiam nos superius aliqua diximus, dantur quidem plures momentaneæ mutationes, talesque eæ omnes sunt, quæ in septem prædicamentis fiunt, sed nulla harum potest fieri nisi post uerum motum factum in aliqua trium categoriarum, in quibus uerus motus datur, omnis igitur mutatio cum motu est, quia uel ipsa est uere motus, uel est facta post motum, ut illuminatio est quidem mutatio subita, sed necessariò supponit motum Solis ad lineam horizontis, vel motum candelæ ad locum illum, uel motum accensionis candelæ, sic dico de alijs. Quod autem dicit Ioannes Deum posse totum mundum destruere in instanti absque ullo motu, uerissimum quidem est, sed ab Aristotele negaretur, immò, & ab alijs antiquioribus Philosophis, quippè qui neque creationem rerum ex nihilo, neque earum transitum in nihil cognouerunt, hoc igitur principio constituto, de quo nulla potest institui disputatio, dictum Aristotelis firmissimum est. Tandem inquit Ioannes, prauam esse illa consequentiam Aristotelis in contextu tertiodecimo, si est corruptibile, corrumpitur ab aliquo corrumpente, & illud rursus ab alio, sic enim uidetur innuere diuersum semper esse corrumpens à corrupto. Aduersus quam sententiam affert Ioannes instantiam ex iis, quæ experimur, uidemus enim quædam, quæ suaptè natura tendunt ad interitum, tandem ex seipsis intereunt sine ullo corrumpente externo, ut animal suaptè natura senescit, & quandoque eo peruenit, ut per naturalem quandam resolutionem intereat sine vllo corrumpente, eius itaque corruptionis nulla est alia causa, nisi quia potentiam suæ durationis habet finitam & limitatam. Ad hoc dicit Simplicius fieri non posse vt aliquid à seipso corrumpatur, quod enim Ioannes dicit de naturali rerum fluxu ad interitum, nil aliud est quàm dicere potentiam rerum passiuam, & aptitudinem ad interitum, at natura nihil frustra facit, sed omni potentiæ passiuæ statuit etiam actiuam, quæ illi responderet, & eam duceret ad actum, itaque si simplicia corpora consideremus, semper uidebimus ea ab externo aliquo interimente corrumpi, corpora uerò animata tum detrimentum continuum recipiunt à continente, & à cibis reactione sua in calorem naturalem continuè ipsum debilitant, tùm etiam ob pugnam quam in seipsis habent, cum constant ex contrarijs naturis tendunt ad interitum, non quòd seipsa interimant, sed semper ex actione unius in aliud. Hoc pacto defenditur egregie Aristotelis dictum, cùm verissimum omnino sit, nil posse a seipso corrumpi. Attamen tota hæc disputatio est præter rem, quamuis enim Aristoteles hoc reuera proferat, quia verum est, non tamen eo fundamento eget ad concludendam suam argumentationem, satis enim ei est, quòd si quid corrumpatur, corrumpitur necessariò cum motu, nec refert, an ab alio interimi dicatur, an à seipso.

Contextus Quartusdecimus.

Similiter autem & dicere quod aptum natura sic est, & hoc oportere putare principium esse, quod quidem uidetur Empedocles dixisse, quod uincere, & mouere in partes amicitiam, & litem, inest rebus ipsis ex necessitate, quiescere uerò in medio tempore.



ONNEXIO huius partis cum præcedenti sumitur optima ex Simplicio in expositione contextus decimisexti, ubi inquit posse tribus modis dogma aliquod confirmari. Primò argumentis ipsum directè demonstrantibus. Secundò ostendendo contrariarum opinionum absurditatem. Tertiò aduersantia dubia soluendo, nam his quoque duobus modis sententiam nostram confirmamus, sed obliquè. Omnibus his voluit Aristoteles comprobare æternitatem motus; Primò argumentis, vt hactenus vidimus; Secundò ostendendo aliorum errorem, quod in hoc contextu, & in secundo faciet; Tertiò demum per dubiorum solutionem, quod faciet a sextodecimo vsque ad vigesimum totum. In hoc tamen tertio sententia Simplicij habet aliquid dubitationis, vt infra in contextu sextodecimo dicemus. Hic igitur ostendere vult absurditatem contrariarum opinionum, has autem iam duas esse dixerat in contextu secundo, unam Empedoclis ponentis nunquam quidem cæpisse motum, sed interrumpi quietibus intermedijs; alteram Anaxagoræ dicentis motum aliquando cæpisse postquam infinito tempore non fuerat, ita tamen vt ad harum alteram intelligamus redigi sententiam cuiuslibet asserentis non semper esse motum. Vtriusque igitur opinionis absurditatem ostendit hic Aristoteles hoc ordine. Primum in hoc contextu refert sententiam Empedoclis, deinde in principio contextus sequentis refert sententiam Anaxagoræ, eamque statim refutabit, ac demum etiam sententiam Empedoclis in eodem contextu. Dictio illa [Similiter,] respicit postrema uerba præcedentis contextus, quæ erant [etenim sic dicere figmento magis assimilatur] nunc enim sequitur dicens figmento simile id quoque esse, quod dicebat Empedocles. Quid autem intelligat pro figmēto simile variæ sunt expositiones, vt apud Simplicium legere possumus. Sed ego alijs dimissis eam accipiendam puto, in qua plures consentiunt, quòd figmento similem dicat illam positionem, quæ careat ratione, quando enim aliquid per se ignotum, & indigens ratione, nos sine ratione proferimus, vel saltem non idoneam eius rationem adducimus, in qua possit animus acquiescere, fingere id uidemur. Sunt qui putant verba hæc esse ad iungenda contextui decimoquarto, vt ad Empedoclem pertineant, sed melius est ut ea locemus in fine tertij decimi, nam dictio illa [etenim] denotat ea referri ad præcedentia, deinde dicens Aristoteles [similiter] loqui incipit de Empedocle, & notare debemus Aristotelem non ipsam Empedoclis hic refutandam suscipere, id enim ad locum hunc non pertinebat, sed rationem, quam Empedocles afferebat, nam reiecta ratione patebit sententiam Empedoclis carere ratione, & ita esse simile figmento. Cum igitur Empedoclis sententia esset quòd per æqualia tempora imperant lis, & amicitia, siquidem durante mundo, lis dominari dicitur, durante autem sphæro amicitia, ita ut in parte quadam

dam

dam temporis agat, & imperet lis, & in alia æquali parte amicitia: huius commutationis, & vicissitudinis æternæ nullam aliam causam afferebat Empedocles, nisi hanc, quoniam sic aptum natura est ut fiat, ex solius igitur naturæ necessitate id prouenire dixit, non ex alia causa. Hanc igitur ab Empedocle adductam rationem refellit in sequenti contextu Aristoteles, vt ita ostendat eius sententiam carere ratione, & esse similem figmento.

Contextus Decimusquintus.

Fortassis autem, & vnum principium facientes, ut & Anaxagoras, sic utique dixerint. At verò nihil inordinatum est eorum, quæ natura, & secundum naturam fiunt. Natura enim causa est ordinis omnibus: infinitum autem ad infinitum nullam rationem habet, ordo autem omnis ratio est. Infinito autem tempore quiescere, postea motum esse aliquando, huius autem nullam esse differentiam, quare nunc potius quàm prius; neque rursus aliquem ordinem habere non amplius naturæ est opus. Aut enim simpliciter se habere oportet id quod natura est, & non aliquando quidem sic, aliquando uerò aliter: (ut ignis sursum natura fertur, & non aliquando quidem, aliquandò uerò non) aut rationem habere quod non simpliciter. Quare melius est, ut Empedocles, & si quis alius dixit sic se habere, in parte uniuersum quiescere, ac rursus moueri, ordinem enim iam quendam habet quod tale est. Sed & hoc dicentem oportet non affirmare solum, sed, & causam ipsius dicere, & non ponere, neque censere ullam sententiam irrationabilem, sed aut inductionem, aut demonstrationem afferre. Hæc enim quæ supposita sunt, causæ non sunt; neque hoc erat litis, uel amicitiæ esse, sed huius quidem congregare, illius uerò disgregare. Si uerò insuper determinetur ipsum in parte, dicendum est in quibus sic, ut quod est aliquid, quod congregat homines scilicet amicitia, & fugiunt inimici ab inuicem, hoc enim supponitur & in toto esse. Videtur enim in quibusdam sic esse, hoc autem & per æqualia tempora indiget aliqua ratione. Omninò autem existimare principium esse hoc sufficiens, quod semper aut est sic, aut fit non rectè est opinari: ad quod Democritus reducit de natura causas, quod sic & prius fiebat: ipsius autem semper non vult principium quærere, dicens in quibusdam rectè, in omnibus

bus autem non recte. Etenim triangulus habet duobus rectis, semper angulos aequales; sed tamen est quadam perpetuitatis huius altera causa. Principiorum tamen, quae perpetua sunt non est altera causa. Quod igitur nullum tempus, aut erat, aut erit, quando motus non erat, aut non erit, tot dicta sunt.

REFERT hic Aristoteles sententiam Anaxagorę, ut similiter ostendat eam quoque carere ratione, & esse similem figmento, & quia nullam uidetur expressisse causam Anaxagoras, cur post infinitum tempus quietis Deus cæperit motum, coniectat Aristoteles Anaxagoram vsum esse eadem ratione, qua & Empedocles usus est, ideò inquit [Fortassis &c. sic utique dixerint] non apparet enim qua alia ratione potuerit uti Anaxagoras nisi hac, Deus tunc cæpit generare mundum postquàm infinito tempore quieuerat, quia tunc oportuit ita fieri, & ex naturæ necessitate debuit tunc incipere generatio mundi, & motus. Sic autem innuit Aristoteles Anaxagoram putasse Deum esse agens non uoluntarium, sed necessarium, ita ut non ex libera sua uoluntate agat, sed ex necessitate naturæ, ideò Auerroes notat hoc discrimen inter Anaxagoram & sectatores legum hi namque Deum ponunt esse agens liberum, Anaxagoras autem necessarium, ideò maiorem fuisse Anaxagoræ errorem, inquit, in statuendo principio mundi, quàm sequentium leges, hi namque ad hoc saltem confugere possunt ut dicant Deum tunc potius incæpisse mundum, quia tunc uoluit, & ita statuit ab æterno, ut tunc mundus inciperet, quo defensionis genere destitutus est Anaxagoras dicens Deum esse agens ex necessitate naturæ: Inuehitur tamen Auerroes etiam in leges, fuseque contra eas disputat de creatione mundi: sed nos consultò totam eam disputationem omittimus. Hic autem notare possumus modum loquendi Aristotelis, in plurali enim numero dicit [facientes] quia non Anaxagoræ personam, sed rem ipsam considerat, & sub Anaxagoræ nomine comprehendere vult omnes alios, qui talem sententiam protulerint de initio uniuersi mundi, & motus. Iam enim diximus Aristotelem velle ut ad has duas Empedoclis, & Anaxagorę opiniones redigantur omnes aliæ, quæ motum non semper esse constituerint. Quòd autem dicit Aristoteles [vnum principium facientes] intelligi potest duobus modis, vno modo vt significet vnum principium efficiens ad differentiam Empedoclis, qui duo agētia ponebat litem, & amicitiam. Altero modo ut significet unum principium mundi secundum tempus, siquidem Anaxagoras dixit unum tantum extitisse mundi initium, semel enim incæpit postquam enim infinito tempore non fuerat, cum Empedocles infinities mundum cæpisse dixerit. Quam interpretationem ego probabiliorem esse puto, cum enim Aristoteles non pro solo Anaxagora hoc dicat, sed etiam pro alijs: de alijs, non habemus quòd unum effectiuum principium posuerint, magis etiam ad propositum pertinet hæc secunda expositio, quia initium temporis ponere, quo incæperit motus, est aperte negare motus æternitatem, de qua in præsentia sermo est, non sic ad rem pertinet numerum agentium considerare. [At uerò nihil inordinatum est eorum, quæ natura, & secundum naturam sunt] Hic incipit dictarum sententiarum absurditatem considerare, ipsas quidem sententias non confutat, id enim esset probare æternitatem motus, sed solum in rationem ab eis adductam inuehitur, ut ostendat eas carere ratione, & ita esse figmento similes, loquitur autem de Anaxagora, prius propter continua-

tinuationem, postea uerò de Empedocle loquetur. Aduersus Anaxagoram nititur probare quòd falsum est id, quod pro suæ sententiæ ratione vsus esse videtur Anaxagoras, sic enim probatum erit illius dogma carere ratione; cum enim diceret Anaxagoras post quietem infinitam cæptum esse ab intellectu motum segregationis, qui nunquam absoluetur, proinde erit infinitus. Huius dogmatis nullam videtur attulisse rationem nisi hanc, quòd ita fieri oportuit ex naturæ necessitate. Aristoteles igitur rationem hanc euertere nititur, ostendendo quòd motus infinitus post infinitam quietem non potest esse naturæ opus; quam conclusionem probat (ut ego arbitror) duobus syllogismis, quorum prioris probat etiam in contextu & maiorem & minorem, is autem talis est, nullum naturæ opus est inordinatum, sed quies infinita ante motum infinitum est quid inordinatum, ergo quies infinita ante motum infinitum non est naturæ opus, maiorem ponit primis uerbis, in qua cur dicat, [natura, & secundum naturam] postea considerabimus. Ponit autem statim probationem maioris talem, natura est causa ordinis in rebus naturalibus, at vbi est causa, ibi est & effectus, ergo vbi natura, ibi ordo, ergo a destructione consequentis vbi non est ordo, non est natura; nullum igitur naturæ opus est inordinatum, hæc enim est uniuersalis negatiua de prædicato infinito, quæ æquipollet huic vniuersali affirmatiuæ finitæ, omne naturæ opus est ordinatum. Probat deinde etiam minorem eiusdem syllogismi, sed ea in præsentia dimissa declaremus probationem maioris, quæ in hac una propositione consistit, natura est ordinis causa in rebus naturalibus, videamus igitur quomodo natura sit causa ordinis, & in quo genere causæ. Ego puto rationem pendere ex ijs, quæ ab Aristotele dicuntur in secundo libro Physicorum, ibi enim longo sermone ostendit naturam quicquid agit, propter finem agere, unde fit ut necessariò ordinem seruet, uolens enim statutum finem assequi necesse est, ut per conuenientia media progrediatur, & certo quodam ordine disposita, sine quo ad illum propositum finem perueniret, natura igitur in suis operationibus ordinem seruat propter adeptionem finis, idque omnibus naturæ operibus manifestè inspicere possumus, nam in generatione animalis, uel plantæ, & semine, ordo quidam certus, & necessarius semper seruatur, sine quo generatio illa non absolueretur, quoniam igitur (ut inquit Aristoteles in contextu octuagesimoprimo secundi libri Physicorum) natura agit propter finem, qui est ipsamet natura, dicere possumus naturam esse causam ordinis, ut causam finalem, ipse namque finis, si acquiri debeat, certum quendam ordinem præscribit in ijs, quæ ad ipsum diriguntur, finis enim generationis naturæ est forma, forma autem est natura, natura igitur, quæ est forma, & finis generationis, est causa ordinis in ijs, quæ sunt ante finem, tanquàm causa finalis. Sed quæret aliquis quomodo naturæ agit propter finem, & finis est natura? agit ne igitur natura propter naturam? omnia hæc uera sunt, si bene intelligantur, ideò natura est causa ordinis, non modo ut causa finalis, sed etiam ut effectrix, quod quidem in animantium generatione ostendi facilè potest, in semine enim animalis inest natura non ut forma sed ut artifex ut in secundo libro Physicorum Aristoteles docet, non enim in semine humano forma ipsa hominis inest, siquidem semen non est homo, sed uirtus quædam & facultas quæ ab humana forma defluxit, generatiua hominis, hæc igitur facultas, quæ inest in semine, dicitur natura agens ut artifex, eaque est ordinis causa & effectrix, hoc idem in omnibus naturæ actionibus considerare possumus natura enim agit propter finem, qui est natura ipsa, quare natura est causa ordinis, & ut efficiens, & ut finis. Aristoteles autem utrumque causæ genus tetigisse uidetur quando dixit [eorum quæ natura, & secundum naturam fiunt] & unam

vnam cum altera coniunxit dicens [natura] significauit ea, quæ fiunt a natura tanquàm a causa efficiente; deinde dicens [& secundum naturam] significauit ea, quæ fiunt secundum intentionem naturæ propter finem agentis, nam fiunt, & monstra a natura ut à causa efficiente, at non secundum intentionem naturæ, quia natura frustratur fine suo, ideò in monstris non est ordo, uitiatus enim est ordo eorum, quæ propter finem sunt, cum assecutio finis non sit subsecuta. Aristoteles igitur non dixit nihil esse inordinatum in ijs, quæ à natura fiunt, siquidem monstra dici possunt effectus naturæ inordinati, sed hæc excipiens dicit nihil esse inordinatum eorum, quæ a natura, & secundum naturam fiunt, id est, secundum intentionem naturæ, hoc autem est quando natura propositum finem assequitur. Patet igitur quomodo natura sit ordinis causa in rebus naturalibus: legimus autem hoc idem apud Aristolem tertio de cælo contextu vigesimoquarto ubi dicit, Inordinatio nil aliud est quàm id, quod est præter naturam in rebus, ordo enim est propria sensilium rerum natura, quæ propositio intelligenda est in sensu causali, non in sensu formali, iuxta hæc, quæ in hoc loco habemus natura est causa ordinis. Idem etiam legimus in decimanona particula problematum problemate trigesimo octauo, ubi rationem reddens cur cantibus, & modulationibus delectemur, inquit, quia modulationes ordinem quendam habent, & omne naturale est ordinatum, quare secundum naturam est ut rebus, quæ ordinem redolent, oblectemur. Maiore propositione declarata sequitur ut minorem declaremus, quæ erat, motus infinitus post infinitam quietem est quid inordinatum, hanc probat Aristoteles tali prosyllogismo, omnis ordo est ratio, at infiniti ad infinitum nulla est ratio, ergo infiniti ad infinitum nullus est ordo, huius igitur prosyllogismi vtramque propositionem declarare oportet. Quod ad maiorem attinet duo possumus nomine rationis intelligere, possumus enim primum sumere rationem pro causa, ut propositio sit uera causaliter, omnis ordo est ratio, idest, omnis ordo procedit à causa, sicut etiam tertio de cælo vigesimoquarto Aristoteles dixit, ordo est ipsa rerum sensilium natura, id enim non est uerum formaliter, sed causaliter. Vel dicere possumus, quod magis probo, rationem hic significare proportionem seu habitudinem quandam rationabilem, & necessariam multorum inter se propter aliquem finem, sic autem uera erit propositio etiam formaliter, nil enim aliud est ordo, nisi rationabilis habitudo multorum inter se propter adeptionem propositi finis, idque ueritatem habet in omni ordine, tum seruato à natura, tum ab arte, tum ab intellectu in rerum cognitione, & in scientiarum, & artium traditione. Minor prosyllogismi est, infinitum ad infinitum nullam habet rationem, hæc ut intelligatur aduersus eam sic dubito, & est dubium satis vulgatum, infinitum est æquale infinito, ergo infiniti ad infinitum aliqua est ratio, & habitudo, patet consequentia, quia ratio non solum inter inæqualia dicitur, sed etiam maxime inter æqualia. Ad hoc communiter respondent duplicem esse inæqualitatem, unam positiuam, alteram priuatiuam, æqualitas positiua est inter quanta finita, quorum initia, & fines adæquantur, ut neutrum ab altero excedatur, infinitum uero infinito æquale dicitur æqualitate priuatiua, non enim ideò dicuntur æqualia quòd termini adæquentur, sed quia in terminorum negatione conueniunt, ratio enim non dicitur nisi inter æqualia æqualitate uera, & positiua, est enim certa habitudo, quæ finitam utriusque quantitatis supponit. Hæc communis solutio uera omninò est, sed uidetur magis esse Mathematica, quàm naturalis, ideò melius est fortasse ut dicamus Aristotelem hic non solum considerare Mathematicam quantitatem, quæ dicatur æqualis, vel inæqualis, sed de naturæ operibus loqui, quæ inter se habitudinem, & ordinem habent propter

adeptio-

adeptionem finis, sic autem non æqualitas, aut inæqualitas consideratur, sed solum ordinatio primi ad secundum, & secundi ad tertium, donec propositus finis acquiratur. Hæc uocatur ab Aristotele ratio, idest, rationabilis multorum dispositio propter finem: sic ergo sumendo rationem ad dubium, dicimus quòd etiam cõcessa ęqualitate infiniti cum infinito, tamen nulla est ratio infiniti ad infinitum, natura enim aliquem finem intendens ad eum præordinat media finita, nec potest præordinare vllum infinitum, quoniam infinitum, quatenus est infinitum pertrãsiri non potest, natura igitur proponens sibi aliquando faciendum motum, non potuit ad eum pręordinasse infinitam quietem, omninò enim nullum medium directum ad aliquem finem potest esse infinitum. [Aut enim simpliciter se habere oportet quod natura est] Hactenus Aristoteles altero syllogismo probauit non posse esse naturæ opus quietem infinitam ante motum infinitum; nunc ad idem probandum addit alterum syllogismum talem, id, quod est naturæ opus, uel semper eodem modo se habet, uel si non semper, adest saltem aliqua ratio cur non semper: at motum infinitum ponere post infinitam quietem omnium rerum non est ponere semper motum, neque semper quietem, neque ulla apparet ratio cur non semper sit motus, uel non semper sit quies: ergo motus infinitus post infinitam quietem non est naturæ opus. Maior bimembris satis declaratur exemplis utriusque membri; Prioris membri exemplum, nempe, eorum quæ semper eodem modo se habent, ab ipso Aristotele hic affertur, ignis enim naturaliter semper ascendit, nec unquam ullo alio motu mouetur, rectè autem addit Aristoteles [natura] quia absolutè loquendo potest ignis etiam alijs motibus moueri, at naturaliter nullo unquàm moueri potest nisi solo motu à medio. Alterius autem membri nullum ab Aristotele exemplum adducitur, sed à Simplicio, & ab Auerroe affertur exemplum tale, anni tempora non semper eodem modo se habent, quia nec semper est hyems, nec semper æstas, causa tamen semper adest cur non semper, nempe, quia causam mutabilem habent, quia non semper in eodem situ manet respectu nostri, causa enim est sol latus per obliquum circulum, qui modo est propinquus nobis, modo à nobis remotus. Aliqui exemplum hoc à Simplicio, & ab Auerroe adductum non admittunt, id enim dicunt, prioris potius membri exemplum esse quàm huius posteris, quia quando sol est nobis proximus, semper est æstas, & quando est à nobis maxime remotus semper est hyems, quare hæc uidentur potius esse in eorum numero, quæ semper eodem modo se habent. Ipsi igitur putant Aristotelem in hoc secundo membro complecti illa naturalia, quæ recipiunt impedimentum, & ita non semper eodem modo fiunt, ut non semper náscitur homo cum quinque digitis, sed quandoque cum sex, quandoque cum quatuor, & huius uarietatis causam habemus defectum materiæ, seu abundantiam. Sed hæc interpretatio difficultate non caret, quoniam huiusmodi impedimentum est contrarium naturæ, quare monstra non dicuntur fieri secundum naturam, non est enim secundum intentionem naturæ, quod homo nascatur cum quatuor tantum digitis: Aristoteles tamen loquitur in utroque membro de ijs, quæ fiunt secundum intentionem naturæ, hæc enim ordinem habent rationabilem in ijs, quæ sunt ante finem. Propterea mihi uidetur accipienda sententia Simplicij, & Auerrois, quòd Aristoteles intelligat de illis naturalibus, quę non semper eodem modo se habent, licet a natura, & secundum naturam fiunt, causam enim habent talis varietatis, nempe, uarietatem causæ, uel varietatem intentionis eiusdem causæ, seu naturæ per eam operantis. Minor autem propositio satis per se manifesta est, cum enim Anaxagoras, neque semper motum poneret, neque semper quietem, nullam

tamen causam afferebat, cur non semper, & cur intellectus diuinus eo potius tempore incæperit motum, non prius, neque posterius, causa enim, quam adducere visus est, causa non est, sed potius indiget causa: dicere enim quòd ex necessitate naturæ ita factum est, nihil est dicere, nisi exprimatur quænam fuerit causa huius necessitatis. Sententia igitur Anaxagoræ ratione caret, proinde figmento similis est. [Quare melius est ut Empedocles] Transit ad sententiam Empedoclis expendendam, quam in primis præfert sententiæ Anaxagoræ ut minus absurdam, quod etiam in primo Physicorum libro fecit. Empedocles enim, nec motum, nec quietem perpetuo tempore fuisse ponit, sed finita, & alterna esse dixit singula tum motus, tùm quietis tempora, quare non ordinauit infinitum ad infinitum, ut Anaxagoras fecit, sed finitum ad finitum. Hoc autem (inquit Aristoteles) [iam ordinem quendam habet] non dicit absolutè ordinem, sic etiam dogma Empedoclis etiam rationem haberet, quod postea Aristoteles negabit, sed comparatione tantum Anaxagoræ laudat Empedoclem, & significare vult sententiam Empedoclis saltem aliquam speciem, & apparentiam ordinis habere, siquidem finitum ad infinitum ordinabile est, non sic infinitum, vt antea dictum est. [Sed & hoc dicentem oportet non affirmare solùm] ostendere incipit quòd sententia Empedoclis licet sit minus absurda quàm sententia Anaxagoræ, eidem tamen errori, & reprehensioni obnoxia est, caret enim hæc quoque ratione, cum Empedocles talem causam afferat, quæ non est causa, litem enim, & amicitiam causas esse dixit, sed cuiusnam effectus sunt causæ? certè si rerum naturam consideremus amicitia non est nisi congregandi causa, nec lis nisi disgregandi, & quia causæ natura, & essentia, quatenus causa est, consistit in relatione ad effectum, ideò inquit Aristoteles hoc esse litis, & amicitiæ esse, idest, earum essentiam consistere in congregando, & disgregando, quod quidem possumus de mundo dicere (inquit) argumentando a parte ad totum, sicut enim hominum amicitia congregare eos solet, & lis disiungere, & separare, ita & de mundi partibus dicere potest Empedocles quòd congregentur ab amicitia, à lite uerò disgregentur, sed quòd per æqualia tempora darent mundũ, & sphærum, hoc utique (inquit Aristoteles) desiderat rationem, non potest enim esse effectus litis, uel amicitiæ sicuti in animalium amicitijs, & inimicitijs uidere est, nam uidemus quidem ea congregari per amicitiam, disiungi autem per litem, sed non uidemus tantumdem temporis inter aliquos homines durare inimicitiam, quãtum durauit amicitia, huius igitur æqualitatis temporum nullam causam Empedocles attulit, cum tamen indigeat maximè ratione, est igitur hęc sententia irrationabilis, idest, ratione carens, & ita similis figmento. Notandum est Aristotelem dicere Empedoclem debuisse id probare afferendo [inductionem, vel demõstrationem] sic enim significat id, quod nos declarauimus in duobus posterioribus libris de Methodis, duo tantùm esse instrumenta notificandi, inductionem, & demonstrationem, prout communiter demonstratio accipitur, & pro ea, quæ est à causa, & pro ea, quæ est ab effectu. Notandum etiam est, potuisse Aristotelem etiam alio pacto ostendere sententiam Empedoclis carere ratione, dicere enim poterat litem, & amicitiam necessariò habere aliam priorem causam, quare animus non acquiescit, dum dicimus amicitiam confundere elementa, nisi rationem habeamus, & causam, qua facta sunt amica, uidetur enim Empedocles idem afferre ut causam sui ipsius, cuius adhuc desideratur causa, quare neque congregationis ac disgregationis idoneam causam adduxit Empedocles. Attamen Aristoteles hoc uoluit ei condonare, & alia ratione manifestiore ostendere sententiam Empedoclis carere ratione. [Omninò autem existimare.] Refutat hic Aristoteles quandam euasionem, qua uti poterat Empedocles,


nam

nam poterat confugere ad dictum Democriti, qui interrogatus cur illa copuscula atoma in unum colligantur ad hanc, uel illam rem generandam? ostendit nullam aliam afferri posse rationem, nisi quòd semper ita fuit, res enim necessariæ, & quæ semper sunt, causam non habent, quare earum non est quærenda ratio. Hoc igitur idem dicere poterat Empedocles ad Aristotelis obiectionem. Quam fugam poterat Aristoteles infringere multifariam, poterat enim dicere non esse clarum quod ita semper fuerit, sed id demonstrandum fuisse, attamen donans hoc Empedocli satis habet dictum illud Democriti impugnare, & ostendere quòd dentur res necessariæ, quæ tamen causam habent suæ necessitatis, nam principij quidem demonstrationem necessaria sunt, & causam non habent, ideò de his Democritus verum dicit, at conclusiones sunt necessariæ, & habent causam, quare dictum Democriti de his falsum est, ut hæc, quam Aristoteles exempli gratia adducit, triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis, est enim necessaria, & perpetuæ ueritatis, aliam tamen suæ perpetuitatis causam habet, per quam demonstratur, quare hac euasione Empedocles uti non potest. Quæri hic solet an res necessaria possit habere causam, & quomodo id fit, & multi statuunt solùm Deum esse omnino necessarium, & sine ullà causa, alia uerò præter Deum necessaria dicunt causam, non quidem efficientem, sed finalem, uel formalem. Sed tota hæc disputatio est præter rem, quicquid enim sit de ente necessario simplici, de quo Aristoteles hic non loquitur, de solo complexo loquitur, hoc est, de necessaria propositione, ut patet in opinione Empedoclis, qui dicebat, mundum, & sphærum habere tempora suæ durationis æqualia, eamque esse necessariam propositionem, proinde eius causam quærendam non esse, tale etiam est exemplum Aristotelis, nempe, conclusio illa Geometrica, triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis, & supra etiam de Empedocle loquens dixit eum non debuisse statuere aliquod ἀξίωμα ἄλογον, idest, proferre ut axioma, & sine vlla ratione id, quod reuera non est per se notum, sed eget probatione. Dixit etiam eum debuisse inductionem afferre, uel demonstrationem, hæc autem ambo sunt instrumenta, quibus colliguntur, & probantur enuntiationes. Consideranda etiam sunt uerba illa [quædam est huius perpetuitatis altera causa] res enim simplices habent quidem omnes apud Aristotelem causam finalem Deum, attamen si sint necessariæ, nullam aliam præter se causam habent suæ necessitatis, quia sunt necessariȩ ex sua natura. Sed accidentium inhȩrentia in subiectis suis si necessaria sit, habet extra se causam suæ necessitatis, & perpetuitatis, vt inquit Aristoteles in secundo libro Posteriorum. Tandem in fine contextus concludit Aristoteles æternitatem motus ex vtraque parte, iam esse à se demonstratam, eam enim probauit, tum argumentis directè eam demonstrantibus, tùm etiam declarando absurditatem, quæ consequitur aliorum sententias dicentium non semper esse motum, sed uel incæpisse omnino, vel medijs quietibus interrumpi.

Contextus Sextusdecimus.

Contraria autem his non difficile est soluere. Videbitur autem ex hisce considerantibus contingere maximè motum esse aliquando cum non esset omninò. Primo quidem quia nulla perpetua mutatio est: mutatio enim omnis apta natura est esse ex quodam

in quoddam, quare necesse est omnis mutationis terminum esse contraria in quibus fit, in infinitum autem moueri nihil.



SIMPLICIVS (vt in principio contextus decimiquarti dicebamus) ita locum hunc cum pręcedenti parte continuat, postquàm Aristoteles ad Textum vsque quartumdecimum probasset æternitatem motus pluribus argumentis, deinde in quartodecimo, & quintodecimo eandem confirmasset, ostendendo contrariarum opinionum absurditatem, nunc vult tertio modo eandem comprobare, soluendo dubia, quę ipsi refragari uidebantur. Quam Simplicij sententiam omnes ad unum recentiores sequuntur. Ego vero cum eam in primo, & secundo dicto approbem, in hoc tertio non omnino approbare possum; cum ex ipsismet Aristotelis uerbis manifestum futurum sit quòd hęc dubiorum consideratio incognitam potius significabit ipsam motus ęternitatem, quàm cognitam, ex qua haec dubia solui possint. Aristoteles enim dicturus est dubia hęc soluenda esse per illa, quę posterius declarabuntur, non per illa, quę hactenus ostensa sunt, cum confusè, & imperfectè cognita nobis sit ipsa motus ęternitas. Fundamentum autem Simplicij, quod triplici illa uia possit aliquod problema confirmari, uerissimum est, licet hic non habeat locum tertia uia, propterea quòd ex imperfectè cognita ęternitate motus dubia solui minime possunt. Ego igitur puto alia hic utendum esse continuatione, cognoscens enim Aristoteles se hactenus confusè solum declarasse motus æternitatem, proponit hęc dubia vt inde occasionem sumat rei melius declarandę, cum ex ijs, quę hactenus dicta sunt, plenè solui non possint, sed leuiter, & imperfectè, hancque esse Aristotelis mentem ipse postea in contextu vigesimoprimo testabitur: Proponit igitur tria dubia, eaque statim leuiter soluit, sed pleniorem solutionem ad alium locum remittit, quia postulat distinctiorem cognitionem æternitatis motus; Primum dubium proponit in hoc sextodecimo cõtextu, alia duo in decimoseptimo, deinde in decimooctauo soluet primum, & in decimonono secũdũ, & demum in vigesimo tertium. Sunt in primis expendenda verba illa, [contraria autẽ his nõ difficile est soluere,] nam dictio illa, his, significat huic æternitati motus antea demonstratæ, quare si manifestum fuerit, dubia hæc non officere æternitati successiuæ, sed numerali tantum, patebit etiam nullam aliam æternitatem esse hactenus demonstratam nisi numeralẽ. Primum dubium tale est, nullus motus est æternus, ergo motus non est æternus, antecedens probatur tali syllogismo, omne quod est interclusum duobus cõtrarijs terminis est finitum, omnis motus est inter duos contrarios terminos, vnũ a quo, alterum ad quẽ, omnis igitur motus est finitus, quare nullus est ęternus. Maior propositio clara videtur, quoniam distantia duorum contrariorum non potest esse nisi finita. Minor quoque sumitur, vt manifesta ex ijs, quę in quinto lib. dicta sunt de motu, & de terminis motus. Nã alteratio est inter duas cõtrarias qualitates, augumẽtatio a minore quãtitate ad maiorẽ, & motus localis ab aliquo statuto loco ad aliũ statutũ locũ. Sed dubiũ uidetur hoc Arist. dictũ, cũ in sola alteratione uerũ esse uideatur, non in augumentatione, neq; in motu locali, quoniã quantitati, & loco, nihil est contrarium. Ad hoc dicendũ est contrarietatẽ in quinto lib. Physic. & hic alio modo sumi q̃ sumpta sit in lib. Categoriarũ, ibi enim sumitur cõtrarietas propriè pro quadã specie oppositionis ab alijs distincta, quę est inter duas naturas positiuas in eodẽ genere maximè distãtes, & se mutuò pellẽtes ab eodẽ subiecto, qualis cõtrarietas in solis qualitatibus datur, hic aũt, & in quinto lib. Physic. sumitur

con-


contrarietas largius,& modo quodam peculiari,ac proprio ipsius motus, uidelicet, pro distantia duorum terminorum incompossibilium vnius naturæ diuisibilis,a quorum vno ad alterum posit esse transitus per media eiusdem generis. Dixi naturæ diuisibilis,quia si esset indiuisibilis,non fieret in ea motus, sed mutatio subita, quoniam tota simul accederet, non pars post partem. Ideo Auerroes sexto Physicorum octuagesimoquinto inquit; [In prædicamento situs non est motus, quia est ad aliquid,& id,quod est ad aliquid,est indiuisibile] Ast ubi res est diuisibilis,fit transitus ab extremo ad extremum per media in tempore: ideò in qualitatibus fit motus,quia intenduntur,& remittuntur, sunt enim diuiduæ per gradus, sic in quantitate, & in loco, quia diuidi possunt in partes secundum quantum, ideò pars post partem acquiritur, vel gradus post gradum, non tota res simul, & transitus fit ab extremo ad extremum per media eiusdem generis, & in tempore, ideò is est uerus motus. Extrema uerò dicuntur contraria,non quod habeant contrarias naturas,sed quia redolent quasdam conditiones contrarietatis, cum simul in eadem re existere nequeant, & uno accedente, alterum recedat, recedit enim minor quantitas adueniente maiore, non quòd maior minorem pellat, sed quia subiectum transit ab hac ad illam, nec potest simul habere utramque. Quod ad verba attinet quando inquit, [Primo quidem] ponit antecedens primi dubij. deinde quando dicit, [mutatio enim omnis,] ponit minorem syllogismi ad probandum antecedens illud, maior uerò subaudienda est. Tandem quando dicit, [quare necesse est,] ponit conclusionem syllogismi, notare tamen debemus quòd loco concludendi omnem motum esse finitum,concludit omnis mutationis terminos esse duo contraria, tanquàm idem per hæc significans, cum enim duorum contrariorum finita sit distantia, perinde est, ac si dicat omnem motum esse finitum,& ita nominat contrarietatem,vt declaratiuam finitudinis.Immò exprimit Aristot. ipsam conclusionem dicens [terminos] quasi dicat, ergo omnis motus habet terminos, quod est omnem motum esse finitum. Declaratiuè autem addit [contraria] idest,qui termini sunt duo contraria,in quibus fit motus. Verba illa,[in quibus fit,] non significant subiectum, in quo fit motus, sed prædicamentum,in quo sunt ipsi termini motus, dicitur enim motus esse in qualitate, quando est a frigore ad calorem, quæ sunt in prædicamento qualitatis, poniturq; hæc distinctio ab Auerroe quinto Physicorum, quintodecimo. Vltima illa uerba [in infinitum autem moueri nihil] Auerroes tripliciter interpretatur, prima interpretatio,quam ego solam accipiendam puto, est, quòd hæc uerba ad eundem sensum cum maiore efficacia referendum adijciantur, sicuti cum dicimus, ille est sapiens, non stultus, subiungimus enim negationem oppositi ad maiorem efficacitatem,sic Aristoteles in definitione naturæ dixit, per se, non per accidens,ita igitur hic dicit, omnis motus est inter contraria,proinde est finitus, in infinitum autem mouetur nihil, hoc enim esset motum carere termino. Secunda expositio est quòd hæc uerba sint noua ratio ad probandum idem, quæ tamen hic non omnino exprimitur, sed potius innuitur ab Aristotele: expressa autem legitur in calce sexti libri Physicorum,& in contextu Quinquagesimo octauo primi libri de cęlo,ex eo enim quòd natura nihil agit frustra,nilque incipit fieri, quod non possit esse factum,probat quòd ad infinitum nil potest moueri, ut si centrum mundi poneretur per infinitum distare a sublimi loco,graue in sublimi positum non descenderet,quia infinitum pertransiri nō potest. Tertia expositio,quam Albertus sequitur, est quòd hæc sit noua ratio, & ab Aristotele propter solum localem motum adiecta, cùm enim de alijs motibus pateat quòd fiunt inter contraria,patet etiam quòd sunt finiti,& de motu locali occultius erat,quia occulta est in eo cōtrarietas

 inter

inter loca naturalia. Ideò cum finitudo in motu locali non possit ostendi ex contrarietate; Aristoteles eam voluit probare alia ratione, quæ est illa eadem, quam diximus formari in calce sexti libri Physicorum, quia nihil mouetur ad infinite distans. Sed hæc tertia expositio hac difficultate urgetur, quòd si sumatur propriè contrarietas non minus de augumentatione dubium est, quòd sit inter contrarios terminos quàm de latione, quia quantitati nihil est contrarium, sed aduersus secundam & tertiam expositionem est ipse modus loquendi Aristotelis, nam dictio [autem] non potest significate nouam rationem, & aperte confirmat primam expositionem, indicat enim hæc uerba esse partem conclusionis syllogismi prædicti. Aliqui hic de locorum contrarietate disputantes distinguunt motum localem animatorum à motu locali inanimatorum, quæ tota eorum consideratio uana est, & præter rem. In hoc primo dubio notare possumus ipsum non adduci contra æternitatem motus successiuam, sed contra numeralem, siquidem potest quilibet motus esse finitus, successio tamen omnium æterna. Probauit igitur Aristoteles non æternitatem successiuam, sed numeralem.

Contextus Decimusseptimus.

Amplius, videmus quod poßibile est id moueri, quod neque mouetur. Neque habet in seipso ullum motum, ut in inanimatis, quorum neque pars vlla neque totum mouetur, sed quiescens mouetur aliquando. Oportebat autem, aut semper moueri, aut nunquàm, si non fit cum non esset. Multo autem magis quod tale est in animatis manifestum est, cum enim in nobis nullus insit motus aliquando, sed quiescamus, mouemur tamen aliquando, & fit aliquando in nobis ex nobisipsis principium motus, & si nihil extrinsecus moueat. Hoc enim in inanimatis similiter non uidemus. Sed semper mouet ipsa aliquid aliud eorum, quæ sunt extra: animal autem ipsum dicimus seipsum mouere, quare si quiescit aliquando penitus in immobili motus utique fiet a seipso, & non ab externo. Si autem in animali hoc poßibile est fieri, quod prohibet idem hoc accidere & in uniuerso? si enim in paruo mundo fit, & in magno, et si in mundo et in infinito si contingit quidem moueri infinitum totum, & quiescere.



AFFERT hic secundum dubium, quod cum in duo diuidatur, tria ad summum erunt, sumitur autem ex ijs, quæ sunt manifesta sensui. Patet enim multa moueri, quæ prius non mouebantur, non est igitur verum quod non possit motus incipere postquam non fuit. Et quia illa, quæ post quietem mouentur, sunt tum inanimata, tum animata, quorum non eadem est conditio, ideo Aristot. primum argumentatur a rebus inanimatis, quod est

est dubium secundum, deinde ab animatis, quod erit dubium tertium. De inanimatis dicit manifestum esse quòd lapis postquàm nullo modo mouebatur, incipit moueri, si ab aliquo externo moueatur, cum enim horum motus ab externo motore fiat, manifestum est quòd quando nihil est extra, quod moueat, carent omni motu, non est igitur uerum quòd motus non sit postquàm prius non fuit, si enim non posset incipere motus postquàm prius non fuit, oporteret vel lapidem semper moueri, uel nunquam [Multo autem magis] Affert tertium dubium, quod sumitur ab animatis, idque dicit multò maius, & difficilius esse quàm secundum, quoniam animata habent in seipsis principium, & optionem sui motus, quod non habent inanimata, quæ externo motore egent, ut moueantur. Ad horum autem intelligentiam sciendum est pręsentem dubitationem esse argumentationem a simili, quod enim in uno particulari mobili cernimus tùm inanimato tùm animato id transfert Aristoteles ad mundum uniuersum, de cuius motu est sermo, cum enim in singulo mobili uideatur motus incipere postquàm non fuit, uidetur similiter dicendum de toto mundo, quòd moueri cæpit, postquàm non mouebatur, cum igitur hæc sit ratio à simili validior est ab animatis, debilior ab inanimatis, quia maior est similitudo animati cum mundo quàm inanimati, unde etiam animal solet uocari paruus mundus. Rationem igitur ab animatis poterat aliquis facilè soluere dicendo mundum non esse similem rei inanimatæ, hęc enim mouetur a motore, quem extra se habet, at mundus omnia continet, quare non habet extra se aliquid, à quo possit moueri, sed habet motorem suum in seipso, sicuti res animatæ, ualidior igitur ratio ab animatis sumitur, quę sunt similiora mundo quàm inanimata, animatum enim non supponit alium motorem extra se, à quo moueatur, sed in seipso habet principium, & optionem sui motus, & suæ quietis, in ipso igitur animato patet, quòd motus omnino incipit, dum res omnino quiescebat, & incipit à principio interno absque ulla pendentia ab aliquo externo motore, uidetur igitur hoc idem de toto mundo esse asserendum, cui in hoc simile est mobile animatum. Differentiam hanc animati, & inanimati declarat fusè Aristoteles in litera, ut ostendat efficacius argumentum ab animato sumi, quàm ab inanimato, & uerba clara sunt. Quòd autem dicit [in immobile motus vtique fiet] est conclusio eorum, quę dixerat de animatis, & sumit immobile non prout significat negationem potentię ad motum, sed prout denotat negationem ad motus in tempore præterito, hoc est, pro immoto, ut sensus sit, in eo, quod nunquam antea motum est, incipit motus ab interno principio, non ab externo vllo motore, intelligit autem in animali, nam posteà facit consequentiam ab animali ad uniuersum mundum quando dicit, [si autem in animali hoc possibile est fieri, quod prohibet idem hoc accidere, & in uniuerso?] Deinde hanc consequentiam probat quando dicit [si enim in paruo mundo fit, & in magno] & argumentatur à simili, nam si in animali, quod uocatur paruus mundus, uidemus incipere motum, postquàm non mouebatur, id uidetur esse dicendum de mundo magno, de cuius nunc motu loquimur, uidelicet, quod motus potuit in mundo incæpisse postquàm non fuerat. Cur autem animal dicatur paruus mundus uariæ possent afferri rationes, dicere possumus quòd ratione ordinis, & harmoniæ partium animalis inter se animal dicitur κόσμος, idest, ornatus quidam, nam etiam magnus mundus ob eandem rationem dicitur κόσμος, quia est quidam ornatus constans ex uniuersitate rerum cum ad mirabili ordine dispositarum. Alia quoque ratio afferri potest, eaque ad propositum magis accommodata, quia sumitur à motu, & à principio motus, sunt enim in toto mundo hæc tria subordinata, primum mouens immobile, quod in cęlo residet, deinde cęlum ipsum, quod ab eo immediatè

mediatè mouetur tanquàm à motore interno, tandemque mundus totus, qui ad cęli motum mouetur, quo fit ut primum principium, à quo mouetur mundus, sit internum ipsi mundo. Hæc tria similiter sunt in animali, anima enim in eo est primus motor, isque per se immobilis, cor deinde cęlo proportione respondet, quia in eo anima residet, & ab anima cor primùm mouetur, deinde ad motum cordis mouetur animal totum: est ergo animal mundus paruus, cum in se habeat eum ordinem mouentium, & mobilium, quem in mundo magno esse diximus, & habeat primum principium sui motus in se ipso, quemadmodum & magnus mundus. Per hanc igitur similitudinem probatur consequentia à paruo mundo ad magnum, cum enim à primo principio interno incipiat motus in animali, postquàm non fuit, uidetur idem dicendum esse ob eandem rationem etiam in mundo magno. Verba autem illa, [& si in mundo, & in infinito] respiciunt Anaxagoram, & dicuntur ab Aristotele ad augendam dubitationem, & difficultatem, ut uideatur hac ratione defendi posse etiam Anaxagoræ opinio, quam antea refutauerat, nempè, quòd illud chaos incæpit moueri ab intellectu, postquàm infinito tempore quieuerat, illo nanque erant particulæ infinitæ cuiusque rei homogeneæ, vnde illud Chaos reddebatur corpus mole infinitum, quia id, quod constat ex corporibus numero infinitis, corpus est infinitum, inquit igitur Aristoteles quòd neque in magno mundo, neque in illo corpore infinito, quod ab Anaxagora uocabatur Chaos, debet esse impossibile id, quod in paruo mundo uidemus, nempe motum incæpisse postquam non fuerat, quemadmodum dicebat Anaxagoras. Addit tamē uerba illa Aristoteles [si contingit quidem moueri infinitum eorum, & quiescere] quia licet sit nunc in parte dubitatiua, tamen non vult absolute confiteri quòd illud esset possibile in corpore infinito, sed id profert cum hac conditione, si modo potest infinitum mouere, & quiescere, reuera enim si daretur infinitum, esset immobile, ut probat Aristoteles tertio libro Physicorum, & in primo de cęlo, ibi enim ostendit quòd neque recto motu moueri posset, neque circulari, proinde neque quiescere, quia non dicitur quiescere nisi illud, quod est aptum moueri. Recte autem dicit [totum] quoniam in memoratis locis Aristoteles docet non esse impossibile ut partes infiniti, si daretur, moueantur: at totum moueri esse impossibile omnino, hic autem loquitur de motu totius animalis, totius mundi, & totius infiniti, non de motu partis. Notare hic debemus Aristotelem contra æternitatem motus cum hoc artificio argumentari, ut aduersus eam retorqueat modo quodam argumentum, quo eam prius confirmauerat, in primo namque illo argumento usus est in contextu quarto definitione motus, nunc uerò in primo dubio similiter ex ipsa motus natura argumentum sumit, & probat omnem motum esse finitum, proinde nullum esse æternum; in contextu autem octauo argumentatus est a motore tum rationali, tum naturali, qui est sine cognitione: hic autem similiter ex utroque genere motoris argumentum sumit ad infringendam æternitatem motus, prius quidem ex motore non agnoscente, qualem habent inanimata, deinde ex motore cognoscente, qualem habent animata. Sic igitur uidetur illa prima Aristotelis demonstrato retorqueri contra æternitatem motus. Illud quoque manifestum est, quòd quemadmodum in primo dubio considerauimus, ita in secundo, & tertio considerare possumus eam non infringere æternitatem motus successiuam, sed numeralem: Aristoteles enim argumentatur, à simili à motu alicuius particularis corporis tum inanimati, tum animati ad motum vniuersi: in mobili autem particulari considerat motum ut unum numero totius illius mobilis, ergo & mundi uniuersi considerat motum ut unum numero, quo totus mundus moueatur, hic autem non est alius nisi motus cęli. Veritatem hanc con-

concedit hic Simplicius, quamuis aduersarius, animaduertit enim dubia hæc non oppugnare æternitatem motus successiuam, sed numeralem, ideò si ita aduersus Simplicium argumentemur, quid respondere possit, non uideo, illam æternitatem infringit his dubijs Aristoteles, quàm antea demonstrauerat, hoc enim significarunt in initio contextus sextidecimi verba illa [contraria his non difficile est soluere] at hæc dubia infringunt æternitatem numeralem tantum, ergo hanc solam Aristoteles demonstrauit.

Contextus Decimus octauus.

Horum igitur, quod primum dictum est, non eundem semper, & vnum numero esse motum, qui ad opposita fit rectè dicitur. Hoc enim fortaßis necessarium est, si non semper unum, & eundem esse poßibile est vnius, & eiusdem motum, dico autem, vt vtrum unius chordæ unus, & idem sonus sit, an semper alius, ipsa similiter se habente, & motu. Attamen qualitercunque tandem se habeat, nihil prohibet unum & eundem esse aliquem, quo continuus est atque perpetuus: manifestum autem erit magis ex ijs, quæ posterius.

SOLVIT in hoc contextu Aristoteles primum dubium negando illud assumptum, nullus motus est infinitus, ad probationem autem dicit se concedere maiorem, sed negare minorem. Concessionem maioris ponit, quando inquit, [non eundem semper, & unum numero esse] erat enim maior, omne inclusum inter duos contrarios terminos est finitum, quam eundem refert Aristoteles ut negatiuam de prædicato priuatiuo, nullum contrarijs terminis interclusum est infinitum, nam [vnum, semper, & eundem numero esse] significat esse infinitum, & perpetuum. Et quia huic maiori concessæ obstare uidebatur motus reflexionis, qualis est in instrumento musico motus cordæ pulsatæ, is enim est inter contrarios terminos, uidetur tamen posse idem numero perpetuari; ideò subiungit Aristoteles motum hunc non esse reuera unum ab initio ad finem, quod quidem in calce huius libri demonstrabitur, sunt enim reuera plures motus pluribus medijs quietibus interrupti, sed quoniam id adhuc probatum non est; Aristoteles hic non vult absolutè enuntiare, sed sub conditione dicens, si motus chordæ semel pulsatæ non est vnus, ut reuera non est, ob id etiam paulo ante dixit [fortassis] sensus igitur verborum Aristotelis est, concedo maiorem, quia uera est, dummodo supponamus motum reflexionis non esse motum unum, reuera enim non est unus, ut alio in loco ostendetur. Notare autem debemus Aristotelem pro chordæ motu, de quo est sermo, nominare sonum tanquàm manifestiorem, ut quod de sono dicit, nos etiam de motu intelligamus, motum enim illum sonus consequitur, quamobrem si sonus est unus, etiam motus est unus, si uero plures soni, etiam motus plures. Verba autem illa, [similiter se habente, & motu] nil aliud significant, quàm perseuerante chorda in motu ab unica pulsatione facto, de eo nunquam dubium est an sit unus ab initio ad finem, ut esse uidetur, an potius sint plures. Dum igitur suppo-

supponimus motum illum non esse unum, maior (inquit Aristoteles) vera est, ac necessaria. Posteà uero quando dicit [Attamen qualitercunque tandem se habet] subiungit negationem minoris, proinde, & conclusionis. Erat enim minor ista, omnis motus est interclusus duobus contrarijs terminis, unde inferebatur conclusio, ergo omnis motus est finitus. Hanc igitur conclusionem Aristoteles negat, per negationem minoris subintellectam, & inquit, utcunque res sese habeat, de propositione maiore non sequitur conclusio, quia falsa est minor, falsum est, quòd omnis motus sit finitus, quia falsum est, quòd omnis motus sit duobus contrarijs terminis introclusus, aliquis enim datur, qui unus & idem numero continuus perpetuatur, quia non est aliquibus contrarijs terminis introclusus. In hac primi dubij solutione inspicere possumus, quam motus æternitatem Aristoteles antea demonstrauerit, dicere enim debemus illum esse demonstratum, ex qua hic dubium soluit, soluit autem ex sola numerali, ne uerbum quidem faciens de successiua, inquit enim dari vnum singularem motum æternum, ut posteà demonstrabit exquisitius. Quod si solam successiuam æternitatem hactenus ostendisset, nullam aliam solutionem afferre conueniebat, nisi hanc, concedo nunc quemlibet motum esse finitum, dico tamen omnium motuum successionem esse infinitam. Hanc difficultatem Simplicius uidit, & eam soluere nesciuit, quia reuera solui non potest, solùm dicit Aristotelem potuisse utroque modo dubium soluere, maluisse tamen hoc modo soluere quàm illo. At certe per hoc non bene tuetur Simplicius opinionem suam, debuit enim Aristoteles dubium soluere per veritatem cognitam, non per illam, quam adhuc ignoramus. Propterea illa quoque omnia, quæ ab alijs eiusdem sententiæ sectatoribus hac de re dicuntur, vana sunt, præsertim cum ipsi omnes cum Simplicio in continuatione contextus sextidecimi dixerint Aristotelem velle veritatem iam demonstratam confirmare per dubiorum solutionem. Quomodo enim veritas iam demonstrata confirmatur, si non per eam dubia tolluntur, sed per aliam adhuc incognitam? Aliqui etiam hic ueritate coacti dicunt Aristotelem maluisse per numeralem æternitatem soluere dubium, quàm per successiuam, quia successiua æternitas impropria est, & accidentalis, nec potest existere sine numerali, quæ est uera æternitas. Rectè enim hoc dicunt, idque fuit Auerrois fundamentum, sed ipsi in ipso quoque libri initio hoc cognoscere, & fateri debuerunt. Nos autem hic ad nostræ sententiæ comprobationem notare debemus verba Aristotelis, qui non absolutè dicit fore in sequentibus manifestum, quòd datur unus continuus perpetuus motus, sed dicit, [magis erit manifestum,] nunc enim manifestum est leuiter, & confusè, vt indicat Aristoteles, quia comparatiuum supponit positiuum, non rectè enim diceret, [magis,] si hactenus nullo modo manifestum, sed in sequentibus manifestius cognosceretur, tuncque perfecta habebitur dubij solutio, quæ nunc confusa, & imperfecta est, perinde igitur est, ac si Aristoteles dicat, iam ostendi unum dare perpetuum motum, sed id postea distinctius declarabo. Difficultas hic oritur, quoniam Aristoteles sibi ipsi aduersari uidetur, hic enim dicit aliquem esse motum, qui non est inter contraria, innuens motum circularem, tamen in quinto libro Physicorum generaliter de omni motu loquens, etiam de cælesti, vt omnes concedunt, dixit omnem motum esse inter contrarios terminos, & uidetur res ipsa per se manifesta esse, sol enim, & singulum astrum mouetur ab ortu ad occasum, ergo a contrario ad contrarium, nam sumendo contrarietatem, ut superius accepimus pro ea, quæ conuenit terminis motus, non absurdè eam in cælo ponimus, cùm non significet contrarietatem naturarum, vel qualitatum, sed solùm diuersitatem, & incompossibilitatem terminorum motus, qualis contrarietas est in cælo inter ortum, & occasum.

occasum. Dicendum est motum cęli aliquo modo esse a contrario ad contrarium, aliquo etiam modo non esse. Nam si motus astri sumatur, vt per semicirculum factus est a contrario ad contrarium, ab ortu ad occasum; immò quoque modo sumatur non integram conuersionem, ea est ad contrarium, idest, ad terminum diuersum, & incompossibilem: at sumendo integram astri conuersionem ea, non est a contrario ad contrarium, sed ab eodem ad idem, vt asserit Aristoteles in contextu septuagesimotertio huius octaui libri, vbi dicit, motus in orbem est ab eodem ad idem, motus autem rectus est ab alio ad aliud. Verum igitur est id, quod dicitur in quinto libro Physicorum, quia licet motus in orbem sit ab eodem ad idem, tamen non peruenit ad idem, nisi prius perueniat ad contrarium: est autem infinitus, non quatenus est aliquomodo ad contrarium, sed quatenus est ad idem, sic enim finis iungitur principio, & quando est in fine, est iterum in principio, & hac ratione perpetuatur. Sed obijceret aliquis, si finis motus solis est illudmet punctum, à quo discessit, ergo eum adeptus sol deberet quiescere. Respondeo non omnium motuum finem esse quietem, sed inferiorum tantum, quorum motuum finis est quies, immò inquit Auerroes sexto Physicorum, septuagesimo, quietem non esse per se finem horum motuum inferiorum, sed consequi illam perfectionē, quæ est finis ipsorum, nam corpora hęc inferiora ideò mouentur, ut acquirant aliquam perfectionem, qua carent, & eam adepta quiescunt, at cælum non est extra suum locum, neque caret ulla sua perfectione, sed eam totam habet, mouetur igitur non ut perfectionem, qua careat, adipiscatur: sed vt eam, quam habet, conseruet: est autem eius perfectio moueri semper, mouetur igitur, ut moueatur, non ut quiescat, mouetur enim ad finem, ut ibi sit iterum in principio, & pergat moueri. Quod siquis rursus obijciat, quomodo potest cælum in infinitum moueri, si Aristoteles dixit in contextu sextodecimo ad infinitum moueri nihil? Dico quòd ad infinitum moueri duobus modis intelligi potest, uno modo prout infinitum denotat negationem finis, secundo modo ut notat solum negationem quietis oppositæ motui; primo quidem modo nihil mouetur in infinitum, ne ipsum quidem cęlum, mouetur enim ad finem, & semper fine suo potitur; sed secundo modo mouetur cælum in infinitum, quia eius motus nulla unquam terminatur quiete secundum Aristotelem.

Contextus Decimusnonus.

Moueri autem id, quod non mouetur, nullum est inconueniens; si aliquando quidem sit id, quod mouet extrinsecus, aliquando autem non. Hoc tamen quomodo utique erit, inquirendum est. Dico autem, ut idem ab eodem motiuo. Existente aliquando quidem moueatur, aliquando autem non, nihil enim aliud dubitat hoc dicens. Quàm propter quod non semper eorum, quæ sunt, alia quidem quiescunt, alia uerò mouentur.


OLVIT Aristoteles secundum dubium, & solutio clara, & facilis est, & optime a Themistio exponitur. Inquit Aristoteles non esse inconueniens, si res inanimata, quæ motorem habet externum, non semper moueatur, sed quandoque moueatur, quandoque etiam quiescat. Ratio

namque

namque in promptu est, pręsente motore, nec impedito, mouetur ab eo, absente autem, vel impedito non mouetur. Vult autem Aristoteles per hoc significare negationem similitudinis. Quod enim res particulares inanimatę moueantur post quietem, nullum est absurdum, cùm earum motus pendeat a motore externo: at Mundus uniuersus non est huiusmodi, non enim mouetur ab externo motore, cum nihil habeat extra se, quare nulla esse potest ratio cur prius quieuerit, postcà verò cęperit moueri: quandoquidem præsentem semper habet suum motorem, cum habeat internum. Postea quando dicit [Hoc tamen quomodo vtique erit, inquirendum est.] Notat aliam hinc exoriri difficultatem, nam ipsi quidem æternitati motus dubium hoc non officit, sed aliam excitat difficultatem, quæ in sequẽtibus consideranda est, innuit autem illam contemplationem, quam mox in sequentibus est aggressurus, cur non uel semper moueantur res, vel semper quiescant, sed aliqua sint, quæ quandoque mouentur, quandoque quiescunt. Patet enim inanimata moueri a motore externo. Patet etiam cœlum esse motorem omnium inferiorum corporum, & ea ratione mouere, quia mouetur, quare cum semper moueatur, semperque sit pręsens inferioribus corporibus, proinde sit semper motiuum, uideretur quòd inferiora corpora deberent ab eo semper moueri, uel quòd nunquam possint ab eo moueri. Hæc igitur est difficultas (inquit Aristoteles) ex hoc secundo dubio exoriens, quàm mox aggredietur in contextu vigesimoprimo, cur entium non alia semper moueantur, alia semper quiescant, sed aliqua sint, quæ quandoque moueantur, quandoque quiescant. Vult enim Aristoteles ex hoc secundo dubio occasionem sumere illius contemplationis, ut tandem ostendat omnium, quæ in mundo sunt, alia semper immobilia esse, alia semper mota, & alia modò mota, modò quiescentia. Hoc enim rerum discrimine cognito distinctam habebimus cognitionem motus, quam nunc confusam habemus.

Contextus Vigesimus.

Maximè autem uidebitur Tertium habere dubitationem, propterea quod fit, cum non esset prius motus, id uidelicet, quod accidit inanimatis, quiescens enim prius, postea uadit mouente exteriorum nullo, ut uidetur. Hoc autem falsum est, conspicimus enim semper aliquid eorum quæ congenita sunt, moueri in animali, huius autem motus ipsum animal causa non est, sed continens forsitan. Ipsum autem dicimus seipsum mouere non secundum omnem motum, sed secundum motum secundum locum. Nihil igitur prohibet magis autem fortaßis necessarium est in corpore multos fieri motus a continente. Horum autem quibusdam intellectum, aut appetitum mouere: illo autem totum iam animal mouere, quale accidit circa somnos sensibili, enim nullo inexistente motu. Inexistente tamen aliquo rursus excitantur animalia, sed manifestum erit, & de his ex sequentibus.

SOL-

SOLVIT tertium dubium, quod dicit esse omnium difficillimū, quoniam uidetur in animali motus omnino incipere post nullum præcedentem motum, cum animal habeat internum principium sui motus, cum igitur mundus quoque sit huiusmodi uidetur simi liter in eo motus omnino incipere posse. Aristoteles autem in primis ut dubij huius difficultatem ostenderet ipsum dubium repetit, seu eius antecedens, in quo tota uidetur consistere difficultas, & inquit difficillimum esse tertium dubium, propterea quòd uidemus in animali fieri motum postquam non fuit, idque absque ope vllius externi motoris. non est autem hic ignorandum quod uerba illa, [propterea quod fit] non bene referunt uim participij Græci ἐγγιγνομένης, quod non modo significat fieri, sed intus fieri, & innasci in animali motum, & est ualde accommodatum uerbum hoc ἐγγίνομαι ad significandam dubij efficacitatem, cum enim animal ab interno principio moueatur sine pendentia a motore externo, uidetur omnino innasci in animali motus, cum prius nullus in eo motus extiterit: notandum etiam est Aristotelem dicere [ut uidetur] quia mox in solutione negabit fieri in animali motum sine concursu motoris externi. [Hoc autem falsum est.] soluit Aristoteles dubium negando antecedens prædictum, & ostendendo illud falsum esse in duobus, falsum enim est quod in animali incipiat motus omninò postquam animal nullo motu mouebatur, falsum etiam est quòd primum principium motus animalis in ipso animali sit. Probatio autem utriusque falsitatis est in hoc constituta quòd anima mouet animal nō alio motu quàm locali, nec mouet nisi per appetitum, appetitus uerò supponit necessario alium præcedentem motum & ab externo motore productum: quare motus, quo animal mouetur ab anima, non est omnino primus, sed alium priorem supponit, nec anima est omnino primus motor, sed supponit motorem externum priorem, sed hæc in literæ interpretatione fusius declarabuntur. Inquit Aristoteles motum animalis ab anima non esse primum, sed [moueri semper aliquid eorum, quæ sunt congenita] idest, in animali esse prius motum alio motu. Simplicius dicit [congenita] hic posse intelligi duobus modis, primò ut Aristoteles intelligat facultates animæ congenitas animali, vt attractricem, expultricem, & alias eiusmodi, hæ namque omnes prius mouentur quàm anima moueat. Quæ expositio mihi non probatur, quia potentiæ non dicuntur propriè moueri, motu enim in animali facto ab externo motore ipsæ non mouentur, sed excitantur potius ad operandum altero modo ut intelligat membra, & corporeas partes ipsius animalis, simul enim cum animali generantur, nec unquam desinunt alterari, & mutari ab externis rebus, ex qua alteratione anima excitantur ad mouendum animal, si enim corpus ab aere frigido frigescat anima mouet ipsum ad quærendum calorem, quare anima mouet corpus post præcedentem motum alterationis ipsius corporis a motore externo. & hanc expositionem ego accipiendam puto. Cum autem dicit Aristoteles [huius autem motus ipsam animal causa non est] significat illius præcedentis alterationis causam non esse insitam ipsi animali, sed esse extra, eamque addit esse [continens forsitan] continens propriè dicitur aer, vel aliquod aliud elementum, in quo animal degat, quod cum sit præditum primis qualitatibus alteratiuis necesse est vt varijs modis afficiat animalium corpora, nempe, calefaciendo, frigefaciendo, humectando, exsiccando. Cur autem dicat Aristoteles [forsitan] duæ a Simplicio afferuntur expositiones, vna est, quia id profert, sine vlla ratione, altera, quam magis probo, quia non solum a continente, sed ab alijs quoque externis mutantur corpora animalium. Calefit enim homo ab igne propinquo, a quo

tamen contineri non dicitur, alteratur etiam a cibis ingredientibus, & augetur, atque iminuitur, plurimæ tamen mutationes fiunt a continente, ideo id potissimum Aristoteles nominauit. Quoniam autem obijcere aliquis poterat, quomodo igitur dicimus animal moueri a seipso? ideo Aristoteles talem obiectionem soluens inquit, dicimus animal mouere se non omni motu, sed solo motu locali, nã alijs motibus mouetur a motore externo, etiam motu augmentationis, quamuis enim hæc ab anima fiat, tamen supponit cibum, qui extrinsecus aduenit, & antequam vertatur in alimentum, alterat corpus animalis. Solutio igitur obiectionis est quòd animal mouet se, idest, habet internum principium ratione solius motus localis. Sed hoc etiam Aristoteles non contentus ostendit postea, quod etiam ratione motus localis in animali primum principium externum est, ut tandem ostensum sit quòd cuiuslibet motus in animali facti primum principium est quid externum, & inquit, [nihil igitur prohibet,] idest, possibile est, sed statim corrigens ait. [magis autem fortassis necessarium] est enim reuera necessarium ut in animalium corporibus multi fiant motus a rebus externis, præsertim uero a continente corpore, hoc enim cum tangat corpora animalium, & sit præditum qualitatibus alteratiuis, necesse est ut in illa agat alterando. nam contraria se tangentia agunt inuicem ex necessitate, & patiuntur. Ex hac igitur motione facta a continente inquit Aristoteles moueri animam, idest, excitari ad mouendum corpus loco. Sed notandus est in verbis Latinis error quidam, qui obscuritatem facit, ubi enim legimus. [Horum autem quibusdam intellectum, aut appetitum mouere] iuxta Græcam literam legendum est. [Horum autem quosdam intellectum, aut appetitum mouere] vel si legere volumus [quibusdam] saltem legere debemus moueri, ut significemus intellectum, aut appetitum moueri a quibusdã motibus a continẽte factis, quod idem est ac dicere quasdam motiones a continente factas mouere intellectum, aut appetitum, per intellectum autem, & appetitum significare vult Arist. animam ipsam, quo mouet corpus animalis loco postquam ipsa mota est a continente externo, a quo alteratur continuè corpus animalis, quo fit ut primum principium motus localis progressiui, quo totum animal mouetur, sit continens, vel aliquid aliud externum. Ideò cum dicit, [illo autem] significat intellectu, seu appetitu, qui mouetur prius a continenti, postea mouet totum animal loco. Rectè autem dicit Aristoteles [totum iam animal moueri] quia solo motu progressiuo, qui fit ab anima, mouetur corpus animalis totum, a motoribus autem externis mouentur aliquæ tantum partes animalis, non totũ simul, ut Arist. antea dixit, nisi fortè per accidens, & rarò. Considerandum hic est quid significet Aristoteles per [intellectum, & appetitum] duæ enim sunt horum verborum expositiones, vna quòd Aristoteles denotare velit duas animæ partes, intellectiuam, & sensitiuam, nam in tertio libro de anima docet Aristoteles causam motus progressiui esse tum intellectum, tum appetitum sensitiuum, idest, utrumque appetitum, & intellectiuum, qui dicitur uoluntas, & sensitiuum, qui proprio nomine vocatur appetitus. Altera expositio est quòd Aristoteles hic nullam faciat distinctionem partis sensitiuæ, & partis intellectiuæ, sed nomine intellectus significet omnem animam cognoscentem, & apprehendentem, præsertim verò internas animæ uires. nam in secundo libro de anima patet sensus quoque interiores, vt phantasiam, quandoque lata significatione vocari intellectum; nomine autem appetitus significet omnem appetitum, qui consequatur apprehensionem, siue sit sensitiuus, siue intellectiuus, non tamen eo modo, quo aliqui interpretantur, qui dicunt Aristotelem significare duo requiri ad motum, apprehensionem, & appetitum consequentem. Nam si hæc fuisset Aristotelis mens debuisset

buisset vti coniunctione, dicendo, intellectum, & appetitum, attamen usus est disiunctione dicens, [intellectum aut appetitum] quare dicendum est potius dictionem [aut] correctiuam, seu declaratiuam esse, quasi dicat, intellectum, idest, appetitum, hic enim reuera est principium motus, non apprehensio sola. Vtraque interpretatio accipi potest, sed hæc secunda mihi clarior, atque simplicior esse videtur, proinde & probabilior.

Considerandum præterea est quomodo Aristoteles intelligat animam ipsam moueri a continente significatam (ut diximus) nomine intellectus, & appetitus. Duo enim sunt genera motuum, quæ in considerationem cadere possint, unum est ille motus, qui definitur in tertio libro Physicorum, qui est propriè sumptus, & verus motus, fitque a causa efficiente, quam ob id solet Aristoteles appellare causam vnde motus, alterum genus est motus ille, qui fit a causa finali, vt appetibili, dicimus enim efficiens moueri a fine, isque vocatur motus impropriè sumptus, & metaphoricus: Si igitur dicamus Aristotelem hic intelligere verum realem motum, falsum videtur eius dictum, quandoquidem anima non est per se mobilis tali motu, neque enim vnquam dicimus animam calefieri, vel frigefieri. Si verò dicamus significari motum illum metaphoricum hic ad propositum non pertinet, loquimur enim de uero motu reali, qui sit æternus, at aduersarius concederet fuisse motum metaphoricum priorem primo reali motu, ideò Aristoteles ostendere vult animam ita mouere animal, ut supponat alium priorem illo verum motum ab externo efficiente factum, non a causa tantum finali. Dicendum igitur est Aristotelem significare quòd anima mouetur ab externo motore secundum verum motum, ita tamen ut sano modo hoc intelligatur; alteratur enim ab externo mouente anima, idest, corpus animatum, ex qua alteratione excitatur anima per voluptatem, uel dolorem ad aliquid appetendum, isque appetitus efficit uerum motum in animali. Patet igitur animam non esse primum motorem, mouet enim loco corpus per appetitum, qui supponit verum motum in corpore factum a continente. Hæc sequentia uerba Aristotelis declarant, cum inquit, [quale accidit circa somnos,] nam id, quod dixerat, declarat exemplo sumpto a dormientibus. & Auerroes uult esse argumentum a maiori ad minus, maxima quies, quæ in animali notari queat, est in somno, quando animal expergesit, & incipit moueri, maximè uidetur quòd tunc motus in eo incipiat omnino post totalem quietem, & nullo alio præsupposito motu facto ab extrinseco, id tamen non est verum, sed tunc quoque supponitur motus a motore externo, ergo minus id contingere potest in animali extra somnum. Quod autem id, de quo magis videtur, falsum sit, probat Aristoteles, quia antequam animal a somno excitetur, fiunt in eo multi motus a rebus extraneis, dum enim dormit, mouetur motu respirationis, quæ fit ingrediente aere externo & egrediente; alteratur etiam a continente, calesit, vel frigesit. Præterea alteratur etiam a cibis, qui tunc concoquuntur, & reagunt in corpus, & ab his uapores ad caput ascendunt, & faciunt somnum. Deinde absoluta concoctione, & cessante vaporum ascensu, dum nutrimentum per mẽbra distribuitur, animal expergesit, & tunc incipit moueri ab anima. Patet autẽ quòd si prius dormiens animal penitus quieuisset, & nullo tũc motu mótũ fuisset, semper mansisset in illa quiete, & nunquam a somno excitatum fuisset, neque ab anima moueri cœpisset, supponuntur itaque prædicti motus in animali dormiente, a quibus tandem animal expergesit, & mouetur postea ab anima. Patet igitur quòd tunc quoque anima supponit motum factum in corpore a motore externo, & non est ipsa primus motor, licet esse uideatur, ergo multo minus alias extra somnum. Inquit autem Aristoteles [sen-

sibili enim nullo inexistente motu,] ut ostendat maximè videri in somnis quòd omnino motus ab anima incipiat, non præsupposito ullo alio motu, quare his verbis ponitur illud antecedens, magis videtur &c. dum enim animal dormit nullus apparet in animali motus, inest tamen aliquis, ut prædiximus, & ut ipse subiungit, quando dicit, [inexistente tamen aliquo,] licet enim nullus appareat sensibilis motus, fit tamen tunc motus aliquis in animali dormiente, immò plures fiunt motus, ut dictum est, à mouentibus externis. Perpendenda sunt postrema illa verba [sed manifestum erit, & de his ex sequentibus,] nam horum omnium dubiorum perfectam solutionem remittit Aristoteles ad sequentia, quia nondum est plenè cognita veritas de æternitate motus, sed sumpta ab his dubijs occasione postea in textu vigesimo primo proponet exactiorem veritatis inuestigationem, quæ ab eo loco vsque ad quinquagesimum tertium contextum extendetur; huius autem tertij dubij perfecta solutio habebitur in textu quinquagesimo, & quinquagesimoprimo. Hæ sunt solutiones propositorum dubiorum pro præsenti loco, & occasione opportunæ, ex quibus satis clarum esse potest, quòd quæstio Aristotelis fuit de æternitate motus unius numero continui, qualis est motus cœli, quatenus est motus totius mundi, nam duo hæc posteriora dubia sumpta sunt a similitudine corporis tum inanimati, tum animati, cum vniuerso mundo, & solutiones quoque hoc idem respexerunt. Nam ad secundum dubium negauit Aristoteles similitudinem inanimati cum mundo. Ad tertium vero negauit id, quòd assumebatur de animatis, non enim verum est quòd in eis ita incipiat ab interno principio ut non supponat priorem motum factum ab externo, quare si hoc idem velimus inferre de uniuerso mundo, non inferimus cœpisse motum, sed potius non cœpisse, vel cogimur similiter negare similitudinem mundi parui cum magno, nam paruus mundus habet extra se multa, a quibus moueri potest, ideò non habet primum sui motus principium in seipso, at magnus mundus omnia continet, & nihil habet ex se, quare necesse est, ut primam causam sui motus habeat in seipso, nec pendeat a motore ullo externo, proinde necesse est, vel semper motum, uel numquam incipiat moueri, vt argumenta Aristotelis ostenderunt, quod quidem de animali dicere non possumus. Hic dubitatur ob ea, quæ mox Aristoteles dicturus est de differentia inter animalia, & corpora grauia, & leuia; dicet enim quòd grauia, & leuia mouentur a motore externo; animalia verò ab interno, hoc tamen hic negare visus est. Dicendum est quòd differentia magna, & manifesta est, quia grauia, & leuia ita dicuntur habere motorem externum, ut motus ille secundùm locum, quo naturaliter mouentur, fiat a motore externo, qui dicitur ea loco mouere; animalia verò mouentur ab anima tanquam motore interno, & nullum habent alium externum motorem, a q[uo] moueantur loco, vnde licet supponatur alius externus motor, is tamen n[on] mouet animalia loco, sed aliquo alio motu. Differentia igitur est in hoc c[on]stituta quòd motus grauium, & leuium fit a motore externo, motus autem [a]nimalium fit ab interno, sed hic supponit alium motum factum a mot[ore] externo. Simplicius in fine Commentarij dubitat, cur Aristoteles cum de [mo]tu quæsiuerit an sit æternus, non similiter quærat de quiete an sit æter[na], cum eadem esse debeat ratio oppositorum. Respondet Aristotelem de q[uie]te non quærere, quoniam quies est priuatio motus, nulla autem priuatio [po]test esse æterna. Subiungit etiam differentiam inter quietem, & statum, [seu] permanentiam, & inquit, quietem esse solùm in ijs, quæ possunt mo[ue]ri, ideò in Deo non esse quietem, sed potius statum, statum autem posse

æternum

æternum, quia non est priuatio motus, sed est potius contrarius motui. Quidam recentiores carpunt in vtroque dicto Simplicium, in primo quòd non bene dubium soluat, nam quòd quies non possit esse æterna non ob id fit quin quæri debeat, an sit æterna necne, ideò ipsi aliter soluunt. De quiete non quęritur, quia principalior est quęstio de motu, & quies cognoscitur ex cognitione motus, ideò satis fuit quæstionem proponere de æternitate motus, ex hac enim etiam de quiete patebit quid dicendum sit. Obijciunt etiam secundo dicto quòd motus, & status, qui est immobilitas, non possunt esse contrariè opposita, quia non sunt sub eodem genere, & præterea nihil, quod in Deo sit, potest habere contrarium. Mihi tamen uidetur posse defendi Simplicium. Quòd enim ad primum attinet, quies est priuatio, quare manifestum est quòd non potest esse æterna, quia supponit possibilitatem habitus in eodem subiecto, ideò dicere quietem æternam est implicare contradictionem, quia si in aliquo æterna esset non esset quies, sed immobilitas, non fuit igitur quærendum tanquàm dubium id, quod est manifestum, non sic de motu dici potest, quia licèt priuatio supponat habitum, habitus tamen non supponit priuationem, quare non est possibile dari quietem vbi non potest esse motus, est tamen possibile dari motum ubi non potest esse quies. motus enim cœli non habet priuationem oppositam, sed motus inferiores habent oppositas priuationes, ob hanc igitur diuersitatem rectè quærit Aristoteles, an detur æternus motus, cui nulla opponatur quies. recta igitur est solutio Simplicij, & melior quàm illa, quæ ab his adducitur, quæstio enim de quiete non ideò omittitur, quia eius solutio pateat ex solutione quæstionis de motu, sed quia res ita per se manifesta est, vt nulla quæstione opus sit. Quòd uerò dicunt contra secundum Simplicij dictum rationabilius est, quia reuera status, qui est in Deo, non est contrarius motui, qui est in corporibus, potest tamen in hoc quoque defendi Simplicius. Nam credendum est ipsum lato vocabulo accepisse contrariũ pro eo, quod est diuersum, vel pro contradictorio, nam immobilitas, quæ in Deo est, significat negationem motus.

Contextus Vigesimusprimus.

Principium autem considerationis id erit, quod, & dictæ dubitationis, quare quædam eorum, quæ sunt, aliquando quidem mouentur, aliquando autem rursus quiescunt. Necesse est autem, aut omnia quiescere semper, aut omnia semper moueri, aut alia quidem moueri, alia autem quiescere. Et rursus horum, aut ea quæ mouentur, moueri semper, quæ vero quiescunt, quiescere, aut omnia apta nata esse similiter moueri & quiescere, aut reliquum adhuc & tertium. Contingit enim eorum quæ sunt, alia semper immobilia esse, alia verò semper moueri, alia autem vtraque participare, quod quidem a nobis dicendum est, hoc enim habet solutionem omnium dubitatorum, & finis nobis est huius negotij.


ONNEXIO huius partis cum præcedente est ea, quam antea tetigimus, & quam hic tùm apud Simplicium, tùm apud Auerroem in fine Commentarij legimus. Postquàm Aristoteles confusè locutus est de æternitate motus, vult de ea distinctè loqui, & id, quod sub nube nobis proposuit, clarum, & apertum reddere, uidelicet, quòd datur vnus continuus æternus motus; & propter quam causam datur, hoc enim cognito, & ipsa motus æternitas plenè cognita erit, & dubia prędicta perfectè soluentur. Hanc continuationem alij multi sequuntur, nec animaduertunt se per eam euertere suam illam opinionem de motu in communi, dum enim dicunt Aristotelem uelle distinguere, ac dearticulare id quod hactenus confusè docuit, significant de eadem æternitate sermonem habendum esse, de qua hactenus habitus est, oportet enim ab eiusdem rei confusa cognitione ad distinctam transitum fieri, at fatentur omnes Aristotelem posteà de sola uera æternitate numerali esse locuturum, ergo fateantur etiam necesse esse Aristotelem de eadem hactenus esse locutum, sed confusè, & sub nube. Et sicuti in sequenti nunquam nominabit illam impropriè dictam æternitatem successiuam, ita neque in pręcedentibus eam vnquam respexit, immò uidebimus Aristotelem nunquam in hoc libro eam dignari nomine æternitatis, nam de motibus horum inferiorum loquens nil aliud dicet, nisi quod hæc inferiora partim mouentur, partim quiescunt, proinde nec perpetuum motum habent, nec perpetuam quietem. Posset tamen considerare quòd ante quemlibet horum motuum est alius motus, & sic post quemlibet erit alius, sed hanc non appellabit æternitatem, immò potius oppositum æternitatis, quare neque in principio libri talem æternitatem significare uoluit. Alia quoque ratione illorum nonnulli proprium dogma euertunt, prius enim dixere demonstrationem ab Aristotele factam à textu quarto ad nonum fuisse potissimam, quomodo igitur nunc fatentur æternitatem motus fuisse confusè tantum cognitam? potissima enim demonstratio tradit cognitionem distinctam. Volens igitur Aristoteles ea, quæ prius de motus æternitate dicta sunt dearticulare, & distinguere, altius exordium in hoc textu sumit, occasione accepta à dubijs prædictis. uidit enim id fieri non posse sine longa speculatione, ob id inquit. [Principium autem considerationis id erit, quod, & dictæ dubitationes] nam illa dictio [autem] est continuatiua, & respicit postrema uerba contextus præcedentis, ubi dixerat hęc melius esse declaranda in sequentibus, ideò nunc inquit, principium autem huius contemplationis erit illud, quod fuit etiam causa dictæ dubitationis, innuit autem id, quod dixit in textu decimonono de secunda dubitatione, dixit enim ea non officere æternitati motus, sed potius aliam excitare dubitationem, quæ est, cur aliqua sint, quæ quandoque mouentur, quandoque quiescant, intelligit ergo secundam dubitationem, & simul etiam tertiam, quia similes sunt, nam & animata, & inanimata motu, & quiete participant. Sumpta igitur inde occasione Aristoteles considerandum proponit, quomodo sese habeant res ad motum, & quietem, ut nos ad hanc ueritatem ducat, quod totus mundus in tria entium genera diuisus est, in semper immobilia, in semper mota, & in participantia quiete, & motu: hæc enim erit distinctio, & dearticulatio eorum, quæ prius confusè dicta sunt, sic enim distinguetur quæsitum, quod antea confusum fuit, prius enim de motu uniuersi mundi locutus est, cum ipsum æternum esse ostendit, hic distinguet mundum in has tres partes, ut appareat cui nam parti mundi competat ille ęternus motus: cognoscetur etiam hoc quęsitum distinctè, & per propriam causam, quia id, quod cognoscetur esse penitus immobile, est uera, & ęquata causa motus in eo, quod semper mouetur, ut suo loco uidebimus. Vt igitur ueritatem cognosca-

gnoscamus de differentijs rerum in motu & quiete facit Aristoteles diuisionem trimembrem, deinde sumit tertium membrum, & ipsum adhuc in tria subdiuidit, vt sint ad summum quinque membra, quorum unum tantum uerum esse oportet, reliqua verò falsa. Prima diuisio est hæc [necesse est aut omnia semper moueri, aut omnia semper quiescere, aut alia moueri, alia quiescere] & rectè inquit [necesse] quia diuisio est perfecta, cum omnes modos contineat, & fiat per opposita, & medium, aut enim solus motus in rebus inest, aut sola quies, aut ambo: primũ, & secundum membrum simplicia sunt, & nullam diuisionem patiuntur: tertium plures sensus habere potest, ideò Aristoteles adhuc eum subdiuidit, quando inquit, [& rursus horum] & est subdiuisio in tria membra, si enim est in rebus, & motus, & quies, id esse potest tribus modis; primus est, quòd ea, quæ mouentur, semper moueantur, & quæ quiescunt semper quiescant; secundus est quòd ea, quę quiescunt possint etiam moueri, & quæ mouentur, possint etiam quiescere. Tertius uero quòd eorum, quæ mouentur, alia semper moueantur, alia possint etiam quiescere, & eorum, quæ quiescunt, alia semper quiescant, idest, immobilia sint, alia possint etiam moueri, ita ut dentur hæc tria entium genera, alia semper moueantur, alia semper immobilia sint, alia possint, & moueri & quiescere, quod solum est membrum uerum. Auerroes notat hanc diuisionem, non omnia membra continere, nam quinque solum continet, cum sint ad summum septem, ut etiam Simplicius notat, sufficiens enim diuisio ita cognoscetur, entia omnia aut sunt unius conditionis ratione motus, & quietis, aut duarum, aut trium. Primum membrum in tria diuiditur. Secundum similiter in tria. Tertium uero simplex est, & indiuiduum, quare sunt ad summum septem modi, quòd enim omnia sint unius conditionis, potest tribus modis poni, uel enim omnia semper mouentur, uel omnia semper quiescunt, uel omnia sunt eiusmodi, ut & moueri, & quiescere possint, sed omnia hæc membra falsa esse ostendetur, quia non est uerum quòd res omnes sint eiusdem conditionis in motu uel quiete: si verò omnia entia duarum esse dicantur conditionum, id quoque tribus modis statui potest. Primus est ut omnia, quæ mouentur, semper moueantur, & omnia, quæ quiescunt, semper quiescant, qui solus modus ab Aristotele exprimitur, alij duo sequentes prætermittuntur. Secundus est, ut alia semper moueantur, alia quandoque moueantur, quandoque non quiescant. Tertius est ut alia semper quiescant, alia quandoque quiescãt, & quandoque moueantur, qui tres modi similiter falsi sunt, quia non est uerum quòd entia sint duarum tantum conditionum in motu, & in quiete. Tertium membrum, quod solum uerum est, nec diuidi amplius potest, est ut entia sint triũ conditionum, alia semper moueantur, & alia semper quiescant, & alia interdum moueantur, interdum quiescant; cum igitur septem modi ad summum statui possint, ut patuit per sufficientem ac perfectam diuisionem, solus hic postremus uerus est. Cur autem illos duos posteriores modos secundi membri Aristoteles omiserit, ratio affertur ab expositoribus, quod breuitatis gratia id fecit, quia falsi sunt, & falsi esse conuincentur per aliorum confutationem. Possumus nos addere aliam rationem, quia non modò sunt falsi, sed etiam irrationabiles, & indigni quòd a viro Philosopho considerentur, quia cum per utrumlibet eorum diuiduntur entia in duas tantum conditiones, non diuiduntur in oppositas, sed in extremam, & mediam, quod nullo pacto rationabile est, sed est rationi consonum si datur in natura vnum extremum, & medium, dari etiam alterum extremum, ideò postremum illud membrum, quod solum uerum esse diximus, facit rerum diuisionem in tria genera per duas conditiones oppositas, & tertia, quæ est quodammodo media inter eas, nam quandoque moueri, & quandoque quiescere est quoddam per partici-

patio-

participem medium inter ſemper moueri, & ſemper quieſcere, & his inferioribus competit moueri, & quieſcere; cœlo autem ſemper moueri ſine ulla quiete; demùm ſemper quieſcere competit ſubſtantijs abſtractis, quæ omninò immobiles ſunt; non enim cum Auerroe dicendum eſt, per ſemper quieſcentem eſſe intelligendam terram, quandoquidem terra ſuaptè natura mobilis eſt, quòd etiam Auerroes cognoſcens attulit poſteà veriorem interpretationem, quam prediximus. Eſt autem aduertendum Ariſtotelem in hoc textu ſumere quietem largè prout complectitur & quietem, & immobilitatem; cùm enim dicit aliqua ſemper quieſcere non poteſt propriè ſumere quietem, quia non datur perpetua quies; ideò dum uerum membrum exponit inquit [alia ſemper immobilia] non dicit quieſcentia, & tunc propriè loquitur, quoniam ſubſtantiæ abſtractæ dicuntur immobiles, non dicuntur quieſcentes quando autem Ariſtoteles ait [aut reliquum adhuc & tertium;] quærunt nonnulli cur poſtremum membrum appellet tertium, cùm ſint plura membra, quàm tria, reſpondent uocari tertium, quia tria ſunt membra præcipua, unum quod omnia ſint unius diſpoſitionis, alterum quòd duarum. Tertium quòd trium, quæ ſententia ſecundum ſe uera eſt, ſed uerbis Ariſtotelis parum accommodata; ſatis enim clarum eſt Ariſtotelem uocare tertium membrum reſpectu ſubdiuiſionis, quia primæ diuiſionis tertium membrum in tria ſubdiuiſit, quorum poſtremum hic tertium appellat, quod ſolùm uerum eſt, ideò ſubiungit, [quod quidem a nobis dicendum eſt.] ideſt, quod ultimum membrum oſtendendum eſt uerum eſſe, alijs omnibus refutatis, ut falſis, quod quidem ſtatim facere aggredietur; perpendenda ſunt illa poſtrema uerba [hoc enim habet ſolutionem omnium dubitatorum, & finis nobis eſt huius negotij] quorum ſenſus eſt, cognitio ueritatis poſtrema huius membri, ſoluet perfectæ omnia prædicta dubia, & eſt finis huius noſtræ contemplationis, quod ex ea ſoluantur omnia dubia manifeſtum erit in textu quinquageſimo tertio, ubi Ariſtoteles aſſerit omnia eſſe ſoluta; quod autem ſit finis huius negotij Alexander referente Simplicio ita interpretabatur, quia ſcopus in hoc octauo libro eſt inuenire quòd datur quoddam naturale corpus, quod mouetur uno continuo ſempiterno motu ab uno primo motore immobili, quæ eſt optima interpretatio, nam, agnoſcendo illa tria entium genera, uidelicet, ſemper immobile, ſemper motum, & participans motu, & quiete, cognoſcemus primum eſſe cauſam ſecundi, & ſecundum eſſe cauſam tertij, & ita cognoſcemus æternitatem motus per ſuam cauſam, & diſtinctionem corporis quod perpetuo mouetur, & corporum, quæ non perpetuò mouentur, ſed etiam quieſcunt. Simplicius autem hanc quidem Alexandri expoſitionem non reprehendit, ſed addit poſſe etiam aliter exponi, ut Ariſtoteles dicat finem huius negotij eſſe cognitionem poſtremi illius membri, quod dicebatur tria eſſe entium genera, quæ iam memorauimus. Quæ Simplicij ſententia, uel non recta eſt, uel in idem concidit cum expoſitione Alexandri. nam ſi dicat finem eſſe cognitionem ueritatis poſtremi membri, quatenus eius perfecta cognitio eſt perfecta cognitio æternitatis motus per ſuam cauſam, optime ſentit, ſed in eo decipitur quod putat eſſe diuerſam expoſitionem ab expoſitione Alexandri, nam hoc idem cenſuit Alexander. at ſi hunc dicat eſſe finem huius negotij abſque relatione ad cognoſcendam æternitatem motus manifeſtè aberrat a ſcopo Ariſtotelis in hoc libro; qui in primo contextu aſſeruit, ſcopum libri eſſe agere de æternitate motus. Themiſtius autem dicere uidetur quò hic erit finis, quia eſt finis totius tractationis de motu, quòd quidem uerum eſt, ſed alienum a mente Ariſtotelis hic, quòd enim octauus liber Phyſicorum ſit poſtremus, & finis aliorum nemo negare poteſt; at Ariſtoteles hic non loquitur de fine omnium quæ in his octo libris tradun-

traduntur, sed de fine, & scopo huius tantum contemplationis, quæ in hoc octauo libro habetur.

Contextus Vigesimus secundus.

Dicere igitur omnia quiescere, & huius rationem quærere dimittentes sensum, infirmitas quædam est intellectus, & de toto aliquo, sed non de parte ambiguitas neque solum contra Physicum, sed ad omnes scientias (ut ita dicam), & omnes opiniones, propterea, quod motu utuntur omnes. Amplius autem de principijs instantiæ ut in ijs, quæ circa Mathemata sunt, rationibus nihil sunt ad Mathematicum, similiter autem, & in alijs si neque de eo, quod nunc dictum est, ad Physicum, suppositio enim est, quod natura principium motus est.

INcipit Aristoteles falsæ diuisionis membra confutare, & primo loco considerat illud, quo dicebatur omnia semper quiescere, quod quidem non ita confutat, ut eius falsitatem demonstret, sed solum ostendens esse indignum confutatione, utitur enim quatuor argumentis non ad demonstrandum quòd aliqua moueantur, sed solum ad ostendendam quòd uanum est uelle probare quòd detur motus in rebus; Primum argumentum sumitur a sensu, cùm enim pateat sensui motum dari, uanum est quærere rationem ad ipsum probandum, quia ubi adest testimonium sensus, quęrere rationem, & spernere sensum, est quædam infirmitas intellectus. Verba illa, [& huius rationem quærere] duas habent interpretationes, Vnam Auerrois, quod Aristoteles dicat uanum esse quærere rationem ad probandum hoc dogma, quòd omnia semper quiescant; Alteram Grecorum, quòd dicat uanum esse quærere rationem ad dogma illud euertendum, & ad probandum quod detur motus in rebus, quę expositio uidetur sequentibus verbis esse accommodatior. Possumus tamen utranque congiungendo dicere uanum esse quærere rationes ad disputandum an omnia semper quiescant, an potius aliqua moueantur, quia cùm habeamus testimonium sensuum quòd aliqua mouentur, uanum est uelle certare rationibus ad hoc, vel comprobandum uel reprobandum, rerum enim sensibilium proprius Iudex est sensus, & huic fidem non adhibere est quędam mentis imbecillitas, quemadmodum enim infirmitas gustus, seù appetitus significaretur, siquis refutatis omnibus humanis cibis alium quæreret, quo uesceretur, ita ægritudo denotatur in facultate discursiua si reiecto testimonio sensus de re sensili quæreret aliquis rationem dimisso sensu, non enim datur ratio melior sensu de re sensili, immò ipsa quoque demonstratio sumit fundamentum a sensu, ut hic Auerroes declarat sumens ex Aristotele in primo Posteriorum textu centesimo trigesimo quarto, unde sumitur notitiam sensitiuam esse principium omnis nostrę cognitionis, quo fit ut qui non credit sensui, is neque ratione uera uti possit, quia ob infirmitatem intellectus non potest primis principijs assentire, cùm discernere nequeat uerum a falso, & sermones sophisticos a ueris, & consentaneis ipsis rei. Auerroes in

Commen-

Commentario sexagesimo quinto huius libri notat, quòd ratio est quęrenda, quando cognitio per sensum insufficiens est, quod euenit ob alteram duarum rationum, una est quando quærimus cognitionem uniuersalem: ad hanc enim tradendam sensus non sufficit; altera est quando quærimus cognitionem propter quid, hanc enim sensus tradere non potest, sed solùm quòd res sit; Ideò aduertas quòd quando Aristoteles hic dicit uanum esse quærere rationem, ubi habemus sensum, intelligit quando sensus est sufficiens ad id, quod quærimus declarandum, est autem sufficiens ad id, de quo in presentia loquimur, quærimus enim tantum an sit, non quęrimus propter quid, & quærimus cognitionem non rei uniuersalis, sed rei particularis, uolumus enim infringere hanc uniuersalem, omnia semper quiescunt, quæ satis infringitur per oppositam particularem, aliqua mouentur, hæc autem sufficientissimè cognoscitur per sensum, igitur uanum est rationem quærere ad eam uel impugnandam, uel comprobandam.

Solent hic multa dubia afferri aduersus ualiditatem testimonij sensus, sensus.n. sæpè decipitur in iudicandis rebus sensilibus, ut in iudicanda quantitate solis, in iudicanda quantitate denarij in aqua positi in fundo uasis, & in alijs multis, qua de re non est in præsentia disputandum, sed legantur quæ ab Aristotele, & ab alijs dici solent in contextu sexagesimo tertio secundi libri de anima, nunc satis sit dicere quòd sensus non decipitur circa proprium sensibile, dummodò debita adsit distantia, & medium sit conuenienter dispositum, & quoduis aliud impedimentum amoueatur, sol enim uidetur minor quam reuera sit propter nimiam distantiam, denarius autem uidetur maior propter aquam mediam, quæ non defert ad sensum ueram denarij quantitatem. Sed maius dubium oritur, quia Aristoteles in textu illo sexagesimo tertio secundi libri de anima de solo proprio sensibili dicit, quod circa illud non decipitur sensus, at hoc ad propositum non facit, quia loquimur nunc de cognitione motus, qui est sensibile commune, circa quod uidetur Aristoteles non negare quod sensus decipi possit, hoc igitur si uerum est non uidetur standum esse soli testimonio sensus de existentia motus, cum sensus circa motum decipi potest, quod sæpe uidemus contingere ijs, qui sunt in naui mota in aqua, cum enim nauis moueatur, & littus quiescat, ipsis uidetur nauim quiescere, & littus moueri: Admisso igitur quod sensus circa proprium sensibile nunquam erret, satis est in pręsentia quod erret circa sensibile commune, cuiusmodi est motus. Sunt qui ad hoc dicant sensum decipi tunc circa mobile, non circa motum, ille enim, qui in Naui fertur, non in eo decipitur quòd iudicet motum fieri, fit enim reuera motus, sed in eo quòd putat non nauim, sed littus moueri. Sed hęc responsio est infirma, quia adhuc obijci posset, sicut ille decipitur putans littus moueri, cùm quiescat, ita decipi potest in alijs rebus, quas putat moueri, quare dici potest quòd omnia quiescunt, licèt & uideantur aliqua moueri. Ego igitur cum alijs dicerem quòd quamuis sensus quandoque decipiatur circa motum, & fortasse magis ac frequentius, quam circa sensibile propriũ, tamen satis est, quòd hoc sit rarò, & pro minori parte, & quòd pro maiori parte rectè iudicat, quia licet decipiatur iudicandò motũ in hac re, at certènon decipitur in alijs omnibus, hoc autẽ satis est ad cognoscendum simpliciter dari motũ, quia si in hac re non percipit motũ, uel putat esse in ea motum, cùm non sit, sat est quòd in aliqua rectè iudicet motum dari, certissimum igitur est testimonium sensus de existẽtia motus in aliquibus rebus, per sensum enim certam habemus cognitionem quòd aliquæ res mouentur, hoc nisi concedamus, omnem scientię certitudinem de medio tollimus, quia omnis demonstratio, & omnis scientia pendet a cognitione acquisita per sensum, ut ait Aristoteles in illo Centesimo trigesimo quarto contextu

primi

primi libri Posteriorum. [Et de toto aliquo] Hæc est secunda ratio ad idem, quæ talis est, qui dubitat an omnia quiescant, & de hoc disputationem instituit, non dubitat de parte aliqua scientiæ naturalis, sed de tota hac scientia, quare non est audiendus, neque confutationem meretur, quia qui negat motum negat naturam, & qui negat naturam, negat omnia habentia naturam, quare negat subiectum totius naturalis philosophiæ. Attamen subiectum scientiæ supponendum est quòd detur, nec modo aliquo est de ipso disputandum, patet igitur quod qui negat motum, destruit totam scientiam naturalem. [neque solùm contra Physicum] Hæc est tertia ratio talis, qui negat motum in rebus, non solum destruit totam scientiam naturalem, sed etiam omnes scientias, & omnes opiniones, quoniam hæ omnes utuntur motu. Simplicius, & Auerroes putant Aristotelem per scientias, & opiniones non intelligere ullas alias disciplinas quàm actiuas, & effectiuas; patet enim & actionem, & effectionem sine motu non esse, quare ablato motu hæ omnes tolluntur. Ego uerò cum alijs puto Aristotelem uniuersaliter intelligere omnes disciplinas, nec solùm prædictas, sed etiam contemplatiuas, licèt non eodem modo omnes utantur motu; Metaphysicus utitur motu, quia uersatur in substantijs abstractis, inuentis per motum, quare motu sublato scientia diuina corrueret; Mathematicus quoque utitur motu, quia imaginatur tractum lineæ ad punctum, & fluxum puncti. Præterea Astrologus contemplatur motus celestes, quare omnes disciplinæ supponunt motum; dicit autem [scientiæ, & opiniones,] vt uniuersaliter complectatur omnem cognitionem tam perfectam quam imperfectam, non enim in omnibus disciplinis habetur cognitio perfecta, ideò etiam inquit [ut ita dicam] idest, ut uno uerbo omnes complectar. Possumus etiam dicere quòd Aristoteles intelligat omnem cognitionem a nobis acquiri cum motu, nascimur enim rudes, & omnium rerum ignari, ideò si omnia essent immobilia, nos in illa ruditate semper maneremus, nec ullam unquàm siuè scientiam siuè opinionem acquireremus, nam & aliquo supposito motu, & cum motu acquiritur omnis cognitio, cum motu speculamur, cum motu agimus, & operamur, & sublato motu, necesse est omnia nobis ignota manere. [Amplius autem de principijs] Hic affert argumentum tale, contra negantes principia non est disputandum, motus est principium in hac scientia, & qui negant motum, negant principium scientiæ naturalis, ergo in hac scientia non est disputandum contra negantes motum, sed supponendus est motus. Maiorem declarat exemplo Mathematici, qui sermonem non habet cum illis, qui negant principa Mathematica, quòd idem est in qualibet alia scientia. Notandum est quòd Aristoteles quando dicit [suppositio enim est, quod natura est principium motus] proponit definitionem naturæ, & tam uocat suppositionem, quia communiter, & amplè sumit nomen suppositionis pro omni principio indemonstrabili, non propriè, prout distinguitur a definitione, ut sumpsit in libro primo posteriorum. Est etiam sciendum quòd propositio illa, contra negantes principia non est disputandum, est intelligenda de principijs cognitionis, nam principia essendi, quæ non sunt principia cognitionis, possunt in sua scientia probari, quia licet sint principia totius distinctæ cognitionis, ut Aristoteles ait in principio primi libri, attamen non semper sunt simpliciter principia cognitionis in sua scientia, principia autem cognitionis ea dicuntur, quæ sunt primò cognita in illa scientia, & ex quorum cognitione reliqua omnia cognoscuntur, hæc autem sunt quandoque priora etiam secundum esse, ut in Mathematicis, quandoque etiam sunt effectus posteriores ut motus in scientia naturali, oportet enim prius ex motu inueniri principia essendi, deinde ex his acquirimus distinctam cognitionem rerum naturalium; Illa igitur, quæ simpliciter

pliciter sunt principia cognitionis in scientia, siuè sint etiam principia essendi, siue non sint, supponenda omninò sunt, nec possunt probari, nec contra negantes principia est disputandum, quia nihil esse potest in illa scientia his notius, unde sumi argumentum aliquod possit. His igitur quatuor argumentis probauit Aristoteles, non quid dari motum (hoc enim in hac scientia probari minimè potest) sed quòd uanum sit disputare contra illud dogma quòd omnia semper quiescant, proinde quòd sine disputatione dimittendum sit.

Textus Vigesimustertius.

Ferè autem, & omnia dicere moueri, falsum quidem est, minus autem hoc præter methodum, posita enim est natura in naturalibus principium sicuti motus, & quietis, tamen physicum magis est motus. Et dicunt quidam moueri eorum, quæ sunt, non aliqua quidem alia uerò non, sed omnia, & semper sed latere hoc nostrum sensum, ad quos quamuis non determinent quo motu dicant, an omnibus, non est dificile occurrere. neque enim augeri, nequè minui poßibile est continuè, sed est & medium. Est autem similis ratio illi, quæ est de eo, quod est guttam conterere, nec enascentia lapides discindere, non enim si tantum expulit, aut remouit gutta, & dimidium in dimidio tempore prius, sed ut nauis tractio, ita & guttæ totam mouent; pars autem illarum in nullo tempore tantum, diuiditur enim quod remotum est in plura sed nihil eorum motum est seorsum, sed simul. Manifestum est igitur, quod non est necessarium semper aliquid abire, quia diuiditur ipsa diminutio in infinita sed totum aliquando abire. Simililiter autem, & in alteratione qualibet, non enim si partibile est in infinitum id quòd alteratur ob id, & alteratio Sed simul uniuersa fit sæpe, sicut congelatio. Amplius, cum ægrotauerit aliquis, necesse est tempus fieri, in quo sanabitur, & non in termino temporis mutari necesse est autem in sanitatem mutari, & in aliud nihil. Quare dicere, continuè alterari ualde manifestis est aduersari, in contrarium enim alteratio est. atque lapis neque durior; neque mollior.



IC refutandum sumit secundum diuisionis membrum, quo dicebatur omnia semper moueri, quòd in primis comparans cum primo iam confutato inquit illud fuisse deterius isto, licet utrunque sit falsum, deinde sententiam nonnullorum adducit, qui dicebant omnia semper moueri; mox eam confutat considerando omnes species motus, augumentationem, & alterationem in hoc contextu, motum uerò localem

localem in sequente. Inquit primum quod hæc quoque sententia falsa est, qua dicitur omnia semper moueri, sed addit [ferè] quia minus peccat, quam altera iam reprobata. Quod falsa sit, probat ex definitione naturæ, est enim natura principium non tantùm motus, sed etiam quietis, ideò etiam quietem negando, negamus naturam. Quod autem sit minus peccans probat, quia motus est naturalior quiete, quare maius est peccatum in philosophia naturali negare motum, quàm negare quietem. Auerroes considerans id, quod ab Aristotele dicitur, naturam non minus esse quietis principium quam motus, notat Aristotelem significare voluisse, quòd neutrum dogma est confutandum a Philosopho naturali, quia tam negare quietem quàm negare motum est negare principia scientiæ naturalis, cum utraque ponantur in definitione naturæ, quæ fuit primum huius scientiæ principium. Cur autem Aristoteles dicat quòd negare quietem, est [minus præter methodum] idest, minus alienum a scientia naturali, quam negare motum: multæ rationes a Simplicio afferuntur; Primò dicit, quia motus magis est proprius ac familiaris naturæ quam quies. Secundò, quia quies est priuatio motus, quo fit ut motu sublato etiam quies auferatur, non tamen auferatur motus sublata quiete, in cœlo enim non est quies, est tamen motus; at in quibus non datur motus, in ijs nec quies dari potest, magis igitur naturam destruit, qui motum negat, quam qui negat quietem. Tertio, quia dantur res naturales, quæ semper mouentur sine quiete, at non dantur res naturales, quæ semper quiescant sine motu, quare magis est a scientia naturali alienus is, qui negat motum, quam qui negat quietem; significat autem per hoc Simplicius quòd substantiæ abstractæ non sunt res naturales. Sed nulla harum rationum mihi videtur idonea, non prima, quia non declarat cur motus sit familiarior naturæ, quam quies, cum potius contrarium asserendum uideatur, nam quies est causa finalis elementorum, siquidem mouentur ut in suis locis quiescant, igitur si naturaliter appetunt motum propter quietem, magis appetunt quietem, per regulam illam, primi posteriorum, propter quod unumquodque est tale, id magis est tale, naturalior itaque elementis est quies quam motus. Et declaratur hoc ab Auerroe, quarto de cœlo Commentario vigesimosexto, cum enim ibi Aristoteles definiat graue, & leue per quietem, non per motum, & prius in textu Sexto eius libri ea definiuisset per motum. Auerroes dicit quòd definitiones traditæ per quietem magis appropinquant ueritati, quoniam quies est naturalior elementis quàm motus, & rationem etiam affert satis manifestam, quia est quidem naturalis elementis motus ad propria loca, sed supponit eis aliquid contigisse præter naturam, supponit enim elementum esse extra proprium locum, quod quidem est ei præter naturam, at quies est omninò naturalis, nihil supponens præter naturam in ipso elemento, & magis etiam appetitur ab elemento quam motus, ut diximus. Neque est quòd aliquis obijciat quod cœlum moueatur sine ulla quiete, proinde magis amet quietem quàm motum, nam absurda est hæc comparatio, cum ibi quies nullum locum habeat, & comparatiuum supponat positiuum; sat est, quod in ijs, in quibus locum habeat & motus, & quies, naturalior sit quies motu. Secunda quoque Simplicij ratio recta esse non uidetur, quia non est uerum quòd ubi non est motus, ibi non possit esse quies, sumendo quietem ut hic ab Aristotele sumitur, sumitur autem largè prout complectitur non solum illam, quæ est priuatio motus, sed etiam immobilitatem, nisi enim ita quietem acciperet non potuisset sine contradictione dicere in primo membro iam confutato, quod omnia semper quiescant, non est igitur ve-

rum quod motu sublato auferatur quies accepta pro immobilitate. Tertia quoque ratio admittenda non est, quoniam aduersatur Aristoteli, qui postea ostensurus est dari res naturales, quæ nunquam mouentur. Licèt enim substantiæ abstractæ non sint naturales tanquam subiecta naturalia, sunt tamen naturales ut causæ naturales & ut motrices, præterea hic sumit Simplicius quietem propriè pro ea tantum, quæ est priuatio motus, cum Aristoteles eam sumat largè etiam pro immobilitate; præterea quòd dentur res naturales solum motę sine quiete, hoc non indicat naturã magis amare motum quàm quietem, quandoquidem ista comparatio, ut prædiximus, in ijs tantum facienda est, in quibus locum habent & motus, & quies, nos autem iam diximus in his quietem esse naturaliorem motu. Ego igitur puto dicti Arist. aliam esse rationem, quam Simplicius, & alij posteriores, qui eum secuti sunt, non animaduerterunt, eaque ex Auerroe sumitur in dicto Commentario Vigesimosexto, & in Trigesimo primo quarti libri de Cęlo, aliud est naturas rerum secũdum se considerare, aliud est eas considerare, ut a nobis cognoscendas ipsas quidem grauis, ac leuis naturas si secundum se consideremus naturalior eis est quies, quam motus, neq; de hoc dubitare debemus, quoniam ut antea dicebamus, magis appetunt quiescere, quam moueri, sed si eas consideremus ut a nobis cognoscendas, magis cognoscuntur, per motum, quã per quietem, magis .n. patent eorum differentię per motũ. ideo inquit ibi Auerroes definitiones grauis, & leuis traditę per quietẽ magis attingunt ipsorũ naturas, definitiones uerò traditę per motũ manifestius nobis declarant differẽtias elementorũ inter se, videlicet, quod illud sit graue, illud leue, & illud simpliciter graue, uel leue, illud vero secundũ quid Arist. igitur hic loquitur de motu, & quiete prout cõsiderãtur in rebus naturalibus in hac sciẽtia tractatis cognitionis gratia, qua ratione dicit efficaciorem esse motũ quiete, & magis esse principiũ cognitionis quã quietẽ, per motum .n. inuenimus primã materiam, & primũ motorem, & per eundẽ cognoscimus multorũ corporũ naturas, quæ non ita facilè per quietem cognoscerentur. Quod hoc sit mens Arist. in litera patet, inquit .n. ꝙ negare quietem [est minus prēter methodũ] quam negare motum, i. minus officit scientię naturali, seu naturali philosopho speculanti, & quęrenti rerum scientiam; methodus .n. ad cognitionem dirigitur, & ei magis auxiliatur motus, quàm quies, hoc significat Arist. dicens, [physicum enim magis est motus,] nam ly physicum non respicit naturam rerum, sed scientiam naturalem; posteà adducit definitionem naturæ, quæ est principium cognitionis in hac scientia, & in ea nominatur motus, & quies propter cognitionem rerum naturalium: patet etiam ratio cur ad cognitionem efficacior sit motus quam quies, nam si elementa moueri non videremus, sed solùm in suis locis quiescere, cognosceremus quidẽ quòd eos locos amant, at nõ cognosceremus ob id quòd ab alijs locis abhorreant, credere namque possemus ꝙ terra sicuti quiescit in loco infero, ita in supero quiesceret, si eo transferetur, at uidentes naturalem motum terrę ad inferum locum relicto supero cognoscimus, quòd solùm inferum amat, a supero autem abhorret: hanc sententiam significat hic Auerroes, refert enim motum & quietem ad nostram cognitionem, & dicit motum esse nobis manifestiorem quiete, huius autem rationem subiungit dicens, quia motus est habitus, & quies est priuatio, & habitus est notior priuatione; ideo notandum quòd Auerroes in his verbis sumit quietem propriè pro ea quæ est priuatio motus, quamuis Aristoteles in hac parte sumat quietem largè, prout complectitur etiam immobilitatem, ut iam ostendimus; quoniam etiam Aristotelis hic recensens definitionem naturæ, & in ea nominans quietem non potest aliam intelligere, quàm illam, quæ est pri-

uatio

natio motus, quamuis enim comparet ablationem motus cum ablatione quietis largè sumptæ, tamen considerat quod auferendo quietem largè sumptam aufertur etiam illa, quæ est priuatio motus, & quæ ponitur in definitione naturæ, quod quidem est officere scientiæ naturali, minus tamen quam auferendo motum. [Et dicunt quidam] recenset Aristoteles opinionem quorundam phylosophórum, qui hoc dogma tuebantur quòd omnia semper moueantur, & nihil quiescat; fuerunt autem Heraclitus, & Cratylus, qui similitudinem fluuij declarabant omnia continuè moueri sine ulla quiete; dicebat Heraclitus non posse bis transiri eundem fluuiúm, quia cum secundò accedimus iam efluxit. Cratylus autem dicebat ne semel quidem eundem fluuium pertransiri posse, quia quando incipimus transire iam effluxit flumen, similem igitur fluxum in rebus omnibus esse asserebant, unde inferebant nihil veri posse de rebus enuntiari, quia cum dicere incipimus res mutatur antequam absoluamus, quare non est amplius uerum id, quod diximus: quoniam autem uidebant isti sententiam hanc sensui repugnare, cum appareat multa quiescere, respondebant non omnes motus esse sensiles; quod etiam Aristoteles in textu Vigesimo confessus est, sed multos esse absconditos, qui lateant sensum, ita ut uideantur multa quiescere, cum tamen moueantur. Hæc illorum sententia fuit, camque putat Simplicius hic ab Aristotele adduci ad confirmationem eius, quod dixerat, minus peccatum esse negare quietem quam negare motum, ut confirmatio talis sit, nullus antiquorum naturalium negauit motum, quia licet in primo Libro dictum sit Parmenidem, & Melissum posuisse unum esse ens immobile, & ita negasse motum, tamen hi non erant naturales, sed potius ita loquebantur ut supernaturales, & de ente supernaturali, attamen quietem negarunt multi phylosophi naturales, ut Heraclitus, & Cratylus dicentes omnia semper moueri; quoniam igitur nullus negans motum meruit appellari phylosophus naturalis, multi autem negantes quietem fuerunt numerati inter phylosophos naturales, patet quod negare motum magis officit scientiæ naturali quam negare quietem: Quæ Simplicij expositio admitti potest, præsertim cum Aristoteles dicat [Et dicunt quidam,] coniunctio enim significare potest nouam confirmationem ex antiquorum testimonio, & uidetur quoque Auerroes hanc interpretationem innuere; nihil tamen absurdi erit si dicamus hac expositione neglecta quòd Aristoteles illorum sententiam tangit ut sectatorum huius secundi membri, cuius absurditatem mox est consideraturus per illorum sententiæ reprobationem. [Ad quos quamuis non determinent.] Incipit Aristoteles confutare horum sententiam quod omnia semper moueantur, & in primis notat in eorum dictis hunc errorem quod confusè locuti sunt, nec dixerunt quomodo intelligant omnia semper moueri, potest enim intelligi, quod quælibet res uno perpetuo continuo motu moueantur, & tunc dicere debuerunt quonam motu; potest etiam intelligi quòd uarijs motibus singula res perpetuo moueatur, quare illi non recte fecerunt hoc non determinantes: sed quamuis ita confusè locuti sint non est tamen difficile (inquit Aristoteles) eorum errorem ostendere, & statim incipit eorum falsitatem probare; sed duo sunt hic animaduertenda, unum quod Aristoteles hic nulla efficaci ratione hanc sententiam improbat, quia hoc esset argumentari contra negantes principia, sed solum per ea, quæ sensui apparent, & per signa euidentia, quod confirmationis genus non est ab ipsis principijs alienum. Alterum notandum est, quòd licet Aristoteles dixerit eorum sententiam posse duobus modis intelligi, nempe; vel uno & eodem motu, uel pluribus, tamen non

confutabit utrumque modum, ſed illum ſolum quòd quælibet res ſemper moueatur uno continuo motu, hoc enim eſt conſilio Ariſtotelis conſentaneum, intentio namque eius eſt loqui de æternitate numerali unius continui motus, hanc quærendam propoſuit in principio Libri, & in diuiſione facta in textu Vigeſimoprimo accepit ſemper moueri in hac tantum ſignificatione, quæ eſt moueri uno continuo perpetuo motu, in qua eadem accipitur in toto hoc Libro perpetuitas motus, nam moueri ſemper varijs motibus non eſt ſemper moueri, ſed eſt moueri, & quieſcere, ideò Ariſtoteles in ſequentibus nunquam hæc inferiora uocabit ſemper mota, ſed mota, & quieſcentia, hic igitur ſumit contra illos phyloſophos improbandam hanc ſententiam, quòd omnia ſemper moueantur uno continuo motu, idque facit diſcurrendo per omnes ſpecies motus, & oſtendendo nullum motum eſſe talem, ut nulla quiete interrumpatur, & hoc oſtendit primum de augmentatione, & diminutione, deinde in hoc eodem textu de alteratione, tandem in textu ſequente de motu locali.

Primùm quidem inquit neque augmentationem, neque diminutionem eſſe poſſe infinitam, quia neceſſe eſt interponi quietem mediam, quod Ariſtotelis dictum interpretes intelligunt, tum de augmentatione & de imminutione ſeorſum acceptis, tum de ambabus ſimul. Videlicet, quòd non eſt continuum tempus augmentationis tempori ſequentis imminutionis, cum in uiuentibus uideamus dari ſtatum medium, in quo neque augetur amplius, neque adhuc imminuuntur, quem ſenſum licèt ſecundum ſe uerißimum, an uerba Ariſtotelis habeant non ſatis eſt clarum. Videtur potius dicendum ſenſum hunc eſſe ab Ariſtotele alienum, qui non reprobat hoc membrum niſi prout intelligitur de uno continuo motu, quo quæque res inceſſanter dicatur moueri, pluribus enim motibus non diceretur ſemper moueri, quia inter duos motus eſt quies media. cum enim dicat, [neque augeri, neque minui] uidetur utramque conſiderare ſeparatim tantum, & dicere quòd non datur infinita augmentatio, nec datur infinita diminutio, ſed in utraque intercipitur tempus medium quietis, ita ut neutra ſit motus unus continuus quod ſtatim declarat à ſimili, cum ait, [eſt autem ſimilis ratio] non enim declarat niſi de utralibet ſeorſum accepta, quod non ſit continua, utitur, autem Ariſtoteles duplici ſimilitudine, una aquæ guttatim cadentis, & cauantis lapidem, altera germinis naſcentis, & lapidem paulatim ſcindentis, de gutta aquæ manifeſtum eſt, & per experientiam comprobatum quòd poſt multarum guttarum caſum cauatur lapis, inquit autem Ariſtoteles non eſſe credendum quod ſi centum guttæ remouerunt tantam lapidis portionem prima gutta ſola remouerit centeſimam illius portionis particulam, & quinquaginta guttæ remouerint dimidium, ſed prima gutta nullam partem remouit, ſecunda nullam, tertia nullam, ac fortaſſe neque nonagintanouem guttæ aliquid a lapide remouerunt, ſed poſt eam ueniens centeſima gutta fecit primam excauationem, & primam particulæ remotionem, cuius particulam præcedentes nonagintanouem guttæ remouerunt, quod quidem exemplum declarat Ariſtoteles alio exemplo manifeſtiore, nam contingere poteſt ut decem homines trahant nauim, quam nouem homines nullo pacto moueri poſſunt. Sicut ergo ibi non ualet hęc illatio, decem homines nauim trahunt per tantum ſpatium, ergo dimidium illorum hominum trahent eandem nauim per dimidium illius ſpatij: per nullum enim ſpatium trahent, quemadmodum igitur hic totum aggregatum de-

cem

cem hominum nauim trahit, quia aggregatum uirtutis illorum superat resistentiam illius ponderis, pars autem aggregati non trahit, quia non superat, ita de guttis dicendum quòd ad primam lapidis particulam remouendum tot guttæ requiruntur ita ut una pauciores nil possunt remouere. Altero utitur Aristoteles exemplo de uirgultis in lapide aliquo enascentibus, nam crescentia lapidem scindunt, non tamen ualet, tantum uirgulti incrementum fecit scissuram tantam lapidis, ergo dimidium illius incrementi fecit dimidium illius scissuræ, nam potest dimidium illius incrementi nullam scissuram fecisse, ita ut illa prima scissura simul facta sit à toto illo tanto incremento; sic de augmentatione, & de imminutione dicendum est, (inquit Aristoteles) non enim si puer tempore unius mensis auctus est uno digito, necesse est in parte mensis auctum esse parte proportionali illius digiti. datur enim tempus aliquod medium, quo non augetur omnino, nec ulla ei fit nouæ quantitatis accessio; nutrimento enim per membra distributo fit quædam quantitatis augmentatio; postea uerò nulla fit augmentatio, dum nouus cibus assumitur, dum coquitur, & in uentriculo, & in hepate, dum distribuitur iterum per venas sanguis, sed post distributionem fit alia augmentatio, & ita deinceps, quare patet quòd augmentatio pueri ab ortu suo usque ad ætatem perfectam non est motus unus continuus a principio usque ad finem, sed est aggregatum multarum partialium augmentationum interruptarum per multas intermedias quietes, scilicet, oppositas motui augmentationis. Hoc idem de diminutione dicendum est, fit enim post certum tempus ablatio certæ particulæ, cuius dimidium non fuit ablatum in dimidio illius temporis, sed illa particula tota simul in toto illo tempore, immo aduertendum, quòd ex illo exemplo aquæ guttatim cadentis Aristoteles infert immediate de diminutione, illud enim exemplum est peculiariter accommodatum ad declarandum de diminutione, quod sit interrupta per multas quietes medias, neque sit motus unus continuus ab initio ad finem, ut postea ex diminutione idem de augmentatione inferatur, eadem enim est ratio de utraque. Illis autem uerbis, (diuiditur enim quod remotum est) uidetur Aristoteles soluere tacitam obiectionem, quæ talis fieri poterat, pars lapidis, quæ per centum guttarum casum remota est, nonne est quanta, & in partes diuidua? ergo si tota à tot guttis remota est, cur non debet proportio seruari ita ut dimidium a quinquaginta guttis remoueatur? Ad hoc respondet Aristoteles esse quidem partem illam, quæ ex lapide remouetur, diuisibilem, non tamen propterea fieri quin tota simul remoueri possit, cuius rationem tangens in commentario Auerroes inquit, si oporteret partem prius remotam fuisse, eo quod id, quod remouetur, est diuisibile in partes, sequeretur nullum unquam motum fieri posse, nam si opus esset ut res mouenda per tantum spatium pertranseat prius omnes partes illius spatij nunquam ad finem spatij perueniret, quia infinitæ sunt partes, in quas illud spatium est diuisibile, infinita autem pertransiri non possunt, hoc autem fuit argumentum Zenonis, quæ motum de medio tollebat, & cuius mentionem facit Aristoteles sexto physicorum decimonono, & octauo physicorum sexagesimo sexto, & sexagesimo octauo, quoniam enim infinitas continui partes pertransire impossibile est, inferebat Zeno nil moueri posse. Diog. audiens Zenonem argumentantem ad euertendum motum nullã responsionem dedit: sed surgens ambulare cœpit, significans satis impugnari dogma id per sensum, nec opus esse disputatione. Sed cauillum soluens Aristoteles dixit continuum quidem habere infinitas partes potestate, at non actu, immò actu unum esse, & finitum, proinde pertransibile, nam facit quidem impertransibilitatem infinitudo actu, at non in-

 finitudo

finitudo potestate tantum: sic dicendum est in præsentia; nam prima pars quæ ex lapide remouetur, diuisibilis quidem est, non tamen actu diuisa, & tota simul recedit; nam si oporteret partem prius recedere, quàm totam nunquam tota recederet, quia partes, in quas diuidi potest, sunt infinitæ, quod erat sophisma Zenonis; Simplicius hic refert Alexandrum alio modo hunc locum exposuisse, quod enim Aristoteles de gutta dixit Alexander intellexit de tota aqua simul cadente, & cauente lapidem, sed non de aqua guttatim cadente, ut Aristot. dicat, si tota aqua simul cadens cauat lapidem, non sequitur, quòd una eius gutta, faciat partem illius excauationis. Sed hanc interpretationem reijcit Simplicius, & iure, nam Aristoteles non dicit totam aquam cauare lapidem, sed guttam, nam σταλαγμὸς propriè significat guttam, & posteà dicit, [guttæ tot tantum mouent] quare distinctas accipit guttas cadentes, idque magis est accommodatum ad propositum demonstrandum, quando quidem consilium Aristotelis est per hoc exẽplum ostendere processum motus augmenti non esse unum continuum motum, sicuti non fit continua recessio particulæ lapidis per singulam cadentem guttam; non est etiam satis clarum quòd aqua magna, quæ tota simul cadat, lapidem conterat, at de aqua guttatim cadente, ita manifestum est, ut sit reductum in prouerbium, gutta cauat lapidem non bis sed sępè cadendo. Hic aliquis iure dubitare posset, si nonagintanouem guttæ nullam lapidis particulam remouere potuerunt, quomodo sola centesima superueniens illud efficere possit? Dicendum quod licet nonagintanouem guttæ nihil de lapide remouerint, tamen non propterea dicendum est eas nihil egisse, egerunt enim in lapide molliendo, & præparando illã particulam ita ut centesima gutta adueniens potuerit particulam quandam lapidis abijcere, quam sola non abiecisset, nisi actio præcedentium nonagintanouem guttarum præcessisset. Ideò dicere possumus quòd non sola centesima, sed totũ aggregatum potentię actiuæ centum guttarum fecit illam primam in lapide excauationẽ. Possumus etiam dicere solam centesimam excauasse, sed supposita præparatione per alias facta, sat est quòd aliæ sine ultimo nil excauarunt. Quod si aliquo alio modo egerunt in lapidem, ut fortè alterando, id non est præsentis speculationis, quia satis est Aristot. ostendere non fieri continuam imminutionem, ut fieret si singula gutta aliquid remoueret. Optimè etiam dicit Auerroes in Comment. 37. septimi physicorum quòd ultima gutta est ueluti agens proximum, quod adueniens materiæ satis præparatæ ducit illam statim de potentia ad actum: hoc idem dicendum est de planta germinante in lapide, tantum enim plantæ crementum facit primam scissuram lapidis; illius autem crementi nullam pars aliquam scissuram fecit, tamen omnes partes illius incrementi, seu illius magnitudinis plantæ contribuerunt propriam portionem uirtutis actiuæ, ita ut tota magnitudo scissuram illam faciat, sic autem singulæ partes dicuntur agere potestate, non actu, ut ait Auerroes, quia sunt etiam potestate in toto, donec non sunt diuisæ actu, autem dicerentur singulæ agere, si singula faceret partem scissuræ proportionabilem quod Aristoteles negat. Hoc autem manifestius est in hominibus trahentibus nauim, clarum enim est dimidium illorum nullo pacto nauim mouere, quia tanta est resistentia nauis, quanta actio nouem hominum, ideò adiecto decimo homine fit excessus agentis supra patiens, ideò decem trahunt nauim, quia aggregatum totius uirtutis decem hominum agit in nauim, & singulus contribuit suam portionem uirtutis, sed singulus seorsum non mouet nauim, in guttis autem cadentibus res non ita manifesta est, quia non simul omnes agunt, sed una post aliam, quo fit ut uideatur singula facere propriã partem illius cauationis, non tamen uerum est; Sed sicuti uidemus in hominibus trahentibus nauim, quod

singulus

singulus seorsum acceptus nullam partem facit illius tractionis, sed omnes simul incipiunt trahere, ita etiam dicere debemus nullam ex nonagintanouem guttis facere partem aliquam cauationis lapidis, sed aggregatum actionis omnium centum guttarum; hoc tantum interest quòd singulæ guttæ faciunt partem actionis suæ modo aliquo etiam diuisim, quatenus diuisim disponunt lapidem, & post singulam guttam remanet aliquid impressum in lapide, ut qualitas aliqua, sed si solam cauationem consideremus nulla est differentia, quia præcedentes guttæ nihil excauarunt, adueniente autem centesima fit prima excauatio, non a sola centesima, sed ab aggregato omnium centum guttarum, quia reliquerunt aliæ uirtutem suam in lapide, & centesima accedens dicitur una cum illis lapidem cauare; manifestior est tamē actio coniuncta decem hominū simul agentium quam centum guttarum separatim agentium, ideò Aristoteles ex illo hoc declarauit. Simile his est illud, in quo Aristoteles Zenonem carpit septimo Physicorum trigesimoseptimo, nam dicebat Zeno modium milij cadens facit tantum sonum in aere, ergo quodlibet granum illius milij facit partem proportionalem illius motus, & illius soni. Aristoteles autem dicit hoc non sequi, quoniam unum granum in toto modio agebat potestate, non actu, contribuebat enim toti propriam portionem potentiæ motiuæ, at separatum a toto nihil mouet, & nullum sonum facit. Zimara hoc in loco notat in Aristotele contradictionem talem, Aristoteles in calce septimi libri Physicorum ponit multa theoremata ad proportionem potentiæ motiuæ cum re mota, & ea considerat in motu locali a textu Trigesimoquinto usque ad Trigesimum octauum, deinde in Trigesimonono ultimo uidetur eadem accommodare etiam alterationi, & augmentationi, ea igitur consideremus in motu locali, in quo sunt manifestiora. Idem enim dicendum erit de alijs motibus. Ponit in Trigesimoquinto hæc duo Theoremata, unum, si tanta potentia motiua moueat tantum rei mobilis pondus per tantum spatium in tanto tempore ut per mille passus in una hora, sequitur quòd eadem potentia mouebit dimidium illius ponderis in eodem tempore per spatium duplum, nempè, per duomillia passuum in una hora; alterum uerò est, eadem potentia mouebit dimidium eius ponderis in dimidio illius temporis per idem spatium, & ratio utriusque est, quia diuiso pondere, & eadem manente potentia crescit excessus potentiæ ad pondus, quo fit ut moueat per idem spatium in minori tempore, idest, uelocius, & per duplum spatium in eodem tempore, quod similiter est mouere uelocius. Postea in trigesimo sexto alia duo theoremata ponit unum est, eadem potentia mouebit idem pondus per dimidium spatij in dimidio temporis, idest, per quingentos passus in dimidio horæ; alterum quod ordine quartum est, & in quo presens difficultas consistit tale est, si tota potentia mouet totum pondus per tantum spatium in tanto tempore, dimidium potentiæ mouebit dimidium ponderis per idem spatium in eodem tempore. Hoc igitur theoremate constituto necesse est ut data quacunque potentia, quæ aliquod pondus moueat, dimidium illius potentiæ moueat dimidium illius ponderis, & hoc modo significatur diuisio infinita potentiæ, & mobilis eadem semper proportione seruata; quo fit ut si centum guttæ tantum lapidis remouent, dimidium guttarum debeat dimidium illius partis lapidis remouere, & una gutta partem centesimam; hoc autem Aristoteles hic negat, quare est contradictio manifesta. Soluit Zimara dicens Aristotelem in præcedentibus libris considerasse motum uniuersaliter, & modo mathematico, uidelicet, abstractum a rebus naturalibus determinatis per proprias formas, hic autem loqui de motu ut duplicato tali naturæ ut guttis aquæ cauantibus lapidem, multa igitur sunt uera de motu secundum se sumpto, & secundum modum mathe

maticum

maticum, & vniuersalem, quæ postea non sunt uera de motu applicato huic, aut illi rei, ut in præsentia contingit, nam motui uniuersaliter accepto, & prout est quantus, competit ut si potentia motiua mouet tantum pondus, sic enim hęc considerantur, ut sunt quanta, & continua, sed dùm applicantur huic materiæ, ut guttis, & lapidi, uariatur regula propter materiam tali forma formatam, nec potest dimidium guttarum remouere dimidium illius particulæ lapidis. Posteriores quidā hāc Zimarę solutionem impugnant, & dicunt quòd frustra Aristoteles de motu regulas attulisset, quæ postea rebus applicatæ futuræ erant falsæ, ita enim soluere nil aliud est quàm dicere Aristotelem attulisse quidem in septimo illas regulas, sed exprimentum docere eas esse falsas, quia dimidium guttarum non facit dimidium illius cauationis, ideò ipsi aliter soluunt, & dicunt responsionem sumi ex Aristotele in textu Trigesimoseptimo eiusdem septimi libri, ubi quintum theorema proponit negatiuum, quòd tale est, si tota potentia mouet totum pondus in tanto tempore per tantum spatium non est necessarium ut dimidium potentiæ moueat totum illud pondus per aliquod spatium in aliquo tempore, nam contingere potest, ut per nullum spatium moueat, & utitur ibi Aristoteles exemplo hominum trahentium nauim, si enim tot homines trahunt nauim per tantum spatium, non est necesse ut dimidium illorum hominum trahat eandem nauim per aliquod spatium, nam fortè non mouebunt ullo modo. Dicunt igitur quòd sententia, quæ hic apud Aristotelem habetur, comparanda est cum illo quinto theoremate, non cum quarto, quoniam in illo trigesimo septimo loquitur Aristoteles de re, quæ simul tota debeat moueri, sed non in partes diuisas, sicuti tota nauis simul trahi debet, de hac igitur uerum est quòd non mouebitur a dimidio illius potentię; pariter hic loquitur Aristoteles de particula lapidis, quæ tota simul debet remoueri a tot guttis, ideo non sequitur quòd dimidium a dimidio guttarum, quia oportet totam simul remoueri, itaque si hęc sententia cum illo Trigesimo septimo textu conferatur, non ei repugnat, sed potius consonat; cum textu autem trigesimosexto comparari non debet, quia hic loquitur Aristoteles de re, quæ tota simul debeat moueri; nulla igitur est contradictio. Ego autem miror quòd tam male intelligant Aristotelem tùm hoc in loco, tùm in illo loco septimi Physicorum, quo fit ut & Aristotelem perperam interpretentur, & male impugnent solutionem Zimaræ, ipsorum solutio est omninò reijcienda, quia quod dicunt locum hunc esse referendum ad textum illum Trigesimum septimum septimi Physicorum: hoc manifeste falsum est, ibi namque Aristoteles dicat quòd si tota potentia mouet totum mobile dimidium potentiæ non necessario mouere poterit illud mobile totum, non dicit dimidium, ergo theorema illud ad hunc locum non attinet, quia si centum guttæ faciunt tantam lapidis cauationem, non quærimus an quinquaginta guttæ eandem cauationem faciant? sed an dimidium guttarum faciat dimidium illius cauationis, hoc enim dicendum uideretur stante theoremate quarto, quod habetur in Trigesimo sexto contextu illius septimi libri, ergo hæc præsens consideratio conferenda est cum trigesimosexto, non cum trigesimoseptimo septimi Physicorum, & uidendum est an consentiat cum illo Trigesimosexto, an potius contradicat, Patet enim quòd non contradicat textui trigesimoseptimo, quia diuersa est consideratio, ibi namque dimidium potentiæ confertur cum toto mobili, hic uerò cum dimidio totius mobilis, quemadmodum etiam in Theoremate quarto, quod ibi in textu trigesimosexto habetur. Cum autem dicunt Aristotelem hic loqui de mobili, quòd totum simul moueri debeat, magnum errorem committunt, dùm supponunt id, quòd in controuersia est positum, supponunt enim quòd pars lapidis remota per casum centum guttarum debeat tota simul remoueri, sed hoc est illud, de

lud, de quo dubitamus, hoc enim diuidua est, & partes habet, ergo videtur quòd dimidium potentiæ debuerit prius remouere dimidium illius partis lapidis, stante illo theoremate quarto, quia si tota potentia centum guttarum mouet illam partem, debet etiam dimidium potentiæ mouere dimidium illius partis, non enim sub conditione ibi locutus est Aristoteles, sed absolutè dixit quòd dimidium potentiæ mouebit dimidium ponderis, quia mobile ibi consideratur ut in infinitum diuisibile, difficultas ergo integra manet. Malè etiam impugnant solutionem Zimaræ, quia nil absurdi est si dicamus sententiam illam Aristotelis falsam fieri hoc in loco, dummodo eo in loco uera sit, nam secundum diuersas considerationes potest esse & vera & falsa, quemadmodum apud Aristotelē non est contradictio dicere quòd continuum est diuisibile in infinitum, & dicere quod datur minima cuiusque rei magnitudo; qua non datur minor, utrumque enim uarijs in locis asserit Aristoteles, & utramque est uerum secundum diuersas considerationes; nam si formam rei naturalis spectemus datur minima eius particula, si uerò materiam, quam consequitur quantitas, non datur minimum, quia continuum est diuisibile in infinitum; recta igitur est solutio Zimaræ, quia in præcedentibus libris Aristoteles considerauit motum modo quodam abstracto, & mathematico, non quidem propriè mathematico, non enim ut abstractum a materia sensili, sed ut abstractum a suppositis, & ut in sensili quidem materia, sed uniuersali, ideò non est mirum, neque absurdum si aliqua competant motui in hac abstractione accepto, quę postea non sunt vera de ipso ut rebus particularibus applicatur; quemadmodū igitur motui quatenus est quid continuum competit quòd diuidi possit in infinitum, & ita omni corpori naturali quatenus est continuum, in materia autem particulari impossibilis est hæc infinita diuisio; ita nunc dicendum est quod motui considerato, prout est quid continuum, & diuisibile, & sic potentiæ motiuæ materiali, quatenus extensa est, ac diuisibilis ac mobili quatenus est similiter continuum, ac diuisibile, competit id, quod Aristoteles dixit in septimo physicorum quod sicuti tota potentia mouet totum mobile, ita dimidium illius potentię potest mouere dimidium illius mobilis, attamen si in rebus particularibus hoc consideremus non semper uerum est, nam si tot guttæ, ut centum, faciunt abiectionem primæ particulę lapidis dimidium illarum non facit ullius particulæ abiectionem. determinatio enim rerum per proprias formas impedit illud, quod eisdē cōpeteret ratione continuitatis; ideò dicere possumus solutionem huius difficultatis consistere in distinctione potentiæ naturalis, & potentiæ logicæ, quod enim continuum diuidi possit in infinitum uerum est secundum potentiam logicam, quia id non repugnaret continuò, quatenus est continuum, attamen ei repugnat secundum potentiam naturalem, quæ insequitur formam; sic etiam quòd dimidium potentiæ moueat dimidium mobilis, quando tota potentia moueat totum mobile, uerum est secundum potentiam logicam, quia non repugnat motori, & mobili quatenus continua sunt, at oritur repugnantia ex potentia naturali, quæ pendet a propria forma rei. Nisi sic dicamus in multas incidimus difficultates, quæ alio modo solui nequeūt, cuiusmodi est id, quod docuit Aristoteles in sexto physicorum quòd non datur primum in motu, nec in re, quæ per motum acquiritur, prius enim fit pars quam totum; ergo si aliqua pars diceretur prima facta daretur alia prior, quia est quanta; ergo diuisibilis, ergo habet partes, ergo una illarum facta est prius quam tota illa pars, & similiter hæc quoque est diuisibilis in alias, quare impossibile est dari primum in motu, attamen hic Aristoteles asserit oppositum, nam dicit dari primam aliquam lapidis partem, quæ tota simul abiecta est, & negat fuisse prius separatim abiectam aliquam eius partis particulam; hæc igitur duo

dicta

dicta pugnant inter se nisi dicamus uerum esse utrumque secundum diuersas considerationes, ibi enim considerando motum, & mobile ut continua, proinde in infinitum diuidua, non datur prima aliqua pars, sed hic considerando, non quidem potentiam ad diuisionem, sed actualem acquisitionem, uel reiectionem factam per motum ut rebus applicatum, datur prima pars, quæ licet in alia diuidi possit, tamen tota simul acquiritur, uel abijcitur, non pars eius post partem, ideò rectè dixit Sanctus Thomas in Textu quarto huius libri, quòd Aristoteles in præcedentibus libris considerauit motum uniuersaliter, & secundum se, in hoc autem octauus incipit ipsum applicare ad res naturales, uidetur autem satis esse per se manifestum quod in consideratione actuali ipsius motus in rebus naturalibus non habet locum illa aptitudo continui ad patiendum diuisionem infinitam, quia hæc repugnat formæ naturali, quare acquiritur per motum aliquid totum simul; & datur pars primò aquisita, deinde alia secundò acquisita actu, quod dicere non possemus, si continuitatem respiceremus, & diuisibilitatem in infinitum. Ad hæc autem quę diximus, confirmanda maximè pertinet responsio Aristotelis ad Sophisma Zenonis negantis motum. nam diuersis modis respondit Aristoteles in textu decimonono sexti Physicorum, & in sexagesimo octauo huius octaui ob diuersas motus considerationes in hoc libro, & in illo. Similiter hæc confirmantur considerando theorema illud Aristotelis tertium in trigesimosexto contextu septimi physicorum, quod tale fuit, si tota potentia mouet totum pondus per tantum spatium in tanto tempre mouebit idem per medium spatij in dimidio tempore, sed hoc non est uerum considerando motum applicatum rebus materialibus, nam potentia motiua materialis laborem patitur in mouendo, quare per priorem spatij medietatē mouebit uelocius, & in minore, quam per posteriorem; quia tunc magis laborabit, non igitur in dimidio temporis; Sed soluitur quia ibi considerat motum uniuersaliter, & modo abstracto, in hoc autem libro id non diceret, quia hic incipit applicare motum rebus naturalibus, in quibus illa regula fallit, fallit etiam in motibus grauium, & leuium, qui sunt ueolociores in fine quam in principio, ut dicitur in primo libro de coelo. Possemus etiam aliter hanc difficultatem soluere negando quod Aristoteles in septimo libro illa eadē theoremata applicet in Textu ultimo alterationi, & augumentationi, quæ prius in motu locali considerauerat, reuera n. alia theoremata adducit attamen responsio Zimarę optima est. [Similiter autem, & in alteratione qualibet] Transit ad motum alterationis, & ostendit quòd neque hoc motu dici potest omnia continuè, & semper moueri, & argumentatur ex ijs, quæ sensibus apparent; aduertendum autem quòd duo sunt, quæ Aristoteles probare uult, uult enim tollere, & continuitatem, & perpetuitatem, ad maiorem probationis abundantiam, cùm enim satis ei fuisset ostendere quòd nulla alteratio potest esse perpetua, quia necessariò terminatur acquisito termino ad quem; tamen uoluit etiam ostendere de ipso alterationis progressu, qui non est unus motus continuus sicut esse uidetur, sed potius successiuus, & pluribus quietibus interruptus, adeò ut non solùm ante se, & post se, sed etiam in se quietem habeat tollentem eius perpetuitatem, prius itaque ostendit alterationem non esse unum continuum motum, deinde etiam terminos considerabit, sed in prima parte est quædam disceptatio, cum enim Aristoteles impugnare uelit hanc uniuersalem affirmatiuam, omnis alteratio est unus motus continuus, ut tollatur dogma dicens omnia semper moueri motu continuo alterationis, Aliqui putant Aristotelem ostendere solùm negatiuam particularem, non omnis alteratio est unus continuus motus, nam ad impugnandam uniuersalem affirmatiuam satis est probare particularem negatiuam oppositam; ideò hi

sic inter

sic interpretantur verba illa, [similiter autem & in alteratione qualibet,] ut subintelligatur dictio negatiua faciens negationem particularem, & sensus sit, quod ostendimus de augmentatione, hoc idem dicimus de alteratione, quod enim de illa negauimus; id nunc de hac negamus, negamus. n. quòd quęlibet alteratio sit motus continuus. Auerroes autē & Simplicius putant Arist. probare vniuersalem negatiuam, nulla alteratio est motus continuus, quam expositionem ego veriorem puto, quoniam si alteram sequamur locum damus aduersario cōfugiendi, & dicendi omnia semper alterari illa alteratione, quæ est continua; Est etiam verbis Aristot. accōmodatior, cum Arist. dicat verum esse in omni alteratione id, quod dixit in augmentatione, quare significat non particularem negatiuam, sed potius vniuersalem affirmatiuam de prædicato infinito, omnis alteratio est motus non continuus, hæc autem æquiualet vniuersali negatiuæ de prædicato finito, nulla alteratio est motus continuus; his igitur verbis proponit Aristoteles id, quod ostendere vult, nempe, de omni alteratione verum esse, quòd non est motus continuus; deinde remouet obiectionem quandam, postmodum affert probationem, quando enim dicit, [non enim si partibile est in infinitum] remouet hanc obiectionem, dicere aliquis poterat, id, quod alteratur, est continuum, proinde, in infinitum diuisibile, ergo etiam alteratio diuiditur in infinitum, hoc autem ego cum Auerroe intelligendum puto de forma fluente, relictis aliorum expositionibus, ut argumentum sit a diuisibilitate corporis alterati ad diuisibilitatem formæ fluentis in alteratione, qualitas enim fluens est diuisibilis secundum intensionem per graduus, & partes graduum, hæc igitur diuisio qualitatis infinita si fiat in ipsa alteratione videtur quod alteratio sit unus continuus motus, quia propter infinitam multitudinem graduum qui acquirūtur unus post alium, nulla uidetur interponi media quies; quòd autem diuidatur hoc modo alteratio in infinitum probatur, quia etiam corpus, quod alteratur, est diuisibile in infinitum, sed Aristoteles hanc consequentiam negat, non enim si corpus potestatem habet, ut diuidatur in infinitum ob id sequitur quòd dùm alteratur fiat hæc actualis diuisio alterationis in infinitum, sed totus aliquis gradus qualitatis simul acquiritur, licet sit diuisibilis intensiuè in alios gradus, quod etiam de augmentatione ac diminutione diximus, nam per casum multarum guttarum remouetur aliqua particula a lapide, quæ diuidua quidem erat in alias partes, sed tamen tota simul remouetur. Sic autem magis declarat Aristoteles id, quod de alteratione probare vult, uidelicet, quòd dùm aqua per calorem alteratur, non est continua acquisitio graduum caloris, sed solùm successiua, nam pugnat quidem continuè ignis cum aqua, tamen non continuè calorem inducit, sed post aliquam pugnam, quæ prouenit a resistentia aquæ patientis, inducitur aliquis gradus caloris, deinde perseuerante pugna, & postea superante igne resistentiam aquæ inducitur alius gradus caloris in instanti, adeò ut quælibet inductio caloris fiat in instanti, pugna uerò sit continua, tota uerò alteratio sumpta pro inductione omnium graduum caloris sit motus non continuus, sed successiuus, quod nunc Aristoteles ostendere vult, quemadmodum antea de augmentatione ostenderat, in illa enim alteratione est tempus aliquod medium, quo nihil caloris inducitur in aquam, licet nullum sit tempus medium, quo non fit pugna ignis cum aqua, quę quidem pugna nil aliud est quàm mutuus conatus utriusque ad corrumpendum alterum, & mutua resistentia utriusque ad alterum, patiens enim ob resistentiam facit ut non statim possit agens imprimere aliquid, at postea agens superans aliqua ex parte illam resistentiam incipit aliquid inducere deinde conatur alium gradum inducere, & cum post aliam pugnam inducit reijciendo aliquid frigoris contrarij,

trarij donec totum frigus repulerit, & totum calorem induxerit. Patet igitur quòd qualitas fluens acquiritur diuisa actu in partes finitas, quia acquiritur gradus post gradum, & ille, qui acquiritur, licèt diuidi potuisset in alios gradus, tamen totus simul acquiritur. Re ita declarata Aristoteles probationem subiungit, dum inquit, [sed simul vniuersa fit sæpè sicut congelatio,] & uidetur Aristoteles facere argumentum a minori ad maius; minus videtur, quòd tota qualitas simul inducatur quàm quòd totus aliquis eius gradus post totum alium gradum; nam dicere quòd tota simul qualitas in instanti acquiratur, maius quiddam est, quàm dicere quòd totus gradus, licèt diuisibilis, simul acquiratur, tamen fit quandoque subita alteratio, qua qualitas tota simul acquiritur, ut congelatio, seu coagulatio, (πῆξις enim vtramque significat) ergo magis potest contingere, quòd gradus totus simul acquiratur, & post eum alius gradus totus, quod fit in illa alteratione, quæ videtur esse continuus motus. Notanda est in his verbis illa dictio, [sæpè] quæ fauere uidetur alteri expositioni, quam reiecimus, videtur enim significare, quòd Aristoteles non dicat semper, & uniuersaliter in omni alteratione hoc pronunciari, quòd non sit continua, sed quòd sæpè, hoc est, quòd non in omni. Sed si bene verba perpendantur, hæc non est Aristotelis mens, nam hic Aristoteles loquitur de alteratione illa, quæ tota fit simul in instanti, cuiusmodi est congelatio, quare dictio illa, [sæpè] nil aliud significat quàm quòd non omnis alteratio fit tota simul, sed multæ sunt alterationes successiuæ. Patet enim quòd dictio illa [sæpè] non refertur ad negationem continuitatis in alteratione, sed refertur ad illa præcedentia verba [simul uniuersa fit,] hoc enim non est in omnibus alterationibus sed in aliquibus. Sic igitur Aristoteles a manifestioribus ad occultiora argumentatur, quòd enim alteratio aquæ tota a principio ad finem non sit continua, acquisitio caloris est res abscondita; nam uidetur esse unus motus continuus: quod autem congelatio fiat tota simul euidentius est, ideò ex hoc probat Aristoteles, quòd possit etiam in illa alteratione, quam credimus esse continuam, acquiri totus gradus simul, cum enim in quibusdam uideamus totam simul qualitatem acquiri, cur non cõcedamus posse totum simul gradum acquiri, licèt sit diuisibilis in alios minores gradus? sic igitur ostendit Aristoteles alterationem non esse ita continuum motum, ut cuilibet parti temporis respondeat aliqua pars illius motus. Quod enim pugna respondeat hoc nihil est, siquidem sola pugna non est motus, sed motus dicitur, quando patiens recipit aliquid; illa igitur alteratio, quæ uidetur continua, non est continua, sed successiua, & per gradus; singulorum autem graduum introductio non est continuus motus, quia fit in instanti; pugna uerò media non est motus propriè loquendo, ergo nullo modo alteratio est continuus motus. Simplicius hæc uerba postrema alio modo interpretatur, dicit enim non esse verum quòd congelatio fiat tota simul in instanti, sed inquit eam fieri in tempore; ideoque Aristotelem dicentem eam totam simul fieri, significare subiectum ipsum congelationis, quod totum simul congelatur, non una pars prius, & alia posterius. Quę Simplicij expositio non satis ad propositum pertinere uidetur, nulla enim seruabitur similitudo cum ijs, quæ antea de augmentatione dicta sunt, ibi namque fuit considerata successio partium formæ fluentis nempè, quantitatis, quæ acquiritur, sed non partium subiecti recipientis augmentum, quare hic quoque considerari debet successio partium qualitatis, quæ acquiritur, non partium subiecti, quod dicitur alterari. De eo autem quod dicit Simplicius congelationem non fieri subito, non est in præsentia disputandum, potest tamen concedi, Aristoteles enim non uult in præsentia hoc exquisite declarare, potest enim apparentiam sequendo dicere eam fieri subito,

quia

quia uel reuera subito fit, uel tempore ita breui ut subitò fieri uideatur, id quidem certum est, quod Aristoteles in Textu Vigesimotertio primi libri physicorum asserit aliquas esse alterationes, quæ non fiunt in tempore, sed subitò, tamen hoc concesso, necesse est aliquam aliam alterationem præcedere continuam, seu successiuam, & in tempore factam, tamen præcedit eam frigefactio, quæ non subito fit, sed in tempore. Deinde quando dicit [Amplius cum ægrotauerit aliquis,] ex consideratione terminorum alterationis ostendit alterationem non posse esse perpetuam, habet enim quælibet alteratio terminum, ad quem tendit, in quo acquisito necesse est, id, quod alterabatur quiescere per aliquod tempus quare omnis alteratio terminatur quiete, ut si quis ægrotus sanetur, sanatio illa est alteratio tendens ad sanitatem tanquam ad terminum, & ad nihil aliud, ergo adeptus sanitatem necesse est ut quiescat per tempus aliquod. non enim dicendum est (inquit Aristoteles) quòd per nullum tempus maneat in sanitate acquisita, sed in instante temporis ex illa mutetur, quoniam hoc repugnat sensus, uidemus enim per tempus aliquod illum, qui ægrotabat, quiescere in sanitate, quare illa alteratio terminatur quiete; neque etiam dicendum est (inquit) illum motum non tendere ad sanitatem, nam si uocatur sanatio, necesse est ut sanitatem habeat pro termino ad quem, & nihil aliud; similiter itaque omnis alteratio terminatur quiete, proinde nulla est perpetua: uerba illa [necesse est tempus fieri, in quo sanabitur] non sunt intelligenda de tempore alterationis, sed de tempore quietis sequentis alterationem, ut sensus sit necesse est tempus aliquod fore, in quo sanus erit. Postea cum dicit [quare dicere continuè alterari] concludit uanum esse & sensui repugnans dicere alterationem esse perpetuam, sumit enim [continuè] pro perpetuè, ut sæpè accipiet in hoc libro motum continuum pro perpetuo; dicit autem Aristoteles quod dicere alterationem esse perpetuam est repugnare, & aduersari rebus ualde manifestis, propterea: quòd manifestissimum est in alteratione quod est a contrario in contrarium, in qualitatibus enim manifestissima est contrarietas, ideò manifestissimus est terminus, quo terminatur alteratio. Tandem quando dicit [Atque lapis] alio exemplo manifestissimo idem declarat, lapis enim generatur sub terra ex habitu condensato, & indurato, quare eius generatio est alteratio tendens ad condensationem, & indurationem, patet enim in hac lapidem genitum quiescere, neque duriorem fieri, neque molliorem, cum quilibet uideat lapidem diutissimè permanere in sua densitate sine ulla alteratione, dicens autem Aristoteles [neque durior] significat non esse perpetuam illam indurationem, sed acquisita duritie terminari, quia ad nullam amplius duritiem tendit lapis; deinde dicens, [neque mollior] significat quod lapis per tempus aliquod in illa duritie manet, nec ab ea statim remouetur in instanti transiens iterum ad mollitiem, quod etiam de sanitate prius dixerat, nam sic quoque dicere aliquis poterat alterationem esse perpetuam, quòd nullum sit tempus quietis mediæ inter indurationem & mollificationem lapidis.

Textus Vigesimus quartus.

Et de ipso ferri mirabile est, si latuit lapis, qui deorsum fertur, aut manens in terra. Amplius autem terra et aliorum unumquodque ex necessitate quidem manent in proprijs locis, mouentur autem uiolente ex his. Si igitur quædam ipsorum sunt in proprijs locis

necesse est neque secundum locum omnia moueri. Quod igitur impoßibile sit, aut semper omnia moueri, aut semper omnia quiescere ex his, et alijs similibus crediderit utique aliquis. At uerò neque alia quidem contingit semper quiescere, alia uerò semper moueri aliquando autem quiescere, et aliquando moueri nihil. Dicendum est autem quod impoßibile sit, quemadmodum & in dictis prius, & in his, uidemus enim in eisdem fieri dictas mutationes. Et ad hæc quia aduersatur manifestis qui contendit, neque enim augmentatio neque uiolentus erit motus, si non mouebitur præter naturam quiescens prius. Generationem igitur aufert, & corruptionem hic sermo. ferè autem & ipsum moueri fieri quippiam & corrumpi uidetur omnibus. in quod enim mutatur, fit hoc, aut in hoc, ex quo autem mutatur, corrumpitur hoc, aut hinc.

TANDEM probat Arist. neque locali motu dicere possumus omnia semper moueri, et cum satis ei fuisset ostendere dari quietem in rebus uult etiam ad maiorem efficaciam ostendere necessarium esse, ut aliqua res quiescant; ꝙ detur quies ostẽdit testimonio sensus, ita manifesto, ut mirabile esse dicat ꝙ aliquis sit, qui non uideat lapidem deorsum ferri, & postea in terra quiescere. est enim manifestissimum quod grauia post descensum quiescunt in infero loco, ergo manifestum est non esse uerum hanc uniuersalem, omnia semper mouentur. Præterea (inquit) non solum uerum est, sed etiam necessarium terram, & alia elementa quiescere in proprijs locis, ex necessitate.n. in eis manent, & ex eis uiolenter remouẽtur. Sed aduersus hoc dubitare, ali quis posset, nam quomodo terra necessario manet in suo loco si ex eo moueri potest? ad hoc si quis dicat Arist. significare integritates elementorum, quę necessaria quiescunt in suis locis, nulla est hæc euasio, quia si de integritatibus elementorum Arist. loqueretur non posset postea dicere ꝙ ex locis suis uiolenter mouentur, totum.n. elementum ex loco suo moueri impossibile est, de partibus igitur elementorum loquitur tanquam de re omnibus conspicua, quare dubium uiget. Respondeo Arist. hic intelligere necessitatem cum hac conditione, si secludatur omnis uiolentia, & elementa dimittantur suæ naturæ, si enim nullam uiolentiam, nullumque impedimentum patiatur elementum, sed propriam sequi naturam permittatur, necessariò quiescit in suo loco; ꝙ hoc intelligat Arist. in suo loco manifestum est in verbis sequentibus, subiungit terram moueri uiolenter ex proprio loco, ergo intellexit terram ex necessitate manere in suo loco seclusa omni uiolentia: sic autem uidetur Arist. sumere necessarium pro essentiali, & naturali, cui opponitur uiolentum, quare uidetur hac ratione per causam ostendere ꝙ res quiescant, aut saltem innuere causam quietis; ratio.n. cur quiescãt grauia, & leuia in locis suis est, quia hoc insequitur eorum naturam, & est eis essentiale. Tandẽ concludit Arist. reprobationẽ vtriusque contrarij dogmatis, videlicet, ꝙ omnia semper quiescant, & ꝙ omnia semper moueantur, hoc.n. falsum esse ostendit testimonio sensuũ in omnibus speciebus motus. Lege ea quę scripsimus in 3. lib. physic. ad declarandã definitionẽ motus. Aduersus ea, quę hic ab Arist. dicta sunt in Tex. 23. dubia magna occurrunt. dixit.n. augmentationẽ, & alterationẽ non esse motus continuos, sed successiuos,

cessiuos,attamen in 6.lib.de omni motu loquens vniuersè asseruit motū esse continuum,& cuilibet parti motus respondere partem temporis,& è conuerso. Auerroes quoque in Commen.23.negat apertè augmentationem,& alterationem esse motus continuos,& reprobat sententiā Alfarabij, qui dixit ex definitione motus colligi continuitatem in omni motu; tamen exponens definitionem motus ipsemet Auerroes tertio Physic.Comm.6.clarè dicit ex definitione motus colligi cōtinuitatem motus,quod significat omnem motum esse continuum.Cùm igitur videantur,& Aristoteles,& Auerroes sibi contradicere,multa a posterioribus dicuntur ad tollendum hanc difficultatem, præsertim a Ioāne Gandauense hoc in loco, & à Suessano,& a Zimara in sua tabula sub dictione,motus, Ludouicus autē Buccaferreus putat Auerroem hac in re defendi non posse.Difficultas hæc non omnino ad hunc locum pertinere videtur,sed quoniam alij hoc in loco eā considerant, ego quoque hac de re pauca quædam dicam; & prius quidem ipsam veritatem declarabo de augmentatione,& alteratione an sint motus continui,deinde contradictionem a verbis Aristot.& Auerrois tollere conabor. Vt ab augmentatione ordiamur in primis statuendum est nos de vera augmentatione loqui, quæ viuentiū propria est.hæc enim est,quæ in speciebus motus numeratur, non illa, quæ est solum appositio,vel aliæ,si quę sunt, impropriè dictæ augmentationes. Hæc igitur augmentatio vt aliàs docuimus in primo libro de generatione in extensione consistit, per quam membra acquirunt maiorem quantitatem, non fit autem extensio nisi præcedat conuersio vltimi alimenti replentis poros in substantiam cuiusque partis,quæ conuersio supponit aliàs præcedentis coctiones eiusdem alimenti, videlicet, in uentriculo, & in hepate, & eiusdem distributionem per venas ad omnes corporis partes; cum igitur augmentationis essentia consistat in extensione membrorum, quæ supponit plures alterationes, tum in accidentibus, tum substantiales, manifestum est ꝙ viuentia corpora dum augentur, quod fit ab ortu vsque ad ætatem consistentię non continuè augentur,quoniā extensio non potest esse vna continua vsque ad ętatem cōsistentię, sed habet interpositas multas alias intermedias mutationes, sine quibus extensio non fieret, proinde tota cuiusque viuentis augmentatio est aggregatum plurium extensionum non continuatarum inter se. Quare tota rei veritas tribus dictis continetur, unum est, si sumatur tota vnius viuentis augmentatio, quæ incipiens ab ortu terminatur ad ætatem consistentiæ, hęc non est vnus continuus motus, quia non est vna continua extensio, sed aggregatum plurium extensionum, seu plurium distinctarum augmentationum, inter quas sunt media tempora quietum, in quibus nulla fit extensio, ut ex dictis patet, nam singula particularis extensio supponit propriam generationem substantialem, generatio autem generationi continuari non potest,quia fit in instanti, & instans instanti non continuatur,ut Aristoteles docet in sexto libro Physicorum, attamen si apparentiam sequamur videtur tota vnius indiuidui augmentatio, ut animalis, uel plantæ, esse unius continuus motus ab initio usque ad finem, quia singulas distinctas extensiones non deprehendimus. Aduertendum autem quòd cum ratio, qua nunc vsi sumus sit Auerrois hoc in loco, Suessanus, & plerique alij perperam verba Auerrois intelligunt, uidentes enim Auerroem dicere augmentationem non esse continuam, quia instans instanti non continuatur, putant sententiam Auerrois esse quòd augmentatio sit formaliter ipsamet aggeneratio, idest, mutatio vltimi alimenti in substantiam. Hæc enim in instanti fit, hoc tamen verum non est, neque hæc est mens Auerrois, qui putauit augmentationem formaliter esse extensionem, non aggenerationem, nisi antecedenter,quia pręcedit aggeneratio extensionē,ideo Auerroes argumentatur

ab aggeneratione præcedente ad extensionem sequentem, & ex eo quod aggeneratio aggenerationi sequenti nō continuatur, cum utraque in instanti fiat, uult inferri, quod neque una extensio alteri extensioni continuari potest, sed hac de re plura diximus in quæstione in primo libro de generatione. Patet igitur totam & perfectam alicuius rei augmentationem non esse unum continuum motum, sed aggregatum multorum motuum, esse tamen successiuam, quia post unam extensionem succedit alia interposito aliquo tempore, nam quantitas est diuisibilis, & acquiri potest pars post partem, quod de forma substantiali dicere non possumus, hæc enim in instanti tota simul acquiritur. Secundum dictum, si augmentatio sumatur pro una tantum partiali extensione, hæc non fit in instanti, sed in tempore, licet breuissimo, proinde est motus continuus, hoc autem satis sit unico argumento probare, non fit extensio sine motu locali annexo, simul enim acquiritur maior locus, ut ait Aristoteles primo Libro de generatione textu Vigesimoquinto, at motus localis est uerè continuus, & in tempore fit, ergo etiam illa extensio est motus continuus ad maiorem quantitatem, hæc uidetur mens Auerrois esse, qui quamuis dicat solum motum localem reuera esse continuum, tamen in fine commentarij inquit quòd in alijs motibus in quibusdam est possibile ut continuatio sit, non tamen in omnibus, quare non omnino putat impossibilem esse in alijs motibus continuitatem, quando autem dicit solum motum localem esse continuum, aliorum autem nullum, sumit augmentationem prout ab omnibus communiter sumi solet, pro totali augmentatione, unius autem corporis una putatur esse augmentatio ab initio ad finem; sed augmentationem partialem, quæ illius quædam particula est, non negaret Auerroes esse unum continuum motum, & in tempore factum. Demum tertium dictum est, si augmentatio sumatur pro una partiali extensione una cum præcedentibus alterationibus, & mutationibus, quæ ipsius gratia fiunt, & ad eam diriguntur, manifestum est hanc non esse unum continuum motum, sed aggregatum multarum mutationum specie quoque distinctarum quæ simul continuari nullo pacto possunt, quomodo igitur augmentatio sit unus continuus motus, & quomodo non sit manifestum est.

De alteratione uerò maior est difficultas, nam multi dicunt eam esse motum continuum, inter quos etiam præcipui Auerroistæ Burlæus, Ioannes Gandauensis, & Zimara, qui eam Auerrois sententiam fuisse efficaciter tuentur, contra uerò Suessanus inquit alterationem non esse continuam, sed solum successiuam, quam sententiam ego puto esse ueriorem; missam hanc in re faciam omnem disputationem, solum adduco, ac declaro fundamentum, quo innititur Suessanus, idque ex doctrina Auerrois colligit, quod est, omnis forma prout ab agente producitur est indiuisibilis, nec solum forma de prædicamento substantiæ, sed etiam forma de prædicamento qualitatis, quia omne agens educens formam de potentia ad actum in instanti eam adducit, subito enim producit id, quod producere potest, cum hac tamen differentia quod forma substantialis est simpliciter indiuisibilis, & tota simul educi debet, quando factæ sunt debitę pręparationes ut educi posit, non enim recipit magis & minus, quare non potest pars post partem educi; at qualitas est diuisibilis intensiue in gradus, quia recipit magis, & minus, ideò potest non tota simul acquiri, sed gradus post gradum, seu pars gradus post aliam partem, ut uidemus contingere in aqua calefacta ab igne, non enim totus simul calor producitur ab agente, sed pars post partem, attamen in hoc conueniunt hę omnes formę prout ab agēte producuntur, quod seu totam simul, seu partem post partem producat agens in instanti producit id, quod producit, quod adhuc clarius

fit

fit dum consideramus quòd hæc productio nil aliud est quàm eductio de potentia materię ad actum. necesse est enim aliquod determinatum educi, & non solum non est possibile, sed nec excogitabile quidem quod ista eductio sit continua, aliud tamen est loqui de motu locali, quia per eum non educitur forma de potentia materiæ, sed acquiritur terminus externus, nempè, locus, quare potest res tendere continuè ad locum, sed de forma educta, si benè consideremus est impossibile eam continuè de potentia ad actum educi; quamuis.n. forma de prædicamento qualitatis secundum se considerata sit diuisibilis intensiuè, attamen prout actu ab agente producitur necesse est determinatam esse partem, seu gradum, qui totus simul ab agente producatur, licèt etiam minor pars educi potuisset, sicut etiam poterat educi maior, prout agens potentius est, uel minus potens, hanc distinctionem ponit hic Auerroes dicens, aliud est considerare motum secundum partes potentiales, idest, quas habet potestate ut continuus, aliud est ipsum considerare prout actu productũ ab agente, quæ distinctio locum habet in omni continuo, quod dicatur produci: partes enim potentiales sunt infinitæ in omni continuo, at partes actu productæ ab agente una post aliam sunt finitæ, quarum singula, licet diuisibilis secundum se in alias tota simul producitur, nam si singulas potentiales partes oporteret unã post aliam acquiri actu esset impossibilis motus, quia est impossibile pertransire infinita, & quod dicimus de diuisione continui, idem dicimus de diuisione qualitatis intensiua, quæ fit in gradus: si igitur determinatus est gradus qualitatis, quem totum simul imprimit agens, patet quod eius impressio est distincta, ab alia impressione alterius sequentis, gradus, nec potest hæc illi continuari, quare alteratio non est continua modo aliquo, videlicet, nec tota, hæc enim est successiua, non continua, nec pars, quæ est vna alicuius gradus impressio, seu eductio, hęc enim fit in instanti. Notandum hic est argumentum Marci Antonij Genuæ in sua disputatione in tertio Libro Physicorum in declaranda definitione motus, quod tale est, agens alterans si dicatur alterare per minimos gradus certe antequam primum gradum exempli gratia caloris introducat maiorem habet resistentiam in patiente quam introducto illo primo gradu, quia maiorem habet contrarietatem ante quam post, nam postea patiens factum est remissius, & agenti similius, ergo si cum maiori resistentia introduxit primum gradum magis introducet alium post primum, ergo nulla est ratio cur quiescat post primi gradus introductionem, ergo necesse est alterationem esse continuam: hoc argumentum ipse putauit demonstrare, & dixit se illius solutionem unquam ne in circulis quidem publicis inuenire potuisse. Ego tamen puto facile per ea, quæ hic dicuntur, posse ad illud responderi; dico enim continuam esse non posse alterationem ob rationem hic declaratam, sed pugnam esse modo longiorem, modo breuiorem, antequam enim primus gradus inducatur maior resistentia fecit ut diuturnior pugna illam primi gradus introductionem præcesserit, eo autem introducto minor fit resistentia a patiente, aliqua tamen fit, eaque facit, ut post minus tempus introducatur, secundus gradus, differentia ergo resistentiæ facit solum differentiam in duratione pugnæ, maior enim resistentia facit maiorem durationem, & minor minorem. Addit autem quoddam Suessanus, quod mihi non satis probatur, inquit enim alterationem fieri per minima qualitatis successiuè acquisita, eo quod licet qualitas sit diuisibilis intensiuè in infinitum secundum se sumpta sicut etiam quantitas extensiuè, tamen prout existunt in rebus naturalibus sunt determinatæ ad minimum, quo non posset existere minus, acquiruntur igitur ambæ per minima. Hæc tamen sententia mihi non probatur, quia manifestè repugnat experientiæ, quia datur maior, & minor calefactio pro diuersa uirtute agen-

tis, quare agens potest in instanti producere non solum minimum, quod dari possit, sed etiam maius illo, & multo etiam maius, ubi enim magis præualet patienti ob minorem patientis resistentiam ibi maiorem gradum educit, immò etiam quandoque totam simul qualitatem producit, quando nulla est resistentia ut putet in alteratione subita, nam corpus lucidum producit in aere in instanti totum id lumen, quod producere potest, neque propterea semper lumen productum eiusdem est gradus, sed modò maius, modo minus, pro diuersa uirtute agentis, quia omne agens agit quantum agere potest non ultra, sic igitur dicendum est etiam in illa alteratione, quæ est successiua, nam ex diuersitate excessus agentis supra patiens fit etiam diuersitas in gradibus in instanti acquisitis nam modo maiores, modo minores acquiruntur, quantum enim agens per pugnam vincit resistentiæ patientis, & eam remouet tantum qualitatis producit, ob id quando qualitas habet contrarium non potest agens in primo statim congressu aliquid imprimere, sed post aliquantam pugnam; hoc autem ualde comprobatur exemplo illo Aristotelis de guttis cauantibus lapidem, non enim verum est quòd prima pars lapidis reiecta a tot guttis sit minima quæ existere possit, sed posset dari minor, illa tamen tota simul fuit reiecta a guttis, nisi intelligamus minima actualia respectu totius qualitatis, uel quantitatis producendæ. hoc enim modo uerum est, quod omnis augmentatio, & omnis alteratio fit per minima, singulum enim illorum est minimum, quod actu acquiratur, licet non semper sit æquale in omnibus; hoc modo uerum est dictum Suessani quod alteratio fit per minimos gradus qualitatis, sed non est verum de minimis simpliciter, qui dari possint, in quo sensu uidetur ipse hoc protulisse. Ex dictis tres de alteratione conclusiones colligo iam declaratas, una est si sumatur alteratio partialis, qua singulus qualitatis gradus imprimitur, hæc non est motus sed mutatio subita. Secunda quæstio est, si sumatur tota simul alteratio a principio usque ad finem, prout est aggregatum multarum productionum omnium graduum, hæc non est motus continuus uera continuitate, sed successiuus, qui non fit in instanti, sed in tempore, quia inter duas productiones duorum graduum est tempus medium. Tertia conclusio est, si sumatur aggregatum non modo omnium partialium impressionum, sed etiam pugnæ agentis cum patiente tota alteratio est continua, tamen propriè loquendo non est motus, pugna enim nil aliud est quam conatus agentis contra patiens, & resistentia patientis aduersus agens, motus tamen non dicitur, quia patiens tunc nihil acquirit, acquirit autem quando in eo gradus imprimuntur, pugna itaque continua est, at non continuus motus, sed potius successiuus, quia successiua est graduum acquisitio. Hanc puto esse rei ueritatem de continuitate augmentationis, & alterationis, restat ut soluamus contradictionem in dictis, tum Aristotelis, tum Auerrois. Quod ad Aristotelem attinet puto solutionem ex ijs quæ ante dicta sunt, petendam esse, in hac enim distinctione consistit, aliud est motum secundum se considerare, ut accidens naturale, aliud est ipsum considerare, ut actu productum in rebus naturalibus, ipsum quidem secundum se si consideremus non repugnat ei continuitas, & diuisio in infinitum, sicuti etiam formæ fluenti, nempe, quantitati, & qualitati, & hæc consideratio est cum abstractione ab actuali existentia, ac productione motus; huiusmodi fuit consideratio Aristotelis in tertio Physicorum in definiendo motu, & in sexto in tractando de ipsius continuitate, ideò diximus antea quòd consideratio motus in præcedentibus libris fuit abstracta quodammodo, quare quæ ibi dicuntur de motu secundum hãc considerationem uera sunt; at si motum consideremus ut actu productum in rebus naturalibus, necesse est ut aliqua pars formę fluentis, licèt diuisibilis in minores, tamen

men

men tota simul acquiratur, hoc.n.negare est omnino negare motum, quia diuisio in partes actu infinitas impossibilis est; simile namque est id, quod dicitur, corpori naturali & motui, & omni continuo, quatenus continuum est, competit diuisibilitas in infinitum, sed dum actu fit ista diuisio, necesse est eam terminari ad minimum, quod in alia diuidi non potest, quia destrueretur. Declaremus hoc in ipso augmentationis motu, quantitas est prędicamentum diuisibile, cui non repugnat diuisio in infinitum, ideò augmentationi quantitatis secundum se non repugnat continuitas a principio vsque ad finem, quemadmodum enim videmus utrem inflari, & crescere continuè vsque ad finem inflationis, ita quantitati corporum viuentium non est impossibile augeri continuè vsque ad ætatem perfectã, si modo illa, quæ huic augmentationi necessaria sunt, istam continuitatem admitterent, ut reuera non admittunt, vt enim applicatur augmentatio viuente corpori non potest esse tota continua, quia necesse est vt fiat ex alimento extrinsecus accedente, & per multas alterationes in substantiam conuerso, & per omnia membra distributo, quas omnes alterationes, & motus sequitur extensio membrorum, quæ est augmentatio, non potest autem extensio esse continua, quia non semper adest alimentum conuersum, sed post vnam extensionem necesse est interponi tempus, quo aliud alimentum sumatur, & similiter alteretur, & distribuatur, & in substantiam conuertatur, ut postea alia extensio fiat. Sic etiam qualitas cum recipiat magis, & minus, potest intendi continuè, dum secundùm se consideratur, hoc enim nullo pacto ei repugnat, sed prout fit a tali agente, & in tali recipiente non potest fieri continuè, impeditur enim continuitas a resistentia patientis, immò & ab ipsa rei natura, quia necesse est aliquem esse gradum qualitatis, qui simul totus producatur, licèt partes minores habeat; in hoc igitur loco considerans Aristoteles alterationem & augmentationem, prout actu fiunt in rebus naturalibus, negat eas esse continuas, alibi vero eas secundum se considerans, ut motus, & factas in prædicamento diuisibili, dixit esse continuas, & omnem motum esse continuum, quia motui non repugnat continuitas, licèt postea hęc impediatur a rerum naturis, & pro continuitate fiat successio, quæ satis seruat naturam motus, cum fiat in tempore, & præseferat speciem quandam continuitatis, quod degeneratione substantiali dicere non possumus, cum enim forma substantialis non sit diuisibilis ipsius acquisitio neque continua est, neque successiua, sed fit in instanti, quare nullo modo est motus; hæc admittere minus dubitabimus si considerauimus motum non esse quid commune vniuocum, sed analogum, & diuersis modis prædicari de locali, qui est præcipuum analogatum, & de alijs motibus, ideò sat est si perfectè seruetur natura motus in motu locali, qui verè continuus est, cum hic non modò principalissimus motus sit, sed etiam communissimus omnium. In alteratione autem, & augmentatione seruatur natura motus imperfectè, ac diminutè, quia loco continuitatis habent successionem; in generatione verò nullo modo, quia non fit in tempore. Eodem pacto tollitur contradictio in verbis Auerrois, qui in commentario sexto tertij Physicorum dicit ex definitione motus colligi continuitatem in motu. hic autem inquit errasse Alfarabium dicentem ex definitione motus colligi continuitatem motus, cum nullus sit motus continuus, nisi localis; quod enim sibi non contradicat Auerroes, patet in eodem Commentario sexto tertij Physicorum, postquam enim dixerat quòd ex definitione motus sumitur continuitas motus, postea subiungit quòd in alteratione & augmentatione non est reuera continuitas a principio ad finem, sed dicimus hos esse motus continuos, quia ita esse videntur, quo fit vt de ipsis idem iudicemus, quod de motu locali; quare apertè dicit eos esse continuos secundùm apparentiam, &

opinionem,

opinionem, non secundùm veritatem; de continuitate autem an ex definitione motus colligatur iam diximus quòd colligitur, sed secundùm considerationem motus vniuersalem, & abstractam, ut iam declarauimus, sic enim competit motui continuitas, & quòd hæc sit mens Aristotelis in eo loco patet legentibus eius verba, dicit enim eam definitionem esse communem omni motui, tàm nouo, quàm æterno, postea subiungit quòd ex ea sumitur continuitas in motu, quia motui secundum se sumpto conuenit continuitas: hic autem in Commentario vigesimo tertio contra Alfarabium dicit non esse verum quòd ex definitione motus in uniuersali sequatur continuitas in omni motu, significare volens non esse verum quòd ex definitione motus tradita in uniuersali sequatur continuitas in quolibet motu existente actu in rebus naturalibus, nam continuitas competit quidem ipsi naturæ motus secundum se, sed impeditur ab alijs, quæ ad productionem motus necessario concurrunt, videlicet, a natura mouentis, & mobilis, sicut prædiximus, debemus præterea apud Auerroem in multis locis notare, præcipuè verò in hoc Commentario vigesimotertio huius octaui, & in illo Commentario sexto tertij libri id, quod paulo ante dicebamus, quòd motus communiter sumptus præcipuè significat localem, ideò ea, quæ dicuntur ab Aristotele de motu in communi, debent præcipuè ad motum localem referri, proinde satis est si in hoc solo verè saluetur continuitas, in alijs verò sit successio loco continuitatis; immo dicere etiam possumus quòd omnes alij motus habent veram continuitatem a motu locali, nam motus cœli metitur omnes alios motus, ideò alteratio, & augmentatio possunt dici continuæ, quatenus mensurantur a motu cœli, qui verè continuus est, hoc autem confirmatur considerando ea, quæ in his libris dicuntur ab Aristotele de motu in communi, ea namque omnia vel competunt soli motui locali, vel alijs diminutè, non perfectè, sed soli locali perfecti, qui ea quoque ratione præcipuè consideratur in his libris, quoniam est communissimus motus omnium corporum naturalium, hi namque octo libri sunt de rebus, quæ communiter competunt omnibus rebus naturalibus.

[At verò neque alia quidem contingit semper quiescere, alia verò semper moueri.] Duobus membris confutatis, confutat hic tertium membrum, quo duo tantum entium genera ponantur, videlicet, semper mota, & semper quiescentia, & nulla sint quæ quandoque moueantur, & quandoque quiescant; inquit primo quòd eadem ratione confutatur membrum hoc, qua duo alia confutata fuere, nempè, exemplis sensilibus, videmus enim multa esse, quæ simul, & mobilia, & quiescibilia sunt, & quandoque mouentur, quandoque quiescunt, ideò aduersas quòd quando Aristoteles dicit [videmus enim in eisdem fieri dictas mutationes] ipsam quietem non vocari mutationem, sed transitum de quiete ad motum in eadem re, & de motu ad quietem hic appellari mutationes; deinde quando dicit, [& ad hæc] aliam ad idem refellendum rationem adducit, quæ similiter a sensu ducitur, dogma hoc de medio tollit augmentationem, & violentum motum, & generationem, & corruptionem, quę tamen sunt manifesta sensui, ergo reijciendum est; quod destruat augmentationem Aristoteles non probat, tum quia iam ostenderat eam non esse motum continuum, sed interruptum pluribus quietibus medijs, quo fit, ut res quæ augetur quandoque moueatur, & quandoque quiescat; tum etiam, quia per se manifestum est, ea, quæ augentur, non semper augeri, plantæ namque, & animalia per certum tempus augentur, donec ad perfectam ætatem perueniant, posteà non amplius, sed potius decrescunt, igitur quandoque mouentur hoc motu, & quandoque quiescunt; sic arbitror esse intelligendum; non ut Simplicius putat, qui dicit Aristotelem probare de augmentatione

ex motu

ex motu uiolento, sine quo non fit augmentatio, tollitur enim per hoc membrum motus violentus, ut mox ostendetur, sublato autem motu uiolento aufertur augmentatio, quia hæc non fit nisi cibus, qui grauis est, ad superiores quoque corporis partes ascendat, qui est motus uiolentus. Sed hæc interpretatio mihi non probatur, quia non patet sensui quod in augmentatione cibus ascendat; & præterea ascensus cibi non est uiolentus animali, quatenus animal est, sed potius naturalis, quemadmodum & ambulatio, licèt corpus animalis graue sit, spectanda enim est forma, cui hæ operationes attribuuntur, non materia. Motus autem violentus tollitur, quia id mouetur violenter, quod prius in suo loco naturaliter quiescebat, id enim dicimus violenter moueri, quod abstrahitur a loco naturali, in quo quiescit, ergo motus uiolentus supponit quietem naturalem; omne igitur, quod mouetur motu uiolento, quandoque mouetur, quandoque quiescit. Tollit præterea dogma hoc generationem, & corruptionem, quæ vel sunt motus, uel non fiunt sine motu, nam id, quod generatur, non est semper in motu, & in fieri, sed postquàm est genitum non generatur amplius, sed quiescit a motu generationis, ita id, quod corrumpitur, mouetur dum corrumpitur, sed postquàm est corruptum desinit moueri, & priusquàm corrumperetur quiescebat, multa enim patet esse corruptibilia, quæ nondum corrumpuntur, ergo qui negat eandem rem & moueri, & quiescere, negat generationem & corruptionem; ex hoc autem infert Aristoteles quòd ille idem negat uniuersaliter omnem motum, adeò ut hæc positio seipsam destruat; dicere enim non dari nisi res semper motas, & res semper quiescentes, est negare omnem motum, quod Aristoteles probat tali Syllogismo, omnis motus est generatio, & corruptio quædam, & hæc positio tollit omnem generationem, & corruptionem, ergo hæc positio tollit omnem motum, in quo Syllogismo minor non est affirmatiua, ut uidetur, sed negatiua, & ita conclusio negatiua; minor iam probata est. maiorem ponit Aristoteles quando inquit. [ferè autem & ipsum moueri,] deinde eam probat quando dicit [in quod enim mutatur.] Videtur ita formandus Syllogismus, omnis generatio per hanc positionem aufertur, omnis motus est generatio quædam, ergo omnis motus per hanc positionem aufertur. Maiorem prius posuit. Minorem ponit quando inquit [ferè autem] & eam pariter probat quando inquit [in quod enim mutatur] notandum autem quòd illa dictio [ferè] relictis alijs expositionibus est coniungenda illis duobus uerbis [fieri quippiam, & corrumpi,] ut sensus sit, etiam ipsam moueri uniuersaliter sumptum uidetur omnibus esse quoddam generari, & corrumpi, non enim omne moueri est propriè ac omninò fieri, sed ferè & modo quodam, quod Aristoteles statim declarat ex natura ipsius motus, nam in formali sensu huius uerbi, moueri, includitur quod aliquid deseritur, & aliquid acquiritur, omnis enim motus est a termino a quo ad terminum ad quem. omnis igitur motus est corruptio quædam ratione termini a quo, qui deseritur, & generatio ratione termini ad quem qui acquiritur; notandum autem quòd Aristoteles de generatione loquens, hoc est de termino ad quem, dicit, [fit hoc, aut in hoc] deinde de termino a quo, & de corruptione inquit [corrumpitur hoc aut hinc,] denotans differentiam inter motum localem, & alios motus, alij namque præter localem magis propriè dicuntur generationes, & corruptiones, ijs enim acquiritur aliquid absolutum, ut quantitas, uel qualitas, & similiter deseritur aliquid absolutum; ideò in ijs utimur casu recto, dicentes hoc fit tricubitum, illud fit album, corrumpitur bicubitum, corrumpitur nigrum; motu autem locali nihil amittitur absolutum, nihil absolutum acquiritur, sed est solum ab hoc ubi ad illud ubi, quod significat respectum rei ad locum ideo, non dicimus quòd res fiat locus ille, sed

quod

quod fiat in illo loco, nec dicimus quòd corrumpatur aliquid, sed quòd corrumpatur ex aliquo, idest, recedat ab aliquo loco, & desinat esse in illo, quæ est corruptio quædam.

Textus Vigesimus Quintus.

Quare manifestum est quod alia quidem mouentur, alia vero quiescunt. censere autem omnia aliquando quidem quiescere, aliquando uero moueri, hoc iam coniungendum est ad olim dictas rationes. Principium autem rursus idem faciendum est a nunc determinatis, a quo quidem incapimus prius.



IS verbis addere debemus [quandoque] iuxta Græcam literam, in qua legitur dictio ἐνίοτε, quæ in latino Codice desideratur; quare uerba hæc sunt annectenda textui præcedenti, quia sunt conclusio ex dictis illata, hactenus enim refutata sunt tria membra falsa, unum quo dicebatur omnia semper quiescere; secundum quo dicebatur omnia semper moueri, & Tertium quo dicebatur alia semper quiescere, & alia semper moueri. horum enim membrorum quolibet aufertur, seu negatur illud entium genus, quod est particeps motus, & quietis. Ex illorum igitur membrorum confutatione concludit his verbis Aristoteles dari hoc entium genus, quod participat motu, & quiete, horum enim uerborum sensus hic est, quare manifestum est dari res, quæ aliquando mouentur, & aliquando quiescunt. Postea verò quando dicit [Censere autem omnia aliquando quidem quiescere, aliquando autem moueri] adducit quartum membrum similiter falsum, & confutandum, quo dicitur omnia esse eiusmodi, ut quandoque moueantur, & quandoque quiescant, hoc enim membro negantur entia semper mota, & entia semper quiescentia, hoc tamen membrum non erit ita facile confutare ut alia memorata, ideò videns Aristoteles opus esse altiore, & longiore contemplatione inquit satis esse si in præsentia hoc coniungatur cum rationibus olim factis; sed quid intelligat per [olim dictas rationes] dubium est. Aliqui dicunt Aristotelem significare rationes proximè adductas ad alia membra confutanda, quæ sententia approbanda non est, cum Arist. dicat τοὺς πάλαι λόγους non potest significare rationes proximè factas, sed multo prius, & in loco aliquo remoto; cum præsertim sequentibus uerbis dicat [a nunc determinatis] significans in Textu Vigesimoprimo, contradistinguit enim nunc ab olim, quare non potest dicens, olim, significare post Textum Vigesimumprimum, sed ante; notanda enim est aduersatiua, quando dicit [principium autem] significat hanc contradistinctionem; præterea secundum hanc interpretationem significatur potius confirmatio huius quarti membri, quam impugnatio, nam rationes confutantes alia tria membra confirmant potius hoc quartum quam infirment, attamen Aristoteles potius denotare uult confutationem quam confirmationem. Auerroes dicit denotari ea, quę dicta sunt in quinto, sexto, septimo Physicorum de motu, sed non minus hæc sententia reijcienda uidetur, quia licet in ijs Libris sermo habitus sit de motu, nihil tamen dictum est de eius æternitate, neque an dentur aliqua semper mota, aut semper quiescentia, quare nihil in præcedentibus Libris dictum est, quo improbari possit membrum hoc, quo asseritur omnia esse eiusmodi, ut possint moueri, & quiescere.

quiescere. Ego dicendum puto Aristotelem significare rationes in principio huius libri factas ad demonstrandam æternitatem motus, cum enim intentio Aristotelis ibi fuerit demonstrare æternitatem unius motus continui, ideò ijs argumentis membrum hoc impugnatur, quo dicitur omnia esse eiusmodi vt possit moueri, & quiescere, cum inde pateat dari corpus aliquod naturale, quod semper mouetur. sensus ergo omnium horum verborum hic est, hoc quoque membrum est falsum, quo dicitur omnia posse moueri, & posse quiescere, sed quoniam ad hoc impugnandum prolixa opus est contemplatione, ideò ipsum in præsentia conferamus cum argumentis in principio huius libri factis, ad probandam æternitatem motus, sit enim falsum esse apparebit. Verùm quia per rationes illas confusa tantum huius rei cognitio habetur, ideò vt eam distinctius cognoscamus [principium faciendum est a nunc determinatis, a quo incępimus prius] idest, sumamus iterum idem exordium, quod paulo ante sumpsimus in textu vigesimoprimo, mox enim statim repetit diuisionem illam, quam in eo loco fecerat, & longam faciet considerationem ad membrum hoc impugnandum. ostendet enim dari aliqua, quæ semper mouentur,& aliqua, quæ semper immobilia sunt. Est hic cognoscenda ratio cur non ita facile sit hoc quartum membrum impugnare, ut alia tria iam impugnata,tangit hanc rationem Auerroes hic, eaque est, quia cum tria sint entium genera in mundo, semper mota, semper immobilia, & participantia quiete, & motu, vnum tantum horum est, quod sensu percipiatur, videlicet, dari res participes motus & quietis, alia autem duo ignorantur, & sola ratione cognosci possunt;ideò tria prius impugnata membra cum negent tertium entium genus, fuerunt manifeste falsa, & facilem habuerunt impugnationem per testimonium sensus, quo patet dari res, quæ quandoque mouentur, quandoque quiescunt. Quartum autem membrum quo negantur res semper motæ, & res semper quiescentes, non potest amplius impugnari testimonio sensus, sed potius confirmatur, cum sensu non percipiantur res semper motæ, neque res semper quiescentes, sed res solùm, quæ mouentur, & quiescunt: propterea labore multo maiore opus erit ad hoc quartum membrum confutandum, & eius confutatio erit simul probatio quinti membri, & demonstratio propositi principalis Aristotelis in hoc libro, cum enim per se notum sit dari res participes motus, & quietis. Aristoteles demonstrabit dari etiam res semper motas, & res semper quiescentes, & ita inueniet veritatem quinti membri, quo tria illa entium genera statuuntur, & simul cognita erit æternitas motus unius continui per suam causam, quæ est primus æternus motor immobilis.

Textus Vigesimussextus.

Aut enim omnia quiescunt, aut omnia mouentur, aut eorum. quæ sunt, hæc quidem quiescunt, hæc autem mouentur. Et si eorum, quæ sunt alia quidem quiescunt, alia vero mouentur, necesse est aut omnia aliquando quidem quiescere, aliquando verò moueri, aut ipsorum quædam quidem semper quiescere, alia verò semper moueri; alia autem aliquando quidem quiescere, aliquando verò mouere. Quod igitur non possibile sit omnia quiescere dictum quidem est & prius, dicamus autem, & nunc. Et si enim secundum

dum

dum veritatem sic se habet, sicut quidam dicunt, esse id quod est infinitum, & immobile attamen non uidetur aliquid secundum sensum, sed mouentur multa eorum, quæ sunt. Si igitur sit opinio falsa, aut omnino opinio, & motus est, & si imaginatio sit, & si aliquando quidem sic uideatur esse, aliquando autem aliter; imaginatio enim, & opinio motus, quidam esse uidentur. Sed de hoc quidem considerare, & quærere rationem eorum, quæ melius habemus, quam si ratione indigeremus male iudicare est id quod melius est, & peius, & credibile, & non credibile & principium, & non principium. Similiter autem impoßibile est, & omnia moueri, aut alia quidem semper moueri, alia uerò semper quiescere. Ad omnia enim hæc sufficiens est una fides. uidemus enim quædam aliquando quidem moueri aliquando quidem quiescere. Quare manifestum est, quod impoßibile sit similiter omnia quiescere, & omnia moueri continue, eò quod alia quidem semper mouentur, alia uerò quiescunt semper.


ESVMIT (ut prædiximus) diuisionem factam in textu vigesimoprimo, quæ fuit trimembris, uel enim sola quies in rebus datur, & nunquam motus, vel solus motus, & nunquam quies, vel ambo; deinde hoc tertium membrum subdiuidit in tria, ut etiam ibi fecit, si enim res & mouentur, & quiescunt, vel quæ mouentur semper mouentur, & quæ quiescunt semper quiescunt; vel omnia sunt eiusmodi ut possint, & moueri, & quiescere; vel dantur hæc tria entium genera, semper quiescentia, & semper mota, & participantia quiete, ac motu, quod solum est membrum verum; primum tamen huius subdiuisionis membrum hic ab Aristotele breuitatis gratia prætermittitur, sed paulo inferius in hoc eodem contextu mentionem eius faciet, & dicet illud ijsdem argumentis confutari, quibus duo alia primæ diuisionis membra confutantur, habent enim hęc omnia contra se testimonium sensus. Hac igitur diuisione repetita Aristoteles sumit primum membrum, quo dicitur omnia semper quiescere, & inquit hoc fuisse iam confutatum ut falsum, se tamen hic velle aduersus idem nouam rationem adducere, quod quidem faciet propter Melissum, qui dixit unum esse ens, idque infinitum, & immobile, proinde negauit motum, quia tamen videbat sensum iudicare quòd detur motus dicebat sensum decipi, propterea quod secundùm rei veritatem nullum ens mouetur; intelligebat autem Melissus nomine entis summum ens, Deum, alia namque vocabat non entia, quare verum dicebat quòd ens non mouetur, quia quæ sensus iudicat non moueri non sunt entia, sed apparent esse, cum non sint. Aristoteles igitur qui prius hanc positionem quòd omnia semper quiescant absolutè confutauerat, idque solo testimonio sensus, nunc vult contra eandem afferre nouum argumentum, non aliunde tamen acceptum, nisi ex ipsiusmet Melissi dictis, non enim posset Aristoteles absolutè probare dari motum ulla ratione, sed ostendere potest quòd ipse Melissus dum motum negat, motum tamen in rebus ponit, fortasse autem hanc ob causam Aristoteles hic sententiæ Melissi mentionē

facere

facere uoluit,ut poneret nobis ante oculos opinionē de uno ente immobili,de quo in sequentibus dicturus est, quasi nos excitare uolens ad considerationem primi motoris immobilis. Argumentatio autem Arist. contra Melissum talis est, inquit Melissus homines falsam habere de motu opinionem quòd sit, ergo concedit opinionem,at qui opinio,seu uera,seu falsa sit,est motus quidam,ergo concedit motū dum motum negat,similiter dicendum est si non opinionem, sed imaginationē esse asserat illam,quam homines de motu habent, nam etiam imaginatio est motus quidam,quomodo autem Arist. intelligat opinionem & imaginationem esse motus,possumus duobus modis interpretari,uel.n.dicit ipsasmet opinionem,& imaginationem esse motus,sunt.n.motus quidem animales,& phantastici,& Arist.satis est Melissum ad hoc compellere ut aliquem in rebus motum fateatur,seu realē, seu phantasticum & spiritalem,vel verū realem motum intelligit opinio.n.& imaginatio,licèt reales motus non sint,tamen realem notum pręsupponunt,non fit.n. opinio,neque imaginatio sine sensu externo,quia nihil esse potest in intellectu,uel in sensibus internis,quòd in externo sensu prius nō fuerit,imaginatio.n.est motus factus a sensu externo, operatio autem sensus externi est motus factus ab obiecto reali extrinseco, nullo enim obiecto mouente nulla fit sensatio, ergo cum sensatio fiat noua,quæ prius non fuit,necesse est aliquem realem motum sensationi pręcessisse, quo motum sit uel sentiens, uel obiectum sensile, uel aliquid alíud, si.n.nunc sensus non sentit non incipiet vnquam sentire, nisi nouus aliquis motus fiat; opinio igitur supponit imaginationem,imaginatio supponit sensationem,hęc supponit motionem factam ab obiecto externo,& hæc supponit uerum aliquem motum realem,nam si sensatio est noua cur prius non fuit? Si namque omnia essent immobilia, & sensus nunc non sentiret, certè nunquam non inciperet sentire: Aristoteles autem rectè dicit [motus quidam esse uidentur] non dicit esse absolutè motus, quia si intelligit opinionem & imaginationem esse motus spiritales non sunt absolutè,ac uerè motus,sed motus quidam;si etiam intelligat quòd supponūt factum uerum motum rectè dicuntur motus quidam,quia non sunt formaliter motus,sed solum antecedenter,quia præsupponunt motum. Hæc est ratio Aristotelis debilis (ut Auerroes ait) quia non probat directè motum dari neque.n.id probare liceret,sed solum ualet ad hominem,ut patet. Ideò dimittens hanc disputationem Arist.tanquàm de re manifestas,& quodammodo seipsum corrigens subiungit uanum esse quærere rationem ad probandum motum, quia in iudicanda re sensili non debemus neglecto testimonio sensus quærere rationem. sicut etiam in Textu vigesimosecundo dictum est. hoc enim indicat infirmitatem intellectus,non ualentis distinguere id,quod est melius ab eo,quod est peius,& credibile a non credibili & principium a non principio,in rę.n.sensili melius est uti testimonio sensus quā ratione,idque est magis credibile quam ratio,& habet magis rationem principij, quoniam cognitio sensitiua est primum principium omnis intellectualis cognitionis,& ab ea omnis ratio pendet,in re igitur sensili præferre rationem sensui est magis credere non principio quam principio, & rei per se cognoscibili, quàm rei cognoscibili per aliud. Postea subiungit ꝙ sicuti satis superque testimonio sensus infringitur hoc membrum,quo dicitur nihil moueri,ita & illud, quo dicitur, omnia moueri, & illud quoque, quod dicitur alia semper moueri, alia semper quiescere, quod erat primū membrum subdiuisionis superius omissum; ad hęc nāque omnia impugnanda sufficiens est (inquit Arist.) una fides,quę habetur a sensu,quia uidemus dari aliqua,quæ aliquando mouentur, & aliquando etiam quiescunt, ex qua ueritate manifesta infert Aristoteles falsa esse illa tria membra,omnia semper quiescere, omnia semper moueri, & rerum alias semper quiescere, alias semper mo-

ueri. Notandus est in postremis uerbis error Latini Codicis, ubi enim dicitur [eo quod alia quidem] legendum est [ei quod est alia quidem semper moueri, alia uero quiescere semper] datiuus enim ille casus τῷ respondet praecedenti aduerbio ὁμοίως, & sensus uerborum est, ita est impossibile omnia semper quiescere, & omnia semper moueri, & illud aliud membrum, quod est primum subdiuisionis, quo dicitur alia semper moueri, alia semper quiescere, quoniam hæc omnia conuincuntur testimonio sensus, quo ostenditur dari res, quæ quandoque mouentur, quandoque quiescunt; Textus hic uigesimussextus totas omittitur a Themistio, quia diuisio hęc ab Arist. repetitur ad doctrinę abundantiam, non quia necessariũ fuerit.

Textus Vigesimusseptimus.

Reliquum est igitur considerandum, vtrum omnia sint huiusmodi ut moueantur, & quiescant, an aliqua quidem sic, aliqua verò semper quiescant, aliqua autem semper moueantur; hoc enim demonstrandum est a nobis. Mouentium igitur, & eorum, quæ mouentur, alia quidem per accidens mouent, & mouentur; alia autem per se. Per accidens quidem ut quæcunque ex eo, quia sunt in mouentibus, aut ijs quæ mouent, & quæ per partem. Per se autem non quæcunque ex eo, quia sint in mouente, aut in eo, quòd mouetur, neque ex eo quia pars aliqua ipsorum mouet, aut mouetur. Eorum autem quæ per se, alia quidem a seipsis, alia uerò ab alio. Et alia quidem natura, alia uerò uiolentia, & præter naturam, quod enim ipsum a seipso mouetur, natura mouetur, ut unumquodque animalium mouetur enim animal ipsum a seipso, quorumcunque autem motus principium in seipsis est, hæc natura dicimus moueri, quapropter animal quidem totum natura ipsum seipsum mouet; corpus tamen contingit, & natura & præter naturam moueri, refert enim & quali motu moueatur & ex quali elemento constet. Et eorum quæ ab alio mouentur, alia quidem mouentur natura, alia uerò præter naturam. Præter naturam quidem ut terra sursum, & ignis deorsum. Amplius autem partes animalium sæpe mouentur præter naturam iuxta positiones, & motus modos.



VM cætera diuisionis membra, quæ solo testimonio sensus satis poterant improbari, iam reiecta sint, duo remanent, quorum utrum uerum sit non potest per sensum discerni, sed ratione opus est, ad alterius ueritatem, & alterius falsitatem dignoscendam: Aristoteles igitur concludit [illegible]quam esse disceptationem inter hæc duo membra quæ statim nominat, unum est, an omnia sint eiusmodi, ut possint & moueri, & quiescere, nec dentur aliqua semper mota, nec aliqua semper quiescentia; alterum est an dentur tria hęc genera entium, semper mota, semper quiescentia, & participantia quiete, & motu,

tu, quod postremum membrum inquit esse demonstrandum, quia hoc solum uerum est. Ad hoc autem demonstrandum Arist. ita procedet, res quidem participes motus, & quietis dari non probabit, quia est per se notum, ut ante dictum est, sed ad ostendendum dari entia semper immobilia declarabit longo sermone has duas propositiones, unam, ꝙ omne, quod mouetur, ab alio mouetur, alteram ꝙ in mouentibus & motis non datur processus ad infinitum, sed necesse est deuenire ad unum primum mouens, quod a nullo moueatur, proinde immobile sit. Per hanc uiam non ostenditur primum mouens esse æternum, sed solum ꝙ ad immobili necesse est reduci omnem motum, quòd autem dentur res semper motæ Arist. non omnino probabit, sed supponet probatum in principio Libri motum esse æternũ, & hanc æternitatem declarans dicet non posse motum esse æternum, nisi sit unus continuus, unde infert aliquod esse unum naturale corpus, quod semper mouetur, quoniam non est unus motus nisi unius mobilis. Ex hoc æterno motu inferet tandem quòd necesse est dari æternum motorem immobilem, & ex hoc tanquam ex proxima & æquata causa regressum faciet ad demonstrandum æternum motum in corpore naturali, & ita scientiam nobis perfectam tradet ęternitatis motus. Patet igitur quòd in cognitione ueritatis postremi diuisionis membri consistit distincta cognitio æterni motus per suam causam. Sic igitur positus nobis uidetur ante oculos totus scopus, totaque methodus, Arist. in sequenti parte, ad quẽ scopum si omnia, quæ tractanda sunt, retulerimus non difficile nobis erit in singula parte quid Arist. agat dignoscere, in hac enim, quæ mox sequitur parte, declarare uult primam illam propositionem, omne quod mouetur, ab alio mouetur, in qua uersabitur usque ad Textum Trigesimumtertium totum. Sciendum tamen est Aristotelem etiam in principio Septimi Libri probasse hanc eandem propositionem, quam hic probare uult, omne, quod mouetur, ab alio mouetur; quod quidem Interpretibus difficultatem fecit, & disceptandi occasionem dedit. Sed hac de re commodius loquemur in Textu trigesimotertio, cum prius intelligenda sit probatio Aristotelis sequens quam eam cum illa alia conferamus. Nunc supponendum nobis est Aristotelem uelle in hac parte hanc propositionem probare per inductionem, ut igitur inductionem faciat in singulis ijs, quæ mouentur, proponit in hoc textu diuisionem ipsorum, ut uideamus eorum quodlibet ab alio moueri, hoc enim fieri non poterat nisi prius ipsorum differentiæ cognoscerentur. Facit autem in hoc textu Aristoteles plures diuisiones, & singularum membra declarat, quarum prima est, quam fecit etiam in principio quinti libri clariorem, & uberiorem, ibi enim fecit eam trimembrem, hic autem facit bimembrem, quia duo illorum membrorũ confundit in unum. fuit autem eo in loco diuisio talis, quicquid mouetur uel mouetur per se, uel per partem, uel per accidens, hic uero talis, quicquid mouetur, uel mouetur per se, uel per accidens, sumit enim hic per accidens largius quàm in Quinto Libro, uidelicet, ut complectitur etiam id, quod ibi dicebatur per partem, & ut uniuersaliter distinguitur ab eo, quod per se mouetur, & hanc diuisionem applicat hic etiam mouentibus, quæ similiter alia per se mouent, alia per accidens, prout per accidens sumitur communiter, & complectitur etiam id, quod mouet per partem: moueri autem per partem aliquid dicimus quando motum partis attribuimus toti, ut quando hominem moueri dicimus, dum sola manus eius mouetur, per accidens autem mouentur illa, quibus nullo modo competere potest moueri per se, ut accidentia, & formæ, catenus enim mouentur, quatenus insunt in corpore, quod mouetur per se, at per se nullo modo mobilia sunt, ideò moueri per partem est quodam modo medium inter per se, & pure per accidens, nam totum, quod dicitur moueri per

partem, est etiam per se mobile, vt quando totus simul homo mouetur quando ambulat, sic enim toti primo inest motus, non parti, quomodocunque.n.tribuatur corpori ut moueatur per aliud certum est, ac necessarium quod est etiam mobile per se, at accidentia, & res incorporeæ non possunt ullo modo per se moueri. Simili diuisione diuiduntur etiam mouentia, aliud.n.mouet per accidens, ut musica, quæ est in medico, per accidens sanat ægrotum, aliud per partem, ut si tempore æstatis dicamus cęlum calefacere aerem, non.n.totum cœlum, sed solus Sol calefacit per lumen: aliud demum per se quando totum concurrit ad agendum, ut quando dicimus Solem calefacere, uel illuminare. Ratio autem cur Arist.hoc in loco confundat ea, quæ mouentur per accidens, cum ijs, quæ mouentur per partem est, quia his in præsentia non eget, cum.n.satis sit inductionem sumere ab ijs, quæ per se tantum mouentur, quia omne per accidens tale reducitur ad aliquid tale per se, quare quod dicitur de eo, quod est per se, extenditur etiam ad id, quod est per accidens proinde id, quod est per accidens, sub scientiæ considerationem non cadit: facit igitur Arist. hic diuisionem mouentium & mobilium in per se, & per accidens, ut dimissis illis, quæ sunt per accidens, sumat ea solum, quæ sunt per se, & horum diuisionem faciat, ut inde postea inductionem sumat. Auerroes hic duo dicit digna aliqua consideratione, unum est, quod duo sunt genera mobilium, ac mouentiū per accidens, sumendo per accidens prout etiā distinguitur ab eo, quod est per partem, cū .n.Arist.declarans quid sit moueri, uel mouere per accidens, dicat esse id, quod est in mobili, uel in motore. Auerroes inquit hoc esse duplex; aliud.n.est in re, quæ per se mouetur, & ita mouetur per accidens, ut non possit modo ullo moueri per se, ut anima est in corpore. aliud verò est in moto, & potest etiam per se moueri, ut homo existens in naui mota, mouetur enim per accidens, quoniam est in naui, quæ per se mouetur, ipse tamen talis est ut possit ambulare, & ita etiam per se moueri. Hoc tamen Auerrois dictum mihi dubium uidetur, propterea quòd non uidetur uerum quòd homo in Naui dicatur moueri per accidens, cum propriè sit in loco, & moueatur uerè de loco ad locum, ideò potius dicendum uidetur, quòd ille homo mouetur per se, idque uel uiolenter, cum sit a motore externo, uel sicuti dicitur pars moueri ad motum totius, quemadmodum enim ambulante homine etiam brachium mouetur, quia est pars hominis, ita homo existens in Naui est pars quædam illius coniunctè, quod trahitur, uel pellitur a motore externo, non est autem similis ratio de parte, quæ dicatur moueri ad motum totius. & de toto, quod dicatur moueri per partem. parti enim, quæ ad motum totius moueatur, propriè inest motus, ideò mouetur non per accidens, sed per se, licet secundario potius quam primario; at toti, quod dicatur moueri ratione partis, non inest motus ut toti, sed parti solum, ideo illud non dicitur per se moueri, & Arist.iure illud coniunxit cum eo, quod mouetur per accidens. Alterum dictum Auerrois est ꝙ priuatio solet declarari, & notificari per habitum, quādoque tamen contingit ut habitus declaretur per priuationem, quia priuatio aliquando est notior habitu, sicut euenit in presentia; Arist.n.declarat id, quod est moueri per se, ex negatione eius quod est moueri per accidens, uel per partē, quod habet locū priuationis respectu eius, quod est per se, quoniā hoc notius est quam moueri per se, in quo Auerrois dicto id potest esse dubium quòd id, quod est per accidens, dicatur priuatio eius, quod est per se, uidetur referri potius ad id, quod est per se tanquàm secundarium quoddam ad primarium, a quo dependet, sed uidetur Auerroes sumere habitum & priuationem largè, uidetur enim id, quod est per accidens, esse instar priuationis eius, quod est per se, licèt non sit uerè priuatio, nā si esset uerè priuatio, notaret etiā potentiā ad habitum, quod tamen dicere non possumus,

mus,

mus, quia id, quod uerè mouetur per accidens, non est capax motus per se; simile tamen est priuationi, quia se habet ut imperfectum & secundarium ad perfectũ, & primarium, in reliquis dictum Auerrois nil habet difficultatis, cum enim habitus sit natura prior priuatione, & ab eo pendeat priuatio, debet etiam cognosci priuatio per habitum; sed quia non semper contingit ut quæ sunt secundum naturã notiora sint etiam nobis notiora, ideò euenit interdum ut priuatio sit notior habitu, & posterius natura suo priori, ut euenit in præsentia non absque ratione, nam per se est quoddam ambiguum quod multa significare potest, nam si sumatur per se moueri pro eo, quod est a se moueri, neque descendens, neque ascendens lapis per se mouetur, quia mouetur ab alio, si vero sumatur per se pro essentialiter, & naturaliter, lapis descendens, mouetur per se, ascendens verò non per se; quod si sumatur per se moueri pro eo, quod est esse proprium subiectum motus, sic lapis etiã uiolenter motus mouetur per se, hoc igitur tertio modo sumens hic Arist. per se moueri rectè fecit declarans ipsum per contra distinctionem a moueri per accidẽs, & per partem: ideò ad exclusionem aliarum significationum Arist. declarare uoluit se intelligere moueri per se prout distinguitur a moueri per accidens, & a moueri per partem, quia hæc minus habent ambiguitatis quàm moueri per se, ideò statim relicto eo, quod mouetur per accidens, uel per partem, sumit diuidendum id quod mouetur per se, quando dicit [Eorum autem, quæ per se, alia quidem a seipsis, alia verò ab alio,] & duas facit eiusdem diuisiones distinctas, easque declarat in ijs, quæ mouentur, postea vero in Textu trigesimoprimo easdem ferè applicabit etiam mouentibus, non enim possunt omnino applicari mouentibus ea, quę hic dicentur de ijs, quę mouentur, una diuisio est, illa, quæ per se mouentur, alia mouentur a se, alia uerò ab alio; altera est, illa, quæ per se mouentur, alia mouentur natura, alia uiolenter: hæc autem ut intelligantur sciendum est, tres esse gradus eorum, quæ per se mouentur, alia namque mouentur à seipsis, ut animalia, & ille motus est eis secundum naturam, alia mouentur ab alio secundum naturã, ut graue descẽdens, & leue ascendens, hoc tamen membrum adhuc est obscurum, & postea ab Arist. declarabitur, alia demum mouentur ab alio uiolenter, seu præter naturam, ut graue ascendens, & leue descendens; Arist. igitur priore diuisione in primo membro complectitur primum gradum, in secundo secundum, & tertium simul, posteriore autem diuisione in primo membro complectitur primum ac secundum gradum simul, in secundo autem solum tertium, quare utraque diuisio in tres dictos gradus resoluitur, & quia Arist. in primo gradu ponit sola animalia, hæc enim sola mouentur secundum naturam a seipsis, inanimata uero omnia mouentur ab alio, ideò statim probat id, quod de animalibus dixerat, argumentans a definitione naturæ; quod quidem a seipsis moueantur non probat, immò hoc sumit ut notum, patet. n. animalia moueri ab anima tanquàm a motore interno; sed ex hoc probat ꝙ illo motu moueantur secundum naturam, ideò minorem omittit Syllogismi, quẽ format talem, quæcunque habent in seipsis principium sui motus ea illo motu mouentur secundum naturam, at animalia habent in seipsis principium sui motus, ut patet, ergo mouentur secundum naturam, maior patet ex definitione naturæ, natura enim est principium motus in eo, in quo est, quod est principium internum, quę igitur a principio interno mouentur mouentur a natura, proinde motus ille est secundum naturam, & est argumentatio a definitione ad definitum, sed perpendendum est in conclusione Arist. dicere [quapropter animal quidem totum natura ipsum seipsum mouet] cur enim dicat [animal totum] ipse rationem reddit sequentibus uerbis quoddam dubium soluens, quando dicit [corpus tamen contingit] & dubium tale est, animal est graue, ergo quando ascendendo ambulat mo-

uetur præter naturam, licèt moueatur a seipso, responsio, quàm innuit Arist. talis est, si animal sumatur totum, idest, ut animatum, hoc modo habet inclinationem ut ad omnes partes moueatur ab anima, & hac ratione etiam ascendens mouetur naturaliter, quatenus est animatum. Si vero non consideretur animal totum, idest, aggregatum ex corpore, & anima, sed corpus solum, quod consideretur non ut substans animæ, sed secundum se ut prædominio terreum, & graue, hoc modo ille motus est illi uiolentus, quatenus graui. descensus autem per lineam rectam est ei motus secundum naturam, discrimen itaque consistit in considerando animal formatum, uel corpus solum seclusa anima, & omni respectu, quem habet ad Animam, ut materia ad formam, cum hoc enim respectu mouetur naturaliter quocunque motu progressiuo, & hæc esse dicitur consideratio perfecta, & animalis totius; si uerò sine hoc respectu consideretur animalis corpus secundum se hac ratione non est amplius materia, sed corpus naturale formatum forma mistionis cum prædominio grauitatis, quare quælibet ascensio etiam facta ab anima ei quatenus tali est præter naturam, sic autem non consideratur animal totum, quia neque comprehenditur, neque ullo modo respicitur anima, quæ est altera pars, ea quæ pręcipua, animalis; hoc significat Aristoteles, quando inquit [refert enim quo motu moueatur, & ex quali elemento constet] animal enim quatenus est animal mouetur naturaliter ab anima ad omnes partes, sed si corpus solum respiciatur non considerata ullo modo anima, non omnis motus est ei naturalis, refert enim qualis sit ille motus, & ex quonam dominante elemento animal constet, nam si in eo dominetur terra, & motus sit ascensio, est ei uiolentus, quatenus terreo, & graui. Hactenus Arist. coniunxit primum membrum primæ diuisionis cum primo secundæ, videlicet, moueri a se cum moueri secundum naturam, sic enim complectitur animalia sola; postea uerò quando dicit, [Et eorum quæ ab alio mouentur] accipit secundum membrum primæ diuisionis, idque neque cum primo, neque cum secundo secundæ diuisionis coniungit, sed cum utroque ipsum enim diuidit in illa duo dicēs, ea, quæ mouentur ab alio, alia mouentur, secundum naturam, alia uerò præter naturam, & uiolenter, secundum naturam quidem ab alio mouentur grauia, & leuia motibus suis naturalibus, hoc tamen subticet Aristoteles, quia dubium, & obscurum est, & infra declarabitur, & solum declarat alterum membrum huius diuisionis dicens moueri præter naturam ab alio grauia quando ascendunt, & leuia quando descendunt. Quòd enim grauia descendendo, & leuia ascendendo moueantur secundum naturam hoc ut notissimum supponit, at non potest supponere quòd sic moueantur ab alio, quia hoc ignotum adhuc est. Postquàm autem declarauit motum præter naturam in rebus inanimatis; subiungit dari etiam in animatibus motum aliquem præter naturam, quando inquit, [Amplius autem partes animaliū] non quidem pręter naturam respectu elementi dominātis in animali, de hoc enim iam dixerat prius, sed præter naturam respectu animalis, quatenus animal est, dicit autem contingere talem motum præter naturam partibus ipsius animalis quando mouetur alio motu quam illo, ad quem a natura directæ sunt. natura enim dedit singulis partibus proprias operationes, & proprios motus tanquàm finēs ipsarum partium organicarum. consistit autem instrumenti natura in fine, & officio suo, ideò præter ipsius partis naturam dicitur ille motus, qui non est finis, & operatio propria illius partis; inquit autem Arist. motum partis dupliciter cognosci esse præter naturam ex situ, & ex modo motus, ex situ, ut si quis instar quadrupedis manibus ambulet, uel si pedibus uersus cœlum sublatis ambulet solis manibus, abutitur enim officio manuum & situm ei præter naturalem dat, non enim est naturalis situs manuum vt in terram ponantur, neque est eis naturalis motus ambulare

bulare


bulare; ex modo autem cognoscitur motus præter naturam, ut si quis pedibus ambulet in posteriora retrocedendo, motus enim naturalis in animali est ad anteriora, & hoc est proprium officium pedum. Sic autem nullus fit prauus situs alicuius partis, sed prauus tantum modus ipsius motus; talis etiam motus videtur esse natatio in homine, non enim propter hunc motum dedit natura homini manus, & pedes. Sed cum hi motus respectu partium sint præter naturam dignum consideratione est an respectu animæ, & simpliciter respectu ipsius animalis sint præter naturam, an potius naturales, nam pro utraque parte est ratio; fiunt enim omnes prædicti motus ab anima, ergo a principio actiuo interno, ergo naturales, quia internum principium motus est natura ipsa, contra verò ociosæ sunt omnes animæ facultates organicæ, quibus nullum organum inseruiat; quemadmodum è conuerso ociosum est organum in animali, cui nulla animæ facultas, quę ipso vtatur, respondeat. Cum itaque hæc duo sint repugnantissima ipsi naturæ, quæ nihil frustræ facit, dicendum est tot esse organa in corpore animalis, quod sunt animæ facultates, quę non possunt operari nisi per organum, ita ut cuilibet tali facultati organum, & cuilibet organo facultas animæ aliqua respondeat; quando igitur homo manibus ambulat, nulla potest esse animę facultas respiciens hunc manuum usum, quia manus respectu huius motus non sunt instrumenta, ergo est ille motus præter facultates animæ, ergo præter naturam etiam respectu animæ, quoniam easdem operationes respicit anima per suas potentias, quas etiam organicæ partes respiciunt, ergo quæ operatio est ipsi parti præter naturam est etiam animæ præter naturam. Pro solutione huius difficultatis dicendum puto facultates animæ organicas, & organa ipsa corporea pari passu incedere, ut neque talis facultas ulla detur sine organo, quo utatur, neque organum sine facultate utente, ut etiam antea sumebatur, quo fit, ut operatio quælibet organica, ut respicit organum ita respicit animam, non quidem simpliciter, sed ut illo organo utentem, nam ambulatio per se respicit pedes, per se respicit etiam animam, quæ habet ambulatiuam facultatem per pedes, quare utrisque est operatio naturalis, eadem autem manibus est operatio pręter naturam, & accidentalis, quare etiam animę est præter naturam, ut utenti manibus, licèt non simpliciter animæ, cum anima per se habeat potentiam ambulatiuam per instrumenta ad hanc operationem idonea, licèt non per manus. Euenire autem solet pluribus organis, tum a natura, tum ab arte fabricatis, ut præter proprium usum, & proprium finem, cuius gratia sunt fabricata, seu a natura, seu ab arte, alios quoque habeant usus præter consilium naturæ, uel artis fabricantis, immò etiam contra consilium fabricantis; ea enim fabricata consequitur ut ad alios quoque non cogitatos vsus vtilia sint, ut malleus est instrumentum ad percutiendum aliqua, quæ inseruiant humanæ commoditati, tamen aliquis conuertit malleum ad contrarium vsum ad hominem interficiendum, per accidens enim consequitur malleum iam fabricatum, ut etiam necare hominem facilè possit, ita ars Rhetorica est instrumentum ad persuadenda ea, quæ iusta sint, tamen multi arte Rhetorica etiam res iniustas persuadent, hic (ut ait Aristoteles in primo libro Rhetoricorum) non est instrumenti vsus, sed abusus, quia est contrarius illi usui, propter quem inuentum, ac fabricatum fuit; tales igitur operationes sicuti ipsi organo sunt accidentales, & præter naturam, ita etiam animę ut illo organo utenti, quę non hoc organo naturaliter utitur ad talem operationem, ut manibus ad ambulandum; vel non tali modo, ut pedibus ad ambulandum in posteriora, uidentur autem in his operationibus etiam gradus, cum alię magis, alię minus contrarię, seu remotæ sint ab intentione naturæ, magis enim est præter naturam, & animæ per manus ambulare,

bulare, & manibus ipsis, quàm pedibus retrocedere, & ipsi animæ per pedes, sic etiam natare, & aliæ quamplures operationes, quæ licet sint præter intentionem naturæ, quę & potentias animę, & instrumenta tribuit, tamen utiles quandoque esse comperiuntur. In his itaque omnibus iudicandis, vel secundum naturam, vel præter naturam non satis est considerare, quòd fiunt a principio interno, sed finem quoque spectare oportet, quem & potentiæ & instrumenta essentialiter respiciunt, cum enim hic concurrat ad constituendum internum principium non dicentur ab interno principio factæ, sed potius ab externo, quia hic vsus est extra organorum & potentiarum naturam, quæ constituitur non ab hoc usu, sed ab eò, propter quem sunt facta a natura; quare per hoc soluitur argumentum, quo ostendebatur hos esse motus naturales, quæ ab interno principio fieri uideantur. Notandum est hoc in loco, quòd Aristoteles clare dicit animam sub definitione naturæ contineri, cùm utatur definitione naturæ, ad probandum quòd motus animalis factus ab anima est motus naturalis. Notandum etiam est, quòd dum Aristoteles dicit animalia moueri a seipsis, non ob id officit proposito suo principali, quod est ostendere quicquid mouetur moueri ab alio; nam moueri ab alio accipitur duobus modis, uno modo ut significet motorem loco, & subiecto separatum a moto; altero modo ut significet solùm distinctionem realem inter motorem, & rem motam, etiam si loco disiuncta non sint; animalia non mouentur ab alio primo modo, sed a seipsis, quia habent motorem internum non disiunctum loco a moto, mouentur tamen ab alio secundo modo, quia motor in eis est realiter distinctus a moto, nempè, anima a corpore; consilium autem Aristotelis est ostendere quicquid mouetur ab alio moueri secundo modo, non primo, nempè quòd in omnibus distinguitur re motor a moto, animalia igitur hoc modo mouentur ab alio, & ita quicquid mouetur mouetur ab alio. Auerroes in Commentario notat differentiam inter animal, & cœlum ratione motus, datur enim in animali motus non modò naturalis, sed etiam uiolentus, immò, & ille, qui est animali naturalis, quatenus animal est, alio modo est ei uiolentus, ratione elementi prædominantis, habet enim animal duo principia motus, animam, & elementum prædominans, quæ inclinant ad contrarios motus, unde fit labor in motu progressiuo animalis propter grauitatem terræ dominantis, trahentem animal deorsum, quare necesse est aliquando animal quiescere: non sic est in corpore cœlesti, in eo enim motus est penitùs naturalis tùm ratione mouentis, tùm ratione moti, neque habet principia contrariorum motuum, sed unius tantùm, nam intelligentia mouet motu circulari, & cœleste corpus non habet inclinationem ad ullum alium motum quàm ad circularem, quare nullus ibi est labor, quia nulla contrarietas, & nulla uiolentia. Videtur autem Auerroes sibi contradicere quòd in Commentario tertio secundi libri de cœlo negat motum cœli esse naturalem, quia negat eius principium esse naturam; sed soluitur contradictio, quia eo in loco dicit motum cœli esse animalem & voluntarium, & negat esse naturalem, quare sumit naturam strictè, ut distinguitur ab anima, & naturale prout distinguitur a uoluntario: hic uerò sumit naturale largius, prout distinguitur solum a uiolento, & complectitur tam motum uoluntarium quàm naturalem, qui in hoc conueniunt quod fiunt a principio interno ad differentiam motus uiolenti, hoc modo sumpta fuit natura in principio secundi Physicorum, ideò complectitur animam, ut hic Aristoteles testatur adducens definitionem naturæ ad probandum quòd animalia a se mouentur naturaliter, at sumendo naturale prout distinguitur a uoluntario, nec motus cœli, nec motus animalis est uocandus naturalis.

Tex-

Textus Vigesimusoctauus.

Et maximè moueri ab aliquo id, quod mouetur, in ijs, quæ præter naturam mouentur, est manifestum, propterea quod manifestum est ab alio moueri. Postea autem quæ sunt præter naturam eorum, quæ sunt secundum naturam, ipsa, quæ a seipsis vt animalia, non enim hoc immanifestum an ab aliquo mouentur; sed quomodo oportet accipere id ipsius, quod mouet, & id, quod mouetur. Videtur enim vt in nauibus, & in ijs, quæ non natura constant, sic & in animalibus esse diuisum id, quod mouet, & id, quod mouetur, et sic totum ipsum seipsum mouere. Maximè autem dubitatur reliquum dictæ vltimæ diuisionis, eorum enim, quæ ab alio mouentur, hæc quidem præter naturam posuimus moueri, alia autem relinquuntur opponi, quia natura. Hæc autem sunt quæ dubitationem afferunt, a quo moueantur ut leuia, & grauia; hæc enim ad opposita quidem loca violentia mouentur: ad propria autem leue quidem sursum, graue autem deorsum natura.



FACTIS diuisionibus, quæ in tria membra, ut diximus, resoluuntur, sequebatur ut Aristoteles ex his tribus membris inductionem sumeret, qua concluderet, omne, quod mouetur, ab alio mouetur, sed quia in uno eorum trium membrorum res est maximè dubia, ideò non poterat Aristoteles inductionem facere, nisi prius id, quod dubium erat, declararet, in hoc igitur contextu exponit illa tria membra per ordinem; primo quidem illud, in quo res est manifestissima; secundo illud, in quo manifesta quidem est, sed minus demum illud, in quo est dubia. ideò in sequentibus hoc declarare prosequetur, quo facto tandem in textu Trigesimotertio perfectam inductionem facit, qua concludet ex singulorum consideratione quòd quicquid mouetur ab alio mouetur. Primum membrum, in quo dicit esse manifestissimam realem distinctionem motoris a moto, est id, quod uiolenter mouetur, cùm enim motor sit loco seiunctus a moto, clarum est quòd ab eo realiter distinguitur; nota Aristotelem ex eo quòd hoc mouetur ab alio, idest, a motore separato, inferre quòd mouetur ab aliquo, idest, a motore distincto realiter a moto. Deinde quando inquit [Post illa uerò quæ sunt præter naturam] affert secundum membrum dicens, quod post illa, quæ mouentur uiolenter, secundus locus ratione euidentiæ est eorum quæ secundum naturam a se ipsis mouentur, nam inter illa, quæ secundum naturam mouentur, res clarior est in ijs, quę a se mouentur, hoc est, in animalibus, non tamen ita clara ut erat in ijs, quæ uiolenter mouentur, nam inquit Aristoteles, quòd hæc moueantur ab aliquo nemo dubitat, clarum est enim quòd ab aliquo mouentur, idest, quod distinguitur motor a moto, sed est solùm difficultas aliqua de modo statuendi hanc distinctionem, uidetur autem per hæc innuere Aristoteles id, de quo interpretes ualde controuersantur, cum enim nemo ignoret distinctionem realem motoris a moto in animalibus,

libus, siquidem patet animam esse mouentem, corpus autem motum; de hoc tamen altercantur, an anima moueat ut quod, corpus autem seclusa anima moueat ut quod, an solum compositum animatum dicatur, mouere, & moueri ut quod, sed corpore seclusa anima supmpto moueatur ut quo, moueat autem anima ut quo; vel dicere possumus Aristotelem per hæc significare aliam controuersiam videlicet, notum esse quòd corpus mouetur, & anima mouet, sed esse dubium an anima sit separabilis a corpore etiam loco, & subiecto, quasi dicat, licet controuersia sit inter philosophos an motor animalis sit etiam loco separabilis ab ipso, tamen satis est quòd in hoc conueniunt quòd motor est realiter distinctus a moto, nempè, anima a corpore, siue sit separabilis, siuè inseparabilis, quod quidem ad præsentem speculationem non pertinet; In quibusdam codicibus post illa uerba, [& id quod mouetur] leguntur hæc omnia [utrum est separata & natura, & loco, an aliquo alio modo] quæ prædictum sensum apertissimè referrent, tamen an adijciantur, necne, parùm refert, ea quidem mihi uidetur mens Aristotelis esse, etiam si hæc alia uerba non exprimantur, ideò statim subiungit Aristoteles id, quod est manifestum, & quod in præsentia sufficit dicens, [Videtur enim ut in nauibus, & ijs, quæ non natura constant] videtur, idest, conspicuum est in animali esse realem distinctionem motoris, & moti, sicuti in nauibus, & alijs corporibus artefactis, quæ arte mouentur, ut in cursu, nauta enim mouet, nauis mouetur, & realiter inter se distinguuntur, sic auriga mouet, & currus mouetur; anima autem est sicut nauta, & corpus sicuti nauis, & ita omnes existimare uidentur, & in hoc sensu dicere animal mouere seipsum, idest, distingui in partem mouentem; & partem motam realiter distinctas: in hoc tantum sumenda est hæc similitudo animæ cum nauta, & corporis cum naui, non in separabilitate nautæ a naui loco, & subiecto, hoc enim ad rem non attinet, & Aristoteles iam dixerat esse immanifestum, quare non potest nunc dicere id esse omnibus manifestum, disceptatio enim magna est inter philosophos de separabilitate animæ a corpore, sed id præterea hoc in loco animaduertendum est quòd Aristoteles in hac parte de animalibus communiter loquitur, non de homine tantùm, quare similem nautę dicit animam animalis simpliciter, non solam humanam, quod etiam alias notauimus in textu Vndecimo secundi libri de anima, ideò uana est illorum sententia, qui dicunt Aristotelem uocare animam solam intellectiuam nautam in naui, quia sola seprabilis est, & est forma assistens, non informans, cùm enim hic, & ibi pateat non solùm humanam, sed omnem animalis animam ab Aristotele dici similem nautæ, similitudo hæc non in separatione a corpore consistit, sed in sola motione, & gubernatione corporis ab anima, sic enim, & nauis mouetur, & gubernatur a nauta. [Maximè autem dubitatur reliquum dictæ diuisionis membrum] Tandem adducit tertium diuisionis membrum, de quo inquit maximè dubitari, & repetit prius ipsam diuisionem, ut appareat quodnam membrum relinquatur, deinde dubium, quod in eo est, declarat, cùm autem antea duas diuisiones fecerit priorem hic non repetit, quæ fuit, eorum, quæ mouentur alia a seipsis mouentur, alia uerò ab alio: secundam solam repetit, quam uocat ultimam, & fuit hæc eorum quæ ab alio mouentur, alia mouentur secundum naturam, alia præter naturam, & violenter; sed dicit se antea hæc diuisionis membra supposuisse, cum alterum tantùm sit manifestum, videlicet, aliqua moueri ab alio præter naturam, nam in principio huius textus dixit, in his manifestam esse distinctionem motoris a moto, cùm moueantur a motore separato, relinquitur ergo (ait) oppositum membrum, quod est aliqua ab alio moueri secundum naturam; deinde quænam hæc sint, & dubium, quod in eis inest, exponit, dicens hæc esse grauia, & leuia, quæ cum ad propria loca

loca naturaliter moueantur, a quonam motore moueantur, obscurum est; mouentur enim ad opposita loca uiolenter, videlicet, leue deorsum, & graue sursum, ad sua uerò loca mouentur naturaliter, leue sursum, graue deorsum, idque omnibus manifestum est, sed de motore dubium est, nam de motu eorum uiolento patet, quod fit a motore separato, sed de motu naturali, a quonam motore fiat ignoratur, quare non potest affirmari quòd in his motor sit alius a moto cùm ignoretur motor, ut statim in primis verbis sequentis contextus subiungit dicens.

Textus Vigesimusnonus.

A quo autem non adhuc manifestum, ut cum mouentur præter naturam, & enim ipsa a seipsis dicere impoßibile est: uitale enim hoc & animatorum est proprium. Et sistere possent seipsa, dico autem ut si ambulandi causa sit sibi, & non ambulandi, quare, si in ipso igne est sursum ferri, manifestum quod in ipso, & deorsum, irrationale autem est illud, uno moueri solum a seipsis si ipsa seipsa mouent.

MOTVS præter naturam a quonam motore fiat est manifestum, sed de motu naturali ignotus est motor, ideò cũ necesse sit hæc, vel a motore interno moueri, quod est moueri a seipsis, uel ab alio, idest, separato, ut in diuisione supponi uidebatur, ideò statim in hoc textu, & in sequente probat Aistoteles quòd non possunt moueri a seipsis, Deinde in trigesimoprimo & Trigesimosecundo declarabit a quonam motore moueantur, docens ea moueri ab alio. probans autem non moueri a seipsis quotnam argumentis utatur non est satis clarum, interprætes enim alij duo tantum argumenta fieri dicunt, alij tria, alij plura, sed parui momenti lis est, alij namque ex pluribus argumẽtis unũ constituunt, alii unum diuidunt in plura, at in sensu non discrepant, Ego sententiam simplicij ut faciliorem secutus puto tria esse argumenta, duo in hoc textu, quæ Auerroes in unum coniungit, tertium uerò in sequenti; Primum argumentum in secunda figura, ut rectè simplicius ait, ita formatur, omne, quod a seipso mouetur, est animatum, grauia, & leuia non sunt animata, ergò a seipsis non mouentur, minorem supponit Aristoteles ut notam, maiorem quoque non probat, sed unde nam eam sumat non est satis clarum, quia a nullo bene hoc explicatur nisi a Themistio, nam Simplicius inquit Aristotelem sumere, tum ut omnibus notum quòd id, quod a se mouetur, est animatum, tum ex libris Platonis, qui & decimo libro de legibus, & in Phædro inquit proprium esse animatorum a se moueri, inanimatorum uero moueri ab alio; ob id complures secuti dicunt Aristotelem hoc a Platone accipere, attamen Aristoteles non admodum consueuit aliquid sine probatione sumere, ductus sola aliorum authoritate, quando non est per se notum, hoc autem per se esse notum non videtur, quia licèt admittere possimus quòd sit per se notum animata mouere se, non tamen ita per se nota est huius conuersa, fortasse enim aliquis putat etiam inanimata mouere se ut leuia, & grauia ad sua loca naturalia. Neque Aristoteles posteà probaret ea non moueri a seipsis, si esset per se notum. ideò mihi rectè uidetur dicere Themistius quòd Aristoteles hoc sumit ex ratione, quam paulò

ante superius tetigit, quoniam enim animalia diuiduntur in partem per se mouentem, & in partem per se motam, nempe animam, & corpus, hinc fit ut moueant se, cum habeant in se motorem, & mobile, nam Aristoteles iam in principio Septimi Libri declarauit quomodo contingat aliquid a seipso moueri, dicens id non ita contingere, & res tota moueat, & tota moueatur, si quidem hoc impossibile est, sed ut duæ eiusdem partes una moueat, altera moueatur quod quidem de grauibus, & leuibus dicere non possumus, hæc enim aliter diuidi non possunt quàm in materiam & formam, & forma quidem potest uocari mouens, at materia non potest dici mota, cum sit ens in pura potentia, quod autem mouetur debet esse actu, ut in quinti Physicorum dictum est, oportet igitur duos inesse actus specificos in re, quæ seipsam mouere possit, quod solis competit animatis, habent enim animam & formam mixtionis, quæ eatenus dicitur actus specificus, quatenus resultat ex congressu formarum elementorum, quæ sunt formæ specificæ, & aptæ dare composito actualem existentiam sine ope alterius formæ quo fit ut etiam forma mixti dare possit actualem existentiam etiam sine anima, ut euenit post mortem animalis compositum igitur ex hac forma & prima materia est proprie mobile & per se mobile, anima uerò superueniens est per se apta mouere ideò animalia mouent seipsa sumit ergo Aristoteles hanc maiorem ut claram ex ratione, quæ in præcedentibus declarata est, & mihi uidetur argumentum Aristotelis præsens esse demonstratiuum, nam medius terminus est esse animatum, quod sumitur pro eo, quod est diuidi in partem per se mouentem, & partem per se motam, quæ est vera, & æquata causa mouendi seipsum, quare Aristoteles ostendens grauia, & leuia non moueri seipsa, per hoc quòd non diuiduntur in partem mouentem, & partem motam, facit demonstrationem propter quid negatiuam, quia causa ad effectum ita se habet ut & affirmatio sit causa affirmationis, & negatio negationis, posita enim ponit effectum, & ablata aufert. Alij etiam alia de hac maiore dicunt, quæ consulto omittuntur. Quæritur hic cur Aristoteles dixerit proprium esse animatorum mouere se, nec dixerit animalium, ut uidetur dicere debuisse, quoniam plantæ non videntur se mouere, & in textu præcedenti de solis animalibus dixerat quòd habent animam ut nautam mouentem, & corpus ut nauem motam: non defuerunt ob id, qui dixerint Aristotelem nomine animatorum per Emphasim sola animalia significare uoluisse, quod confirmatur ex alia sequẽte ratione, quam clarum est non posse nisi de animalibus intelligi, in ea tamen animalia non nominantur. Ego uerò puto Aristotelem non temere hic dixisse animata potius, quam animalia credo enim id fecisse ut propositio maior esset per se, ei uniuersalis, maior enim est omne quod a se mouetur, est animatum, hoc est, diuiditur in partem mouentem, & partem motam, in animam, & corpus, hoc autem non solius animalis proprium est, sed competit omni animato, nam etiam plantæ habent duos illos actus, quos in animalibus declarauimus, & diuiduntur in animam, & corpus formatum forma mixtionis, ideò negandum est quòd plantæ nullo modo a se moueantur, nutriuntur enim & augentur ab anima tanquam motore interno, & præterea mouentur etiam quodammodo secundum locum a seipsis, nempè, eo locali motu qui cum augmentatione necessariò coniunctus est, crescendo enim transeunt ad maiorem locum; quare licet non ita exquisitè appareat eas a se moueri, nec ut animalia, tamen imperfectius hac conditione participant, quia animam quoque imperfectiorem habent quod uero illi dicunt de alia sequente ratione nihil est, quia secunda illa ratio erit diuersa ab hac prima, & illa potest a solis animalibus sumi, cum hæc sumatur ab omnibus animatis. [Et sistere potest seipsa.] Secundam hic rationem adducit, quæ talis est, illa, quæ possunt se

mouere

mouere, possunt etiam se sistere, & possunt se mouere diuersis, immò & contrarijs motibus, non uno tantum, at grauia, & leuia non possunt se sistere, nec mouere contrarijs, nec diuersis motibus, sed uno tantum, ergo grauia, & leuia non possunt se mouere, ratio hæc sumitur a multis conditionibus eorum quæ a se mouentur quasi si separemus plures fient rationes, si autem coniungamus una est ratio, ut uidetur ab Arist. tanquam una formari, quæ est expositio Simplicij, sed parum refert, conditiones autem patuit esse tres, quod potest habitum, potest etiam priuationem, ideò quod potest facere motum, potest etiam facere quietem, quod potest mouere, potest contrarijs motibus mouere, quia id, quod potest, contraria potest; quod potest, plura potest, quia id; quod potest unum tantum, non dicitur posse; sed potius cogi, & ligari. Hæ autem manifestæ fient, si maior Aristotelis declaretur, nam minor satis per se manifesta esse uidetur. Dubito igitur contra maiorem, & sumo fundamentum ex Aristotele in secundo libro de interpretatione, & in hoc ipso octauo Physicorum textu octauo, ubi inquit duplicem esse potentiam actiuam unam cum cognitione, & hanc posse agere opposita; alteram purè naturalem, & sine cognitione, & hanc non posse opposita, sed esse determinatam ad unum, cum igitur detur potentia actiua, quæ non potest opposita, sed unum tantum, quid prohibet quominus dicamus elementa habere potentiam actiuam mouendi se, nec tamen posse se sistere nec mouere pluribus motibus? dicam enim eorum potentiam actiuam esse purè naturalem, proinde determinatam ad unum, maior igitur Aristotelis uera est solum de mouente uoluntario, non est uera de mouente naturali sine cognitione. Præterea plantæ mouent se, ut antea dicebamus, non tamen se sistunt, nec se mouent oppositis motibus, quare maior falsa est. Ad primum dubium solent omnes respondere per differentiam inter animam, & formam naturalem. nam anima est minus immersa materiæ, ideò imperat materiæ, maximè autem imperat per cognitionem, & quanto magis cognoscit, tanto magis imperat, nam cognitio respicit utrumque contrarium, ideò anima cognoscens potest agere utrumlibet contrariorum, quia utrumlibet potest ei offerri sub ratione boni, dicitur itaque posse, quia habet dominium, & optionem agendi utrum duorum uult, forma uerò naturalis est omnino materiæ immersa, & nullum habet imperium supra materiam, sed est ligata ad unum, nec potest facere oppositum, neque potestatem habet faciendi, & non faciendi; forma igitur merè naturalis, cum faciat unum tantum oppositorum, nō dicitur propriè posse, quia non habet imperium faciendi, cum non habeat imperium non faciendi, sed dicitur potius habere necessitatem ita faciendi quam potestatem, ideò earum operationes pendent ab aliqua alia causa, ut Aristoteles infra docebit de motu grauium, & leuium. Sed licet hæc omnia uerissima sint, mihi tamen uidetur dubium uigere, quia nil noui ab his dicitur, quod etiam ab Arist. hic nō dicatur, dixit. n. in contextu hoc ꝙ posse se moueri, & sistere, est proprium animatorum, quæ per cognitionem imperant, & habent imperium utriusque oppositi, quare inanimata non habent potestatē mouendi se, cum non habeant optionem se sistendi, attamen aduersari uidentur alia apud Arist. loca iam memorata, ubi asseruit dari potentiā actiuam alterius tantū contrariorum, quę est potentia sine cognitione, talem dicam esse potentiam grauium, & leuiū, ideò non est mirum si mouere se tantum, sed non sistere possunt, nam si hæc ab Arist. uocatur potentia actiua, ergo illa, quæ talem potentiam habent, possunt agere unum contrariorum, & si alterum agere non possunt, quare nisi aliud addamus difficultas integra manet. Mihi uidetur ad omne dubiū hac in re tollendū maximè conferre ea, quę dicuntur a Thoma in 1. 2. quæst. 1. art. 2. ubi docet, quod omnia agētia tam rationalia, quàm irrationalia agunt propter finē, cum

hoc tamen discrimine quòd rationalia cum cognoscãt finem dirigunt se in finem, & ita habent dominium suarum actionum, quia possunt agere, & non agere; irrationalia uerò cum non habeant cognitionem finis, non dirigunt se, sed ab alio diriguntur in finem suum, ideò necesse est ut pendeant ab aliquo agente rationali, a quo dirigantur in finem, sicuti sagitta, ad scopum dirigitur, non a seipsa, sed a sagittante, quare hæc non habent imperium suarum operationum, sed ab alio sunt directa ad certam operationem, ita ut nec possint non operari, nec possint contrarium operari; ex his patet quòd aliud est esse potentiam actiuam, & efficientem causam respectu suæ operationis, aliud est esse dominam suæ operationis, agẽs enim primarium habet imperium suarum operationum, quia non dirigitur ab alio, nec ab alio pendet, secundarium uerò dicitur quidem agens, sed non habet dominium, quia pendet, & dirigitur ab alio, talis igitur est potentia actiua irrationalis, ut potentia motiua elementi, mouet enim, & est causa motus sui, ut efficiens, at non habet imperium liberum illius motus, quia ad eum determinata est ab alio externo, & principaliori agente. Aristoteles autem hic loquitur de motore primo, & principali, hoc modo ostendere uult quòd quicquid mouetur ab alio mouetur, nempè, ab alio habente dominium illius motus. patet enim hoc conferre, & sufficere ad inueniendum primum motorem immobilem, sed de hoc mouentium discrimine, & de Arist. mente clarius loquemur infra in disputatione de motu grauium, & leuium. Similiter soluitur aliud dubium de plantis. nam dicimus animã plantarum esse quidem causam motus, sed eius dominium non habere, quia non cognoscit, ideò directa est ab alio rationali agente, & determinata ad unum tantum oppositorum, non igitur se mouent ut hic sumitur mouere se, scilicet, pro causa principali, & imperante. Declaratur præterea de motu cęli, fit.n. ab anima ut a motore rationali non potente tamen sistere cęlum, non mouere alio motu quam illo, quo mouet, quare datur motor rationalis habens imperium sui motus, qui tamen non potest sistere, nec diuersis motibus mouere. Ad hoc dicendum est non posse in hoc ullam statui communem conditionem Cęlo, & inferioribus cum in communi aliquo uniuoco non conueniant, & alia sit ratio de utrisque. Arist. autem hic loquitur de mobilibus, & mouentibus inferioribus, nil enim aliud hic proposuit probandum quàm de grauibus, & leuibus ꝙ a se non moueantur, hæc autem sunt corpora huius inferioris mundi, quare sufficiens argumentũ sumit a corporibus inferioribus; cum.n. omne principaliter mouens in his inferioribus habeat potestatẽ mouendi, & sistendi grauia; autem, & leuia sint mobilia huius mundi inferioris, nec habeant potestatem sistendi se, sequitur quòd non sint principaliter mouentia respectu sui, nec habeant imperium sui motus. Considerandum restat qualis sit hæc Arist. ratio, mihi quidẽ uidetur eam dici posse, uel ab effectu ad causam, uel ab effectu ad effectum alium eiusdem causę; nã si consideremus ꝙ mouere, & sistere, & mouere cõtrarijs motibus, sunt distincti effectus eiusdẽ causę mouentis cum imperio, dici potest ratio ab effectu ad effectum, & ita erit quidẽ necessaria, sed non demonstratiua, ut ostendimus in Libris de speciebus demonstrationis cap. 5. Si uerò dicimus rationẽ Arist. esse ab actu ad potentiam actiuã sic ratio est ab effectu ad causã, & est demonstratio a signo, quæ uidetur mens esse Arist. ex eo enim quòd non se sistunt, nec mouent contrarijs motibus, probat ꝙ non habent potentiam motiuam sui, hoc est, potentiã cum dominio, hæc.n. sola hic ab Arist. uocatur mouens, nam ex solo motu non discernitur qualisnam sit potentia motrix in elemento, cum uideatur mouere se ex eo ꝙ non se sistunt, nec contrarijs motibus mouent, infertur ꝙ non a seipsis mouentur, & quòd potentia elementi non habet imperium mouendi se, sed mouetur a tali motore extrinseco, ut infra declarabitur.

Textus

Textus Trigesimus.

Amplius quomodo contingit continuum aliquod, et compositum ipsum seipsum mouere? Quatenus enim unum & continuum, non tactu, eatenus impaßibile est, sed quatenus separatum est, eatenus hoc quidem aptum natura est facere, illud vero pati. Neque ergo horum ullum ipsum seipsum mouet (consita enim sunt) neque aliud continuum ullum; sed necesse est diuidi mouens in unoquoque ab eo, quod mouetur ut in inanimatis uidemus, cum aliquod animatorum mouet illa.



AFFERT hic tertium argumentum ad probandum grauia, & leuia a se non moueri, quod tale est, nullum continuum mouet seipsum, at graue, & leue est quid continuum, ergo nõ mouet seipsum, maiorẽ ponit Arist. in primis verbis per interrogationẽ prolatis, deinde statim quando dicit. [quatenus enim unum] declarationem maioris ponit, cuius sensus est, continuũ quatenus est continuum est unum quoddam, quare nihil potest pati a seipso, quia nulla est actualis distinctio partium, ut una dici possit mota, & altera mouens, non sic est de contiguis; nam unum corpus mouet alterum per contactum, quia seiunctum ab illo est, non continuatum. oportet enim separatum esse agens a patiente si debeat mouere illud: illis autem uerbis, [neque horum ullum] ponit Aristoteles conclusionem Syllogismi, deinde minorem quando inquit [consita enim sunt] grauia, & leuia sunt compacta, & habent partes inter se coniunctas; deinde quando dicit, [neque aliud continum ullum] extendit sensum conclusionis ad alia omnia continua, nam de solis grauibus, & leuibus concluserat, quia de his solis sumpta erat minor quando dixit [neque horum ullum] quia de his nunc est sermo, inquit igitur de omni continuo per hoc idem argumentum ostendi, quod mouere se non possint, cum in omni moto a se opus sit distinctum esse mouens a moto, ut uidemus ab homine moueri baculum, contangunt enim se, sed separatum secundum quantitatem est mouens ab eo, quod mouetur. Hęc est breuis, ac rudis declaratio huius contextus. Vt autem vis huius argumenti, & mens Arist. profundius intelligatur, occasionem sumemus a dubio quodam Alexandri, & eius solutione a Simplicio hic relata, & approbata. Dubitabat Alexander contra maiorem, Syllogismi prædicti, qua dicebatur nullum continuum mouere se, falsa.n.uidetur, quoniam animal est continuũ, tamen mouet seipsum, uel si uera est maior, falsum est id, quod antea dixit Arist. animal a seipso moueri. Ad hoc respondebat Alexander maiorem illam ita esse intelligendam ꝙ una pars quantitatiua continui non potest aliam talem partem mouere, hoc.n.est, continuum, quatenus est continuum mouere se; & impossibile, ad quòd Arist. respexit hoc tantum est ꝙ vna pars quantitatiua alijs continuata alias moueat; animal uerò non hoc modo mouet se, ut una pars quantitatiua aliàs moueat, sed quia corpus totum mouetur ab anima, anima autem non dicitur continuata corpori, cum non sit quanta, immò neque contigua dici potest, quia id, quod non est quantũ, neque continuari dicitur, neque tangere. Quidam recẽtiores dupliciter instant contra hanc Alexandri responsionem, primò quòd dicit animam non continuari corpori, at (dicunt ipsi) ex hoc sequeretur ꝙ elementum non esset continuum, quia pari ratione dicere possumus, elementum constat ex materia, &

forma, ergo non est continuum, quia forma non continuatur materiæ, sicut neque anima corpori. Secundò, quia dicit animam non esse contiguam corpori, & mouere ipsum; hoc enim (inquiunt) aduersatur Aristoteli; qui in primo libro de generatione in capite de tactu, & in septimo libro Physicorum dicit omne agens agere per contactum, quare si anima debet mouere corpus oportet ut ipsum tangat. ipsi igitur relicta responsione Alexandri sequuntur Auerroem, qui dicit duas esse animalis partitiones, unam in corpus, & animam, quę ipsum mouet, quam diuisionem respicit ratio facta in Textu præcedente ad probandum quòd elementum a se non moueatur; altera est partitio in partes organicas, quæ non omninò continuantur inuicem, sed potius contiguæ, quàm continuæ dici possunt, quo fit ut una possit alias mouere. Cor enim alias partes mouet, & hanc partitionem respicit ratio præsens; ob id ad dubium Alexandri aliter respondent dicentes argumentum hoc Aristotelis ualidum esse de elementis, at non de animali, elementum enim habet partes eiusdem naturæ, cum sit corpus similare; animal uerò est heterogeneum, & habet partes organicas diuersarum naturarum, quare elementum non potest habere unam partem, quæ moueat alias, cum sint omnes eiusdem rationis, animal autem habet cor. a quo cæteræ partes mouentur, propterea dicunt minorem Aristotelis non bene ab Alexandro fuisse intellectam, dicens enim Aristoteles elementa esse continua non intellexit illam continuitatem, de qua locutus est in sexto Libro Physicorum, quæ est continuatio quantitatis, sed intellexit homogeneitatem, & conformitatem naturæ, adeò ut ratio Aristotelis sic intelligenda sit; nullum continuum, idest, unigeneum, seu similare mouet se, quia non est maior ratio quòd una pars sit mouens quàm alia, at elementa sunt continua idest, homogenea, ergo non possunt se mouere. Quando igitur Alexander ita dubitabat, nullum continuum mouet se, animal est continuum, ergo animal non potest se mouere, ipsi dicunt negandam esse minorem, nam admissa etiam animalis continuitate secundum quantitatem non est homogeneum, & ita non est continuum, ut hic sumitur ab Aristotele continuum. Verum hi (ut mihi uidetur) multifariam peccant, erant primo reprobantes responsionem Alexandri, quæ uera est, secundò in obiectionibus, quas aduersus eum adducunt, quæ sunt pueriles. Tertiò in responsione, quam ipsi adducunt, & in huius contextus interpretatione, demum in intelligenda Auerrois sententia in hoc loco. Responsio Alexandri erat quòd animal mouetur ab anima, quæ neque est continua corpori, neque est contigua, ostendo quòd uelint, nolint coguntur ipsi ad hanc Alexandri responsionem, quam reprobarunt, confugere, nam dicunt negandam esse minorem illam, animal est continuum, non est enim homogeneum, sed constans ex partibus heterogeneis, quarum una potest alias mouere; at ego quæro a quanam parte mouentur cæteræ partes animalis? nonne a corde? cor autem nonne & ipsum mouetur? proculdubio, nam omne mouens corporeum in mouendo mouetur, cor igitur a quonam mouetur alterum duorum respondeant necesse est, uel moueri ab anima, quod est accipere responsionem Alexandri, uel cor esse heterogeneum, & constare ex partibus diuersarum rationum, quarum una cęteras moueat, quod si dicant ego adhuc quæram de illa parte cordis mouente a quonam moueatur, quare uel procedemus in infinitum, uel perueniemus ad aliquam cordis partem homogeneam, quæ cum seipsa mouere non possit per rationem hanc Aristotelis secundum horum interpretationem, mouebitur ergo ab anima, quæ est Alexandri responsio ab eis confutata, uel uigebit dubium Alexandri, quomodo enim hæc pars mouebit se, cum sit corpus continuum, tam secundum

dum quantitatem, quam ratione homogeneitatis? patet igitur quòd per eorum responsionem dubium Alexandri non soluitur, sed solùm difficultas transfertur ab animali ad aliquam animalis partem, soluitur autem solum dicendo cum Alexandro, quòd mouetur ab anima. Argumenta verò quæ aduersus Alexandrum adducunt leuia, & puerilia sunt, nam cùm dicunt primò, si anima non est continua corpori, ergo similiter neque forma elementi est continuata materiæ, uerum est hoc, par enim est ratio, sed quando subiungunt, ergo elementum non est continuum, neganda est hæc consequentia, quia continuitas corporis non consistit in continuatione formæ cum materia, quæ sunt partes essentiales, sed in continuatione partium secundum quantitatem, harum enim coniunctio in communi termino est ratio continuitatis non illa. Ad secundum dico Alexandrum rectè dicere quòd anima non est contigua corpori, contactus enim non est incorporeorũ, sed corporum, ad Aristotelem autem in primo libro de generatione dico, quòd Aristoteles ibi loquitur de alteratiua actione, & de agente alterante, non de mouente secundum locum, nam tales mouens in eo hoc modo non consideratur, mouens autem alterans non potest esse nisi corpus, quare debet tangere, non sic est de mouente secundùm locum, non est enim necessarium, ut contangat id, quod mouetur, quia potest esse incorporeum, ut anima, ad septimùm autem Physicorum dico Aristotelem ibi non probare quòd monens debeat tangere rem motam, sed quòd mouens debet esse cum moto, at simul esse est quid communius quàm tangere. sunt enim simul ea, quæ se tangunt, est etiam simul forma cum materia, cui inhæret, immò magis est simul quàm tangens cum tacto; dico igitur quòd si intelligunt contactum large pro eo, quod est simul esse, in quo sensu conuenit animæ contangere, Alexander non negaret animam esse contiguam corpori, sed de uero contactu est falsum, quia hic est solùm corporum, ideo in hoc sensu Alexander rectè negat animam tangere corpus, ut patet ex ratione, quam adducit, inquit enim, quia non quanta, quare uerum contactum intellexit. Eorum quoque responsio, & interpretatio neque inuentum ipsorum est, neque recta, Scotus enim secundo sententiarum distinctione secunda, quæstione decima, ita hunc contextum interpretatur, ut Aristoteles hic per continuum non intelligat propriè continuum, sed homogeneum, & conforme; attamen si Aristotelis verba benè perpenduntur non possunt nisi verum continuum significare; dicit enim primo συνεχές τι, καὶ συμφυές, idest continuum aliquod & consitum, seù compactum, ut significet coniunctionem partium, quæ est vera continuitas, idque manifestius adhuc est, si accipiamus lectionem latini Codicis vbi legimus [compositum] sed postea maiorem declarans Aristoteles apertius loquitur, quando dicit, [quatenus unum, & continuum non tactu] declarat enim se sumere continuum ut distinguitur a contiguo, quæ est propria acceptio continui, quasi dicat, non intelligo id, quod per solùm contactum dicitur continuum, sed id, quod per partium compactionem, & postă etiam clàrius a sensu opposito hanc declarat dicens, [sed quatenus separatum] quare sumit tale continuum, quod contradistinguitur a separato, separatum autem non significat distinctionem naturæ, sed quantitatis, ergo continuũ significauit coniunctionem quantitatis in calce etiam huius contextu dixit [sed necesse est diuidi mouens ab eo, quod mouetur] significans separationem quantitatis moti a quantitate mouentis, cuiusmodi exemplum posteà subiungit dicens, ut quando aliquod inanimatum ab aliquo animato mouetur vt baculus ab homine, patet enim hoc ab Aristotele dici non ad significandum distinctionem naturarum, sed separationem quantitatum, & solum contactum, qui distinguitur a continuitate; quare medius terminus, quo hic Aristoteles utitur, non est homoge-

neitas, sed uera continuitas. Præterea diuisio illa animalis, quam faciunt, in partes organicas, quarum una cæteras moueat hic ab Aristotele non consideratur, quia non est nota, sed potius maximè abscondita, & in libris de animalibus declaranda; alteram autem animalis distinctionem in corpus & animam potuit Aristoteles in hac parte considerare, quia omnes eam norunt, & animam mouere, corpus autem moueri; sed quòd alia animalis membra moueantur a corde non potest hic sumi, nisi declaretur, quod quidem Aristoteles non facit, ideò quod dicunt hanc duplicem animalis diuisionem ab Auerroe poni uerum est. loquitur enim de hac re Auerroes in multis locis, at non in commentario præsente, non possunt igitur dicere hanc esse expositionem Auerrois, qui de animalis diuisione in parte, quarum una alias moueat, hic nihil dicit, sed distinctio, quam hic Auerroes facit, est ista, corpus potest diuidi duobus modis, aut in partes essentiales, materiam & formam, aut in partes secundum quantitatem, si in partes essentiales diuidatur, & forma sit animam, mouetur a se, quia corpus est ens actu, & mouetur ab anima, si uerò non sit anima id a se non mouetur, quia diuitur in materiam & formam, & materia neque mouet, neque mouetur, cum sit ens in potentia, nam & mouens & motum debet esse actu, propterea elementa non possunt hoc modo a se moueri, quia non sunt animata, & hoc respexit Aristoteles in alijs argumentis factis in textu præcedente. At si considerentur partes secundum quantitatem, si hæ sint coniunctæ, & faciant unum verè continuum, non potest a se moueri, ita ut una pars aliam moueat, quoniam continuum, quatenus est continuũ, est unum, & unum quatenus unum non potest pati a seipso; quòd si partes non sint coniunctæ, sed separatæ, contiguæ tamen, possibile est ut una aliam moueat, ut contingit de homine per contactum mouente lapidem, hoc autem dicit Auerroes non de animali peculiariter, sed communiter, de quolibet aggregato plurium se contangentium, quod dicatur esse unum per contactum, non est enim impossibile ut illud a se moueatur, quoniam partes sunt actu separatæ secundum quantitatem, & potest una habere rationem motoris, alia verò moti; non enim considerat Auerroes quòd istæ partes quantitatiuæ, sint organicæ, sed solum quòd disiunctæ, & contiguæ, si una debeat aliam mouere. Ego igitur declaro totam Aristotelis mentem, a qua non recedunt Alexander, & Auerroes, Aristoteles considerauit quòd graue, & leue potest diuidi duobus modis, ut optimè notauit Auerroes, aut enim diuiditur in materiam & formam, aut in partes secundum quantitatem, ideò utroque modo ostendere voluit elementum a se moueri non posse; idest, non habere partem mouentem, & partem motam, quæ sint partes essentiales, quoniam uiuentium proprium est ut diuidantur in animam, & corpus, quoniam autem poterat aliquis ad partes quantitatiuas confugere, dicens, si elementum non habet partes mouentem, & motam essentiales, habet saltem quantitatiuas, quarum una aliam mouet, proinde elementum mouet seipsum, ideò hoc quoque vult Aristoteles in hoc Textu euertere, ita ut tandem ostensum sit quòd nullo modo elementum diuiditur in partem mouentem, & partem motam, quare nullo modo mouetur a seipso, sed semper a motore extrinseco, & hæc est sententia Auerrois clara in Commentario præsenti, ut legentibus patet: ideò solutio Alexandri ad propositum dubium optima est, erat enim dubium de animali, quod est continuum, tamen a se mouetur; respondebat Alexander concedendo totum argumentum, nam intelligendo maiorem sic, nullum continuum, quatenus est continuum, mouetur a se, rectè concluditur animal non mouere se quatenus est continuum, continuitas autem respicit copulationem partium secundum quantitatem, quare nil aliud per hoc argumentum concluditur, quam quòd animal non diuiditur in

tur in partem mouentem, & partem motam, nempè, essentiales; quod de elementis dici non potest, quia non diuiditur in corpus, & animam. Hæc ergo est conuenientissima solutio, non illa, quam illi afferebant negando illam minorem; animal est continuum, dicentes partes animalis non esse inter se continuus, sed contiguas, & esse heterogeneas, quo fit ut una mouere alias possit; attamen ignotum est animal esse verè continuum, quia videtur esse corpus unum uerè continuum, ignotum est etiam quòd motor aliarum partium sit cor; neutrum igitur ab Aristotele sine probatione supponi poterat; ob id supponere videtur continuitatem corporis animalis, quia nil refert hoc in loco eam concedere, uel negare, & satis habet accipere quòd motrix corporis anima est, hoc enim est omnibus notum; Quocirca Auerroes quoque in hoc Commentario nullum alium motorem animalis nominat, nisi animam, de corde nil penitùs dicit. Vnum tantum errorem uidetur Auerroes commisisse a suo Codice deceptus, quod enim nos legimus [continuum, & compositum] ipse legit [continuum, & naturaliter cōueniens] ideò per naturaliter conueniens exposuit homogeneum, quod est conueniens in natura, & qualitate; at in expositione illius dictionis [continuum] Auerroes certè non errauit, exposuit enim uerè continuum, quod est secundum quantitatem, reuera enim elementa utrumque habent, sunt continua secundùm quātitatem, & homogenea secundum qualitatem; illi uerò in expositione utriusque uocis errauerunt, cum dixerint etiam continuum sumi impropriè pro homogeneo. Ego uerò puto utrumque dictionem συνεχὲς, & συμφύες, hoc in loco idem significare, quoniam enim quandoque sumi solet continuum impropriè pro contiguo, Aristoteles ad hunc sensum remouendum adiecit συμφύες quod propriè significat consitum, & compactum, ideò rectè dictio hæc traducitur hic [compositum] & posteà [consitum] & quòd hæc sit Aristoteles mens patet, quia posteà loco huius dictionis συμφυὲς dicit [non tactu] ad declarandum se non intelligere contiguum, sed uerum continuum.

Textus Trigesimusprimus.

Sed accidit, & hæc ab aliquo semper moueri, fiet autem utique manifestum diuidentibus causas. Est autem, & in mouentibus accipere quæ dicta sunt. Alia enim præter naturam ipsorum motiua sunt, ut uectis non natura ponderis motiuus est. Alia uerò natura ut actu calidum motiuum est calidi potentia, similiter autem, & in alijs huiusmodi. Et mobile quoque similiter natura, quod est potentia quale, aut quantum, aut ubi eum habeat principium tale in seipso, et non secundum accidens, erit enim idem, & quantum, & quale, sed alterum alteri accidit, et non secundum se inest. Ignis itaque, & terra mouentur ab alio uiolentia quidem, cum præter naturam, natura autem cum ad suos ipsorum actus potentia existunt.

VERBA

VERBA hæc præcedentibus adiungenda sunt, dixerat enim quod ea, quæ uiolenter mouentur, mouentur ab alio, nunc subiungit post factas probationes, quòd [& hæc] idest grauia, & leuia, ut naturaliter mota mouentur semper ab alio; uerbum [accidit] hic non significat accidentalitatem, non enim diceret Aristoteles [semper] uult enim potius significare necessitatem, & perinde est, ac si dicat, hęc quoque semper ab alio mouentur, cum moueri a seipsis impossibile sit. Aliqui putant Aristotelem hoc dicere de animatis, quæ expositio neque præcedentibus conueniens est, neque sequentibus, cum statim subiungat [fiet autem manifestum] loquitur autem in sequentibus de motu grauium, & leuium, quare hæc quoque uerba de his dicuntur, non de animatis. [Fiet autem utique manifestum diuidentibus causas.] Intentio Aristotelis in hoc textu colligitur, ut ego puto, ex verbis Auerrois in calce commentarij præsentis, & in principio sequentis, uult enim id, quod proximè dixit, declarare per solutionem taciti dubij, dixerat grauia, & leuia, a seipsis non moueri, sed semper ab alio, unde credere aliquis poterat, quòd semper moueantur uiolenter, nunquam naturaliter, quoniam uidetur id, quod ab alio mouetur, moueri violenter, ideò Aristoteles hoc dubium hic remouere vult, & ostendere quòd moueri ab alio potest esse tum uiolenter, tum secundum naturam. Et quia hæc differentia manifestior est in mouentibus, quàm in mobilibus, facit argumentum a mouentibus ad mobilia, & ex eò quòd mouentium alia secundum naturam motiua aliorum sunt, alia præter naturam, infert quòd etiam mobilium alia secundum naturam, alia præter naturam mouentur ab alio, cuius illationis vis in quonam sit constituta mox considerabitur. Hunc arbitror esse scopum eorum, quæ hic ab Aristotele de mouentibus dicuntur, ut enim posteà de mobilibus hoc idem declaret accipit in mouentibus hanc differentiam ut manifestam quòd alia sunt motiua secundum naturam, alia præter naturam, præter naturam inquit uectem esse motiuum ponderis, est autem vectis instrumentum ferreum, cuius altera extremitate posita sub aliquo pondere, si alteram quis deprimat altera attollitur, & simul attollit ipsum pondus, atqui natura rei grauis est ut moueatur deorsum, non sursum, proinde etiam ut suo motu moueat aliam non sursum, sed deorsum, igitur uectis præter suam naturam mouet pondus sursum, cum sit ferreus & grauis; mouens autem secundum naturam (si a motu locali recedere nolimus) est id, quod dum naturaliter mouetur eo motu aliam rem mouet, ut si lapis descendens aliam rem deorsum pellat: sed Aristoteles hoc declarat in motu alterationis dicens, calidum actu motiuum est secundum naturam suam frigidi, quod est potestate calidum, habens enim in seipso principium calefaciendi dicitur actiuum secundum propriam naturam, non sic vectes habet in se principium mouendi sursum, sed potius renitentiam; Aliqui notant quòd non solum id, quod est formaliter tale dicitur actiuum secundum naturam suam, vt ignis formaliter calidus, sed etiam id, quod est tale virtualiter, vt vinum est formaliter frigidum calidum tamen secundum virtutem, quia secundum propriam naturam habet vim calefaciendi; Arist. tamen dicens [actu calidum] videtur solũ respexisse calidum formaliter, hoc. n. manifestius est habere in se principium agendi calorem, nec propterea exclusit agens virtuale, sed tacuit tamquàm minus euidens. Est autẽ animaduertendum aliquos esse, qui ita hunc locum intelligant, ꝙ motorem moueres secundum naturam, vel pręter naturã, non sumatur ab ipsius natura, sed a natura mobilis, quando. n. mobile mouetur secũdum naturam tali motu motor dicitur ipsum secundum naturã mouere, & econuerso quando mobile non mouetur secundũ naturam motor dicitur mouere ipsum pręter naturã; quam sententiã colligunt ex

his

his duobus exemplis ab Aristotele adductis, dicit enim vectem mouere pondus propter naturam, quia attollit pondus, pondus autem est graue, & mouetur sursum præter naturam; deinde dicit calidum actu esse motiuum secundum naturam calidi potentia, adiecit enim [calidi potentia] ut denotaret quòd actu calidum ideò dicitur agere secundum naturam, quia potentia calidum, quatenus est tale, est secundum naturam calefactibile. Sententiam hanc multi recentiores sequuntur, & videntur etiam eam significare uerba Simplicij hoc in loco. Ego verò non modò falsum puto, quòd naturalitas, uel præter naturalitas mouendi sumatur non a motore, sed a solo mobili, sed etiam quòd ab utroque simul; credo enim ea sumi a sola natura motoris, ut hic Themistius significare videtur, hoc uisus est significare Aristoteles supra in Textu vigesimoseptimo loquens de motu animalium, dixit enim animalia mouere seipsa secundum naturam ad omnes partes, corpus tamen cum sit graue moueri quandoque præter naturam, quando mouetur sursum, cum igitur anima sit secundum naturam motiua illo motu, corpus autem præter naturam moueatur, ista præter naturalitas non sumitur a mobili, sed a motore, hoc idem declaro in exemplo sumpto ab Aristotele, nam uectis mouet pondus, sed mouetur ipse ab homine, homo secundùm suam naturam mouet vectem, quia anima est ei internum principium mouendi ad omnes partes, tamen vectis non secundum naturam suam mouetur ab homine, quando attollitur, quo fit ut neque moueat lapidem secundum naturam; hominem igitur esse secundum naturam motiuum uectis non sumitur a natura uectis, sed a natura hominis mouentis, si quidem vectis non secundum naturam eo motu mouetur; ergo pari ratione vectem mouere pondus præter naturam non sumitur a naturà ponderis moti, sed a natura uectis mouentis, quamuis enim motus ille ponderis a vecte sit præter naturam, & ratione ponderis, & ratione vectis; Aristoteles tamen non respexit nisi vectem mouentem, cum etiam pateat ipsum distinguere in hoc Textu motorem a mobili, & prius hanc differentiam in motoribus considerare, posteà uerò in mobilibus quare ratio motoris non est sumenda a mobili. Ex his patet quòd mouens præter naturam non potest esse nisi mouens secundarium, & instrumentarium, quod mouet aliud, quia ipsum quoque mouetur ab alio, tale est exemplum Aristotelis in textu, nam uectis mouet pondus, quia ipsæ mouetur ab homine; agens autem primarium non potest præter naturam suã mouere, quia si vim mouendi non habet non facit motum, si verò regitur ab alio non est primarium; quod verò Aristoteles dicit de calido potestate nihil eis fauet, quia id non ideò dicit, quia putet actu calidum eatenus agere secundum naturam, quatenus calidum potestate secundum naturam patiatur, sed quatenus est actu calidum; hæc enim ratio sola sufficit ad hoc ut dicatur secundum suam naturam calefacere; quod autem Aristoteles adiecit de calido potestate id adiecit ad maiorem declarationem, nam actu calidum non habet uim calefaciendi nisi illa, quæ possunt calefieri, ignis autem non habet uim calefaciendi Cœlum, sed corpora calefactibilia, hæc autem an secundum naturam calefieri dicantur, an per naturam, non est clarum in præsenti loco, neque etiam ad propositum confert; id quidem dicere possumus quòd si argumentum sumatur a motu locali, multa dicuntur habere potentiam ut moueantur, licet motus sit eis præter naturam, lapis enim est mobilis sursum, habet igitur potentiam ne ascendat, tamen ascensus ei est præter naturam, sic igitur licet corpus frigidum dicatur calefactibile, proinde potentiam habens ut calefiat, non ob id sit ut calefactio sit ei naturalis, sed hoc (ut diximus) ad rem non attinet, solam enim mouentis naturam respicit Aristoteles ad iudicandum, an secundum naturam, an præter naturam moueat. [Et mobile quoque

que

que similiter]. Quod dixit Arist. de mouente hic a simili declarat de mobili, dictio namque illa [similiter] significat esse rationem a simili. hæc enim differentia euidentior erat in motore quam in mobili, quoniam motor dicit actum, mobile verò dicit potentiam, & potentia est ignotior actu, ob id Aristoteles declarat motorem per actum, & mobile per potentiam, quasi innuens probationem consequentiæ argumento sumpto a relatiuis, nempè, a potentia, & actu, sicut enim agens, quod agit per actum agit in aliud, & secundum naturam, & præter naturam, ita etiam patiens, quod eatenus patitur, quatenus est in potentia, patitur ab alio non modo præter naturam, sed etiam secundum naturam, quod quidem Aristoteles declarat, sed quia nullum erat dubium de altero membro, uidelicet, de motu facto ab alio præter naturam moti, euidentissimus enim est motus violentus, sed tota difficultas erat in altero membro, uidelicet, quod aliquid moueatur ab alio secundum naturam, ideò Aristoteles hoc solum membrum declarat, huius enim solius gratia præsens probatio instituta est; notandum autem est quod ad declarandam quando mobile moueatur secundum naturam Aristoteles duas conditiones adducit, quia altera non sufficit, una conditio est quòd moueatur ad terminum acquirendum, ad quem sit in potentia, fit enim actu, quale id, quod erat potentia quale, fit actu quantum id, quod erat potentia quantum, acquirit locum aliquem actu id, quod potentiam habebat ut in illo esset. (hæc enim tria prædicamenta nominantur ab Aristotele, quia in his tantum datur motus) altera conditio est, vt habeat internum principium, & inclinationem ad illum terminum, non enim sufficit quod habeat potentiam ad illum, quippè cum etiam ad motum uiolentum res dicatur esse in potentia, nisi enim posset, esset impossibile moueri uiolenter, sed oportet ut inclinationem quoque habeat naturalem ad illum motum, multa autem habent inclinationem ad aliquem motum, nec tamen ualent mouere seipsa, sed egent motore externo, ut mox de elementis dicetur, habent enim naturalem inclinationem ad loca propria; egent tamen alio externo, a quo moueantur ad illa, & ita habent principium motus passiuum tantum, non actiuum, ut mox Aristoteles dicturus est, proinde ratione principij passiui dicitur eorum motus esse naturalis. Aduertendum est, quòd illa verba [cum habeat,] sensum ambiguum habent, possunt enim significare, quia habet, possunt etiam significare quando habeat, quem solum sensum accipere debemus, cum Græcè legatur ὅταν ἔχῃ, significat enim Aristoteles quòd prima conditio non sufficit, non enim omne, quod habet potentiam ad aliquem motum, mouetur illo secundum naturam, sed tunc solùm quando habeat internum principium, & propensionem ad illum. Addit Aristoteles, [& non secundum accidens,] ut ipsemet statim declarat, quoniam accidens accidit alteri accidenti, ut quantum quali, ideò si contingat ut mota re ad talem qualitatem consequatur eam qualitatem certa aliqua qualitas, illud est per accidens respectu illius motus, qui fuit per se ad qualitatem, ideò quamuis sit motus naturalis, cum pendeat a principio interno, hoc tamen est solum respectu qualitatis, non respectu quantitatis consequentis, ad hanc enim dicitur moueri per accidens, propterea quòd accidentale est accidens alteri accidenti in eodem subiecto, nec dicitur per se illi inesse. Tandem Aristoteles quando dicit [ignis itaque, & terra] infert conclusionem principalem, qua denotat scopum suum in hoc contextu, concludit enim quòd elementa mouentur ab alio, non tantum uiolenter, sed etiam secundùm naturam, quod ostendendum erat, uiolenter enim ab alio mouentur quando mouentur præter naturã, idest, præter inclinationem naturalem, ut quando mouentur ad contraria loca, ad quæ non habent inclinationem, sed potius renitentiam; secundum naturam uerò


rò quando mouentur ad propria loca, sed consideranda sunt Aristotelis uerba quando dicit [cum ad suos ipsorum actus potentia existunt] quid enim per [actus] significet non est clarum, nam Simplicius intelligit motus elementorum naturales, quia elementum a generante accipit talem formam, & motum, qui illam insequitur, & est operatio formæ, proinde actus secundus hic appellatur; Alexander uerò, referente eodem Simplicio, intellexit locum proprium, ad quem mouetur elementum, locus enim est actus, & perfectio locati, ac ueluti eius forma ut ait Aristoteles quarto de Cœlo Vigesimosecundo; quæ expositio mihi melior uidetur, quamuis enim motus elementi dici possit actus, idest operatio, tamen locatio Aristotelis huic expositioni non satis accommodari uidetur, inquit enim [cum ad suos ipsorum actus potentia existunt mouentur natura] non enim sumit elementa, ut in potentia ad motum, sed potius ut actu mota in potentia autem ad loca sua naturalia, quare hæc tantum significat Aristoteles hic per actus. Simplicius hic dubitat an detur alteratio, & augmentatio uiolenta, & declarat, quòd dentur, sed hæc consideratio est omninò præter rem, quia consilium Aristotelis est solùm docere quòd elementa mouentur ab alio etiam secundum naturam, quod quidem dubium erat, de motu autem uiolento hic nihil declarare vult, satis habet ipsum supponere ut euidentissimum saltem in motu locali, & factum a motore externo.

Contextus Trigesimus secundus.

Quoniam autem quod potentia est, multipliciter dicitur, hæc causa est, ut non sit manifestum, a quo hæc moueantur; ut ignis sursum, & terra deorsum. Est autem potentia aliter sciens, qui discit, & qui habet iam, & non contemplatur. Semper autem, cum simul actiuum, & passiuum sint, fit aliquando actu quod est potentia ut ipsum discens; & ex eo quod potentia est alterum fit potentia, qui enim habet scientiam, non autem contemplatur potentia est sciens quodammodo, sed non ut, & anteaquam disceret. Cum autem sic se habet, si aliquid non prohibeat, operatur, & contemplatur, aut erit in contradictione, & ignorantia. Similiter autem, hæc se habent, & in Physicis frigidum enim potentia calidum est; cum autem fuerit mutatum, iam ignis est; urit autem nisi quid prohibeat, & impediat. Similiter autem se habet & circa graue & leue. leue enim fit ex graui, ut ex aqua aer; hoc enim potentia primum, et iam leue est, & operabitur confestim, nisi quid prohibeat, actus autem ipsius leuis est alicubi esse et sursum; prohibetur autem cum in contrario loco est, & hoc similiter se se habet, & in quanto, & in quali. Attamen quæritur hoc, quare ad suum locum moueatur leuia & grauia. Causa est, quia apta natura sunt aliquo, & hoc inest ipsi graui, & leui esse, hoc quidem

dem

dem ipso sursum, illud autem ipso deorsum determinatum. Potentia autem est, & leue, & graue multipliciter, sicut dictum est. Cum enim est aqua potentia, quodam modo est leue, & cum aer est, adhuc potentia est; contingit autem impeditum, & non sursum esse. Sed si auferatur impediens agit, et semper superius fit. Similiter autem, & quale, ut actu sit mutatur. illico enim contemplatur sciens, nisi aliquid prohibeat, & ipsum quantum extenditur nisi quod prohibeat. Qui autem id quod sustinet, & prohibet, mouit, est ut moueat, est uero ut non, ut qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit a uase in aqua, secundum accidens enim mouet, sicut reflexa sphera non a pariete mota est, sed a projciente. Quod igitur nihil horum ipsum mouet seipsum manifestum est, sed motus habet principium non mouendi, neque faciendi, sed patiendi.



VM dixerit Aristoteles grauia, & leuia moueri ab alio tùm præter naturam, tum secundum naturam, hic tandem declarare vult a quonam motore moueantur, hoc enim superest cognoscendum, quod quidem totam hac in re difficultatem faciebat; hanc autem difficultatem inquit Aristoteles prouenire ex ignoratione multiplicitatis huius nominis, potentia, cum enim mouere sit rem traducere de potentia ad actum necesse est ignorata hac potentia etiam mouens ignorari, ideo decipiuntur multi putantes grauia, & leuia a seipsis moueri. Vt igitur horum motorem cognoscamus, Aristoteles in primis potentiam hanc distinguit in duas, easque primum in alijs rebus declarat, posteà uero graui, & leui accommodat, & docet a quo motore ducatur de utraque potentia ad actum. Sententia huius partis hæc est, potentia duplex est, sicuti in initio secundi libri de anima dictum est duplicem esse actum, unus enim est actus primus, qui est forma ipsa; alter est actus secundus, quæ est operatio formæ, ita & potentia una est ad formam, altera est ad operationem formæ; ut quando aliquis nondum aliquam scientiam didicit est in potentia ad eam tanquam ad actum primum, postquam autem didicit habet actum primum, at si dormiat, uel aliquo alio impedimento detineatur ne secundum eam contempletur, habet alteram secundam potentiam, quæ est ad operationem, quando autem secundum eam iam actu speculatur, tunc habet etiam actum secundum, & dicitur secundum illam scientiam operari, hinc fit ut utramque dicere possumus esse potentiam ad operationem, sed prior potentia est ad operationem mediante forma; altera verò posterior est ad operationem præsente iam forma; ideò illam priorem uocat Auerroes potentiam essentialem, per se enim est, ut illa res dicatur in potentia ad illam operationem, cum formam non habeat, quam solam illa operatio consequitur, hanc autem posteriorem uocat accidentalem, quia per accidens fit ut præsente forma, quam illa operatio deberet consequi, res tamen non operetur, oportet enim aliquod adesse impedimentum prohibens ne illa forma operetur, impedimentum autem est accidentale ipsi rei, operatio enim (ut ait Simplicius est quid σύμφυὲς quare adepta res suam formam

mam dicitur etiam operationes esse adepta, accidens ergo ei est quòd impediatur ne operetur. Hanc utramque potentiam applicat Aristoteles graui, & leui, sic, potentia ad ascensum duplex est, una essentialis, ea quæ in elemento graui, in eo enim est potentia ad formam leuis, quare & ad motum, qui eam consequitur, altera verò accidentalis in leui iam genito, si fortè ascendere impediatur, genitum enim ex graui leue deberet ascendere, per accidens ergo est quòd non ascendat; nec absonum est rationi dicere quòd in terra sit potentia essentialis ad ascensum. non enim hanc potentiam habet, quatenus est actu terra, sed quatenus est potentia ignis, non est enim per accidens, sed per se quòd non habens formam ignis non habeat actu motum ignis, sed habeat potentia ad illum. Ab illo igitur motore dicetur graue, & leue moueri, a quo ducitur de utraque potentia ad actum; de prima autem potentia ad actum ducitur absque dubio a generante, ab hoc enim accipit actu formam leuis, proinde & omnia accidentia eam consequentia, inter quæ & motum, isque dicitur motor essentialis, & per se, quia potentia essentialis ut ducatur ad actum eget motore essentiali, & per se dicitur tradere motum ille motor, qui formam tradat, quam ille motus consequitur: de potentia uero accidentali ducitur leue ad motum a motore accidentali, nempe, a remouente impedimentum. Columna enim totam domum sustinens impedit ne deorsum feratur, si quis igitur columnam diuellat, ita ut domus cadat, is dicitur motor illius domus, sed motor accidentalis, quia etiam potentia illa erat accidentalis, motor enim essentialis semper dicitur illud agens, a quo fuit genita illa materia grauis, ab illo enim habuit & formam grauis, & motum, qui illam consequitur. Sic igitur patet grauia, & leuia non solum motu præter naturam, sed etiam motu suo naturali moueri ab externo motore, aut enim a generante, aut a remouente impedimentum; hæc est tota Aristotelis sententia in hoc contextu, quod primum dicit de sciente manifestum est, est enim uno modo potentia sciens quando nondum habet scientiam, sed eam discit, diciturque potentia essentialis, altero modo est potentia sciens, quando iam didicit, & habet actu scientiam, sed ob aliquod impedimentum non operatur, idest, non contemplatur, quando autem Aristoteles dicit [semper autem cum simul actiuum, & passiuum sint] declarat in illo ipso scientis exemplo a quonam ducatur ad actum prior potentia, & inquit eam ad actum duci ab externo agente, a magistro docente, propterea quòd quando actiuum, & passiuum simul sunt actiuum agit in passiuum, & ducit ipsum de potentia ad actum, sed in ijs verbis consideratione digna est illa particula [aliquando] nam Alexander, referente Simplicio, dixit eam in quibusdam codicibus non legi, sed tamen receptam posse habere duos conuenientes sensus, unum ut propter cautionem adiecta sit; non enim semper actiuum agit in passiuum, licet sint propinqua, potest enim aliquis esse defectus in altero, uel aliud impedimentum quod prohibeat, ne fiat actio, alterum uerò, quia de corporibus, & corporeis affectionibus fortasse nullum dubium est, quin actio sequatur, dummodo actiuum appropinquetur passiuo, quare in his non oportuisset addere, aliquando, at in doctrina, & disciplina non satis erat dicere quòd appropinquentur, quia sola appropinquatio magistri ad discipulum non satis est ad scientiam tradendam, sed opus est & electione, & tempore, immò iure Aristoteles adiecit, aliquando. Harum tamen interpretationum neutra mihi probatur, neutra enim soluit repugnantiam in his uerbis Arist. qui prius dixit [semper] postea uerò dixit aliquando; ideò melius est ut aliter dicamus, nempe Arist. dicere [semper] quia sumit actiuum, & passiuum, appropinquata cum exclusione cuiuscunque defectus,

& impedimenti, ita ut unum sit aptum agere, alterum vero pati; sic enim semper, idest, in omnibus, & necessariò sequitur actio; addit postea aliquando, quia non statim in primo congressu agens imprimit actum in patiente, etiam corporeo, sed post aliquod tempus, & uicta tandem resistentia patientis, quare dictio hæc, aliquando, nil aliud hic significare uidetur, nisi tandem. Subiungens autem Aristoteles [ut ipsum discens] significat se hoc dixisse de acquisitione actus primi, qui est scientia, ideò subdit eum de prima potentia transire ad secundam, acquisita.n. forma, ut hic scientia, est iterum in potentia, non tamen eo modo, quo prius, nam si quid impedierit ne operetur est postea in potentia ad operationem, quòd si nihil impedierit, acquirit actum secundum simul cum primo, ut statim operatur, & secundum illam scientiam cōtemplatur. quando autem inquit Arist. [aut erit in contradictione, & ignorantia] probat id, quod dixerat, necesse esse, ut acquisita forma operetur, si nihil impediat, & argumentum tale est, si ille acquisita scientia, & nullo impediente, non contemplatur, erit in contradictione, idest, fit implicatio contradictionis, quod dicendum non est, consequentia autem probatur, nam quatenus habet scientiam sine ullo impedimento operationis est sciens, & cotemplās, quatenus uerò ponitur non contemplari, non solum non est contemplans, sed neque sciens, quia sciens, quando non impeditur, contemplatur, erit igitur simul contemplans & non contemplans, sciens, & non sciens, quæ est contradictio, ideò uerba illa [& ignorantia] sunt declaratiua præcedentium, declarat enim quomodo ille erit in contradictione, nam ponitur iam adeptus scientiam, sed dum ponitur sine impedimento non operari ponitur in contradictorio scientiæ idest, in ignorantia, quare est sciens, & ignorans simul. Sic legit, & interpretatur hæc uerba Simplicius, qui etiam dixit Alexandrum aliter hæc verba legisse, nempe sic [aut erit in contradictione, & non simpliciter in ignorantia] & ea ita interpretabatur, aut erit in contradictione, & non solum in ignorantia, esse namque in ignorantia nihil esset absurdi, sed absurdum est esse in contradictione, hoc est, esse simul in scientia, & in ignorantia, quare utcunque legamus est discrimen in sensu. [Similiter autem hæc se habent & in Physicis] hactenus Arist. considerauit distinctionem potentiæ in motu animastico, & in scientia, quæ est habitus animæ, nunc uult eadem applicare etiam rebus naturalibus, & dicit [in Physicis] sumendo Physicum propriè, prout distinguitur ab animastico, hoc autem declarat prius in alteratione, & qualitatibus alteratiuis, deinde in motu locali grauium, & leuium; de quo in præsentia sermo est, inquit igitur, elementum frigidum est potestate elementum calidum, ut terra est potestate ignis, facta deinde transmutatione, & acquisito calore iam est actu ignis, & simul cum calore acquisiuit etiam actum secundum, nam statim urit, nisi quid impediat, si uerò impediatur habet solum actum primum, sed est in secunda potentia, quæ est ad operationem, nomine autem impedimenti comprehendimus etiam absentiam rei combustibilis, præsente enim combustibile, & nullo impediente, ignis, ex necessitate comburit, [Similiter autem se habet circa graue, & leue] applicat tandem hæc omnia ad motum grauium, & leuium, & inquit, si aqua mutetur in aerem prius habet potentiam ad motum sursum, quatenus est in potentia ut fiat aer, acquisita autem forma aeris statim ascendit, & habet etiam actum secundum, nisi impediatur, sed si impediatur, est in secunda potentia, quæ est potentia accidentalis ad operationem: uerba autem illa [hæc enim potentia primum, & iam leue est] alio modo intellecta fuere ab Alexandro, & alio quæ modo a Simplicio. Alexander dixit intelligenda esse de prima potentia, ad formam leuis, ut sensus sit; graue est primum in potentia essentiale, & est

potentia


potentia leue; quam ſententiam Simplicius refutat duplici argumēto; primo, quia hæc omnia verba ſignificare debent unam & eandem potentiam, at illa [iam leue eſt,] non poſſunt ſignificare primam potentiam, quæ eſt ad formam leuis, quia ſignificat potius ad eſſe formam leuis, & iam eſſe actu leue, ergo etiam præcedentia illa, [hoc enim potentia primum] ſunt intelligenda de eo, quod eſt actu leue: præterea cum Ariſtoteles dicat, [& operabitur confeſtim] ſignificat ſe præcedentia verba protuliſſe de actu leui, quòd ſit in potentia ad operationem; ipſe igitur aliter interpretatur, & inquit verba illa omnia eſſe intelligenda de ſecunda potentia, quæ ſupponit præſentiam formæ, & reſpicit operationem tantùm, & quia difficultatem facere videbatur illa dictio [primum] ipſe eam ita effugit dicens, primum hic non ſumi ſecundùm generationem, & originem, ſed ſecundùm perfectionem, quamuis enim potentia ad formam ſit prima ſecundum generationem, tamen potentia ad operationem eſt prior perfectione, ſupponit enim iam acquiſitum primum actum, cum altera neutrum actum ſupponat acquiſitum. Mihi neutra expoſitio probatur, nam & contra Alexandrum validæ ſunt obiectiones Simplicij, & ſententiæ Simplicij refragatur illa dictio, primum, cum credendum minimè ſit Ariſtotelem hic poſſe intelligere primum perfectione. Ego igitur puto non de eadem potentia eſſe intelligenda omnia illa verba, ut iſti putaſſe videntur, ſed illa [hoc enim potentia primum] credo eſſe intelligenda de prima potentia, quæ eſt ad formam, quod patet ex præcedentibus illis verbis, [ut ex aqua aer] huius enim poſteà rationem adducit dicens, hoc enim, ideſt, aqua primum erat poteſtate aer; illa vero alia verba, [& iam leue eſt] credo non dici amplius de prima potentia, ſed potius de actu primo iam acquiſito, quia [iam] ſignificat nunc, quaſi dicat, prius fuit in prima potentia, poſtea eſt iam aer actu, ideo ſubiungit, [& operabitur confeſtim], nam forma aeris iam acquiſita ſtatim operatur, niſi quid impediat, nam eſſe in ſuo loco (inquit Ariſtot.) eſt actus, & perfectio ipſius leuis; eſt etenim actus ſecundus, & ſecunda perfectio, ut dicitur in initio ſecundi libri de anima; quod ſi factus aer prohibeatur aſcendere, & vi detineatur in loco ſibi contrario, tunc eſt in ſecunda potentia, quæ reſpicit operationem; hoc idem dicendum eſt (inquit Ariſtoteles) [in quanto, & in quali,] ſi quid enim ſit in potentia ad quantitatem, & qualitatem aliquam, eſt in potentia prima ad formam; eam autem adeptum iam eſt ſimul adeptum omnia accidentia conſequentia, niſi impediatur, ſi verò quid impediat eſt tunc in ſecunda potentia ad operationem. [Atqui quæritur hoc, quare ad ſuum locum mouentur leuia, & grauia.] Colligit obiter ex dictis ſolutionem cuiuſdam quæſtionis, non quidem illius, de qua nunc agimus, ſed alterius cuiuſdam uulgatæ; quæri enim ſolet cauſa (inquit Ariſtoteles) cur ad ſuum locum grauia, & leuia moueantur, cauſa autem ex proximè dictis ſumitur, cum enim dictum ſit grauia, & leuia a generante accipere & formam, & motum eam conſequentem; ideò cauſa cur ad ſua loca moueantur eſt, quia talem habent Naturam, quam a generante conſecuta ſunt, cuius perfectio eſt eſſe in tali loco, ideò ſuaptè natura eum locum petunt. Hic autem ſumoperè notare debemus Ariſtotelem ad diuerſas quæſtiones diuerſa reſpondere, dum enim quæſiuit primum principium a quo prouenit motus grauium, & leuium illud dixit eſſe generans, non enim motu ſuo naturali moueretur leue, niſi genitum eſſet leue, hic autem ad aliam quæſtionem occurrentem aliter reſpondet, hæc enim non amplius eſt quęſtio principij illius motus, ſed eſt quæſtio propter quid, qua quæritur proxima cauſa, ideò nō amplius reſpondet cauſā eſſe ipſū generans, hoc.n. eſt cauſa remota, quę non ſatisfacit quęſtioni propter quid, ſed cauſam dicit eſſe ipſam propriam naturā

grauis, & leuis, quam motus illæ consequitur, quamuis enim a generante habeat formam, & motum, qui consequitur formam, per hoc tamen non stat quin illius motus proxima causa sit forma, remota autem generans; nam ex proximè dictis nil aliud colligitur nisi quod grauia, & leuia habent motum a generante, non quidem immediate, sed mediante forma. [Potentia autem est & graue, & leue multipliciter.] Iam ex dictis manifestum esse potest a quo motore ducuntur elementa de potentia essentiali ad actum, si id quod de sciente doctum est his quoque applicemus; sciens.n.in addiscendo acquisiuit scientiam a magistro externo, proinde & operationem consequentē, nisi quid impediat; sic ergo & graue, & leue a generante externo acquirit formam, & motū consequentem, si nihil impediat; reliquū igitur erat ut doceret etiam Arist.de potentia accidentali, quomodo graue, & leue de hac ad actum ducatur, quod quidem hic facere aggreditur, & docet grauia, & leuia de potentia accidentali ad actū duci a remouente impedimentū, ad hoc autem declarandum repetit distinctionē potentiæ iam declaratam, & eam applicat graui, & leui, & sensus uerborum hic est, potentia graue, vel leue, est duobus modis, a qua enim est potentia elementum leue, ut aer, eaque est prima potentia, quæ est ad formam, & postea quando est iam factus aer, adhuc est in potentia alio modo, nā si ascēdere impediatur est in secūda potentia. quæ est ad operationē, sed si remoueatur impedimentum statim operatur, & ascendit aer; Sunt autem notanda uerba ille Aristotelis [agit, & semper superius fit] nam uerbum illud, [agit] non denotat causam efficientem illius motus si quidem uult Aristoteles ostendere hanc esse id, quod remouet impedimentum, sed non aerē ipsum, nil aliud ergo significat hic uerbum agere, nisi exire in actum secundum, & ascendere, ut alia sequentia uerba indicant, per hoc tamen non stat quin uerbum hoc [agit] significet Aristotelem tribuere actionem aliquam etiam ipsi formæ aeris, sed hic tamen non consideratur nisi primum principium motus, ꝙ externum est. Hoc idem dicit Arist. euenire in quāto, & in quali, nam genitum quale statim [mutatur, ut actu sit] idest, ut sit in actu secundo, ut habeat totam suam perfectionem, hanc.n.habet dum operatur, mutatur autem, & operatur nisi quid prohibeat, sic etiam acquisita per augmentationē quantitate illico eam consequitur operatio, nisi quid impediat, non est quidē quantitas actiua, sed exprimit Arist. quam operationem quanto tribuat, dicens, [extenditur] genita.n.maiore quantitate fit extensio rei auctæ, nisi quid impediat eam extendi, ut si diceremus conuerti aquam in aerem, uel terram in ignem, & ita postulare maiorem locum, ad quē extendatur, prohiberi tamen extensionē ab aliquo constringente, quod in terræ motu contingit, sed de hac extensione, quæ fit in augmentatione, dicendum est in primo Libro de generatione, hic autem exempli tantum gratia eā nominauit Arist. & alterationis quoque rude attulit exemplum adeptionem scientiæ, quæ est qualitas animi, in qua non est proprie dicta alteratio. [Quod autem id quod sustinet, & prohibet] tandem apertè dicit a quo motore ducantur grauia & leuia de potentia accidentali ad actum, & inquit, a remouente impedimētum, columna enim impedit domum graue nec ne deorsum feratur, si quis enim columnam diuellat, impedimentum remouet, facitque ut tota domus cadat; si etiam sit uas in aqua plenum aere, & suppositum habeat lapidem ne ascendat, & aliquis remoueat lapidem, statim uas illud ascendit, & dicitur motum esse ab illo, qui lapidem remouet; uolens autem denotare Arist. ꝙ motor iste, qui impedimentum remouet, non mouet per se, sed per accidens, inquit, eū aliquo modo dici mouere, aliquo ēt modo minime, diuellens. n. columnā non per se mouet domum, nec remouens lapidē per se mouet uas illud, cum ne tangant quidem domū ille, hic vero uas, sed per accidēs. nā ille remouet per se columnā, quam remotionē in sequitur casus domus,

domus, huius ergo ille est causa per accidens, sic etiam hic per se mouet lapidem, sed non per se uas, idque est rationi consonum; nam mobile de potentia accidentali ad actum duci debet a motore accidentali, quare essentialis motor & domus, & aeris in uase inclusi est illud, a quo genita fuere, motor autem accidentalis eorundem est ille, qui impedimentum remouit, non enim propriè rem ipsam mouet, sed eatenus tantum mouet, quatenus remouet impedimentum; hoc autem declarat Aristoteles exemplo pilæ in pariete proiectæ, & repercussæ, reuertitur enim pila, & dicitur illo motu reuersionis mota esse a pariete, per accidens tamen, non enim posset paries mouere per se pilam, nisi ipse quoque moueretur, nullum enim mouens corporeum potest mouere nisi & ipsum moueatur, mouetur autem per se illa pila a proijciente, paries autem non uere mouet, sed impedit potius pilam ne pergat cœpto motu moueri, & sua prohibitione facit ut pila retrouertatur. quare per accidens mouet, at proijciens mouet per se, totius enim illius motus uera causa est proijciens, paries verò non est causa motus, sed potius obliquitatis, & flexionis motus, ideò dicitur motus per accidens. Non est autem ista similitudo intelligenda in omnibus, sed solùm in hoc quòd sicuti per accidens mouetur pila a pariete, ita graue & leue mouetur per accidens a remouente impedimentum, in reliquis enim est potius dissimilitudo, quàm similitudo, nam graue uel leue per accidens moueri dicitur, non ab ipso impedimento, sed a remouente impedimentum, pila verò mouetur per accidens ab ipsomet pariete impediente, sed hæc dissimilitudo ad præsentem considerationem non pertinet, ex sola enim similitudine prædicta satis habet Aristoteles declarare id, quod dixit, graue & leue moueri per accidens a remouente impedimentum, per accidens autem a generante. [Quod igitur nihil horum ipsum mouet seipsum.] Concludit Aristoteles graue, & leue motu suo naturali non a seipso moueri, sed semper ab externo motore, per se enim a generante, per accidens uerò à rem mouente impedimentum, & ne quis fortè suspicetur motum hunc esse uiolentum, quàm naturalem subiungit rationem, cur iste motus sit dicendus naturalis, fit enim ab interno principio, si non actiuo, saltem passiuo, idque satis est ut dici possit motus ab interno principio, & a natura proueniens, quidnam autem sit principium motus passiuum, diximus aliàs in secundo libro in definitione naturę, non enim dicitur natura, & principium motus passiuum materia libera ad opposita, & potentia illa passiua, quæ est potentia contradictionis, sed potentia quædam proxima, etiam coarctata ad alteram partem contradictionis, sicuti licet materia prima habeat potentiam liberam, & æqualem ad omnes formas, tamen quando est ab agente præparata propter humanam formam ita habet aptitudinem ad eam, ut non ad alias, non est tamen alia potentia quam passiua, sic igitur prima materia ut inclinata ad omnes motus, & ad contrarios motus non dicitur hac ratione esse natura, & principium motus internum, hoc enim dato sequeretur ꝙ ille motus, quem uocamus uiolentum, posset ratione materiæ dici motus naturalis; sed materia ut formata forma ignis, & cum ita ad motum ignis propensa, ut non ad alium recipiendum, dicitur natura, & principium passiuum, siue etiam melius dicimus formam ignis, ut in materia existentem esse principium motus passiuum, facit enim aptitudinem ad talem motum recipiendum, non ad alium, neque per hoc stat quin forma Elementi sit etiam principium actiuum motus, ut ait Auerroes in Commentario vigesimo octauo tertij Libri de Cœlo, mouet enim quatenus est forma, mouetur autem quatenus est in materia, sed hoc in quæstione diligentius expendendum, ac discutiendum est.

Textus Trigesimustertius.

Si igitur omnia, quæ mouentur, aut natura mouentur aut præter naturam, et uiolentia, et quæ vi, et præter naturam, omnia a quodam, et ab alio, eorum autem quæ natura rursus, et quæ a seipsis mouentur, ab aliquo mouentur, et quæ non a seipsis ut grauia, et leuia: (aut enim ab eo, quod generauit, et fecit leue, aut graue, aut ab eo quod impedientia, et prohibentia soluit) omnia utique quæ mouentur ab aliquo mouebuntur. Hoc autem dupliciter. Aut enim non per seipsum mouens, sed per alterum quod mouit mouens, aut per seipsum. Et hoc aut primum post ultimum, aut per plura ut baculus mouet lapidem, et mouetur a manu mota ab homine. hic autem non amplius ex eo, quia ab alio moueatur Vtraque igitur mouere dicimus, et primum, et vltimum mouentium, sed magis primum illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum, et sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit non mouente homine.



VBIO de grauibus, & leuibus soluto nunc Aristoteles absoluit, atque concludit inductionem iam cœptam in Contextu vigesimoseptimo, qua ostendit omne, quod mouetur, ab aliquo moueri, suaque huius partis sententia clara est, eorum, quæ mouentur, alia mouentur ui, alia secundum naturam, quæ mouentur ui clarum est quod ab alio mouentur, quæ autem natura, alia mouentur a seipsis, ut animalia, & hæc manifestum est diuidi in partem mouentem, & partem motam, adeò ut pars mota moueatur ab alia parte non a seipsa; alia uerò mouentur ab alio, ut grauia, & leuia, aut enim a generante, aut a remouente impedimentum, hinc igitur possumus colligere hanc uniuersalem, ergo omne quod mouetur, ab aliquo mouetur, idest, ab aliquo quod a re mota distinguatur. Notandum hic est ex Auerroe, tum hic, tum supra in Commentario vigesimoseptimo, quòd hæc eadem propositio quicquid mouetur ab alio mouetur, fuit etiam in principio septimi Libri Physicorum ab Aristotele demonstrata, quo factum est, ut Themistius omiserit illam probationem, quæ in initio septimi Libri habetur, putans eam superuacaneã esse, ac spuriam: quam Themistij sententiam damnat Auerroes dicens fuisse necessariam utramq; probationem adeò ut probatio præsens possit dici perfectio illius, quę habetur in initio septimi, cum utraq; per se sola insufficiens extitisset, illa namq; fuit ratio a signo, hęc verò est inductio; fuisset autem hęc insufficiens, quia aderat opinio Platonis de anima ꝙ ipsa se moueret; quare dicere ab Arist. potuisset Plato non fuisse enumerata omnia mobilia, sed animã, quæ a seipsa mouetur, fuisse prętermissam, quare hęc inductio non fecisset hac de re certam fidem, cum nõ sit inductio demonstratiua, est autem inductio demõstratiua illa, quę habet in terminis essentialẽ connexum, ita ut etiam si non omnia singularia enumerentur in ijs paucis,

quæ

quæ numerantur, appareat essentialis, connexus, & cognoscatur necessariũ esse idẽ fateri in omnibus, qualis nõ est inductio præsens, non.n. apparet esse essentialẽ connexũ inter moueri, & ab alio moueri, cũ Platonis opinio in hoc difficultatẽ ponat, ideò necessaria fuit probatio vniuersalis, quæ habetur in septimo, qua ostenderetur uniuersaliter quòd sit impossibile aliquid a semetipso moueri, contra uerò etiam illa fuit insufficiens, quoniam vniuersaliter de omnibus probans non soluebat dubium, quòd in particularibus occurrebat, aliqua enim sunt, quæ uidentur a se moueri, & simplicia sunt, quare non uidetur in eis distingui motor a moto, nempe, grauia, & leuia, quare visus esset sensus pugnare cum ratione, nisi hoc dubium sublatum esset, propterea Aristoteles hic voluit inductione uti, ut hac sumpta occasione enumerandi omnia particularia tolleret dubium hoc, quod de grauibus, & leuibus occurrebat. Recentiores quidam hic Auerroem carpunt, quem non intelligunt, nam attribuunt Auerroi quòd dixerit rationem hanc non esse inductionem hoc motus argumento, quòd stante opinione Platonis hæc esset insufficiens, si tanquam inductio sumeretur, attamen hoc Auerroes non dicit, non enim ex eo quod hæc ratio sit insufficiens ostendere vult eam non esse inductionem, sed pro comperto sumens quòd sit inductio, ostendit eam esse insufficientem, proinde necessarium fuisse etiam probationem illam uniuersalem, quæ in initio septimi libri habetur, in sufficientem autem esse dicit, quia non est demonstratiua; nam etiam si in inductione non demonstratiua enumeret quis omnia singularia, ea tamen certam fidem non facit, quia probare quidem potest omne esse eiusmodi, at non potest probare necessarium esse ut sit eiusmodi, ita ut etiam aliter se habere non possit. Sed illud hac in re soluendum relinquitur, si utraque requirebatur probatio cur Aristoteles non uno, & eodem loco utraque usus est, sed illa in principio septimi libri, hæc uerò hic? dicendum uidetur Aristotelem noluisse hic facere tam longam digressionem quantam fecisset si illam quoque probationem ad hunc locum transtulisset; adde quod neque ista ibi conueniens fuisset, neque illa hic, diximus enim in quarto contextu huius libri discrimen hoc esse inter hunc octauum librum, & alios septem quòd alij sunt de natura, & de motu uniuersaliter, hic verò est de motu magis particulariter, ratio igitur uniuersalis eo in loco opportuna, & conueniens fuit, inductio uerò hic in qua considerantur particularia, & sat est quòd illa probatio ad hanc dirigatur ut ad huius complementum scripta, siue ad hanc ut adiectam ob complementum illius: hoc uidetur respexisse hoc in loco. Simplicius dicens hanc probationem esse naturaliorem quam illam, quę facta est in septimo libro, siquidem naturalior ratio ea esse uidetur, quæ proprius accedit ad sensilia. [Hoc autem dupliciter, aut enim non propter seipsum mouens] Pars hæc ad sequentia potius pertinet quàm ad præcedentia, hactenus enim Aristoteles declarauit primam illam propositionem, quicquid mouetur ab alio mouetur, ut diximus in contextu Vigesimoseptimo, in parte autem sequente aggredietur declarationem alterius sequentis propositionis, Videlicet, quod in mouentibus, & motis non detur processus in infinitum, sed necessario sit deuenire ad vnum primum, quod ab alio non moueatur; propter hanc igitur secundum propositionem Aristoteles hic proponit distinctionem quandam mouentium, occasionem sumens a præcedentibus postremis uerbis, nam dixerat [ab aliquo mouebuntur] nempe, mouente, nunc statim subiungit [hoc autem] idest, mouens est dupliciter. distinctio autem, quam ponit, hæc est, mouens aliud est primarium, aliud secundarium, primarium mouens est illud, quod mouet secundum propriam uirtutem, & (ut inquit Simplicius) in quo est insita, & radicata ipsa uis motrix; secundarium uerò est illud, quod mouet ut motum a primario, & ut instrumentum illius,

illius, in hoc enim non est insita ipsa facultas motrix, sed eam recipit ab alio, sine quo non moueret, sed perpendenda sunt verba, quibus Aristoteles denotat hanc distinctionem, dicens enim [per seipsum mouens] significat mouens secundum propriam uirtutem, quod est mouens primarium, dicens autem [per alterum] denotat secundarium mouens, quod mouet per alterius uirtutem, dictio enim, per, hic non significat instrumentum, sed potius è contrario significat primarium mouens, non enim per alterum hic significat per Instrumentum, sed significat per virtutem alterius, & fortasse sensus Aristotelis clarior esset, & omnis auferetur occasio errandi, si non, per, legeremus sed; propter, vt reuera legendum est, nam dictio Græca διὰ cum accusatiuo casu non significat per, sed propter, & hunc eundem traductionis errorem notauimus in capitulo ultimo primi libri de propositionibus necessarijs ut commissum in contextu Trigesimoquinto primi libri posteriorum, si igitur hic dicamus propter ipsum, propter alterum non poterit significari instrumentum, sed agens primarium, in quo est sita, & radicata ipsa causa, & uis mouendi, nam dictio, propter, significat causam. Quando autem dicit, [Et hoc aut primum post ultimum, aut per plura] facit quandam subdiuisionem, tamen nec primarij motoris, nec secundarij, sed eius totius, quod dictum erat, unum enim mouere per uirtutem propriam, & alterum per alienam, esse potest duobus modis, aut enim inter mobile & primarium mouens interponitur unum tantum secundarium mouens, aut plura, ideò Aristoteles, quando dicit [aut primũ post ultimũ] per primũ intelligit primarium mouens, per ultimum intelligit secundarium, quod dicitur ultimum secundum ordinem naturæ, sicut primarium uocatur primũ, dictio aũt [post] est intelligenda ascendendo, quasi dicat, supra ultimũ mouens non est aliud mouens secundarium, sed est immediate ipsum primarium, quòd verò dicit [aut per plura] significat per plura secundaria mouentia ascensum ad primarium motorem fieri, & hic διὰ ponitur cum casu genitiuo, ideò non significat nisi, per, & est alia acceptio a præcedente, qua cum accusatiuo significauit, propter, & statim huius postremi membri exemplum affert Aristoteles dicens, ut baculus est mouens ultimum, a quo lapis mouetur, mouetur autem baculus a manu, & manus ab homine, sic enim ascenditur ab ultimo mouente non immediate ad primum, sed per alium secundarium mouens medium per manum, homo autem sumitur ut primarium mouens, & Auerroes putat per hominem hic significari uirtutem animæ, a qua mouetur manus, anima enim est motor primus, manus uerò, & baculus sunt mouentia secundaria, quæ non mouent nisi per uirtutem animæ. Deinde quando dicit. [Vtraque igitur mouere dicimus] Comparat mouẽs primarium cum secundario, & inquit, quod licet utrumque dicatur mouere tamen primarium magis mouet quam secundarium, quòd probat duplici argumento, primò sic, primum mouens mouet vltimum, nec mouetur ab illo, ergo primum magis mouet secundò sic, primum potest mouere sine ultimo, at ultimũ non potest mouere sine primo, ergo primum magis mouet; in hoc autem secundo argumento est notandum, quòd primum posse mouere sine ultimo non est intelligendum respectu cuiuslibet determinati mobilis, fortasse enim anima non potest mouere lapidem nisi per aliquod medium mouens instrumẽtarium, sed absolutè tamen mouere aliquid potest sine ullius ope mouentis secundarij, immediatè enim mouet saltem manum, uel spiritum, uel aliquid simile, & mouens secundarium quatenus tale est non potest mouere sine primario, dixi autem quatenus tale est, quia si quis habet pellens alium hominem faciat ab illo pelli lapidem, ille alius homo potest etiam per se sine primo pellente mouere lapidem, at non quatenus est mouens secundarium, sed quatenus ipse quoque potest euadere motor

prima-

primarius, nam quatenus est motor secundarius nullam habet vim mouendi, cum statuatur mouere per alterius tantum virtutem. Auerroes notat Aristotelem his duobus argumentis tribuere mouenti primario duplicem principalitatem; priori namque argumento dat ei principalitatem causæ, seu causalitatis, id enim quod est causa causæ est magis causa, causam autem causæ intelligo, non absolutè ut sit, sed ut sit causa; anima enim non est causa baculo ut sit, sed ut sit mouens, quare anima maiorem habet causalitatem; altero autem argumento dat eidem principalitatem naturæ, id enim est prius natura a quo non conuertitur existendi consequentia, at primarius motor est motor etiam sine secundario, hic autem sine illo non est motor, ergo ille est prior natura. Hæc omnia de distinctione mouentium dicta sunt ab Aristotele propter sequentem tractationem, talis enim distinctio non consideratur nisi in mouentibus essentialiter ordinatis, in quibus solis posteà declaraturus est non dari processum in infinitum, non in accidentaliter ordinatis in his enim non potest negari secundum Aristotelem processus in infinitum quia non in eodem tempore mouent, neque idem mobile, ut potest motorem lapidis est motor nauis, & post hunc est alterans aquam, & sic in infintum, at essentialiter ordinata dicuntur illa mouentia, quæ eodem tempore concurrunt ad eiusdem rei motum, ut anima, manus, & baculus, ad motum eiusdem lapidis, in his locum habet distinctio prædicta, & in his est ostensurus Aristoteles non dari processum in infinitum.

Contextus Trigesimusquartus.

Si ergo necesse est omne quod mouetur ab aliquo moueri, & aut ab eo quod mouetur ab alio, aut non, & si ab alio quidem quod mouetur, necesse est aliquid esse primum mouens, quod non ab alio. Si autem huiusmodi est primum, non necesse est esse alterum, impossibile enim est in infinitum abire mouens, & ipsum quod mouetur ab alio, infinitorum enim nihil est primum. Si ergo omne quidem quod mouetur ab aliquo mouetur, primum autem mouens mouetur quidem non autem ab alio, necesse est ipsum a seipso moueri.



RANSIT ad demonstrandam alteram illam propositionem in mouentibus, & motis necesse deuenire ad primum mouens immobile; est autem aduertendum Aristotelem a notioribus procedere uolentem nos ducturum esse ad duo prima mouentia, primum enim nos ducet ad primum mouens mobile, nempè, quod non mouetur ab alio, sed a seipso, cuiusmodi sunt Cœlum, & animal, deinde transibit ad ostendendum alterum primum mouens immobile, distinguens enim primum mouens mobile in duas partes motam, & mouentem inueniet quod in primo motore mobili pars mouens est primus motor immobilis, cuiusmodi est in animalibus anima, & in cœlo intelligentia: sed Aristoteles hoc in præsentia dimisso; versabitur prius in demonstrando primo mouente mobili ab hoc contextu usque ad quadragesimum, hoc enim est corporeum, & nobis notius; deinde a

quadra-

quadragesimo vsque ad quadragesimum quintum transibit ad demonstrandum, quòd necesse est etiam deuenire ad primum mouens, quod sit immobile. In hoc igitur contextu Trigesimoquarto ponit Aristoteles argumentum primum ad probandum dari primum mouens, quod a seipso mouetur, ad quod concludendum probat ordinatim duas conclusiones. Prima est quòd necesse est deuenire ad primum mouens, quod non moueatur ab alio. Secunda verò quòd necesse hoc moueri a seipso, priorem rationem habemus usque ad illa uerba. [Si ergo omne] a quibus incipiet alterius conclusionis probatio, prior autem talis est, necesse est omne, quod mouetur, ab alio moueri, hoc enim sumit tanquam hactenus demonstratum, ideò accipit [si] pro, quia; aut igitur id, quod mouetur, mouetur a motore moto ab alio, aut a motore non moto ab alio; si dicatur a motore non moto ab alio iam habemus id, quod volumus. hæc enim erat prior conclusio ostendenda, dari primum motorem, qui ab alio non mouetur, ideò huius membri acceptionem omittit exprimere Aristoteles tanquam rem manifestam; accipit autem alterum membrum, & inquit, si ab alio mouetur mouens, de illo alio rursus quæram, an a se moueatur an ab alio, si a se, iam habeo id, quod uolo, si ab alio, ergo necesse est tandem deuenire ad primum, quod non moueatur ab alio, quod consequens declarat prius Aristoteles, deinde consequentiam probat, declarat consequens quando inquit [Si autem huiusmodi est primum] idest, quoniam id, quod est primum est huiusmodi, ut non pendeat ab alio, siquidem primum hoc significat, ideò non est necesse esse alterum motorem priorem, a quo moueatur, iam enim dixerat primum motorem esse illum, qui non eget alio motore, ut possit mouere; dictio [primum] habet articulum, habemus enim Græcè τὸ πρῶτον ideo subiectum est, & illa dictio [huiusmodi] est prædicatum, sic igitur declarat Aristoteles primum illud esse, quod ab alio priore non pendet, & adhuc accipit, [si] pro, quia, deinde probat consequentiam, nempe, quod sit necessarium ad tale primum deuenire, quod ab alio non moueatur, nam si quodlibet mouens moueretur ab alio esset processus in infinitum; at infinitorum nihil est primum; unde sequitur nullum prorsus fieri motum, quod aduersatur supposito, ponimus enim mobile moueri, & a motore moto, deductio autem clara sumitur ex dictis in contextu præcedente, motor enim secundarius non mouet sine primario, ergo in quibus motoribus nullus est primus omnes erunt secundarij, nullus ergo mouebit si nullus est primus, & hæc est ratio efficax, quia non potest fieri motus nisi aliquid sit mouens, in quo sit radicata uis motrix. itaque si nullus est primus motor in nullo est radicata uis motrix, a nullo ergo possunt alij motores recipere uim mouendi, quia nullus est primus, nec eorum ullus in se talem uim habet, nullus ergo mouebit, cum neque in se uim habeat mouendi, nec aliquem alium habeat, a quo eam recipiat siquidem nullus est primus, patet igitur rationem hanc Aristotelis esse ex proprijs, nempè, ex eo quòd supponitur dari motum, qui est principium cognitionis in scientia naturali. Tandem Aristoteles quando dicit [Si ergo omne quidē quod mouetur] probat alterā conclusionē sic, omne quod mouetur mouetur ab aliquo, at primum mouens mouetur, ergo ab aliquo, aut igitur ab alio, aut a se, at non ab alio, ut ostensum est modò, ergo a seipso, sic igitur ostensum est necessarium esse deuenire ad primum mouens, quod a seipso moueatur, est autem hic notandum quòd moueri ab alio sumitur hic eo modo, quo sumptum est in contextu Vigesimo septimo, Videlicet, pro eo, quod est moueri a motore separato, & disiuncto, loquitur enim Aristoteles de mouentibus corporeis, quæ necessario sunt loco, & subiecto separata a moto, & vult ostendere, quòd in his datur aliquid primum, quod non mouetur ab alio motore separato, sed a seipso, per hoc

tamen

tamen non stat, quin in eo pars mouens sit alia, & diuersa a parte mota, licet loco separatæ non sint, proinde in alio sensu uerum est, quòd omne motum mouetur ab alio.

Textus Trigesimusquintus.

Amplius autem, et sic ipsam hanc rationem est aggredi. Omne enim mouens, et aliquid mouet, et aliquo, aut enim seipso mouet ipsum mouens, aut alio, ut homo seipso, aut baculo, et uentus deiecit, aut ipse, aut lapis, quam impulit impoßibile est autem mouere sine eo, quod seipso mouet id quod mouet, sed si ipsum seipso mouet, non necesse est aliud esse, quo mouet; si uerò sit alterum id quo mouet est aliquid quod mouebit, non quodam sed seipso, aut in infinitum abibit. Si igitur aliquid, quod mouetur, mouet, necesse est stare, et non in infinitum ire si enim baculus mouet ex eo, quia mouetur a manu, manus mouet baculum, si autem, et hanc aliud mouet, & hunc aliud aliquid mouens est. Cum itaque alquo moueat semper alterum necesse est prius ipsum esse seipso mouens. Si igitur mouetur quidem hoc, non autem est aliud mouens ipsum necesse est ipsum seipso mouere, quare & secundum hanc rationem, aut mox id quod mouetur ab eo quod ipsum seipso mouet mouebit, aut uenit aliquando ad aliquid tale.

HIC Aristoteles repetit eandem rationem, & ex ijsdem terminis conflatam, sed alio modo consideratis, quemadmodum ipsemet primis uerbis testatur; Ad huius igitur discriminis intelligentiam notandum est quòd motor primarius, & motor secundarius, cum ad eiusdem mobilis motionem concurrant, mutuum sibi auxilium præstant; primarius enim dat secundario uim mouendi, quam secundarius secundum se non habet, ut supra in contextu Trigesimotertio dictum est, secundarius autem auxiliatur primario, ut illi inseruiens tanquam instrumentum; seu tanquam mediator quidam per quem transfertur motus a motore primario ad mobile, Aristoteles igitur cum in contextu præcedente rationem formauerit ex consideratione prioris auxilij, nunc eandem formare vult ex consideratione alterius posterioris, ibi namque dixit, mobile uel mouetur a motore moto ab alio, vel a motore non moto ab alio, id enim fuit considerare ascensum ad motorem primarium, & ita respicere primum auxilium, hic autem quærit an motor moueat instrumento aliquo, an sine ullo instrumento, sed seipso, quod est considerare secundum auxilium, & descensum a motore primario ad secundarium, hæc autem duo auxilij genera Aristoteles diuerso loquendi modo significauit, tum ad vitandam ambiguitatem, tum ad seruandam sermonis proprietatem, nam in contextu Trigesimo tertio primum auxilium significauit uoce illa, propter quæ significat causam, siquidem motor primarius causa est secundario, ut sit motor, hic uerò se-

rò secundum auxilium significat, datiuo casu, qui apud nos uertitur in ablatiuum, qui propriè significat instrumentum . dicimus enim artificem malleo clauem facere. Aristoteles igitur priore illa ratione ostendit dari mouens, quòd non mouetur ab alio, sed a seipso, proinde quod non propter aliud mouet, a quo uim mouendi recipiat, sed per propriam uirtutem mouet, hic uerò ostendere vult dari mouens, quod non alio mouet, sed seipso, hoc est, quòd nullo utens instrumento mouet, hoc autem postea videbimus esse illud idem, quod antea uocabatur, non ab alio motum, seu non mouens propter aliud, differt igitur illa ratio ab hac ut ascensus a descensu, eamque iterare voluit Aristoteles, quia sic fit euidentior, quoniam secundum auxilium est nobis manifestius primo, rectè igitur harum rationum discrimen declarauit Alexander dicens illam processisse a mobilibus ad mouentia, hanc uerò a mouentibus ad mobilia, nam secundarium mouens est mobile respectu primarij . Simplicius autem reprehensionem aliquam meretur, dum hoc ab Alexandro relatum discrimen non recipiens, & aliud afferre uolens, incidit tamen in illud idem alijs verbis significatum, inquit enim priorem rationem vsam esse pro medio eo, quod est mouere propter alium, hanc uerò uti pro medio eo, quod est mouere alio, sed quid nam aliud est mouere propter alium quam pendere a motore priore? & quid aliud est mouere alio quam mouere per secundarium motorem? hic quidem est descensus a primario motore ad secundarium, proinde ad motore ad mobile; ille verò fuit ascensus a secundario ad primarium, proinde a mobili ad motorem, ut Alexander dicebat. Volens igitur Aristoteles eandem rationem formare iacet illa eadem fundamenta, quibus antea usus est, ad aliam tamen hanc considerationem accommodata, quemadmodum enim supra distinxit mouens in illud, quod mouetur ab alio, & in illud, quod non mouetur ab alio; ita hic distinguit mouens in illud, quod mouet alio, & in illud, quod non mouet alio, sed seipso, lapidem enim mouere potest homo, vel seipso, vel baculo medio, sic ventus aliquam rem deijcere potest, uel seipso immediatè, vel lapide medio, quia a vento pulsus rem illam deijciat; & quemadmodum ibi sumpsit quod illud mouens, quod ideò mouet, quia mouetur ab alio, non potest mouere sine illo alio, illud tamen potest mouere sine ipso, ita hic sumit quod id, quo aliquid mouet, non potest mouere sine illo, quod seipso mouet, sed illud, quod seipso mouet, non necessariò eget alio, quo moueat, quia licet etiam alio mouere possit, aliquid tamen mouet seipso, non alio; Videtur tamen hoc postremum poni ab Aristotele, non ut suppositum, siquidem est id, quod nunc probandum est, sed potius ut declaratio eius, quod probare vult, conueniens enim est ut prius quàm aliquid probemus illud ipsum declaremus, probaturus itaque statim Aristoteles, quòd necesse est aliquid dari, quod seipso moueat, uoluit primò hoc declarare dicendo, quòd non conuertitur, quamuis enim id, quod seipso moueat, possit mouere sine alio, quo moueat, tamen non conuertitur, id enim, quòd est instrumentum quo aliud mouet, non potest mouere absque illo, quòd seipso mouet, & huius statim probationem subiungit Aristoteles quando dicit [Si uerò sit alterum id, quo mouet,] & sensus est, si est aliquod Instrumentum, quo aliud mouet, necesse est dari aliquid, quòd moueat non alio, sed seipso, hæc enim est conclusio probanda, cuius probatio est illa [aut in infinitum abibit] nam si detur oppositum fiet processus in infinitum, hoc autem dici non potest, quia sic omnis motus aufertur, ut etiam in contextu præcedente dicebamus; ut igitur euitemus progressum in infinitum (inquit Aristoteles) necesse est stare in aliquo primo, quod seipso moueat, deductionem autem huius absurdi declarat Aristoteles, quando ait, [si enim baculus mouet] si baculus mouet lapidem


pidem eo, quòd mouetur ipse a manu, uidendum an manus moueat baculum seipsa, an alio aliquo, cum si seipsa, iam habeo id, quod uolo, si uerò alio ut medio inter manum & baculum, necesse est illud mouere baculum, & moueri a manu, si igitur manus semper mouet alio, erit processus in infinitum in mouentibus instrumētalibus, quare nullus fiet motus, quia infinita non possunt pertransiri, nunquam.n. a manu ad lapidem perueniet motus, si infinita sint media, per quæ transeundum est. Sic intelligi potest deductio Arist. quę etiam alio modo intelligi potest, ut dicat, baculus mouet lapidem eo quod mouetur ipse a manu, [Si uero & hanc] idest, manum moueat aliud superius, & ita semper aliud, tunc nunquam perueniemus ad primum, quare necesse est dari primum, quod seipso mouere dicatur, sed hæc deductio est potius illa, quam in præcedenti textu habuimus, quare altera uerisimilior est; licet uerba Arist. ad utrumque trahi posint: propterea quòd quando inquit, [Si autem, & hanc] dictio illa [hanc] non magis potest significare manum quàm baculum, cum baculus in Græca lingua sit fęminini generis. Verbis autem illis. [Cum itaque aliquo semper moueat] ponit Arist. conclusionem ipsam probatam, necesse est dari aliquod mouens prius alijs, quod seipso moueat, quandocunque mouens alio mouet, idest, quando mouens mouet alio, necesse perueniri ad primum, quod moueat seipso. Sed hic dubitare aliquis posset, quia non uidetur hęc ratio probare propositū, nam ostendere ꝙ detur aliquid mouens seipso, non est ostendere dari primum motorem, qui seipsum moueat, nec moueatur ab alio; nil.n. aliud est mouere seipso quàm mouere sine instrumento medio, quare etiam baculus seipso mouet lapidem, idest, non per aliud instrumentum medium, nec per hoc stat quin posit baculus moueri a motore priore, ut a manu. Hoc dubiū tollitur ab ipso Arist. quando dicit, [si igitur mouetur quidem hoc] ubi docet idem esse in præsentia mouere seipsum, & mouere seipso, uel saltem reciprocari, cum enim hic non de alio mouente loquemur, quàm de corporeo; necesse est ut id, quod seipso mouet, non moueatur ab alio. Huius autem rationem esse puto, quoniam id solum dicitur mouere propriè loquendo, in quo est posita, & radicata uis motiua, mouens autem instrumentale non habet in se vim motricem, quare mouet potius ut quo, quàm ut quid, ideò quando plura sunt subordinata instrumenta, nullum ipsorum dicitur Instrumentum alterius, sed omnia dicuntur instrumenta unius motoris primarij, quod idem in artibus uidemus, quamuis enim artifex utatur aliquo Instrumento, quod moueat aliud instrumentum, non tamen hoc illius Instrumentum dicitur, sed ambo solius artificis instrumenta dicuntur, dicere igitur aliquid seipso mouere, est dicere positam esse in eo uim motricem, idque non posse esse mouens instrumentale, quare id non potest esse, nisi mouens primarium, quod ab alio non mouetur, nisi a seipso, quo fit, ut uirtute propria moueat aliud, & ita seipso. Indicat ergo Aristoteles quòd mouere seipso sit mouere cum exclusione auxilij prædicti, & sit nec moueri ab alio, nec alio instrumento uti. Hanc igitur sententiam significat Aristoteles dum dicit, si motor mouetur non ab alio, necesse est ipsum seipso mouere, quia non diceretur seipso mouere, si ab alio moueretur, nec moueret aliud seipso, nisi prius moueret seipsum, instrumentum enim quatenus est instrumentum, non dicitur mouere seipso. Non est autem ignorandum quòd quando Aristoteles dicit, omne mouens mouere aliquo, illud aliquo, non omnino significat Instrumento. etenim si seipso moueat, mouet aliquo, nec tamen ipsum sibimet est instrumentum sed significat quid communius instrumento, nempè instrumentum & negationem instrumenti, nā subdiuiditur posteà in mouens alio, & mouens seipso, & alio quidē mouēs mouet instrumento, at mouens seipso nō mouet instrumēto, quare nil aliud

 est

est mouere seipso quàm mouere absque instrumento aliquo. Tandem concludit Aristoteles se per hanc rationem ostendisse illud uniuersale, quod in contextu precedente ostenderat, nempe, quod id, quod mouetur, uel mouetur immediatè ab eo, quòd mouet seipso, uel saltem mediatè, quia necesse est peruenire tandem ad aliquid tale. Si quis autem quærat qualis sit hæc Arist. ratio in his duobus contextibus duobus modis formata, mihi quidem uidetur esse ab effectu ad causam, ducit enim ad hoc imposibile quòd auferretur motus, quare si vertatur in ostensiuam, erit ratio a motu ad primum motorem, qui moueatur a seipso. Et potest ita formari ostensiua, datur motus, ergo datur aliquis motor, in quo sit posita, & radicata uis mouendi, hic igitur ab alio non mouebitur, mouetur tamen, quoniam omne mouens Physicum & corporeum, (de hoc enim loquimur nunc) dum mouet, mouetur, ergo motor a seipso, & seipso etiam mouet.

Contextus Trigesimus sextus.

Postea autem quæ dicta sunt, & sic considerantibus accident hæc eadem. Si enim ab eo, quod mouetur, mouetur omne quod mouetur: aut hoc rebus ipsis inest secundum accidens ut moueat quidem id, quod mouetur, non tamen propterea quod mouet ipsum semper, aut non, sed per se. Primum igitur, si secundum accidens, non est necesse moueri id, quod mouetur. Si autem hoc est, manifestum est, quod contingit aliquando nihil moueri eorum, quæ sunt: non enim necessarium est accidens, sed contingit non esse. Si ergo ponamus posibile esse, nullum imposibile accidet, falsum autem fortassis. Sed motum non esse imposibile est. Ostensum enim est prius hoc, quod necesse est motum semper esse.



VERROES, & alij plures putant Aristotelem hic probare dari primum motorem immobilem, quam antiquorum quoque fuisse sententiam Simplicius testatur, & Alexandri testimonium adducit. Huius opinionis absque dubio fuit Themistius, qui uidens partem hanc esse de motore primo mobili, & putans hunc contextum esse de motore immobili, censuit enim ab hac parte alienum esse, & ipsum transtulit ad contextum quadragesimumsecundum, ubi agitur de motore immobili, neque hunc solum, sed & duos alios sequentes contextus transtulit ad eum locum Themistius ob eandem rationem. Sed Alexandro, & Simplicio placuit, vt isti contextus hoc in loco legantur, & in ijs agatur de motore primo moto a seipso, præsertim in hoc Trigesimosexto, & in Trigesimo octauo, nam de Trigesimo septimo dubium est, ut mox videbimus. Hanc igitur nos quoque sententiam sequentes dicimus Aristotelem hic aliam adducere rationem ad idem probandum, videlicet, quòd primus motor non possit moueri ab alio, sed moueatur a seipso, & Aristoteles ipse primis uerbis testatur se afferre uelle nouam rationem ad probandum eandem conclusionem. Ratio autem, qua vtitur Aristoteles, talis est, dico dari motorem primũ qui ab alio nõ mouetur, hũc si tu dicas ab alio moueri, necesse est, vel per accidẽs moueri ab alio, vel per se, at neutrũ dici potest, ergo nullo modo mouetur ab alio. Quod quidẽ non possit ab

alio

alio moueri per accidens, probat Aristoteles in hoc contextu: quòd autem neque, per se, probabit in trigesimo octauo. Est autem notandum, quòd cum duplex sit per accidens, unum quod potest esse & non esse, alterum quod est per accidens necessarium; Aristoteles hic illud tantum intelligit quod potest esse & non esse, & distinguitur a necessario, nam in hoc contextu opponit per accidens ipsi necessario, & in trigesimooctauo confundet per se cum necessario, quare per se intelligit omne id, quod est necessarium, nec potest non esse. Facit igitur Aristoteles in primis prædictam diuisionem ipsius moueri per se & per accidens: deinde probat primum motorem non moueri per accidens. Sed notanda sunt uerba Aristotelis, ne cum multis in errorem labamur, unde quando dicit [Si enim ab eo, quod mouetur, mouetur omne, quod mouetur] non est intelligendum quod ostendere uelit dari primum motorem, qui nec per se nec per accidens moueatur, sed subaudiendum est, ab alio, ut uerborum sensus sit, si enim ab eo, quod mouetur ab alio, mouetur omne, quod mouetur, nam probare uult non omne mouens moueri ab alio, sed dari aliquod quod a seipso mouetur, ideò non diuidit moueri, sed diuidit moueri ab alio in per se, & per accidens, ut testantur illa uerba [accidit hæc eadem] indicant enim esse ostendendam eandem conclusionem, quæ prius ostensa fuit. Postea cum dicit [aut hoc rebus ipsis inest secundum accidens] sensus est, uel per accidens inest rebus ut mouens moueatur ab alio, ita ut mouens moueat quidem propterea quod mouetur, non tamen propter quod moueatur semper, idest, necessariò, & per se, sed quia mouetur ab alio per accidens, uel potius non inest hoc rebus per accidens, sed per se, & necessario: ita ut omne, mouens moueatur ab alio per se, & ex necessitate, quasi dicat, uel illud, quod ego statuo esse primum mouens, tu dicis ab alio moueri per se, uel per accidens: hic enim reuera est sensus omnium uerborum Aristotelis, qui uniuersaliter de omni motore hoc dicit, ut comprehendat etiam illum, quem nos dicimus primum. Est autem in multis Latinis Codicibus error, ubi enim legitur [non tamen propterea quod mouet] Græcus Codex habet uerbum passiuum, ideò legendum est, mouetur. Hac igitur facta distinctione Aristoteles quando dicit. [Primum igitur si secundum accidens] probat dici non posse quod per accidens moueatur ab alio, & utitur argumento ducente ad impossibile per duas consequentias tales, si mouetur ab alio per accidens, ergo non est necessarium ipsum moueri, sed potest non moueri, hoc autem dato sequetur quòd aliquando contingat ut nihil prorsus moueatur, & ita nullus omninò detur motus, hoc autem est absurdum, quia in hac scientia supponitur dari motum, immò, & in huius Libri initio ostensum est motum semper esse, & hæc consequentis destructio habetur in ultimis uerbis, quando Aristoteles dicit, sed motum non esse impossibile est &c.] sed prius probat consequentiam, quando inquit, [non.n. necessarium est accidens, sed contingit non esse,] idest id, quod est per accidens, non est necessarium, sed potest aliquando non esse, quare si motor, quem ego dico esse primum, mouetur per accidens ab alio, potest ergo non moueri, atqui supponitur ideo mouere, quia ipse mouetur, ergo quando non mouebitur, non mouebit alia, quoniam igitur cuiuslibet rei motus necesse est ut pendeat tandem ab aliquo motore tali, contingere potest ut nihil penitus moueatur, siquidem quando non moueatur illud, a quo mouentur reliqua, siue id sit unum, siue etiam plura, a quibus pendeant aliorum motus, certum est quod nil aliud erit quod moueatur, quare manifesta est utraque consequentia. Volens autem postea Aristoteles destruere consequens, uerba quædam interponit ad denotandam suæ argumentationis efficacitatem, quoniam enim argumentatus est ex possibili posito in esse, ideò notat ex prioribus Analyticis, quòd ad destruendam illam possibilitatem non sa-

tis est ostendere, quòd posito in esse sequatur falsum, siquidem ex possibili posito in esse potest absque ulla absurditate sequi falsum, ut si ego dicerem, possibile est me nunc ambulare, non potest aliquis hoc impugnare dicendo, ponatur in esse, ergo sequetur quòd non sederes, hoc tamen falsum est, quia reuera sedes; ex eo enim possibili posito in esse sequitur reuera hoc falsum, sed falsum possibile. Quare non est absurdum quod ex possibile posito in esse sequatur aliquod falsum, sed est absurdum quod ex possibili posito in esse sequatur aliquod impossibile, ex hoc enim ostenditur quòd reuera illud, quod dicebatur esse possibile non erat possibile, quoniam igitur aduersarius dicit primum, quem pono motorem moueri ab alio per accidens, proinde posse non moueri, ego dico ponatur inesse quod non moueatur, ex hoc sequitur non solum falsum, sed falsum impossibile, quod nullus erit motus, hoc etenim est absurdum, ergo etiam id, ex quo sequitur, uidelicet, quòd primus motor moueatur ab alio per accidens, quod autem latius pateat falsum quàm impossibile, clarum est per se, nec ulla eget declaratione.

Textus Trigesimusseptimus.

Et rationabiliter hoc accidit. Tria enim necesse est esse, quod mouetur, & mouens, & id quo mouet. Id igitur quod mouet, necesse est quidem moueri, mouere autem non necesse est; id autem quo mouet, & mouere et moueri, pariter enim mutatur hoc, simul, & secundum idem cum eo, quod mouetur existens. Manifestum autem est in mouentibus secundum locum, tangant enim se inucem necesse est sic usque ad aliquid mouens autem sic, ut sit non id, quo mouet, immobile. Quoniam autem uidemus ultimum, quod moueri quidem potest, motionis autem principium non habet, & quod mouetur quidem, ab alio autem, sed non a seipso rationabile est (ut ne necessarium dicamus) & tertium esse quod mouet quidem cum sit immobile. Qua propter, & Anaxagoras recte dicit, mentem impassibilem inquiens, & immistam esse, quoniam motus principium ipsum facit esse, sic enim utique solum mouebit, cum sit immobilis, et uincet cum sit immistus.



CONTEXTVM hunc consentiunt omnes pertinere ad motorem primum immobilem, quem hic Aristoteles dari ostendit, ideò non desunt, qui dicant transferendum esse ad contextum quadragesimum secundum, ut ab hoc loco alienum, quia non solum est de motore immobili, sed supponit etiam aliqua prius dicta fuisse de eodem, cum Aristoteles dicat, [Et rationabiliter hoc accidit] hactenus tamen nihil de motore immobili dictum uidimus, quòd si etiam concederemus præcedentem

quoque

quoque contextum fuisse de motore immobili adhuc tamen non bene hic cum illo connectetur, quia in eo non absolutè probauit Aristoteles quòd primus motor non moueatur, sed solum quod non moueatur per accidens, quod idem deberet in hoc quoque contextu probare, cum dicat id accidere rationabiliter; attamen id hic non probat, sed absolutè probat dari primum motorem immobilem, ideò alia quoque de causa uidetur hic contextus esse ab hoc loco alienus. Cum enim in præcedenti contextu ostendisset Aristoteles primum motorem non posse moueri per accidens sequebatur ut statim ostenderet non posse moueri per se, quod faciet in contextu trigesimooctauo sequente, ergo uidetur illam contextum trigesimum octauum debere statim sequi illum trigesimumsextum, & hunc Trigesimum septimum esse alienum a præsenti loco, cum seriem discursus Aristotelis manifestè interrumpat; adest etiam ad hoc confirmandum ratio sumpta ex Aristotelis testimonio. nam in contextu trigesimoquinto duodecimi Metaphysicorum utitur Aristoteles hac eadem ratione, quam hic ponit, loquitur autem ibi de primo motore immobili, ergo etiam hic. Ego igitur contextum hunc interpretabor primum ut ab hoc loco alienum postea considerabo an modo aliquo trahi possit ad primum motorem mobilem. Quod igitur detur primus motor immobilis probat in hoc contextu Aristoteles dupliciter, primum ratione, deinde authoritate Anaxagoræ, ratione sic, supponit hoc fundamentum iamantea declaratum, in motu tria sunt, mobile, mouens, & instrumentum medium, quo mouet, nec dicit Aristoteles necessaria esse in omni motu hæc tria, siquidem certum est dari mouens, quod aliquid immediatè mouet sine ullo instrumento medio, sed dicit necesse esse ut in motu tria sint, quæ interuenire possunt, omnia enim quæ possunt in motu interuenire tria sunt necessariò, nec plura esse possunt, nec pauciora. Hoc ita constituto Aristoteles ita argumentatur, conditio mobilis est ut moueatur, neque necessarium est ut moueat, instrumentum autem habet coniunctam utramque conditionem, & mouet enim aliud, & mouetur ab alio, datur ergo etiam mouens, quod non moueatur, cum enim sint oppositæ conditiones mouere & moueri, & dentur ambæ coniunctæ in eodem, deturque etiam in aliquo moueri sine mouere, rationi consonum est, ut etiam altera conditio detur sine illa, nempè, aliquod mouens, quod non moueatur, datur ergo mouens primum immobile. In verbis notandum est, quando Aristoteles dicit [id quod mouetur necesse est moueri] non esse sensum quòd quicquid mouetur, moueatur ex necessitate, sed quòd quatenus mouetur, eatenus necessarium est ut moueatur, at non est necessarium ut etiam moueat; quod uerò de motore instrumentali postea dicit [simul & secundum idem cum eo, quod mouetur existens] dupliciter intelligi potest, uno modo ut idem significent hæc duo simul, & secundum idem, & posterius sit declaratiuum prioris, & ad tempus ambo referantur, ut sensus sit, simul tempore, idest, secundum idem tempus mouentur instrumentum, & ipsum mobile: altero modo, ut simul existens intelligatur de loco; hoc est, de contactu motoris, & mobilis, nam dictum est in septimo Physicorum debere mouens simul esse cum moto; illud uerò, & secundum idem, intelligatur de tempore; nam eodem tempore quo mobile mouetur a motore instrumentario necesse est ipsum quoque mouens moueri, & hæc ambo clara sunt, instrumentarius. n. motor necesſario corporeus est, quare necesſe est, & ut & tangat mobile, & ut simul cum illo moueatur, quem sensum confirmant sequentia uerba, id enim quod dixerat, declarans in motu locali inquit necesſe esse ut mouens corporeum tangat mobile, & ut simul cum illo moueatur: uerba illa [usque ad aliquid] dicuntur propter motum proiectorum, non enim necesſe est ut semper durante motu lapidis

proiecti duret contactus eius, cum manu proijciente, sed satis est si tangat usque ad aliquem terminum, hoc autem dicit Aristoteles cautionis gratia, quia adhuc non est clarum quòd proiectum moueatur ab alio motore, quam a primo proijciente, uidetur enim lapis proiectus moueri a sola manu, ut in calce huius libri ostendetur, quòd lapis dimissus a manu mouetur a partibus aeris, ideò semper mouetur, donec mouetur, a motore tangente, sed hoc nondum cognoscimus. Sequentia autem illa uerba [mouens autem sic &c.] intelligi possunt de motore ipso instrumentario, ut sensus sit, instrumentum ita mouet, ut non sit immobile, sed ipsum quoque simul cum moto moueatur, possunt etiam intelligi de motore utente instrumento, & ita quoque sensus redibit in idem, nam sic quoque his uerbis declaratur ꝙ mouens instrumentale simul mouetur cum moto, sensus.n.erit ꝙ mouens quod mouet mobile illo instrumento medio ita mouet ut illud quoque quo mouet simul moueatur cum moto, & hoc pacto adhuc melius declaratur ꝙ instrumentũ simul mouetur cum moto, quia ambo simul ab utente mouentur, hic sensus est Græcis uerbis accommodatior, nam participium illud [mouens] habet articulum, nec uidetur significare posse nisi illud, quod mouet, ut quod, cum instrumentum non dicatur propriè mouere, ut quod, sed ut quo. [Quoniam aũt uidemus.] Rationem cõcludit, ut dictum est, cum.n.detur ultimum, i.ipsum mobile, quod mouetur, & non mouet, & mediũ, quod mouet aliud, & mouetur ab alio, rationi consonum est, ꝙ detur tertium, quod moueat, & non moueatur, & ita sit immobile; notanda sunt illa uerba [motionis autem principium non habet] non enim negat Aristoteles mobile habere in se principium motus, id enim esset negare esse corpus naturale, sed solum significare uult quòd non mouet aliam rem, seu non est causa ut alia res moueatur, quia supponitur esse ultimum in ordine essentiali, quare ratione illius motus, quo mouetur ipsum, non mouet aliquam aliam rem, sed mouetur tantum. Ratio hæc Aristotelis multas patitur difficultates, nam (ut inquit Simplicius) profertur syllaba constans ex uocali, & consonante, profertur etiam uocalis sola, nec tamen sequitur proferri etiam consonantem sine uocali. sic datur substantia coniũcta cum accidente, datur substantia sola sine accidente, nec tamen datur apud Aristot. accidens sine substantia. Quod si quis dicat regulam hanc, qua utitur Arist. nõ habere locum nisi in duobus, quę sint inter se opposita, saltem relatiuè, qualia sunt mouere & moueri, etiam contra hoc obijci potest, intellectiuũ & intelligibile sunt inuicem opposita relatiuè, & datur aliquod, quod simul est intellectiuum & intelligibile, intellectus.n.huiusmodi est, datur etiam intelligibile, quod non est intellectiuum, nihil tamen datur quod sit intellectiuum, nec sit intelligibile. Multi laborant, in defendenda ueritate fundamenti Arist. & huius argumenti efficacitate, sed frustra laborant, & nedum in scirpo quærunt, quia debemus omnino cum Simplicio dicere rationem hanc proferri ab Arist. ut probabilem, non ut demonstratiuã, regula enim qua hæc ratio innititur sumitur ex loco Topico, qui dicitur locus a cõtrarijs, & est quidem probabilis, at non est uniuersaliter uera; hoc enim indicat modus loquendi Aristotelis, nam in initio huius contextus, dicit, [rationabiliter] quæ denotat probabilem rationem, & postea inquit, [rationabile est ne dicam necessarium] & ita fatetur se rationẽ hanc nolle appellare necessariũ. nolo tamen hic silẽtio pręterire quorundã errorem, qui ut ualidam esse faciant hanc Aristotelis rationem, dicunt eam esse a minore ad maius affirmatiue hoc pacto; minus uidetur, quod detur mobile sine motore, quàm quod detur motor sine mobili, si quidem magis pendet mobile a motore, quã motor a mobili; attamen datur mobile, quod nõ est mouens, ergo magis dari debet mouens quod non moueatur; sed hi decipiuntur absque dubio, non enim ad hoc tendit ratio Aristotelis, ut absolutè probet dari

mouens

mouens sine moto, cum enim id sit impossibile quia sunt relatiua rem impossibilem ostendere niteretur, certum enim est nec dari mouens sine moto, nec motum sine mouente, ita nec dari mouere sine moueri, nec moueri sine mouere, sed ad hoc solum tendit ratio Aristotelis vt probet separationem alterius conditionis ab altera secundum subiectum, non enim probat quod detur mouens sine moto ex eo quod detur motum sine mouente, nam falsum est utrumque, sed ex eo quod datur motum, quod non mouet, probat dari mouens quod non mouetur, quare nullum hic locum habet argumentatio a minori, quia aliud est pendentia mobilis a motore, quæ hic ab Aristotele non respicitur, aliud est separatio alterius conditionis ab altera secundum subiectum, quæ sola consideratur [quapropter, & Anaxagoras rectè dicit.] Comprobat Aristoteles illud idem authoritate Anaxagoræ, nempè quod primum mouens debeat esse immobile, posuit enim Anaxagoras intellectum diuinum segregantem res ex illa mole, quam uocabat chaos, quā dicebat esse omnium rerum materiam, idque ut facere posset dixit eum debere esse impatibilem, & immistum, idest, non commistum cum illa materia, nec cum vlla earum rerum, quæ in illa mole latebant, nam si aliquid eius materiæ in se con tineret, patibilis esset, quicquid enim materiam habet, patitur ratione materiæ, pati autem est uinci, & gubernari; ergo non esset liber ad eam materiam regendam, & mouendam, si ipse quoque pateretut, ut igitur illi penitus imperaret debuit esse impatibilis, ut autem esset impatibilis, debuit esse non commistus ullo modo cum illa materia, & ita est principium effectiuum totius motus, uidetur itaque etiam Anaxagoras censuisse, quod illud, quod sit primum principium mo tus, debet esse immobile, & ita mouere ut ipsum nullo pacto moueatur. Notandum est Aristotelem usum esse hac eadem authoritate Anaxagoræ etiam in contextu quarto tertij libri de anima, alio tamen, & alio scopo pro uaria occasione, nam homogeneæ illæ partes latentes in Chao Anaxagoræ duos habebant respectus ad intellectum diuinum, unum ut materia regenda, & mouenda ab eo, alterum ut obiectum cognoscibile, quod ab intellectu erat cognoscendum, non enim regere, & dominari poterat, nisi cognosceret; immistio igitur quam Anaxagoras tribuebat intellectui potest intelligi secundum utrunque respectum, debuit enim intellectus non esse cum illa materia commistus, si debuit illam regere atque mouere, debuit etiam non esse cum illa commistus, si debuit illam cognoscere tanquam obiectum suum, priorem igitur immistionis rationem Aristoteles considerat hoc in loco, quia hic non de cognitione loquitur, sed de sola motione, & immobilitate, posteriorem verò solum respexit in tertio libro de Anima, ubi non de motione, & immobilitate loquitur, sed de sola cognitione, ostendere enim ibi vult quòd facultas cognoscitiua alicuius obiecti debet non esse commista cum illo. Cùm hactenus hunc contextum interpretati simus de primo motore immobili, restat considerandum an intelligi possit de motore primo mobili a seipso; quod quidem ad uerba Aristotelis attinet ea facillime ad hanc sententiam trahi possunt, sicut enim etiam in præcedenti contextu diximus, quòd Aristoteles, quando dixit primum motorem non moueri, subaudiendum est ab alio, ut maneat quod a seipso tantùm moueatur, ita nunc dicere possumus Aristotelem non probare primum motorem esse absolutè immobilem, sed non esse ab alio mobilem, proinde solum a seipso. Vrgetur tamen hæc expositio tribus difficultatibus, quarum tertiam soluere si ita ut alias duas facile esset, huic expositioni omninò adhærendum esse censerem. Prima difficultas est quoniam in contextu Trigesimoquinto duodecimi Metaphysicorum legitur hæc eadem ratio, & ea probatur quòd datur motor penitùs immobilis, ergo hic quoque illud idem per eam probari


bari dicendum est. Ad hanc facilis est responsio. Cùm enim hac eadem ratione possimus probare vtrumque quid absurdi est si dicamus ibi probari absolutè quòd detur primus motor immobilis, hic verò quòd detur primus motor non ab alio mobilis? hic enim ratio ita optimè formari potest, mobile mouetur ab alio, sed non mouet aliud, illud autem quod mouetur tùm mouet aliud, tum mouetur ab alio, ergo datur etiam tertium, quod mouet aliud, sed non mouetur ab alio; Et de motore instrumentali habemus hic expressa Aristotelis uerba quòd mouetur ab alio non a seipso, quod quidem uidetur hanc expositionem confirmare. Secunda difficultas est comparatio cum sententia Anaxagore, si enim Anaxagoras loquebatur de motore penitus immobili, de eodem debet Aristoteles quoque intelligere. Ad hanc quoque facilè respondemus, dicimus enim comparationem hanc non in omnibus esse intelligedam; Anaxagoras enim dicebat illum motorem esse intellectum, quod hic non cognoscimus, immò neque in ulla huius scientiæ parte, considerari potest quòd primus motor sit intellectus; dicebat etiam Anaxagoras primum motorem esse a materia abiunctum, quod dicere hic, aut considerare Aristoteles non potest, cum adhuc sit ignotum & probandum in postremo capitulo huius libri, similiter neque quòd sit penitus immobilis, idem enim est dicere prorsus immobilem, & dicere abstractum a materia, sed in hoc tantum est intelligenda ista comparatio quòd sicuti ille intellectus Anaxagoræ a nullo alio mouebatur ita primus motor, de quo hic loquimur, non mouetut ab alio; de eo autem quod moueatur a seipso nullam accipit Aristoteles confirmationem a sententia Anaxagorę. Sed tertia difficultas manet, quam ego quidem plenè soluere nescio, nam in contextu pręcedente Aristoteles non absolutè probauit primum motorem non moueri ab alio, sed non moueri ab alio per accidens, in hoc autem contextu non considerat quòd per accidens, neque quòd per se, sed absolutè considerat quòd non mouetur ab alio, quomodo ergo dicere Aristoteles potest, [& rationabiliter hoc accidit] quasi eandem conclusionem probaturus, cum tamen non eandem probet? apparet etiam manifesta interruptio ab hoc contextu facta, ut prædiximus, cùm contextus Trigesimusoctauus debeat cum Trigesimosexto esse immediate coniunctus. Dicendum igitur omninò videtur contextum hunc ad aliũ locum esse transferendum, uel igitur ad Quadragesimumsecundum si pertineat ad primum motorem penitùs immobilem, uel saltem post trigesimumoctauum si pertineat ad primum motorem mobilem a seipso.

Textus Trigesimusoctauus.

At uerò si non secundum accidens, sed ex necessitate mouetur mouens, si autem non moueatur, non vtique mouebit, necesse est mouens, quatenus mouetur, aut sic moueri, ut secundum eandem speciem motus, aut secundum alteram, dico autem, quale est aut calefaciens, & ipsum calefieri, et sanans sanari, & ferens ferri, aut sanans ferri, ferrens autem augeri. Sed manifestum est, quod impossibile est, oportet igitur vsque ad indiuidua diuidentem dicere, vt siquid docet Geometricè operari, hoc docet Geometricè operari secundum idem: aut si proijcit, proijcit se-

cundum

cundum eundem modum proiectionis. Aut non sic quidem, sed secundum aliud ex alio genere, ut quod fert quidem augeri, quod autem hoc auget alterari ab alio quod autem hoc alterat, secundum alium quendam moueri motum; sed necesse est stare, finiti enim sunt motus ipsi. Rursus autem reflectere, & alterans dicere ferri, idem facere, ac si mox dicat ferrens ferri, & doceri docens. Manifestum enim est, quòd, & a superiore mouente mouetur id, quod mouetur omne, & magis a primo mouentium. At verò hoc quidē impossibile est, docens enim accidit dicere, quorum hoc quidem non habere, illud autem habere scientiam necessarium est. Amplius autem, his magis irrationabile est, quod accidit, omne motiuum esse mobile; si omne quod mouetur ab eo, quod mouetur, moueatur; erit enim mobile, vt si aliquis dicat, quòd omne sanatiuum, et sanans, & sanabile erit; et ædificatiuum ædificabile, aut statim, aut per plura. dico autem, ut si mobile quidem ab alio est omne motiuum, sed non secundum eundem motum mobile, quo mouet propinquum, sed secundum alterum ut sanatiuum discibile; sed hoc ascendendo perueniat aliquando ad eandem speciem, ut diximus prius. Alterum igitur horum impossibile est. alterum autem figmentum, inconueniens enim est alteratiuum augmentabile, ex necessitate esse.



N hoc contextu absoluit Aristoteles argumentationem inceptam in Trigesimosexto ad probandum quod primus motor non potest moueri ab alio, cum enim ibi dixisset id posse intelligi, tum per se, tum per accidens, & horum alterum exclusisset, nempe quod per accidens moueatur ab alio, restabat alterum excludendum, quòd nec per se moueri ab alio potest, idque Aristoteles ostendit in hoc contextu. Notare hic debemus Aristotelem hic appellare necessarium id, quod ibi uocauit per se, nam ei quod est per accidens, contraponit id, quod est ex necessitate, quia per accidens hic sumit pro eo, quod potest esse & non esse, cui opponitur necessarium, & id, quod semper est. Ratio autem hæc Aristotelis talis est, supponit in primis id, quod etiam in illo trigesimosexto supposuit, quod primus motor non possit mouere aliud, nisi, & ipsum moueatur ab alio; tum ita argumentatur, uel ipse mouetur ab alio secundum eandem speciem motus, secundum quam mouet aliud; vel secundum aliam, & utrouis dato ostendit sequi hoc impossibile, quod primus motor agit, & patitur secundum idem, & habet, & non habet simul eandem rem, quæ est contradictio manifesta, Primum quidem si dicatur secundum eandem speciem motus, diuidendum est (inquit Aristoteles) usque ad indiuiduas species, idest, ad specialissimas, quæ non possunt diuidi in alias species nam si solùm genus consideremus, nullum fortasse est absurdum, potest enim aliquis simul alterare, & alterari, sed diuersis speciebus alterationis, ut calefieri,

& sa-

& sanare, sed eadem specie impossibile est, impossibile enim est, quod aliquid calefaciat aliud, & calefiat ab alio, nam de primo motore loquimur in quo sit radicata uis motiua quatenus enim calefacit, agit calorem in alio, habet ergo calorē, quatenus uerò calefit ab alio, patitur, ac recipit calorem, quare habet & non habet. Sic si quis doceat alium aliquam Geometricam propositionem, non potest simul docendo eandem discere, id enim esset simul scire, & ignorare eandem rem, hæc autem sunt impossibilia, non potest igitur primum mouens, moueri ab alio secundum eandem speciem motus specialissimam secundum quam mouet alia; Si verò dicatur quod alia specie motus mouet, alia mouetur ab alio, ostendit Aristotelis idem impossibile sequi. Quod ita deducit, supponit species motus esse finitas, non potest enim infinitus esse numerus specierum, quo fit ut si primum mouens, mouetur ab alio, alia specie specialissima motus, & illud ab alio alia specie, & illud etiam ab alio alia specie, necesse sit tandem absolui omnes species motus, & ita perueniri ad primum, quod ab alio non moueatur, quia non remanet alia species motus, qua dicatur moueri, & ita habeo id quod uolo, nempe dari primum mouens, quod non mouetur ab alio. Quod si dicas etiam illud moueri ab alio, & omne quod mouetur, moueri ab alio, propterea, quod redeunt eædem species motus iterum, tunc sequitur idem absurdum, quod prius sequebatur idem esse agens & patiens secundum eandem speciem motus specialissimam, nam dictum est in contextu Trigesimotertio, quod motor primarius magis debet mouere, quam secundarius; ergo si dicatur moueri superior motor ab alio secundum locum, ipse uerò moueat aliud motu alterationis, & illud aliud moueat aliud motu augmentationis, & illud adhuc moueat aliud loco, hoc postremum mobile magis mouebitur a superiore illo mouente, quamuis remoto, quam ab alijs propinquioribus eadem igitur specie motus, qua mouet aliud, mouetur ab alio, quare idem quod prius, impossibile sequitur, nil enim refert an propinquè, an remotè moueat illa specie motus, siquidem motor remotior magis mouere dicitur, quam motor propinquior, quia hic in mouendo pendet ab illo, non ille ab hoc. Verba sunt clara sed corrigendus est in latino Codice error quidam, vbi enim legimus [hoc docet Geometricè operari] legendum est, docetur, & quod ibi subiungitur, secundum idem] significat secundum eandem propositionem, seu secundum idem problema Geometricum, in hoc enim cōsistit absurditas, quod idem dicatur agere, & pati, secundum idem, idest, secundum eandem speciem specialissimam. Quod uerò dicit Aristoteles [Amplius autem his magis irrationabile] difficultate nō caret, asserit enim Aristoteles se ex eadem positione deducere aliud maius absurdum: tamen nullum aliud deducere videtur nisi id, quod prius deduxit. Videlicet, quod ageret & pateretur idem motor secundum eandem speciem motus specialissimā. Et uidetur etiam eadem uti deductione, qua prius, nam dicit sequi, quod mouens moueretur secundum eandem speciem motus, secundum quam mouet, siue immediatè, siue per alios motus medios, quare nec diuersa ratio adduci hic uidetur, nec diuersum inferri impossibile, sed idem. Sunt qui dicunt Aristotelem prius deduxisse ad contradictionem, nunc uerò ducere ad aliam speciem oppositionis, nempè ad priuationem, & habitum, uel ad relatiuè opposita, qualia esse uidentur potentia, & actus, hoc autem est maius absurdum, quia cum his oppositionibus est etiam cōiuncta contradictio, quare qui in has incidit, incidit simul in cōtradictionē non tamen è conuerso. Quæ sententia reijcienda est, quia nec uerbis Aristotelis consona est, ut legentibus patet; nec ipsa per se uera est, nam apud Aristotelem est semper maximum absurdum incidere in contradictionem, quando enim deducit ad aliud genus oppositionis; non alia norma utitur ad significandam absurditatem,

tatem, quam hac, quòd illa oppositio includit etiam contradictionem, quasi significans quòd in aliam oppositionem incidere non esset absurdum, nisi cum illa esset coniuncta oppositio contradictoria. Alij, etiam alia dicunt, quæ missa facio. Mihi quidem probanda videtur Simplicij, & Auerrois expositio, qui dicunt Aristotelem hic deducere ad maius absurdum, quia ducit ad absurdum vniuersalius, quòd enim absurdum, & impossibile per se est, tanto absurdius fit, quanto pluribus attribuitur, & quamuis uocari non possit impossibilius, potest tamen uocari absurdius, & irrationabilius. Est autem hoc vniuersalius, quia prius Aristoteles loquebatur de solo illo mouente, quòd poneretur primum, & ostendebat hoc non posse moueri ab alio, nisi incideremus in contradictionem, nempè quod idem haberet, & simul non haberet eandem rem, esset simul actu, & potentia secundum idem: nunc verò infert hoc idem absurdum, de omni mouente vniuersè non de eo tantum, quòd ab ipso dicatur esse primum. Sed tamen aduertendum est, quod non ea est Aristotelis mens, ut putet hoc in quolibet mouente esse absurdum, siquidem in aliquo est possibile, nempe in aliquo mouente medio, & instrumentali; baculus enim motus a manu mouet lapidem eadem specie motus, nec ullum sequitur absurdum, quia non est in ipso baculo insita vis mouendi lapidem, sed est in sola manu, & à manu ad lapidem transmittitur motus per baculum medium, quòd quidem fieri non potest, nisi & baculus ipse eadem specie motus moueatur; sic etiam aer medius inter ignem, & hominem calefit ab igne, & calefacit hominem, quia transfert ad hominem calorem non proprium, sed alienum, non igitur putat Aristoteles hoc in omni mouente esse absurdum, sed quia dicendo omne, nullum excluditur, multa comprehenduntur mouentia, in quibus est manifesta impossibilitas, est enim impossibile in omni mouente, quod per propriam uirtutem dicatur mouere, implicat enim contradictionem quòd secundum eandem speciem motus patiatur ab alio, quia ita fieret, ut simul, & haberet, & non haberet eandem rem, & ut simul esset potentia, & actu respectu eiusdem. Est præterea impossibile in pluribus mouentibus medijs, & instrumentalibus; Medicus enim per pharmacum, vel per aliquod aliud instrumentum sanat infirmum, sequeretur igitur quod in illo ipso sanandi actu oporteret, & medicum, & pharmacum, & gladium sanari, loquimur autem de mouentibus essentialiter ordinatis, idest, quæ concurrunt omnia ad eiusdem motus productionem, quia Medicum sanare infirmum ab aliqua ægritudine, & eodem tempore sanari ab alia infirmitate, ut ad eam sanationem sua sanatio sit essentialiter ordinata, hoc quidem absurdum & impossibile est. Non esset autem absurdum, si sanatio medici, ad sanationem ægroti non esset essentialiter ordinata, sed solum accidentaliter; est igitur absurdum dicere, quòd Medicus per se, & necessariò dum sanat, sanetur, & quòd pharmacum sanatur, & gladius venam secans sanetur, iam enim supponimus aduersarium dicentem quòd omnis motor mouetur ab alio, ex necessitate, & quòd non potest mouere alia nisi ipse moueatur. Patet igitur maiorem fieri absurditatem, dum eam colligimus de omni motore, nullo excepto ut hic Aristoteles facit; siquidem id in multis mouentibus est impossibile. Deductio autem huius impossibilis communioris reuera eadem est, quæ prius, eadem enim ratione Aristoteles ducit ad impossibile, tum particularius, tum vniuersalius. Verba autem illa, [alterum horum est impossibile, alterum uerò figmentum] sic puto esse intelligenda, iam ostenderat, nec dici posse quòd mouens moueretur per se ab alio eadem specie motus, qua mouet, nec quod alia specie; nunc dicit neutrum ob dictam rationem dici posse, quoniam alterum est impossibile, alterum verò est figmentum; impossibile quidem est quòd qua specie motus mouet, eadem dicatur moueri ab alio, quia sic

expressa

expressa est contradictio; figmentum autem est dicere quòd alia, & alia specie motus mouet, & mouetur, quia præter impossibilitatem, quam habet similiter, habet etiam quandam machinationem nostram, qui fingimus alia specie motus motorem moueri, alia moueri, quòd ratione caret, iam enim supra diximus in contextu quartodecimo huius libri figmentum appellari illud dogma, quòd cum rationem requireret, absque ratione profertur, immò, & considerari patet nullam habere rationem: figmentum autem vocari hoc secundum membrum, Aristoteles ipse postremis testatur verbis, dum dicit [inconueniens enim est alteratiuum augmentabile ex necessitate esse] est enim absurdum dicere, quod, ut aliquid alteret, debeat ipsum augeri ab alio per se, & ex necessitate, & est figmentum quia caret ratione.

Textus Trigesimusnonus.

Non ergo necesse est, semper moueri quod mouetur ab alio, eoque moto: stabitur ergo: quare aut a quiescente mouebitur id, quod mouetur primum, aut ipsum seipsum mouebit. At uero si oportet etiam considerare utrum causa motionis sit, & principium ipsum seipsum mouens, an id quod ab alio mouetur, illud omnis utique ponet, id enim quod per se est causa, semper prius est eo, quod secundum alterum, & ipso existente.

IN hoc contextu facit Aristoteles conclusionem ex omnibus præcedentibus argumentis collectam, & aliud probabile argumentum addit, ad eiusdem conclusionis confirmationem. Primum concludit non esse necessarium ut omne quod mouetur ab alio moueatur, quod adhuc moueatur ab alio, & ita in infinitum, sed standum esse in aliquo primo mouente, quod ab alio non moueatur, quare necesse est ut illud primum vel non moueatur, uel a seipso moueatur. In hac igitur conclusione Aristoteles ipse declarat, quomodo supra intellexerit esse immobile, seù non moueri, non enim intellexit absolutè non moueri, sed non moueri ab alio, eaque fuit ratio cur Aristoteles hic dixerit [aut a quiescente] nec dixerit, ab immobili, nam si dixisset ab immobili, id poterat intelligi, sicut prius, nempè pro eo, quod non est ab alio mobile, Aristoteles igitur dicere maluit, a quiescente, ut indicaret id, quod non moueretur ullo modo, nec a se, nec ab alio, facit enim conclusionem alternatiuam, ergo primum mouens vel nullo modo mouetur, & ita quiescit, vel a seipso mouetur. Cur autem hac alternatiua utatur, non eandem omnes rationem adducunt, aliqui enim dicunt Aristotelem voluisse utrumque indistinctè colligere, ut suspensum animum habeamus ad considerationem motoris immobilis, quem nōdum cognoscimus, verum enim est utrumque & dari primum motorē immobilē, & dari primum motorem mobilem a seipso. Hæc tamen sententia mihi non probatur, quia nihil adhuc cognoscimus de motore immobili, quare non est credendum Aristotelem hoc primum membrum protulisse, ut ipsum uerum suspicemur, quia dum suspicamur hoc uerum esse, necesse est, ut suspicemur alterum esse falsum, quia non utetur Aristoteles coniunctiua, quæ significaret uerum esse utrunque, sed disiunctiua, quæ significat uerum esse alterum, & alterum

falsum,

falsum, secundum autem membrum proferri ut falsum nullo modo dicere debemus, cum sit illud quod Aristoteles hactenus demonstrare contendit, & ad quod confirmandum statim hic aliud argumentum subiungit. Ob id maximè improbanda est alia aliorum sententia, qui dicunt Aristotelem duo hæc membra cum disiunctione protulisse, ut accipiamus primum dimisso secundo, ut impossibili, non est enim dicendum impossibile id, cuius possibilitatem Aristoteles ipse in sequentibus declarabit, nam si sano modo intelligatur, uerum est quod primum mouens mouit seipsum, nempè quia distinctum habet in se partem mouentem a parte mota, & mox Aristoteles docebit. Ego igitur puto consilium Aristoteles esse ut dimisso primo membro, ut falso accipiamus secundum ut uerum, & forrasse hæc quoque fuit ratio, cur in primo membro dicere maluerit, a quiescente; quam ab immobili: nam si dixisset ab immobili, id quoque uerum fuisset, licèt adhuc nobis incognitum, quare quædam pugnantia fuisset in dictis Aristotelis, si nunc uoluisset falsum putari hoc membrum, ab immobili, quod in sequenti parte uerum esse ostensurus est. Vt igitur tale proponeret hoc primum membrum, quod esset absque dubio falsum, dicere uoluit, [aut a quiescente] quies enim non dicitur nisi de corporibus, quæ sunt apta moueri: quare falsum est quod detur primum mouens quiescens, nam primum mouens corporeum, de quo nunc loquimur, non est quiescens, sed motum a seipso, ideo secundum membrum accipiendum est ut uerum, primum uero ut falsum dimittendum. [At uerò si oportet etiam considerare] nouum argumentum addit ad probandum eandem conclusionem commune, & probabile, nam (inquit) si consideremus, utrum sit dignius uocari primam causam & primum principium motus, an illud, quod mouet seipsum, an illud mouens, quod mouetur ab alio, quilibet utique deberet dignius esse id, quod mouet seipsum, & huius rationem subiungit, illud enim quod est per se causa, est magis causa quàm illud quod est causa per aliud, seu propter aliud, omne enim quod est tale per aliud, reducitur necessariò ad aliquid per se tale & ab eo pendet, & est tale per illud; mouens autem motum ab alio est quidem causa motus at non per se, idest non per propriam uirtutem, sed per uirtutem acceptam a priori mouente; illud autem quod seipsum mouet, mouet per uirtutem propriam & per seipsum; ergo dignius est, ut dicatur principium motus quàm mouens quod mouetur ab alio. Videtur autem hæc Aristotelis ratio inniti illi propositioni communi, propter quod unumquodque tale est, id magis est tale, at mouens motum ab alio est causa motus propter mouens, quod a se mouetur, ergo hoc est magis causa quàm illud, & ita dignius quod dicatur principium motus, uel saltem dicendum est, inniti hac propositione nota, illud est magis tale, quod sit tale per se, quam id, quod sit tale per aliud. Verba illa, [& ipso existente] referenda sunt ad mouens motum ab alio, sensus enim est, id, quod est per se causa, est natura prius illo, quod est causa per aliud, proinde magis causa, cum etiam illud quod per aliud est causa, existat causa; cum enim ambo dicantur causæ motus, id tamen prius natura est & magis causa, quod est per se causa. dictio autem illa [semper] posita & in initio, & in fine huius Contextus non significat temporis perpetuitatem, sed uniuersitatem rei, quasi dicat ubique, siue in omnibus. Aduersus hæc, quæ hactenus ab Aristotele demonstrata sunt, dubia quædam oriuntur ab interpretibus tacta, & ad soluendum facilia, uidetur enim in aliquibus procedi in infinitum, nec inueniri ullum primum mouens, nam in secundo posteriorum, & in primo Meteorologicorum, Aristoteles dicit æternam fieri circulationem elementorum inter se, ex terra enim

madefacta generatur uapor, ex uapore pluuia, ex pluuia iterum madefit terra, ex hac iterum uapor, & sic in infinitum. Præterea ignis aptus est generare semper alium, & alium ignem in infinitum, dummodo materia suppeditetur, potest igitur ignis ab alio igne esse genitus & ille ab alio, & sic infinitum,& sic non datur in eo primum generans. Sic etiam apud Aristotelem homo hic ab alio homine genitus est, & ille ab alio & sic in infinitum, non est ergo necesse peruenire ad primum. Soluitur a Simplicio primum dubium sic,dicere elementum ex elemento generari per circulationem perpetuam est dicere unum ex alio fieri tanquam ex materia, at Aristoteles hic non de materia loquitur, nec negat processum in infinitum in causa materiali, sed in causa efficiente. Ad alteram dicunt omnes communiter Arist.non negare processum in infinitum in mouentibus accidentaliter ordinatis,sed solum in essentialiter ordinatis, dicere autem quod hic ignis ab alio sit genitus,& ille ab alio,quod quidem euenit in duratione flammæ, est dicere infinitas ignis particulas agentes accidentaliter ordinatas,quia non simul eodem tempore concurrunt ad eiusmodi ignis generationem, sic etiam diuersorum hominũ generatione. Sunt accidẽtaliter ordinatę,quare apud Arist.non datur primus homo, sed in generatione eiusdem hominis agentia essentialiter ordinata non possunt esse nisi finita,nempe sunt semen,alter homo,cęlum,Deus,quo aliud prius non datur. Hęc solutio optima est, & hac eadem solui possunt omnia similia dubia, immò etiam ad prioris dubij solutionem, hęc eadem aptari potest ut considerantibus manifestum est.

Textus Quadragesimus.

Quare hoc considerandum est, sumpto alio principio si quid mouet seipsum, quomodo mouet, et secundum quem modum igitur est omne quod mouetur, esse diuisibile in semper diuisibilia: hoc enim ostensum est prius in ijs, quæ uniuersaliter de natura, quod omne, quod per se mouetur continuum est. Impoßibile igitur est ipsum mouens seipsum penitus mouere ipsum seipsum, feretur enim totum, & feret secundum eandem lationem, unum existens,& indiuiduum specie, & alterabitur, & alterabit; quare docebit utique & docebitur simul & sanabit, et sanabitur secundum eandem sanitatem. Amplius autem determinatum est, quod mouetur id, quod mobile est, hoc autem est potentia, cum mouetur, non actu, quod autem potentia est, ad actum pergit, est autem motus actus mobilis imperfectus: mouens autem iam actu est: ut calefacit calidum, & omnino id quod habet formam, generat, quare simul idem, et secundum idem calidum erit, et non calidum. Similiter autem et aliorum unumquodque eorum, quæ necesse est mouens habere uniuocum, eius ergo quod seipsum mouet, hoc quidem mouet, illud autem mouetur.

POST-

POSTQVAM duxit nos Aristoteles ad primum mototem motum a seipso, nunc uult etiam nos ducere ad primum immobilem, hoc autem faciet ostendendo, quod primum seipsum mouens diuiditur in partem mouentem, & partem motam: & pars mouens est motor immobilis, dictio illa δὲ non significat fieri aliquam conclusionem ex dictis, sed denotat solum necessitatem huius alterius considerationis. Hactenus enim non inuenimus motorem uerè primum, quia non cognoscimus modum, quo primus mouens mouet seipsum, cum igitur in primo mouente seipsum acquiescere non possimus, ideo considerandum est hoc (inquit Aristoteles) nempe quonam modo seipsum moueat, sic enim perueniemus ad motorem immobilem. Quod dicit [sumpto alio principio] nil aliud significat quàm nouum principium considerationis, cuius gratia sumit statim illud fundamentum in precedentibus libris demonstratum, quod omne mobile est diuisibile in semper diuisibilia. Verba autem illa [quomodo mouet, & secundum quem modum] apud aliquos nugationem faciunt, nisi ad diuersa referantur, ideo putant Aristotelem dicentem, [quomodo] significare id quod proximè declaraturus est, nempè quomodo primum mouens habeat in se motorem, & mobile: dicentem uerò [secundum quem modum] respicere modum motus ratione nouitatis, & perpetuitatis, quoniam declarabit quod primum mouens a seipso mouetur perpetuo motu. Sed hæc eorum sententia recipienda non est, quia primum seipsum mouens, de quo nunc Aristoteles loquitur, non est solum cœlum ut isti imaginantur, & primus motor immobilis non est solus motor cœli, sed illud est quid commune cœlo, & animali mortali, hic vero est quod commune motori abstracto a materia, & animæ animalis mortalis, nam & animal mouet seipsum & anima dicitur mouens immobile: de æternitate autem hic nihil dicitur, sed post præsentem speculationem loqui de illa incipiet in contextu quadragesimoquinto, & in ea parte distinguet primum motorem immobilem æternum ab anima, quæ in animali est motor immobilis. Hæc igitur uerba puto ab Aristotele poni ut idem significantia, quod sæpe Aristoteles facere consueuit ad maiorem rei declarationem: id quidem non nego esse in his Latinis uerbis nugationem uix excusabilem, cum non idem modo sensus, sed eædem quoque dictiones repetantur sub alio casu: sed Græca verba sunt πῶς καὶ τίνα τρόπον in quibus nulla est nugatio, & posteriora ad idem magis declarandum subduntur. Volens igitur considerare Aristoteles quomodo primum mouens dicatur mouere seipsum, statuit in primis hoc fundamentum huic contemplationi necessarium, quod omne mobile est diuiduum in semper diuidua, cum enim considerari oporteat an prius moueat partem, an pars totum, an totum partem, an aliquo alio modo, si intelligendum sit quomodo seipsum moueat, ideo necessarium omnino fuit supponere in primis, quod omne mobile est diuisibile & habet partes; quamuis enim non per diuisionem in partes integrantes inuenienda sit pars mota, & pars mouens, tamen quia huiusmodi partes sunt nobis notissimæ, & nos consueuimus uidere motores corporeos, Aristoteles prius in talibus partibus uult nobis declarare diuisionem primi mouentis in partem mouentem, & partem motam distinctas, postea uerò docebit partem mouentem debere esse immobilem, proinde esse non posse partem quantitatiuam. Quoniam autem fundamentum prædictum, quod omne mobile est diuisibile, asserit Aristoteles se sumere [ex ijs] quæ dicta sunt [uniuersaliter de natura] Simplicius dicit significari quintum librum Phisicorũ, quia dicens Aristoteles [de natura] dicit de principijs, quia natura est principium, at secundum Simplicium soli quinque priores libri

sunt de principijs, cum tres posteriores sint de motu. Sed refellitur ab omnibus hæc Simplicij expositio, nec iniuria, quia clarum est Aristotelem hic significare sextum librum vbi in Contextu trigesimo secundo probauit omne mobile esse diuiduum in semper diuidua. Nec difficultatem facit, quod Aristoteles dicat [in ijs quę de natura] hi namque omnes libri dicuntur de natura, quatenus sunt de rebus naturalibus, ut communis inscriptio demonstrat, inquit autem Aristoteles [vniuersaliter] quia præcedentes libri (ut in Contex. 4. huius libri notauimus) sunt de natura vniuersaliter ratione prædicationis, hic autem octauus est de uno singulari motu, qui tamen alio modo est uniuersalis, nempè continentia, & extensione. In ipso Aristotelis fundamento notandum est, Aristotelem dicere, [omne quod per se mouetur] ad excludenda ea quæ mouentur per accidens, vt accidentia, & formas, hæc enim non sunt continua, nec quanta, per se autem mouentur sola corpora: & de his loquitur Aristoteles quia primum seipsum moueri corporeum est [Impossibile igitur est] iacto fundamento illo incipit Aristoteles argumentari ad id, quod proposuit, declarandum, sed quales sit hæc argumentatio dissidium est magnum inter Auerroem & Græcos expositores, quod a nobis considerabitur postea in Contextu quadragesimo secundo, cum enim Auerrois expositio sit obscura, licet maximè artificiosa, Græcorum autem interpretatio planior, & dilucidior: ego hos tres contextus iuxta Græcorum sententiam interpretabor, postea in Quadragesimo secundo considerabo quid Auerroes sentiat, & quid ego hac in re dicendum putem. Græci putant Aristotelem argumentari a sufficienti membrorum enumeratione, & ex aliorum membrorum reprobatione colligere tandem illud, quod solum est membrum verum, pluribus. n. modis intelligi potest quod primum mouens seipsum moueat, uel enim totum à se toto mouetur, uel totum a parte, uel pars a toto, vel pars a parte, quod ad huc multis modis dici potest; uel enim pars partem mouet, & vicissim ab illa mouetur; uel pars seipsum primo mouet, deinde mouet alteram; uel una pars est mota, altera mouens, & immobilis, quod solum est membrum verum, ut Arist. per aliorum exclusionem ostendet. In hoc igitur contextu reprobat primum illud membrum quod totum se totum moueat, & utitur duobus argumentis non multum inter se discrepantibus, Primum est, si totum se totum mouet, sequeretur quod idem numero ageret, & pateretur uno & eodem motu unam, & eandem rem, quod est absurdum, & impossibile, ut in exemplis manifestum est, idem enim secundum se totum esset sanans & sanatus secundum eandem sanitatem; idem feret, & feretur secundum eundem motum; idem eandem scientiam simul uno motu docebit & discet, quæ omnia patet esse impossibilia, dum intelligimus quod totum secundum se totum agat, & patiatur. Verba autem illa [unum existens, & indiuiduum specie] ab Alexandro dupliciter exponebantur, Primo ut ea omnia referentur ad ipsum mouens, quod se mouet, quod dicatur numero unum, & indiuiduum specie, idest indiuiduum sub specie, quare dictio, &, non coniunctiua esset, sed declaratiua. Secundo, ut illa uerba [unum existens] proferantur de mouente seipsum, quod dicatur unum numero; illa uero, [& indiuiduum specie] dicantur de motu, non de mobili, & significent eandem speciem motus specialissimam, quæ uocari solet indiuidua, ut sensus sit, idem numero singulare moueret se secundum eandem speciem motus indiuiduam idest, specialissimam. Simplicius neutram interpretationem probat, & aliam ipse adducit, ut Aristoteles hæc omnia dicat de mouente seipsum, non de

motu,


motu, & illud dicat unum, non quidem numero, sed specie, ut sensus sit, unum existens, idest indiuiduum secundum speciem. Sed hæc Simplicij expositio non videtur consilio Aristotelis accommodata, quia scopus est nos ducere ad primum mouens seipsum, quod sit vnum numero non, tamen specie, neque etiam esset impossibile idem secundum speciem mouere seipsum eodem motu, hic enim homo potest alium hominem mouere, totus totum. Expositionum autem Alexandri altera posterior nimis uidetur extorqueri uerba Aristotelis, quamobrem accipiendam puto esse alteram priorem, ut idem significet unum existens, & indiuiduum specie, siue indiuiduum referamus ad speciem, siue ad singulare; nam siue dicamus unum numero existens, & indiuiduum sub specie, siue dicamus vnum numero existens in indiuidua specie, idem dicimus. Postea quando dicit. [Amplius autem] altero argumento probat eiusdem membri impossibilitatem, quod tamen parum differt a primo, nam hic ducit Aristoteles ad illud idem impossibile, ad quod altero argumento duxit: sed quoniam illudmet duobus modis judicatur impossibile, tum enim, quia aduersatur sensui, & rebus euidentibus, tum etiam quia aduersatur rationi, ideo Aristoteles priore argumento iudicauit esse impossibile, quod idem secundum se totum agat, & patiatur, ex eo quod repugnat sensui: uidemus enim non posse eundem numero hominem simul docere, & discere eandem scientiam eodem singulari motu, nec posse totum alterare se totum, nam etiam si contingat ut Medicus sanet se, tamen patet non totum agere in totum, sed secundum scientiam, quæ est in animo, agere in corpus ægrum, sic uidemus fieri non posse, ut idem homo seipsum numero ferat. Si quis autem obijciat, quod baculus simul mouetur a manu, & mouet lapidem, dicendum est, non esse eundem numero motum, quando mouetur lapis a baculo, & quando baculus a manu, siquidem motus recipitur in motu non in mouente, sed sunt duo numero motus, & unus esse in baculo, alter in lapide absque ulla absurditate, sic aer calefit ab igne, & calefacit manum, sed non est eadem numero alteratio, nec idem numero calor, sed quod eundem numero motum, & eandem numero qualitatem, uel quippiam aliud aliquid simul producat, & recipiat. Hoc dicit Aristoteles esse penitus absurdum, & impossibile; Et in hoc differt hæc ratio ab ea, quæ in trigesimooctauo, ibi enim considerabatur idem motus secundum speciem tantum, ideo in motore instrumentali non erat absurdum quod moueret, & moueretur simul, & hic considera tur idem motus numero. Hoc autem posteriore argumento vult Aristoteles ad idem impossibile ducere, videlicet, quod idem ageret, & pateretur secundum idem, sed id vult iudicare imposibile, eo quod aduersatur rationi, & principijs philosophiæ, nempè definitioni motus & naturæ motoris, & mobilis. Sumit enim Aristoteles quod mobile dicitur id, quod est in potentia ad terminum acquirendum, nam si illum actu haberet, non esset mobile ad illud; deinde sumit quod motus est actus imperfectus ipsius mobilis, est enim transitus ad acquirendum actum perfectum, qui existente adhuc motu non potest esse acquisitus; tandem sumit quod mouens mouet quatenus est actu tale, calidum enim calefacit, quatenus est actu calidum, & quodlibet aliud per formam, quam habet, generat aliam similem, siue substantialem, siue accidentalem. Ex his fundamentis ostendit Aristoteles imposibile esse, ut idem numero agat, & patiatur secundum idem, sequeretur enim quod idem simul haberet, & non haberet eandem rem, esset simul calidum, & non calidum secundum idem, idest, non secundum diuersas sui partes, sed secundam omnes simul, quæ est implicatio manifesta contradictionis. Consideranda sunt verba illa [Similiter, &

aliorum unumquodque, quorum mouens necesse est habere uniuocationem] sic enim legenda sunt, non ut in latinis Codicibus leguntur. Ad horum verborum intelligentiam sciendum est, duo esse genera agentium, unum dicitur agens æquiuocum, alterum dicitur agens uniuocum, homo generans hominem est agens uniuocum, quia agit per formam, quam habet eiusdem speciei cum forma generanda, quo fit ut genitus cum genito conueniat in uniuoco; sic calidum calefaciens est agens uniuocum, quia per calorem, quem habet, producit calorem similem: agens autem æquiuocum est illud, quod non habet formam similem in specie formæ generandæ, sed habet uirtutem producendi illam, ideo solet etiã uocari agens uirtuale, ut Sol ad generationem hominis concurrit, ut agens æquiuocum, quia non habet formaliter ipsam formam hominis generandi, sed habet uirtualiter, idest, habet uirtutem producendi illam, sic Sol calefacit ut agens ęquiuocum, quia non habet calorem formaliter. Quoniam igitur Aristoteles duxerat ad hoc inconueniens, quod idem esset simul calidum & non calidum secundum idem, & haberet, & non haberet eandem rem, ideo nunc subiungit hoc idem impossibile euenire in omnibus, quorum mouens habet uniuocationem cum moto, nempe si dicatur idem secundum se totum mouere se totum, nam quatenus est agens uniuocum, habet actu eandem formam, quam producere vult, & quatenus mouetur, non habet eandem. Videtur autem significare quod in agente ęquiuoco non euenit tale absurdum, nam si Sol per vim calefaciendi, quam habet, poneretur agere in seipsum, & redderet seipsum calidum formaliter, alia fortasse sequi possent absurda, sed hoc certe non sequeretur, scilicet quod in illo motu haberet, & non haberet calorem, sed absolute dicendum esset, quod non haberet, si quidem non per calorem formaliter ageret, sed per virtualem, neque inconueniens est, quod idem habeat actum uirtualem, & potentiam formalem simul. Attamen si dicamus absurdum hoc non habere locum in mouente æquiuoco, hæc Aristotelis argumentatio redditur uana, & inefficax: nam aduersarius ad hoc confugeret, & diceret primum seipsum mouens agere in seipsum ut agens æquiuocum, & ita non sequi illud absurdum. Ego igitur ad hanc difficultatem tollendam dicendum puto, non euenire quidem hoc absurdum in agente æquiuoco, si dicatur moueri seipsum, & esse agens æquiuocum, tamen esse impossibile, vt primum seipsum mouens, sit agens æquiuocum, necesse enim est ut sit uniuocum, iam enim loquimur de primario agente, quod ab alio non moueatur, proinde quod agat per uirtutem propriam non per uirtutem alienam, est enim agentis instrumentarij agere per uim sibi tributam a superiore mouente, non agentis primarij; Itaque si primum seipsum mouens agit per propriam uirtutem, & est secundum se capax illius formæ, non potest carere illa forma, sed habet eam ex necessitate, quia fuit semper sibi ipsi præsens, potuit semper dare sibi illam formam, dum ponitur esse illius capax. Quoniam igitur necesse est ut illam formam habeat, necesse est, ut si seipsum mouere dicatur, sit mouens uniuocũ, quod per formam moueat, unde sequitur absurdum hic ab Arist. illatum, nempe quod eandem formam haberet, & non haberet. Hoc absque dubio significare uoluit his verbis, non enim absolutè dixit in omnibus, quę habent mouens uniuocum, sed in omnibus, quæ necesse est habere mouens uniuocum, quasi dicat esse necessarium in eo de quo loquimur, ut sit mouens uniuocum. Quoniam igitur impossibile est ut primum seipsum mouens ita se moueat, ut totum moueat totum, Arist. tandem concludit dicendum potius esse; aliam eius partem esse mouentem, & aliam esse motam, & hac ratione ipsum mouere se ipsum.

Textus

Textus Quadragesimus primus.

Quod autem non est ipsum seipsum mouens sic, ut utrumque ab vtroque moueatur, ex his manifestum est, neque enim erit primum mouens vllum, si utrumque utrumque mouebit, quod enim prius magis causa est mouendi, quàm sequens, et mouebit magis. Dupliciter enim mouere est, aliud quidem id ipsum, quod ab alio mouetur, aliud autem seipso; proximius autem est, quod longius est ab eo, quod mouetur a principio, quàm quod in medio est. Amplius non necesse est mouens moueri nisi a seipso, secundum accidens o contra mouet alterum, at sumipsi contingere non mouere, erit ergo aliud quidem quod mouetur, aliud autem mouens immobile. Amplius non necesse est mouens contra moueri, sed aut immobile aliquid mouere necesse est, aut ipsum a seipso moueri. Si necesse quidem est semper motum esse. Amplius secundum quem mouet motum, etiam utique mouebitur, quare calefaciens calefit.



ONFVTATO primo membro prosequendum erat ad reliqua, sed Themistius notat duo ommitti ab Aristotele, quia confutata intelliguntur ex primi membri confutatioue, nempe quod totum moueat partem, & quod pars totum, nam utrumque reducitur ad primum membrum, si quidem vtroque modo pars mouet seipsam, & alijs partibus sublatis remanebit ipsa tanquam totum mouens seipsum, quod erat primum membrum. Relinquebatur igitur quartum membrum, quod una pars moueat, & alia moueatur, ut Aristoteles in calce præcedentis contextus conclusit; sed quoniam hoc membrum tribus modis accipi potest, ideo duo confutantur ab Aristotele, ut tertius probatus maneat. Vnum confutat in hoc contextu, quod una pars alteram moueat, & ab illa uicissim moueatur; Et quatuor argumentis utitur, quorum primum tale est, si utraque pars mouet alteram, ergo neutra est primum mouens, proinde neque totum ex eis conflatum, hoc autem est falsum, quia supponitur id esse primũ seipsum mouens, consequentiã probat Arist. constituto illo fundamento quod sup. in Contex. 33. iactũ est, & hic repetitur quod mouens principale est magis mouens, & magis causa motus, quam mouens instrumentale, hinc. n. fit ut utraq; pars sit instrumentũ alterius, & ita neutra sit motor principalis, nam si partes dicãtur esse A. & B. magis a se mouetur A. quã a B. quia mouet se per B. tanquam per Instrumentũ, quare B. non est primum mouens, sed mouetur ab alio; sic etiam B. magis a se mouetur, quam ab A. cum moueat se per A. tanquam per instrumentum, quare A. non est primum mouens: totum igitur. A. B. non est primum mouens, ut ponebatur. Quando dicit [quod enim prius] ponit fundamentum prędictum ex contextu Trigesimotertio repetitum, & [prius] appellat mouens primarium, [sequens] autem vocat mouens secundarium, & statim ab hoc declarandum subiungit distinctionem mouentis, ut ibi dictum est: unum enim est mouens, quod mouetur ab alio, & est mouens instrumentale: alterum

rum autem quod mouet [seipso] hoc est propria uirtute, quod est primum mouens. In sequentibus autem uerbis est error manifestus, ubi enim legitur [a principio] delenda est propositio, & legendum [principio] ut sensus sit, id quod longius est a mobili, proximius est principio quam id, quod in medio est, longius autem abest a mobili motor primarius, quatenus mouet per medium motorem secundarium, quod ob id ab Aristotele uocatur medium, proximius autem principio hic significat magis accedere ad naturam principij, & dignius esse nomine principij. [Amplius non necesse est, mouens moueri, nisi a seipso] Hæc est secunda ratio ad idem probandum talis, supponit Aristoteles non esse necessarium, ut mouens moueatur ab alio, hoc enim patet, quia superius est demonstratum, uidelicet dari mouens, quod a seipso mouetur, non ab alio, supponit etiam quod singula pars est distincta ab alia parte & est quid externum respectu illius, & ita argumentatur, si ducti sumus ad primum mouens, a quo necesse est alia moueri, & huius quoque utramque partem dicimus ab altera moueri necessario, ergo necessarium est omne mouens moueri ab alio, quod est contra suppositum. Dicere igitur oportet alteram partem ab altera moueri non necessario, sed per accidens, id autem quod est per accidens, potest esse, & non esse, sumamus igitur, quod contingat, ut una ab altera non moueatur, una igitur mouebitur, & altera mouebit [immobilis] idest, non mota, & sic non mouebit utraque alteram, sed una mouebit alteram, nec mouebitur ab illa. [Amplius non necesse est mouens contra moueri] Hæc est tertia ratio talis, iam peruenimus ad primum mouens quod seipsum mouet, a quo mouentur alia posteriora mouentia, quod ob id est mouens principale, in quo est radicata ipsa uis mouendi, ergo si huius utramque partem necesse est moueri ab altera, sequitur non dari motum, hoc autem est falsum, quia iam ostendimus motum semper esse, consequentia autem probatur per ea, quæ in prima huius contextus parte dicta sunt, neutra enim pars erit primarium mouens, sed vtraque erit mouens instrumentarium, nullum igitur dabitur mouens, quod propria uirtute moueat, at qui nisi tale mouens detur, nullus esse potest motus, ut in contextu trigesimotertio dictum est, ergo &c. Quare si motum semper esse necesse est, duorum alterum fateri oportet aut alteram partem mouere, & esse immobilem, idest non motam, quod quidem nos uerum esse arbitramur; aut illam partem mouere seipsam & tunc redibit eadem quęstio, an tota si totam moueat, & quomodo in ea distinguatur mouens a moto; Differt hæc tertia ratio a secunda, quoniam in illa secunda accipiebatur absolutè quòd non est necessarium ut omne mouens moueatur ab alio, hoc enim iam fuerat ostensum superius. in hac verò sumitur de solo primò mouente, quod non est necessarium, ut pars eius mouens moueatur contra a parte mota, cuius etiam probationem subiungit acceptam ex ęternitate motus, antea demonstrata. [Amplius secundum quem motum] Quartam demum rationem adducit, qua eadem etiam sumpta in contextu trigsimooctauo, ac deinde etiam in quadragesimo usus est, ad diuersa tamen probanda, nam in trigesimooctauo ad probandum primum mouens non moueri ab alio, in quadragesimo ad probandum primum mouens non ita seipsum mouere, ut totum moueat totum, hic tandem ad probandum non in se mouere, ut partes se mutuo moueant, ratio autem talis est, si pars A. mouet B. partem, & vicissim ab illa mouetur, ergo A. mouet se per B. tanquam per instrumentum medium, ergo A. principalius, & magis se mouet, quam moueatur a B. siquidem mouens principale magis mouet, quam mouens secundarium, quare in A. est radicata uis motiua suiipsius, agit ergo, & patitur simul secundum idem; proinde habet & non habet eandem rem, calefacit, & calefit secundum eundem calorem,

calorem, quod in prædictis locis dictum est esse impossibile, & implicare contradictionem.

Textus Quadragesimussecundus.

At verò neque ipsius primo seipsum mouentis, aut vna pars, aut plures mouebunt ipsa seipsam vnaquaque. Totum enim si mouetur ipsum a seipso, aut ab aliquo eorum, quæ sunt ipsius, mouebitur, aut totum a toto. Si igitur quia mouetur aliqua pars ipsa a seipsa, hæc vtique erit illud primum ipsum seipsum mouens. Separata enim hæc quidem mouebit ipsa seipsam, totam autem non amplius. Si uerò totum a toto mouetur, secundum accidens hæ mouebunt ipsa seipsas. Quare si non necessariò accipiantur non moueri a seipsis. Ipsius igitur totius aliud mouebit cum immobile sit; aliud mouebitur, solùm enim sic possibile est aliquid per seipsum motiuum esse. Amplius si tota ipsa seipsam mouet, hoc quidem mouebit ipsius, illud autem mouebitur. Quæ igitur A B. et a seipsa mouebitur & A.

REPROBAT Aristoteles aliud membrum falsum, quod fuit secundum ex subdiuisione quarti membri in tria ut in præcedenti contextu diximus, videlicet quod totum ea ratione dicatur mouere seipsum, quatenus vna eius pars mouet seipsam, vel etiam plures mouent singulæ seipsas, vnde prouenit etiam motus totius. Hoc aut membrum dicit Aristoteles duobus modis intelligi posse, vel enim sola pars est mouens, siue vna, siue plures ita ut ipsa se moueat, & ita moueat etiam totum, vel præter hoc, quod totum moueatur ex eo, quod pars primo mouet se, a se quoque toto mouetur primo. Primum horum membrorum confutat, quando dicit. [Si igitur quia mouetur] & ita argumentatur; si aliqua pars mouet primo ipsa seipsam, deinde mouet etiam totum; ergo hæc ab alijs partibus separata adhuc se mouebit, aliæ verò non mouebuntur, proinde neque totum tunc mouebitur; sola igitur illa pars est illud, quod primum seipsum mouet, non ipsum totum, hoc autem aduersatur supposito, nam supponebatur totum illum esse primum seipsum mouens; non potest igitur totum ita a seipso moueri quod moueatur a parte, quæ primò moueat seipsum, deinde totum. Postea quando dicit [si uerò totum a toto] confutat alterum modum quod propter hoc quod pars mouens seipsam moueat etiam totum, totum quoque se totum moueat, & utitur duobus argumentis, primum ducit aduersarium in contradictionem, & tale est, si totum si totum primum mouet, ergo quælibet pars per accidens mouet seipsam, & totum, probatur consequentia, quia & sine illius partis motione mouebitur adhuc totum a se toto, & simul cum toto omnes partes quoque mouebuntur, quoniam igitur, id, quod est per accidens, potest non esse, cum non sit necessarium, ponatur igitur, quod illa pars non amplius se moueat, falsum igitur erit, quod aduersarius dicit, & totum a se toto, & to-

tum

tum a parte se mouente primo moueri, hæc enim duo implicant contradictionem, & simul poni nequeunt. Antequam autem Aristoteles alterum argumentum addat ad idem probandum, colligit ex tota præcedenti argumentatione membrum illud quod est uerum solum, nempè quod primum seipsum mouens habeat vnam partem mouentem, & alteram motam, & pars mouens sit immobilis; hoc enim solum membrum relinquitur, quo dici possit aliquid mouere seipsum. Deinde quando dicit [Amplius, si tota ipsa seipsam mouet] alterum addit argumentum ad idem confutandum, quod proxime confutauerat, ut Alexander interpretatur, quod tale est, si totum & a se toto, & a parte seipsam mouente mouetur ut totum A. B. & ab A. parte, & ab ipsomet A. B. toto, ergo duos simul habebit motores, nempe & A. B. & A. quod est impossibile. Consequentia manifesta est, falsitas autem consequentis facile ostenditur, dum supponimus non de alio motore hic sermonem esse nisi de primario, in quo sit posita, & radicata vis motiua, hoc enim fundamentum supponitur in omnibus his Aristotelis argumentis, clarumque per se est, quia si in vno est perfectè posita vis motiua, ergo in alio posita esse non potest, sed de alijs omnibus præter ipsum dicendum est, quod mouent per virtutem illius, proinde vt instrumenta. Hæc est Alexandri expositio, quam ego probandam puto. D.Thom. autem hoc argumentum ita quidem formauit, sed ipsam non de toto, sed de parte factum intellexit, videlicet si pars mouet seipsam, id non potest esse alio modo, nisi quod habeat partem mouentem, & partem motam, mouetur igitur, & a parte sua, & a se tota, quare habet duos motores, quod est impossibile. Sed credendum est Aristotelem illud idem improbare, quod prius, quod autem potuit decipere Sanctum Thomam fuit Aristotelis locutio in fęminino genere cum dicat, [si tota ipsa seipsam mouet] quare videtur significare partem totam respectu particularum suarum; sed hoc nihil est, quia etiam in Græca litera hæc verba sunt fęminini generis, nec tamen possunt significare partem, quia pars dicitur Græcè in genere neutro; & præcedentibus quoque verbis dum Aristoteles colligeret membrum uerum dixit [ipsius igitur totius] in genere fęminino, de toto tamen ipso, non de parte loquebatur, parum autem refert in quo genere loquebatur Aristoteles, quia cum de toto, & partibus integrantibus loquatur potest intelligere totam lineam, uel totam aliam magnitudinem, vt re in his partibus declarata, idem postea intelligatur de alio quoque partium genere. Errauit autem etiam Vicomercatus hic dum dixit eandem esse Sancti Thomæ, & Alexandri expositionem, discrimen enim habent, vt declarauimus. Simplicius uero, quem ipse Vicomercatus sequitur, alio modo hęc postręma uerba interpretatur. Dicit enim Aristotelem his uerbis declarare veram sententiam, quam præcedentibus uerbis colligerat, ut sensus uerborũ sit, ipsum totum, ita se mouet, ut habeat unam partem motam & aliam mouentem immobilem, & ita uerum est, quod ipsum totum se mouet, in hoc enim sensu uerum est quod totum A. B. est mouens seipsum, quia habet partem A. mouentem, sic igitur conclusio, quæ in postremis uerbis ab Aristotele deducitur, ut uera infertur, non ut impossibilis, ut Aristoteles significare uelit, quod totum ea ratione dicitur moueri seipsum, quatenus non ab aliquo mouente externo mouetur, sed a parte. Officit tamen huic expositioni dictio illa [Amplius] quæ significat nouum argumentum ad idem probandum; at secundum hanc expositionem nullum affertur argumentum, sed solum declaratio ueræ opinionis, quare ipsa uerborum connexio, & series ostendit non esse congruam hanc Simplicij interpretationem. Hactenus hos tres contextus interpretati sumus iuxta Græcorum sententiam, quę satis plana, & facilis est, & eam recentiores omnes sequuntur, ut si quis eam sequi uelit, sciat eam probabiliter posse defendi. Sed Auerroes in Commentario

Quadra-

Quadragesimosecundo contra hanc interpretationem digreditur, & Græcorum errore detecto aliam ipse adducit horum contextuum interpretationem multo artificiosiorem, & (vt ego puto) veriorem. Sententia Auerrois est quod Aristoteles non sit argumentatus ab omnium membrorum enumeratione, quam diximus sententiam Græcorum fuisse, sed paulatim nos duxerit ad ipsam rei ueritatem probando in singulo horũ trium cõtextuũ aliquid ipsius ueritatis; cuius rei inditium inde sumit Auerroes manifestum, quod quando argumentamur a sufficienti membrorum enumeratione, non inferimus conclusionem ueram, nisi semel tantum, nempè post aliorum omnium membrorum reprobationem inferimus ueritatem reliqui membri; at Aristoteles hic non semel, sed pluries in his tribus contextibus intulit conclusionem ueram, nempè quod primum seipsum mouens habet partem motam, & partem mouentem immobilem. Hic igitur fuit unus Græcorum error, sed alium quoque errorem eos commisisse inquit Auerroes, quod dixerunt duorum membrorum confutationem fuisse ab Aristotele consulto omissam, propterea, quod clara erat ex primi membri confutatione, nam confutato membro illo, quòd totum moueat se totum, patebàt quoque horum duorum confutatio, quod pars moueat totum, & quod totum moueat partem, at inquit Auerroes hanc non esse mentem Aristotelis, qui nullo modo hæc duo membra debuit confutare, quia iam in præcedentibus excluserat a præsente consideratione omne id, quod mouetur per accidens, partem autem moueri a toto, uel totum a parte non potest esse nisi per accidens, quare nulla opus erat horum confutatione, cum in eis accidentalitas sit manifesta. In alijs autem membris inest quædam accidentalitas, sed quia non est manifesta, ideo confutanda fuerunt, & in eis Aristoteles vsus est distinctione in per se, & per accidens, quia occultior erat accidentalitas. Non igitur a sufficienti membrorum enumeratione Aristoteles argumentatur (inquit Auerroes) sed in singulo horum contextuum probat aliquid ipsius veritatis, sibi enim probandum acceperat, quod primum seipsum mouens ita se mouet, & diuidatur in partem motam, & in partem mouentem immobilem, prius igitur in contextu Quadragesimo ostendit, quod habet vnam partem mouentem, & alteram partem motam, quam conclusionem in calce illius contextus legimus, deinde in quadragesimo primo, & quadragesimosecundo ostendit partem mouentem debere esse immobilem; Quod quidem diuidatur in partem mouentem, & partem motam, probauit Aristoteles ostendens, quod non potest totum habere simul rationem & mouentis, & moti, intelligendo per se, ut prædiximus, siquidem sequeretur idem eandem rem habere, & non habere, quare necesse est, ut una eius pars sit mota, & altera mouens; quæ est conclusio una illata in cõtextu quadragesimo: Sequebatur ostendendum quod pars mouens sit immobilis, quod postea probat Aristoteles excludendo omnes modos, quibus dici possit eam moueri, vel enim dicet aliquis eam moueri uicissim a parte mota, quod confutat Aristoteles in Quadragesimo primo, uel moueri a seipso, quæ uidetur fuisse Platonis opinio de anima mouente primo se; deinde totum, quod confutat Aristoteles in Quadragesimosecundo, adeo ut cum pars mouens non possit ullo modo moueri, ostensum tandem sit eam debere esse immobilem. Hæc est Auerrois expositio, quam eandem etiam Sanctus Thomas reiecta altera secutus est; hanc ego quoque magis probo ductus prædictis Auerrois argumentis.

Contex-

Contextus Quadragesimustertius.

Quoniam antem mouet aliud quidem, quod mouetur ab alio, aliud autem immobile existens, & mouetur hoc quidem mouens, illud autem nihil mouens ipsum seipsum mouens, necesse est ex immobili esse, mouente tamen; et adhuc ex eo quod mouetur, non mouet autem ex necessitate; sed qualitercunque euenit. Sit enim A. mouens quidem, & immobile, B. vero id, quod mouetur ab A. & mouet id, in quo. C. hoc autem motum quidem ab ipso B. mouens autem nihil, si enim, et per plura ueniat aliquando in C. sit per unum solum, totum ergo A.B.C ipsum seipsum mouet: sed si aufero ipsum. C. ipsum quidem A.B. mouebit ipsum seipsum, ipsum enim A. est mouens, B. uero id, quod mouetur; ipsum autem C. non mouebit ipsum seipsum, neque penitus mouebitur. At uerò neque B. C. mouebit ipsa seipsam sine ipso A. nam B mouet ex eo, quia mouetur ab alio, non quia a seipso parte aliqua, ipsum igitur A.B. solum seipsum mouet. Necesse est igitur seipsum mouens habere mouens immobile tamen, et id quod mouetur nihil autem mouet ex necessitate tangentia autem, aut vtraque seinuicem aut alterum. Si igitur continuum est id, quod mouet: (quod enim mouetur, continuum esse necessarium est:) manifestum est quod totum ipsum seipsum mouet, non eo quod ipsius aliquid huiusmodi sit, vt ipsum seipsum moueat, sed totum mouet ipsum seipsum, & mouens, et motum, eo, quod ipsius aliquid est ipsum mouens, & id, quod mouetur, non enim totum mouet, neque totum mouetur, sed mouet quidem ipsum A. mouetur autem ipsum B. solum, ipsum autem C. ab ipso B. non amplius, impossibile enim est.



POSTQVAM Aristoteles nos duxit ad cognoscendum primum mouens mobile a seipso, deinde etiam ad primum mouens immobile, hic vult vtrumque inter se conferre, & ostendere quomodo se habeat motor immobilis ad primum seipsum mouens, ostendet enim, quod motor immobilis est una pars primi seipsum mouentis distincta ab alia eiusdem parte mota, & ita huic discursui finem imponit. Sententia totius literæ satis clara, & facilis intellectu est, primo enim loco proponit Aristoteles distinctionem mouentium, & mobilium, postea uerò eam applicat ad declarandum quales sint partes in primo mouente seipsum. Primum dicit duplex esse mouens, unum quod mouetur

ab alio,


ab alio, alterum quod est immobile. Pariterque id quod mouetur esse duplex, vnũ quod mouet aliud, alterum, quod non mouet aliquid aliud, hæc autem omnia membra ad tria rediguntur, est enim motor, qui non mouetur, & est motor, qui mouetur, & tandem est mobile, quod non mouet. Est autem notandum in diuisione motoris, quod Arist. non dicit dari alium tertium motorem, qui moueatur a seipso, quia iam ostenderat fieri non posse ut aliquid moueatur a semetipso, ita ut idem penitus sit mouens, & motum: quo fit ut omnis motor uel sit mobilis, uel moueatur ab alio. Hac igitur diuisione constituta colligit Aristoteles, quod necesse est primum seipsum mouens constare ex duabus partibus, una mouente, & immobili, altera vero mota, nec ex necessitate aliud quippiam mouente, sed [qualitercunque euenit] idest contingere potest ut moueat aliud, contingere etiã potest ut non moueat. Hanc illationem probat Arist. à sufficienti omniũ dictorum membrorũ enumeratione, & vt res clarior fiat, utitur exemplo literarum, sit A. motor immobilis, sit B motum ab A. & mouens C. ipsum autem C. non moueat ullã aliam rem; & quia mouentia media, quale est B. possunt etiam esse plura uno, Aristoteles dicit nihil referre, an ab A. ad C. perueniat motus per plura media, an per unum, cum enim omnia sint eiusdem conditionis, satis est sumere vnum, quod B. appellauimus: Quoniam igitur primum seipsum mouens non potest esse nisi aggregatum, uel horum trium vel duorum ex eis, Arist. omnes modos, & omnes horum combinationes considerat, & alijs omnibus reprobatis concludit non posse esse primum seipsum mouens, nisi illud quod ex duobus tantum constat ex A, & B. quod primum ab illo mouetur. Ostendit primo non posse esse primum seipsum mouens aggregatum illorum trium. A B C. hoc argumento, quoniam istud aggregatum dicetur quidem mouens se ipsum, sed non primum mouens seipsum; si quidem prius ipso erit id, quod ex solis A. & B. constat, hoc enim seipsum mouebit etiam abiecto C. nam A. erit mouens, & B. erit motum, quod non mouebit aliud ablato iam C. ipsum autem C. non mouebit seipsum, quia iam ostensum est nihil posse semetipsum mouere, præsertim verò cum non sit in ipso C. radicata uis motiua, siquidem ponebatur C. moueri a B, quare nullo potius modo (inquit Aristoteles) mouebitur ipsum C. dum est separatum a B, a quo mouebatur, neque igitur ipsum C, dici potest primum mouens seipsum, ostendit Aristot. quod neque B. C. sine ipso A. potest esse primum mouens seipsum. nam B, supponebatur motor medius, qui ideo moueat C. quia ipsum ab A. mouetur, non est igitur in ipso B. radicata uis motrix, cum non ponatur moueri a se per aliquam suam partem, quæ dicatur mouens, sed ab ipso A, tanquam motore alio, remoto igitur A, certum est, quod BC. moueri a seipso non poterit. Relinquebatur ostendendum quod neque A C. sit primum seipsum mouens, sed Aristoteles hoc membrum reprobare neglexit, ut ait Simplicius, cum ex supposito sit manifestum: supponitur A. non mouere C. nisi per medium B. quare B. medio sublato, licet remaneat A motor, & C. mobile, clarum est non moueri C. ab A. Sed fortasse de hoc quoque membro dicit aliquid Aristot. in postremis uerbis huius Contextus; concludit igitur nullum aliud esse primum seipsum mouens nisi A B. habet enim A motorem immobilem, & B. motum ab eo, quod quidem B. non ex necessitate mouet aliud, quamquàm enim ponebatur B. mouere C. tamen non est necessarium ut moueat. Siquidem ablato C. remanebit A B. mouens seipsum, nam A mouebit, nec mouebitur, B. verò mouebitur, nec mouebit. Sic igitur declarata est compositio primi seipsum mouentis, ex duabus dictis partibus. Qualis autem ea compositio sit, & quales sint eæ partes, non potest hic Aristoteles plene declarare, sed leuiter hoc tangere, & modo quodam innuere satis habet, quando dicit, [tangentia autem] tactus

enim nõ est proprie nisi corporum, ideo si motor immobilis statuatur corporeus, nempe ipsum A. tunc se mutuo tangent A, & B. sed si A. sit quid incorporeum ut re uera est, dicetur quidẽ A. tangere B. si illi adhęreat, at è conuerso non dicetur B. tangere A. ut colligimus ex Contex. 45. primi libri de generatione. Sic igitur dicetur anima tangere corpus, at non corpus animã, quare etiam motor immobilis tanget quidem ipsum mobile, ut ab ipso non tangitur, quia si est immobilis, non potest esse corporeus, proinde neque tangi potest. Arist. igitur hactenus de motore immobili locutus est tanquam de corporeo, & in diuisione primi seipsum mouentis non considerauit, nisi eius partes secundum quantitatem, ut in his facilius declararet distinctionẽ partis mouentis, & partis motę; nunc autem proprius uolens ad veritatem accidere, innuit ipsum esse partẽ non corpoream, hoc quidẽ absolute pronuntiare non potest, quia nondum est manifestum, sed neque absolutè dicere vult quod sit pars corporea, quia falsum est, sed utitur disiunctione, ut nos adhuc suspensos relinquat, an sit corporeus ipse motor immobilis an incorporeus. Dicit. n. [tangentia autem aut utraque se inuicẽ] nempe si & A. & B. sint corporea [aut alterũ alterum] nempe si B. quidẽ sit corpus, sed A sit incorporeum, sic. n. A tanget B. sed B, non tanget A. licet hic non sit proprie dictus tactus, siquidem propriè est tactus corporis cum corpore, sit autẽ significatur modus compositionis A cum B. est. n. compositio ut animę cũ corpore, cui adhęret, non. n. moueret anima corpus, nisi ipsum tangeret, i. simul esset cum ipso, ut dicitur in septimo Lib. Physic. at corpus ipsam non tangit, quia anima est incorporea. Sic igitur incipit Arist. nos excitare ad considerandũ quod motor immobilis non potest esse, nisi quid incorporeũ adhęrẽs primo moto. Tandem quando dicit [si igitur continuum] concludit modũ quo vere dicimus aliquid mouere seipsum, dicimus. n. quod si ipsum mouet A. B. nõ quod totum A B. sit mouens & motũ, neque quod in eo sit aliqua pars quæ seipsam moueat, sed quia habet partem A mouentem, & partem B. motam, quare totum A. B. seipsum mouet hoc modo, mouet. n. ratione partis A. & mouetur ratione partis B. Est autem in verbis Arist. aliqua difficultas, uidetur. n. Aristoteles facere hanc cõsequentiam, si mouens est continuum, ergo totum aggregatum diuiditur in partem mouentem, & partem motam, & ita videtur, & sumere falsum antecedens, & facere prauam consequentiã, sumit. n. continuum non respectiue pro eo, quod continuatum, seu coniunctũ est alicui, sed absolute pro corporeo, attamen falsum reuera est, quod mouens sit continuũ, est. n. incorporeum; praua etiam est cõsequentia, nã supponendo quod pars mouens sit continua, sequitur potius, quod sit mobilis, quàm quod sit pars mouens immobilis. Hęc difficultas tanti apud Alexandrũ fuit, ut ipse lectionem mutauerit: sicuti apud Simplicium legere possumus. Mihi tamẽ uidetur etiam nulla in verbis facta mutatione posse lectionem, quam habemus, ab omni difficultate vindicari, quod. n. assumptum falsum videatur, hoc nihil est, non enim absolutè id profert Aristo. sed sub conditione cum dicat [si continuum est id quod mouet] sensus enim est hic, cum prius significauerimus dubium esse, an motor sit continuus necne, supponamus in præsentia quod sit cõtinuus; Quod uerò ad consequentiam attinet, ego nullã puto fieri consequentiã ex hoc assumpto, proinde hoc non esse dicendũ assumptũ, sed potius suppositum, quod. n. primũ seipsum mouens duas has partes habeat, hoc non infertur ex hoc assumpto quod pars mouens sit corporea, cũ sit vnum etiã posito opposito illius assumpti, sed infertur ab Aristotele ex alijs suprademonstratis, ita ut sensus omnium verborum sit; supponamus nunc mouens esse continuum, siquidem de moto nullum est dubium, quin necessarium sit ipsum esse continuum, & corporeum, manifestum igitur ex dictis est, quod primum seipsum mouens dicitur hoc modo mouere seipsum &c. ut iam declara-

declarauimus, sufficit enim in præsentia hanc duarum partium distinctionem considerare, sumendo esse utramque corpoream. Postrema uerba duobus modis leguntur, in quibusdam enim Codicibus legitur [ipsum autem C. ab ipso B. non amplius] in quibusdam verò [ab ipso A.] sed utrouis modo legamus dictum Aristotelis clarum est, nam si legamus [ab ipso B.] id etiam antea dictum est, quod C. a B. sine A. non moueretur, si vero legamus [ab ipso A.] significabitur illud membrum, quod supra diximus ab Aristotele fuisse prætermissum, sic enim non erit prętermissum sed hoc in loco excluditur, C. namque ab A. non mouebitur sine B. quia supponebatur non transire motum ab A. ad C. nisi per medium B.

Textus quadragesimusquartus.

Dubitationem autem habet, si auferat aliquis aut ab ipso A. si continuum est, id, quod mouet quidem, sed immobile est; aut ab ipso B. quod mouetur; an reliquum utique ipsius A. mouebit, aut reliquum ipsius B. mouebitur, si enim hoc non utique erit, quæ primo mouetur a seipsa, quæ A B. remota enim ab A B. adhuc mouebit seipsam reliqua A B. An potentia quidem utrumque nihil probibet, aut alterum, id scilicet, quod mouetur diuisibile esse, actum autem indiuisibile. Si enim diuidatur non ulterius esse eandem habens potentiam, quare nihil probibet in ijs, quæ diuidi possunt, potentia primo inesse. Manifestum est igitur ex bis quod est primum mouens immobile, siue enim confestim id, quod mouetur, ab aliquo autem mouetur, stet ad immobile primum, siue ad id, quod mouetur quidem, ipsum autem seipsum mouens est, & sistens, utroque modo accidit utique id, quod primum mouet in omnibus esse motis immobile.



N hoc Contextu proponit Aristoteles ac soluit dubium quoddam, demum conclusionem colligit omnium quæ dicta sunt. Occasio dubij exponitur optime ab Auerroe, nam Aristoteles in pręcedente Contextu dixerat, quod totum A B C. quamuis in se habeat motorem, & motum, non est tamen primum seipsum mouens, quia etiam ablato C. remanet A B. quod seipsum mouet & est prius natura quã A B C. quia pars est prior toto, quo fit, ut nullum seipsum mouens, quod habeat partem seipsam mouentem, dici possit primum seipsum mouens, Nunc igitur Aristoteles dubitat, quia dixit mobile esse continuum & fortasse etiam motorem esse continuum, quare uel utrumque, uel alterum est diuiduum in infinitum; igitur quocunque dato, quod dicatur primum seipsum mouens, ostendam id non esse primum seipsum mouens, quia pars mouens, quæ est A. si est continua, est diuidua, at saltem pars. B. mota continua & diuidua absque dubio est; si ergo diuidatur A. & B. vel saltem solum B, & abijciatur pars aliqua utriusque, uel saltem solius B. id, quod reliquum erit, ipsius A B. seipsum mouebit, & erit natura prius toto

A. B. non igitur totum A. B. est primum seipsum mouens, sed potius pars eius remanens: immo hac ratione ostenditur nullum dari primũ seipsum mouens, quia pars illa remanens est adhuc continua, ac diuidua, proinde partem priorem se habebit, quæ seipsam moueat, & illa adhuc aliam & sic in infinitum. Hic quærunt multi, cur Aristoteles sine probatione hic accipiat, quod abiecta parte ab A, vel a B. id quod remanet, moueret seipsum, uidetur enim hoc probatione indiguisse, ut dubitatio efficacior esset. Ad hoc multæ ab alijs dicuntur ineptię, quæ considera-tione dignæ non sunt. Nos dicimus Aristotelem id sumere ut notum ex ijs, quæ in calce septimi libri dicta sunt, de proportionibus inter potentiam motiuam, & mobile, nam si illa mouet hoc, necesse est, ut utroque proportionaliter diuiso, alterius pars proportionalis moueat partem proportionalem alterius, & eodem motu; quod si potentia motiua integra seruetur & diuidatur mobile, non solũ fiet motus, sed etiam maior, eadem .n. potentia velocius mouebit partem mobilis, quã ipsum totum, quia maior fit excessus potentiæ motiuę ad partem mobilis, quàm erat ad totũ mobile; at si potentia diuidatur sola, & mobile maneat integrũ, non est necesse motũ fieri, potest .n. ita esse imminutus uigor illius potẽtię, ut nullus maneat excessus ipsius ad potentiam resistiuam mobilis: Ex his igitur patet id, quod Aristoteles in dubio supponit, clarum esse, nam si diuidantur proportionaliter, & A. pars mouens, & B. pars mota ita mouebitur. (Exempli gratia) dimidium. B. a dimidio A. vt prius mouebatur totum B. a toto A. at si solum B. diuidatur. A verò mouens seruetur integrum, multo magis fiet motus, quia maior fiet excessus virtutis actiuæ ad mobile, quàm erat prius, quare suppositum Aristotelis omni dubio caret: dubium quidem esset, si supponeret motũ fieri diuiso solo A. mouente, sed Aristoteles hoc non supponit, quare in hoc errauit manifestè Simplicius, attribuens Aristoteli, quod sumat fieri motum uel solo A, vel solo B. diuiso, uel etiã utroque, de solo enim A. falsum diceret Aristoteles, quod postea in solutione clare legimus, ubi dicit [si diuidatur utrunque, vel saltem alterum, id scilicet quod mouetur] non enim dicit alterum indistincte, sed alterum, id est solum mobile; Notare autem debemus Aristotelem de ipso quidem B. asseueranter accipere, quod diuidi possit, at de A. sub dubio, & sub conditione, cum dicat [si continuum est id, quod mouet quidem, sed immobile est,] nam etiam in præcedenti contextu sub conditione hoc idem protulit; ob id nunc dicit, si diuidantur ambo, nempè supposito A. diuiduo, vel saltem solum B. si dicatur A. non esse diuiduum. [An potentia quidem utrumque.] Hic Aristoteles dubium soluit, sed adeò breuiter & obscurè, ut ambigant interpretes an soluat, concedendo quod remanens facta diuisione moueatur, an hoc idem negando, nec desunt utriusque sententiæ sectatores. Simplicius dicit Aristotelem soluere accipiendo partem affirmatiuam, vt solutio hæc sit, concedendo quod facta diuisione prędicta remanens moueretur, sed dico tamen quod per hoc non stat, quin A.B. sit primum seipsum mouens, quia antequam diuidatur, nulla in eo pars est actu, sed omnes potestate, dum igitur est integrum, & actu indiuisum A. B. nihil actu existit quod illo prius dici possit seipsum mouens: Verba verò secundum hanc interpretationem sic intelligenda sunt, nihil prohibet utrumque, uel saltem B. diuiduum esse potentia, attamen actu est [indiuisibile] idest, indiuisum, quasi dicat, satis habeo, quod sit actu indiuisum, licet potestate diuiduum sit, [si autem diuidatur] (inquit Aristoteles) [non habet ulterius eandem potentiam] idest, partes non sunt amplius potentia, ut prius, sed sunt actu; [Quare nihil prohibet in ijs, quæ diuidi possunt] quin aliquid dicatur primum seipsum mouens, licet in eo sit aliud prius mouens seipsum; dummodo illud in eo in sit potestate, non actu. Auerroes autem, & latini

contra-

contrariam opinionem tuentur, putant enim Aristotelem dubium soluere accipiendo partem negatiuam, quod facta vtrumque diuisione residuum ipsius A. B. non moueretur amplius a seipso, ut solutio talis sit, certum est, id, quod seipsum mouet, esse animatum, (hoc enim iam abundè declaratum est superius) hinc igitur fit ut licèt continuum sit, & ita potestate diuiduum in infinitum ratione materiæ, tamen sit indiuisibile ratione formæ, & si enim forma eatenus est diuidua, quatenus est extrusa ad extensionem materiæ, tamen si diuidatur, non potest amplius seruari, quare neque mouere potest, necesse est igitur dari primum seipsum mouens, quod licet diuiduum sit, quatenus est continuum, tamẽ si diuidatur, non amplius se mouet, quia forma interit, vt si dicamus hominem mouere seipsum, non est tamen primum seipsum mouens, quia etiam ablato brachio mouebit adhuc seipsum, & sic ablato crure, oportet igitur terminari tandem ablationem membrorum ita ut remaneat primum aliquid seipsum mouens, quo non datur pars prior, vt si illud dicamus esse cor animatum, licèt enim cor quantum ac diuiduum sit, tamen ratione formæ est indiuiduum, quia si aliquà abiungatur pars, non amplius se mouebit, in animalibus autem annulosis, quæ diuisa uiuent, necesse diuidendo peruenire ad aliquam paruam partem, quæ seipsam moueat, qua non detur alia minor seipsum mouens. Verba autem Aristotelis secundum hanc expositionem sic intelligenda sunt, nil prohibet, uel utrumque, vel saltem solùm mobile esse diuisibile potentia, nempè ratione materiæ, sed [actu est indiuisibile] nempè ratione formæ, quæ est actus rei. [Si autem diuidatur, non ulterius habet eandem potentiam] idest quatenus est actu, non habet semper eandem potentiam, hoc est ad vlteriorem diuisionem, quia necesse est stare ad primum seipsum mouens ut si dicamus ad cor, adeo vt seruet quidem semper potentiam ad diuisionẽm, quatenus est continuum, sed quatenus est actu tale, quod seipsum mouet, non habet amplius potentiam ut diuidatur in partem quę seipsam moueat, [quare nihil prohibet in ijs quæ diuidi possunt, potentia primò inesse] quare nihil nobis obest asserere, quod in rebus diuiduis detur potestate aliquid prius, siquidem diuiduum est in partes, & pars est natura prior toto, non enim datur propterea aliud prius quod seipsum moueat, quia facta diuisione nulla pars seipsam mouebit. Ad dubium ergo dicendum est; quod dum statuimus A. B. esse primum seipsum mouens, hoc habet quidem potestate partes priores, in quas diuidi potest, attamen ablata parte aliqua ab utroque, vel a solo B. dicimus quod residuum ipsius A. B. non mouebit seipsum, est igitur A. B. primum seipsum mouens, licèt diuiduum sit B. & fortasse etiam A. nam si sit forma naturalis, diuidua est ad diuisionem materiæ in qua extensa est. Vel sic interpretamur hæc verba, nihil prohibet in ijs, quæ diuidi possunt, etiam in infinitum dari tamen aliquid primum commune formæ huius, nempè quod non habeat amplius potentiam ut diuidatur. hoc enim intelligitur ratione formæ, & cum hoc stat quòd sit diuiduum in infinitum ratione materiæ. Videntur itaque ad vtramque expositionem verba Aristotelis accommodari posse, attamen meo quidem iudicio secunda est accipienda, prima verò nullo modo, quia secundum illam conceditur quocunque seipsum mouente dari aliud prius seipsum mouens, quod non est concedendum, destruit enim totum Aristotelis discursum in hac parte, qui ad hoc nos ducere voluit, quid in mouentibus, & motis necesse est deuenire, & ad primum seipsum mouens, & ad primum immobile. Neque satis est quod dicatur dari potestate aliud prius seipsum mouens quocunque primo dato, quoniam ad euertendum sententiam Aristotelis satis erit quod illa potentia per diuisionem continui potest duci ad actum: quare quocumque dato primo dabitur aliud prius, itaque nullum erit

primum seipsum mouens. At secundum Auerrois, & latinorum sententiam dicimus diuidi posse A. B. vel saltem B. in partes, sed parte sublata residuum non mouere amplius seipsum. Neque obstat ratio, quæ sumebatur ex calce septimi libri Physicorum, nam illa, quæ ibi dicuntur de propositionibus motoris, & mobilis, locum habent de his ut continuis, & illa consideratio est communis, & abstracta, nam quod motor potens mouere totum possit etiam magis mouere partem, verum est ratione propositionis, quæ est inter potentiam motiuam agentis, & resistitiuam mobilis, hoc enim dicere necessarium est ratione illius proportionis attamen non mouebit partem actu, si forma illius rei non patiatur diuisionem. Supposita igitur diuisione quæ fieri potest, quatenus res naturales sunt communissimę, illa omnia vera sunt. Difficultas autem, quæ multos priorem expositionem sequentes turbauit, nos minime turbat, dicunt enim uideri repugnantiam in uerbis Aristotelis, qui in initio septimi Physicorum textu secundo, probans, quod quicquid mouetur, ab alio mouetur, sumit hanc propositionem, necesse est quiescente parte totum quiescere, hic uerò concedit sublata parte ab A. B. residuum moueri a seipso. At secundum nostram expositionem nulla est repugnantia, negamus enim Aristotelem concedere, quod ablata parte ab A. B. residuum a se moueatur. Sed reuera etiam secundum alteram expositionem nulla est contradictio, siquidem in principio septimi libri Aristoteles partem a toto non separat, sed eam considerat alijs iunctam in ipso toto, & ita dicit necesse cessante parte moueri, totum quoque cessare, si per se mouebatur, hic verò abiuncta parte a toto considerat, an reliquum moueat se. Præterea ibi vnum, & eundem singularem, & actualem motum considerat dum dicit quiescente parte necesse esse, & totum quiescere: hic uerò neque eundem numero motum considerat, neque vt actualem, sed potius aptitudinem, cum enim statuatur A. B. mouere seipsum, quærit an sublata parte reliquum sit aptum mouere se ipsum: quo etiam concesso alius tamen esset motus, non idem, qui totius A. B. quare nulla est contradictio. [Manifestum est igitur ex his] Ex omnibus, quæ dicta sunt, Aristoteles tandem concludit necessarium esse, ut detur primum mouens immobile, & quoniam videmus multa moueri a motoribus mobilibus, inquit Aristotelis hoc quidem uerum esse, sed tamen necesse esse omnem motum tandem reduci ad motorem immobilem, reducitur enim, & resoluitur omnis motus in primum mouens seipsum, & hoc diuiditur in partem motam, & partem mouentem, quæ est motor immobilis ab hoc igitur pendet omnis motus siue immediate siue per medios alios motores mobiles. Non est autem ignorandum quod hic motor immobilis, ad quem Aristotelis hactenus nos perduxit, non est primus motor vniuersi, vt aliqui putant, sed est quid commune ad ipsum, & ad animam mortalium animalium, quæ & ipsa est motor immobilis, quia saltem per se non est mobilis, immo, & hanc præcipuè hic respicit Aristoteles, quia motor immobilis æternus adhuc est nobis incognitus, hunc inueniet Aristoteles in sequentibus, & eius differentiam docebit ab animabus animalium, nunc in communi loquitur de motore immobili, idque verba Aristotelis hoc in loco testantur, dicit enim [ipsum autem seipsum mouens est, & sistens] quæ verba non sunt uera nisi de animali mortali, quod ut supra dixit in contextu Vigesimonono, potest se mouere & sistere, hoc enim ut euidentius respicit, postea etiam dicit, [quod primum mouet, in omnibus esse motis immobile] quare vniuersaliter loquitur de omnibus motis: in omnibus enim datur aliquid primum immobile, ad quod reducitur omnis motus, ut si lapis moueatur a baculo, baculus mouetur a manu, & manus ab anima, quæ est primum mouens immobile in ipso animali, nam etiam anima animalis mortalis potest dici pri-

ei primus motor secundum ordinem essentialem, quia licèt supponat alios motus factos in animali ab externis motoribus, ut in contextu Vigesimo Aristotelis docuit: tamen illorum motorum, & animæ ordinatio accidentalis est; quam hic Aristoteles cum consideret, nec per eam stat, quin anima secundum ordinem essentialem dici possit primus motor, cum nullus alius sit prior, a quo dicatur fieri ille ipse motus, quod dicitur moueri animal ab anima, non igitur ad motorem immobilem absolutè primum nos hactenus duxit Aristoteles, sed ad hanc vniuersalem propositionem, quod necesse est omnem motum pendere tandem a motore immobili. Hanc enim postea accommodabit ad motum vniuersi, ex quo non poterat nos ducere in cognitionem primi motoris vniuersi, nisi prius hanc vniuersalem propositionem statuisset, quicquid mouetur, ab alio mouetur, & hanc, omnis motus pendet a motori aliquo immobili, his autem demonstratis progredietur Aristoteles ad demonstrandum primum motorem immobilem vniuersi, ut mox videbimus.

Contextus Quadragesimusquintus.

Quoniam autem oportet motum semper esse, & non intermitti, necessarium est esse aliquod perpetuum, quod primum mouet, siue vnum sit, siue plura, & primum mouens immobile esse.



VNC tandem Aristoteles accedit ad perfectam explicationem quæstionis in primo contextu propositæ, accepto enim æterno motu, iam in initio libri confusè demonstrato, ex eo demonstrat dari æternum motorem; eumque esse immobilem, quo demonstrato regredietur ad demonstrandum æternum motum per suam causam, qui totus discursus in contextu Quinquagesimotertio absoluetur. Per hunc patebit perfecta solutio dubiorum propositorum in contextu Sextodecimo, & Decimoseptimo, & in Decimooctauo, Decimonono, & Vigesimo leuiter solutorum, siquidem sermo demonstratiuus omnia dubia soluere aptus est. Iin hoc etiam consistet solutio difficultatis propositæ in contextu Vigesimoprimo, quam dixit ibi Aristoteles esse finem huius negotij, nempè cognitionem veritatis illius membri diuisionis ibi factæ, quod eorum, quæ sunt, alia & mouentur, & quiescunt, ut motum omnibus est; alia verò semper mouentur; & alia semper immobilia sunt, hæc enim duo postrema entium genera, tanquam ignota, nunc demonstrabuntur, dum demonstrabitur dari unum æternum continuum motum in uno æterno mobili a motore æterno penitus immobili. Ad hoc autem demonstrandum necessaria fuit tota præcedens Aristotelis digressio, in qua demonstrauit illas duas vniuersales propositiones, quicquid mouetur, ab alio mouetur, & omnis motus pendet a motore immobili ut iam declarauimus in calce cõtextus præcedentis. Has enim Aristoteles hic applicans ad motum vniuersi, quem æternum esse iam demonstrauit in initio libri, ducet nos ad motorem æternum, & immobilem, siquidem is demonstrari nunquam potuisset dum crederemus posse aliquid moueri a semetipso sine distinctione motoris, & moti, vel procedi in infinitum in mouentibus, nullumque dari mouens, nisi mobile. At his fundamentis constitutis, ijs utitur Aristoteles, ut principijs dirigentibus, æternitate autem motus, ut præcogni-

tione agente, & ut medium ad demonstrandum primum motorem æternum immobilem. De hoc enim duo ostendenda sunt, primum quod detur ipse motor æternus, deinde alterum, quod sit penitus immobilis, nam ex præcedente discursu nil aliud habemus, nisi quod primus motor vniuersi est immobilis eo modo, quo anima animalium est immobilis, nempè non per se mobilis; at quod etiam per accidens mobilis non sit, id non cognoscimus, neque enim potest cognosci, nisi prius cognita sit ipsius æternitas; prius igitur ostendet dari primum motorem æternum, deinde distinguens ipsum ab animabus animalium probabit eum prorsus immobilem esse, hoc est, nec per se, nec per accidens mobilem. Facit igitur Aristoteles in hoc Textu consequentiam, quam ex æterno motu iam demonstrato in initio primi libri, probat dari æternum motorem immobilem, eamque postea probaturus est in sequentibus hoc ordine, cum enim ex eo quod motus est æternus, inferat consequens bipartitum, nempè dari primum motorem æternum, & eum esse immobilem, ideo separatim probabit illationem vtriusque consequentis, nam usque ad contextum Quadragesimumnonum uersabitur in probatione prioris partis consequentis, videlicet quod detur vnus primus motor æternus. Deinde in quinquagesimo, quinquagesimo primo, & quinquagesimosecundo probabit alteram partem, videlicet quod sit immobilis, iam enim diximus non posse ostendi immobilem, nisi per id, quod est æternus; Demum in quinquagesimotertio regressum faciet, & ex æterno motore immobili iam inuento demonstrabit æternum motum, quæ erit demonstratio propter quid. Quoniam igitur uim huius consequentiæ Aristoteles ipse in sequentibus est declaraturus, eam in præsentia non considerabo, sed solum uerba perpendam tum antecedentis, tum consequentis. Antecedens est illud [quoniam oportet motum semper esse, & non intermitti] quasi enim hactenus digressus sit a sermone de æterno motu, nunc resumit æternum motum ut prius demonstratum in principio libri, & verbum [oportet] significat necessitatem demonstrationum ibi factarum ad probandam æternitatem motus. Quod uero subiungit [& non intermitti] aliqui dicunt additum esse propter sententiam Empedoclis, qui motum semper esse dicebat, sed cum intermissione. Quæ expositio mihi non probatur, quia iam Aristoteles in secundo Contextu declarauit quomodo intelligat motum semper esse, nempè cum exclusione sententiæ Anaxagoræ, & sententiæ Empedoclis, non potest igitur nunc attribuere Empedocli quod motum semper esse dixerit, sed intermitti; Melius igitur est, ut dicamus uerba hæc esse declaratiua præcedentium, & addi ad maiorem efficacitatem, quasi dicat, intelligo motum semper esse, si non intermittatur, quia si esset cum intermissione, non esset semper, unde patet Aristotelem seipsum interpretari, & dicere quomodo intellexerit in principio libri motum semper esse, intellexit enim unum singularem motum æternum, quia nulla interrumpatur quiete, quare non potuit intelligere æternitatem successiuam motus generaliter accepti. Postea inducit Aristoteles consequens, cuius prior pars est, [necessarium est esse aliquid perpetuum, quod primum mouet] non infert omne mouens esse perpetuum, sed dari aliquod mouens perpetuum, quare, nec per motum æternum intellexit aggregatum omnium motuum, ita enim debet accipere motum, ut accipit motorem, uniuersalium enim uniuersales sunt causæ, particularium particulares, secundo Physicorum Trigesimooctauo. Addit autem Aristoteles [siue unum sit, siue plura] quia non vult nunc disputare, an primus motor immobilis unus sit, an plures, cum hæc ad Metaphysicum pertineat, sed satis etiam habet cognoscere quod unus detur, quia pingui minerua de eo loquitur in hoc libro, vt in quadragesimo octauo videbimus, vbi pauca de hac re dicet.

Infert

Infert deinde alteram partem consequentis seorsum a prima, quando dicit, [& primum mouens immobile esse] Scire autem debemus, quod immobile potest accipi duobus modis; uno modo, pro non per se mobili, qua ratione etiam animæ animalium sunt primi motores immobiles; altero modo pro nec per se, nec per accidens mobili, cuiusmodi est primus motor vniuersi, de quo hic Aristoteles loquitur, confusè tamen, quia hoc postea declarabitur. Ideo consequentia hæc partim est manifesta, partim immanifesta, & in sequentibus declaranda, nam ex discursu præcedente manifestum est, quod motus potius mundi est necessario reducendus ad unum primum mouens non mobile per se, quod autem neque per accidens sit mobile, adhuc non cognoscimus; sed hoc in sequentibus ostenditur, non potest enim demonstrari nisi ex æternitate, ideo Aristoteles præposuit priorem partem consequentis huic posteriori, quia prius ostendere oportet dari primum motorem æternum, postea uerò, quod is nullo modo sit mobilis; postea igitur declarans hanc consequentiam Aristoteles ostendet primum motorem vniuersi, nec per se, nec per accidens esse mobilem.

Textus Quadragesimussextus.

Vnumquodque igitur immobilium quidem, mouentium autem, perpetuum esse nihil ad præsentem sermonem. Quod autem necessarium est esse aliquid quod semper immobile quidem ipsum sit omne extranea mutatione, & simpliciter, & secundum accidens, motiuum autem alterius, manifestum est considerantibus sic. Sit autem si quis velit in quibusdam contingens, vt sit aliquando, et non sit sine generatione, et corruptione, fortaßis enim necessarium est, si quid impartibile aliquando quidem est, aliquando autem non est, sine mutatione aliquando quidem esse, aliquando autem non esse omne tale. Et principiorum immobilium motiuorum autem quædam aliquando quidem esse, aliquando autem non esse, contingat, & hoc sed nequaquam omnia quidem poßibile est: manifestum enim est, quod causa quædam ijs, quæ ipsa seipsa mouent, inest, vt aliquando quidem sint, aliquando autem non sint. quod enim ipsum seipsum mouens est omne necesse est magnitudinem habere, si nihil mouetur impartibile, id autem quod mouet, nulla neceßitate est ex dictis. Vt igitur alia quædam generentur, alia vero corrumpantur, & hoc sit continuè nulla causa est immobilium quidem non semper autem existentium; neque rursus eorum quæ semper quidem hæc mouent, horum autem alia ipsius, enim quod semper est, & continui, neque vnumquodque ipsorum causa est, neque omnia, nam sic se

habere

habere perpetuum, & ex necessitate est, omnia autem infinita, & non simul omnia sunt.



IN hoc contextu Aristoteles sumpta occasione à solutione tacitæ quæstionis declarat sensum consequentis a se deducti, ut postea aggrediatur probationem consequentiæ. Quærere aliquis poterat, cur non dixerit omnes motores immobiles esse perpetuos; sed aliquem tantummodo. Nec ratione caret quæstio hæc, prius enim communiter locutus erat de omni motore immobili, ita ut comprehenderit etiam animas animalium; nec defuere aliqui philosophi, qui dixerint omnes animas esse immortales. Aristoteles igitur respondens inquit, recipiendam esse hanc considerationem, quia ad hunc locum non pertinet, sed ad libros de anima, se autem de aliquo tantum collegisse, quia de hoc tantum hic loqui pertinet, & iterum proponens consequens a se antea illatum, eius sensum magis declarat, dicens esse necessarium, ut sit aliquod mouens æternum immobile penitus, inquit enim [aliquid] quia de uno, non de omnibus loquitur; inquit [semper] significans esse æternum. Declarat etiam quomodo esse debeat immobile dicens [omni extranea mutatione, & simpliciter, & secundum accidens] extraneam, inquit, mutationem, quia cum idem a semetipso moueri non possit, necesse est, si moueatur, vt ab alio moueatur, extraneus igitur esset motus, quia fieret ab externo motore. Negans igitur Aristoteles in eo omnem extraneam mutationem, negat uniuersi omnem mutationem, quia nulla esse posset nisi extranea. Declarat etiam se intelligere penitus immobile, cum ait [& simpliciter, & secundum accidens] sumit enim simpliciter pro eo quod est per se, & propriè: tale igitur consequens inquit esse a se in sequentibus demonstrandum, sed antequam id faciat soluit hic tacitum dubium, ut hac occasione distinguat primum motorem immobilem, de quo locuturus est, a motoribus immobilibus animalium, ita ut de illo solo sit intelligendum consequens illatum, & probanda postea consequentia ratione utriusque partis consequentis. Dubium autem tale est, non uidetur dari aliquem motorem immobilem æternum; nam animæ animalium sunt primi motores immobiles, tamen non semper sunt, sed & incipiunt, & desinunt esse, omnis igitur motor immobilis est huiusmodi, & quia ad hoc dici posse uidebatur; animas animalium non esse motores primos, quia cum incipiant esse, ac desinant, generantur, & intereunt a transmutante externo, quare pendent ab alio motore priore. Rursus obijcit Aristoteles ad augendam difficultatem, quod quamuis animæ incipiant, ac desinant esse, id tamen non fit cum ipsarum generatione, & interitu, siquidem compositi est generatio, non animæ, per hoc ergo non stat, quin animę animalium sint primi motores immobiles, cum tamen non semper sint, quare dubium vigere videtur. Ad hoc respondet Aristoteles concedendo duas propositiones acceptas a dubitante, sed negando consequentiam; primum concedit esse possibile ut aliquid incipiat ac desinat esse absque ulla sui generatione uel interitu, immo dicit non modo possibile hoc esse, sed etiam necessarium in quibusdam, nempè in simplicibus, & incorporeis, & huius rationem affert, quia generatio, & interitus sunt rerum compositarum, quæ sunt corporeæ, & diuisibiles, quare si res aliqua incorporea, ac indiuidua incipiat, aut desinat esse, non ob id dicitur generari, uel corrumpi, dicit autem [fortassis] non quod sub dubio id proferat, sed quia id considerare non est præsentis speculationis. Secundo etiam concedit

cedit esse aliqua prima mouentia immobilia, quæ incipiunt, ac desinunt esse; sed negat sequi omnia esse eiusmodi, immo probat esse impossibile, sed necessario dari aliquod mouens immobile prius his omnibus, quod ea omnia contineat, & ita segregat a motoribus immobilibus animalium motorem immobilem vniuersi, de quo solo intelligi vult consequens prædictum. Probatio autem talis est, transfert considerationem animarum ad animalia, quæ propriè dicuntur transmutari, quia corporea sunt, ideo generantur, & intereunt, quare etiam animæ ipsarum saltem ratione corporum dicuntur pati, & transmutari, nec semper esse, licet secundum se non dicantur propriè generari neque interire. Cuius discriminis rationem subiungit Aristoteles, nam illud, quod mouet seipsum, nempè animal, necessario corpus est, quia non esset per se mobile, nisi esset corpus, motor autem ipsius non est necessario corporeus, sed potest esse incorporeus, qualis est anima, ideo non est per se mobilis, attamen pati dicitur ratione corporis animati, in quo est. His declaratis inquit Aristoteles, cum animalia non cessent vnquam alia generari, alia interire & hæc eorum successio sit infinita, necesse est aliquam esse causam huius perpetuitatis (sumit enim Aristoteles [continuè] pro perpetuè) eamque esse extra animalia ipsa, quæ contineat ea omnia, ipsæ namque animalium animæ non possunt esse causa neque esse vna earum aliqua, neque omnes simul sumptæ, quod utcunque Aristoteles probat, quando enim dicit [nulla causa est immobilium, non semper autem existentium,] probat quod nulla ex eis sola potest esse huius effectus causa, siquidem incipit esse, ac desinit, nec semper est: quare non potest esse causa effectus perpetui, nam hoc dato sequeretur quod causa non existente existeret effectus, quod est impossibile. Modus autem loquendi Græcus est, quando dicit [nulla causa est immobilium] idest nullum ex mouentibus immobilibus, quæ non semper sunt, nempè nulla animalis anima potest esse huius effectus causa. Deinde quando dicit, [neque rursus eorum] probat quod neque omnes simul animalium animæ id efficere possunt, & sensus uerborum talis est, neque etiam illæ, quæ semper, & perpetuo per successionem mouent hæc animata, ut hæc anima moueat hoc animatum, & illa aliud, & illa aliud, & sic in infinitum; perinde enim est ac si dicat, neque omnes simul animæ, quæ secundum, accidentalem ordinationem subordinantur in infinitum, possunt dici causæ huius infinitatis. Sed clarius destruit utrumque Aristoteles sequentibus uerbis, quando inquit [eius enim, quod semper est, & continui] effectus enim perpetui, quæ est ipsa animalium successio infinita, neque una anima causa est, neque omnes simul sumptæ. Quod una non possit dici causa, non probat, sed ut manifestum dimittit, siquidem una non semper est; quod autem non omnes simul, probat tali ratione, successio animalium perpetua est, & necessaria, ergo etiam causa debet esse perpetua, & necessaria, quæ semper eadem perseueret, at animæ omnes sunt numero infinitæ, nec simul actu seruantur, quia earum aliquibus existentibus aliȩ perierunt, & hæ quoque peribunt, & aliæ succedunt, quomodo ergo omnes simul possunt dici causæ, si non simul omnes sunt actu? vult autem per hoc significare Aristoteles, quod infinita ordinatio animalium, & animarum est accidentalis, ideo reducenda necessario est ad aliquod infinitum per se & essentialiter: tale autem est, quod totum manet simul actu in infinitum; ordinationis: igitur infinitæ animalium causa dici non potest ipsa ordinatio infinita animarum, quia hæc quoque est accidentalis, quare pendere debet ab aliquo infinito per se, quod det alijs perpetuitatem quod Aristoteles concludens prosequitur in Contexu quadragesimoseptimo dicens.

Contex-

Contextus Quadragesimusseptimus.

Manifestum est igitur, quod quamuis decies millies aliqua principia immobilium quidem, mouentia autem, & multa eorum, quæ ipsa seipsa mouent, corrumpantur, alia verò insuper generentur, et hoc quidem immobile existens hoc mouet, alterum autem hoc, at nihilominus aliquid esse quod continet, & hoc præter unumquodque esse id quod est causa, vt alia quidem sint, alia uero non, & continuæ mutationis, & hoc quidem his, hæc autem alijs causa motus sint.




VMIT magnum numerum finitum pro infinito, & sensus est, manifestum igitur est, quod licèt sumantur infinitæ animæ, quę dicuntur [principia immobilium] idest, principia de numero mouentium immobilium, [& multa] idest, infinita animalia quæ seipsa mouere dicuntur, quæ non cessent generari, & interire unum post aliud, ita vt hæc anima tanquam mouens immobile moueat hoc animal, hęc uerò illud; tamen necesse est ut extra hæc omnia sit aliquod per se perpetuum, quod ea omnia contineat, & sit causa [mutationis continuæ] idest, perpetuæ in animalibus, & animabus. Ratio autem cur Arist. noluit exponere nomen infinitum, sed potius finitum, legatur in calce huius contextus. Notandum autem est quod continere dicitur id, quod est uniuersale, nec minus quod in causando quàm quod in prædicando, nam causa, quæ multorum est causa, dicitur illa continere, & regere, & amplecti quodammodo, pręsertim cum sit coæua illis omnibus simul sumptis, quod potissimum hic videtur respicere Aristoteles. Vult enim significare necessarium esse, ut detur aliqua causa uniuersalis, quę sit æqualis durationis infinitis animabus simul sumptis; huius enim duratio est causę æternæ successionis animarum, uerba autem illa, [& hoc quidem his, hæc autem alijs causa motus sit] sic possunt intelligi, primum mouens vniuersi, quod alia continet, est causa his, idest motoribus animalium, qui postea sunt causa motus ipsis animalibus, sed quia anima non bene dicitur moueri, melius est, ut dicamus, primum mouens est causa aliquibus corporibus ut moueantur, nimirum corporibus cœlestibus, quæ postea sunt causa motus corporibus inferioribus, & ita ab illo primo pendent omnes motus. Vel saltem dicendum est uerba hæc sensum habere confusum, quod primus ille motor est causa motus in aliquibus, quæ postea sunt causa motus in alijs, non tamen distinguendo quę nam sint hęc, & illa, sed solum ad significandum ipsum esse primum in ordine mouentium essentiali, & ab eo omnia contineri. Fortasse autem primam expositionem trahere possumus ad optimum sensum, ut dicat primum motorem vniuersi esse causam his, idest, animabus, non quidem vt moueantur, sed ut sint: eas verò ipsis animalibus esse causam motus, sic enim optimè cohærebunt præcedentibus verbis, quibus dicebat Aristoteles illud primum alia continens esse causam, vt alia sint, & alia non sint. Iam in principio libri diximus communem esse multorum opinionem, quod ibi Aristoteles probauerit ęternitatem successiuam motus in communi, non ęternitatem numeralem: Eorum aliqui nunc dicunt Aristotelem

progredi

progredi hoc in loco ab æternitate successiua ad numeralem, vt postea ex innumerali probet in sequentibus primum motorem æternum; sed decipiuntur vt alij eandem opinionem sequentes cognouerunt; hic enim Aristoteles non de motu cœli loquitur, sed de primo motore immobili, qui alios motores continet. patet enim in textu quadragesimosexto Aristotelẽ proposuisse exclusionem tantùm motorũ immobilium animalium, & distinctionem primi motoris vniuersi ab eis; illud igitur quod dicit continere omnes motores animalium, non est motus cœli, sed primus motor immobilis, neque enim congrua esset comparatio animarum cum cœlo, vel cum motu cœli: sed cum primo motore immobili, neque etiam progreditur à motu communiter sumpto, & per successionem æterno, sed solùm à perpetua successione animalium, attamen secundum illos deberet considerare, non solùm animalium mutationem, sed omnium rerum; patet igitur hic Aristotelem nil aliud facere, nisi separare primum motorem immobilem, de quo loquitur, ab animabus animalium quas vult excludere à præsenti consideratione, quia non sunt motores æterni; de motu autem cęli hic ne verbum quidem facit, & per id, quòd continet, non ipsum intelligit, sed primum motorem immobilem uniuersi, qui cõtinere dicitur omnes motores animalium; quod si etiam concederemus id, quod continet, hic intelligi cœlum, hoc tamen sententiæ nostrę non refragaretur, hoc enim non esset ex æternitate motuum successiua ostendere numeralem, sed potius distinguere quæsitum, in principio enim libri ostensum fuit motum esse æternum intelligendo motum cœli, vt omnes continentem, hic verò alij ab ipso seiungerentur, vt intelligeremus eorum pendentiam ab illo, & ita distinctius cognosceremus, id, quod quæritur, ideo Auerroes ipse hic, per id, quòd continet, intelligit motum cœli, nec tamen putat hanc suam expositionem, suæ de æterno motu sententiæ refragari, attamen reuera id, quòd continet, non significat motum cœli, sed primũ motorẽ immobilẽ vniuersi; vt anteà dicebamus. Est tamẽ aduertendum, ꝙ licet Aristoteles hic non intelligat motum cœli, tamen necesse est eum implicitè hic significari. Successiuam enim animalium generationem non continet primus motor æternus nisi per medium motum vnum continuum æternum, quem immediatè producit; nec illam successionem animalium Aristoteles vocaret continuã, & æternam secundum se, sed ratione motus continui eam totam continentis, qui producitur à primo motore æterno; & hæc fortasse fuit mens Auerrois hic in considerando motu cœli. Cauendum præterea est ne credamus Aristotelem in his duobus contextibus quadragesimosexto, & quadragesimoseptimo, probasse consequentiam positam in quadragesimoquinto, & ostendisse primum motorem æternum. hoc enim minimè verum est, sed solum seiunxit motorem illum vniuersalem ab animabus animalium, tanquam eis coæuum, & omnes continentem, animarum autem, & animalium successionem significauit quidem æternam esse, sed non expressit, quoniam illa æternitas non potest intelligi non intellecto vno continuo æterno motu eam continente; quare licet dicendo illam successionem esse continuam innuerit eam esse perpetuam; tamen non expressit, ideo sensus euidens illius dictionis, [continuum,] fuit vt sumatur pro perseuerante; ideo nec dixit Aristoteles infinitas animas, sed decies mille; licèt implicitè significauerit infinitas, quia in his duobus textibus non est scopus probare æternitatem primi motoris, sed distinctionem à motoribus animalium, tanquàm continentis eos omnes, vt sciremus de hoc solo esse probandam ęternitatem, cum de illis probari non possit, quoniam singuli sunt durationis finitæ; illius autem motoris alios continentis æternitas probabitur sumendo, quod motus, qui alios motus continet, æternus est, vt in sequentibus uidebimus.

Contextus Quadragesimusoctauus.

Si igitur perpetuus motus est, perpetuum erit, & mouens primum: si unum est, si uerò plura, plura perpetua. Unum autem, magis quā multa, & finita, quàm infinita oportet existimare: eisdem enim accidentibus semper finita magis accipere oportet, in ijs enim, quæ natura sunt oportet finitum, et id quod melius est si contingat, esse magis sufficiens autem, est etiam si unum, quòd cum unum immobiliū perpetuum sit; erit alijs principium motus.



EXCLVSIS à præsenti consideratione animabus animalium repetit Aristoteles consequentiam propositam in contextu quadragesimoquinto, ut eius probationē aggrediatur, non repetit tamen utranque partem consequentis, sed priorem solam quæ est de æternitate, quia hanc primo loco probare vult; alteram enim de immobilitate probabit posterius, particula [igitur,] continuatiua est, & indicat consequentiam hic repeti, ut superius dictam. Sed anteq̄ eius probationem aggrediatur, q̄ faciet in contextu sequente in hoc textu occurrit tacitæ quæstioni, nā quærere aliquis poterat, ut declararet, an unus tantū sit primus motor æternus, an plures, ad q̄ quæstionē Aristo. respondere uidetur, id non pertinere ad Phylosophū naturalē, sed ad alium pertinet.n. reuera ad Metaphysicum inuenire numerum æternorum motorum, ut patet in duodecimo libro Metaphysicæ; Arist. igitur quasi reijciens nunc istam considerationem inquit necesse esse primum mouens esse perpetuum, si unum sit, si uero plura, plura perpetua, quasi dicat parū referre hic uero modo dicamus. Subiungit tamē esse melius in præsentia dicere esse finita mouentia æterna q̄ infinita, & melius ēt dicere unum, quam plura; q̄ quidē sit melius prædicere finita q̄ infinita, probat eadem ratione, qua ēt in primo Phys. usus est in contextu quinquagesimo præferens sententiam Empedoclis sententiæ Anaxagoræ, nā frustra fit per plura, q̄ potest fieri per pauciora, quare melius est per pauciora fieri, quando fieri potest, [ijsdem accidentibus,] idest, æquè bene, sed id, q̄ melius est, ponendum semper est in rebus naturalibus, finita igitur principia mouētia ponere oportet potius, quàm infinita, melius.n. est finita ponere, quia infinitudo denotat imperfectionem, ubi.n. ob rei imperfectionem non potuit species seruari æterna in uno indiuiduo natura molita est infinitatem indiuiduorum per generationem; at ubi indiuiduum potest æternum seruari, semper uno indiuiduo cōtenta est; dū igitur loquimur de mouentib. æternis absque dubio finita ponere melius est, q̄ infinita, ex quo eodem fundamento colligit Arist. quod unicum ponere sufficiens est, nam cum sit per se æternum potest perpetuare motum, & cū alia contineat est radix motionis omnib. mouētibus, & mobilibus. Ad huius loci intelligentiam sciendum est, q̄ de numero æternorum mouētium possumus dupliciter loqui, aut.n. secundum ueritatem, aut secundum occasionem, si secundum ueritatē loquamur, & intelligamus motores in genere causæ efficientis, & qui uerum motū efficiunt, non est unus primus motor æternus, sed tot motores, quot orbes, ut Aris. in duodecimo Metaphysicorū docet, at si loquamur de motore æterno primo absolutè unus est primus motor, Deus gloriosus, nec ea tantū rōne, quatenus mouet alios, ut finis ab eis amatus, & desideratus, sed ēt, ut efficiens, quoniam ille motus, qui ab hoc fit, est motus vniuersi mundi, non enim solum suum orbem mouet,

sed

sed, & alios omnes, & mundum quoque elementarem; reliquorum autem cœlestium motorum singuli mouens proprios tantùm orbes, motusque efficiunt particulares, qui nō possunt vocari modo aliquo vniuersales. Si verò loquamur secundum occasionem præsentem sufficit vnum primum motorem considerare, immo non possumus hic considerare nisi vnum siquidem motus æternus de quo nunc loquimur, non est nisi ille, qui dicitur diurnus, is enim solus est extensione vniuersalis, cum sit motus totius, cœteri verò planetarum motus non sunt vniuersales, ideo eorum consideratio ad libros Physicos minimè pertinere poterat, ob id Aristoteles postea dicturus est æternum motum vnum esse continuum, quia vnum tantùm considerat, qui continet omnes, ex eo itaque non potest nisi vnum tantùm primum æternum motorem demonstrare, proinde alij cœlestes motores hic non considerantur. Ob id ego non omninò veram esse puto communem omnium nunc Phylosophorum sententiam, quod primus motor æternus, de quo Aristoteles in hoc libro loquitur, sit aggregatum omnium intelligentiarum, ita vt Aristoteles id, quod de vna docet, de omnibus dictum velit, hoc namque minimè verum est, quia de vna tantùm loquitur quæ absolutè prima est, & est causa æterni motus vniuersalis; at si sano modo accipiatur ea sententia, admitti potest, quod enim de prima in hoc libro dicitur de omnibus verum est, & ijs omnibus aptatur ab Aristotele in duodecimo Metaphysicæ, ubi intelligentiæ cœlestes considerantur secundum se, illæ enim omnes sunt æterni motores penitus immobiles, & impartibiles, sed hoc in presentia non consideratur, quia sufficit solam illam cognoscere, quę est causa motus vniuersalis; aliud igitur est dicere Aristotelem de omnibus intelligentijs hic loqui, easquè omnes complecti vno communi nomine æterni motoris; quòd quidem ego fálsum esse puto, & ab hoc libro alienum; aliud est dicere ea, quæ de primo motore dicuntur, de uno tantùm hic dici, sed alijs quoque competere, hoc.n. verum est, neque negari potest, quia licèt alijs quoque hæc eadem competant, tamen pręsens occasio non fert, vt illæ hic considerentur, sed sufficit considerare primam, quæ est causa illius motus, qui continet omnes motus, de quo solo hic sermo haberi potest; alij namque cęlestes motus cognoscēdi sunt in libris de cęlo, & ut motus æterni, ex ijs postea cognoscentur intelligentiæ motrices in duodecimo Metaphysicę, vbi earum numerus declaratur ex numero orbium. Hæc omnia significat Arist. in pręsenti contextu, nam sub dubio protulit, an primum mouens ęternum unum sit, an plura, sed dixit unum in prę́sentia sufficere, inuens plura quidem esse, sed unum tantū esse prę́sentis cōtēplationis; ex his autē patet disputationem de numero æternorum motorum ad Metaphysicum pertinere, non ad Phylosophum naturalem. Sic in contex. 43. 12. met. facit Arist. hanc applicationē. Accepto.n. primo motore immobili demonstrato in 8. Phys. ex eo infert, ꝙ debetur oē alij motores, ęterni immobiles, quia prę́ter motum diurnū sunt alij motus ęterni, quasi in 8. Phys. non sit locutus, nisi de motore primo absolutè. Sic etiam in 48. eiusdem libri referens demonstrationem naturalem probat unum eum primum mouens, immobile, & unum cœlum acceptum pro aggregato.

Contextus Quadragesimusnonus.

Manifestum autem est ex hoc, quod necesse est esse aliquid vnum, & perpetuum primum mouens. Ostensum est enim, quod necesse est semper motum esse, si uerò semper, necesse est, & continuum

 esse,

esse, & enim quod semper est, continuum est; quod autem consequenter est, non est continuum. At verò si continuus est, unus est. vnus autem, si & ab vno mouente, et unius sit, quod mouetur, si enim quidam aliud, et aliud mouebit, non continuus totus motus, sed consequenter erit. Ex his igitur crediderit aliquis esse, quid primum immobile.

SIMPLICIVS, & Auerroes, & alij multi dicunt Aristotelem in præcedenti contextu probasse primum motorem esse unum, eo argumento, quia unus sufficiens est, nunc autem uelle idem probare alia ratione; cui interpretationi fauere videntur verba Aristotelis, qui ita argumentatur, motus est perpetuus, ergo continuus, ergo unus, ergo a motore uno, videtur igitur tota ratio dirigi ad ostendendam ueritatem primi motoris. Sed hæc interpretatio admittenda non est; tum quia in præcedenti contextu non est uerum, quod Aristoteles probauerit vnitatem primi motoris, potius enim reiecit hanc considerationem tanquam alienam a scientia naturali, & solum dixit, quod siue sit unus, siue plures, nunc sufficiens est dicere vnum: tùm etiam, quia hæc ratio non dirigetur ad probandam unitatem, sed ad probandam perpetuitatem, reuera enim consilium Aristotelis in hoc contextu est probare tandem consequentiam propositam in contextu quadragesimoquinto, & repetitam in quadragesimooctauo, ubi ea proposita digressus est, ad pauca illa dicenda de numero, nunc denique eam probat, & format eam demonstrationem celebratam in scholis Philosophorum, qua dicitur a posteriori probare motorem æternum ex æterno, motu, hoc significant uerba Arist. in principio huius contextus: quibus proponit conclusionẽ ipsam demonstrandam, dicit .n. manifestum est dari [aliquid unum, & perpetum primum mouens] quare ad perpetuitatem ratio dirigitur. Causa autem erroris illorum fuit, quia (pace tantorum virorum dixerim) manifesta ambiguitate laborarunt, nã moueri a motore unó põt intelligi duobus modis, aut .n. sumitur unus prout distinguitur a pluribus, qui simul moueant, aut sumitur unus prout distinguitur a pluribus subordinatis qui unus post aliũ moueant; primo modo accepit unũ in præcedenti contextu, ostendit .n. sufficere unũ æternum ad differentiam plurium æternorum, hic uerò longe diuersa est consideratio, non enim probat unum esse motorem ęternum ad differentiam pluriũ ęternorũ, sed probat esse unũ ad differentiam plurium subordinatorũ, quorum nullus esset æternus, quare unum nil aliud hic significat, nisi perpetuum, nam ex uno continuo perpetuo motu ostendere unum tantũ esse motorẽ totius illius motus, non plures subordinatos, est ostendere motũ illum fieri a motore æterno, ideo quando dicit Arist. se ostensurum dari [aliquid unum, & perpetuum] dictio [&] declaratiua est, quasi dicat unum, idest perpetuum, quod autem sumat Arist. motorem unum prout distinguitur a pluribus succedentibus non æternis, in litera ita manifestũ est, ut mirandum sit, quomodo tanti viri in eam ambiguitatem inciderint; quod autẽ dicit Aristot. [manifestum autem est ex hoc] ex hoc, puto esse intelligendum ex his, quæ mox subduntur ad consequentiã probandam; dictio [autem] continuatiua est, indicat .n. resumi hic consequens prius deductũ, ut probetur eius deductio. repetit aũt statim etiã antecedens acceptũ in quadragesimoquinto [quãdo ait] ostensũ .n. est ꝙ necesse est semper motũ esse, deinde statim ex hoc ꝓbat deductionẽ cõsequẽtis cũ dicit [etenim ꝙ semper est] & ꝓbatio

absolui-

absoluitur tribus consequentijs, una est; si motus semper est, ergo continuus; altera, si est continuus ergo unus; tertia demum, si unus, ergo ab uno motore, proinde æterno, non a pluribus succedentibus. Primum antecedens Aristoteles non probat, sed dicit ostensum esse superius, ubi autem sit ostensum, postea considerabimus; Primam consequentiam probat, seu potius declarat per exclusionem oppositi, opponitur enim continuo id, quod dicitur consequenter, quatenus hoc dicit negationem continuitatis, nam Quinto Physicorum Vigesimoquinto consequenter dicuntur illa, inter quæ nihil est medium eiusdem generis, aliud tamen est interpositum alterius generis, ut duo homines dicuntur cosequenter positi, quando inter eos nullus est alius homo, potest tamen esse interpositus lapis, uel aer, uel aliquid aliud. Sic ergo declarat Aristoteles se sumere continuum propriè, prout distinguitur a consequenter, & ita declarat non consequentiam sed consequens: ipsam autem consequentiam, est semper, ergo continuus, non probat, sed solum dicit, id quod semper est, continuum est, uidetur enim hoc supponere, ut notum; quia id declarauit in secundo contextu, ubi dixit se intelligere æternum motum non solum per exclusionem initij, & finis, sed etiam per exclusionem interruptionis mediæ. Patet igitur ex eo supposito quod motus plures consequenter dispositi non dicuntur semper esse, nec constituunt ęternum motum, sed continuum motum uere esse oportet, si debeat dici æternus, ut Aristoteles sumit in hoc libro motum ęternum. Clara igitur est consequentia ex illo supposito facto in initio libri, si enim motus semper est eo modo, quo hic intelligimus semper esse, non potest esse nisi continuus, quia si esset solum consequenter, non esset semper. Clara est etiam secunda consequentia [si continuus est, unus est] ideo eam Aristoteles sine probatione profert, iam enim ostensum est in contextu Trigesimonono quinti libri omnem motum continuum esse vnum, quia cum nulla sit interruptus quiete, non est diuisus in plures. Hæ autem duæ consequentiæ nil aliud esse uidentur nisi declaratio primi consequentis, quasi Aristoteles dicat, motus est æternus idest vnus continuus, quia sic protestatus sum in secundo contextu me sumere motum æternum, quamuis enim per se intelligi poterat hoc antecedens ex illa protestatione, tamen uoluit Aristoteles exprimere hanc declarationem, ut clarior appareret illatio ultimi consequentis, quod principaliter deducere vult, nempè, ergo [ab uno mouente, & ab uno, quod mouetur] nam si motus est semper continuus & unus, necesse est eum, & vnius esse mobilis, & ab uno motore; Quod vnius mobilis sit, clarum est ex quinto Physicorum Trigesimoquinto, ubi inter alias conditiones, quæ requiruntur ad vnitatem motus, hæc ponitur, quod sit vnius mobilis, manifestum enim est, quod plurium numero distinctorum mobilium motus vnus esse non potest, sed quia ibi nulla sit mentio de vnitate motoris, cum ibi dicat Aristoteles ad vnitatem motus tria postulari vnitatem mobilis, & termini, & temporis; ideo merito possumus de motore dubitare, nam si ad vnitatem motus requiritur etiam motoris vnitas, mancus ibi Aristoteles fuit, qui hanc conditionem prætermisit; si verò non requiritur potest igitur esse vnus motus sine vnitate motoris, quare consequentia Aristotelis hoc in loco inefficax est. Ad hoc ego dicendum puto Aristotelem in contextu illo Trigesimoquinto quinti Physicorum omnes enumerasse conditiones ad vnitatem motus requisitas, nec præter illas postulari vnitatem motoris, nisi contingat, ut hac sublata auferatur simul aliqua illarum trium conditionum, tunc enim tollitur vnitas motus ob huius conditionis defectum, sed non primo propter defectum vnitatem motoris; patet autem hoc, quia si hæc tria seruentur, ut sit unius mobilis, & ad vnum terminum, & uno tempore factus motus, unus est motus, etiam

Hh 3 si non

si non sit factus a motore vno; Contingit autem hoc quando plures essentialiter ordinati simul mouent; Contingit etiam in actualiter ordinatis, quando vnus alteri ita succedit, ut prius incipiat mouere, quam alter desinat. Sunt etiam qui dicunt, quod quando immediate unus alteri succedit, & statim incipit mouere post quam alter desijt, seruatur vnitas motus; attamen ego puto id esse impossibile, quia ipsi imaginantur id fieri quandoque sine interpositione ullius mediæ quietis, ita ut vnius motoris motio sit immediate innita alterius motioni. Sed hoc verum non est, quia necesse est finem motionis alterius motoris esse in instanti actuali, itaque si actuale est, non potest in eodem incipere alter motor, sed in altero, inter quæ intercipietur tempus quietis mediæ. Quod autem terminari oporteat motionem unius motoris actuali instanti patet, quia necesse est inter utranque motionem interponi aliquod indiuisibile actuale, quod sit principium vnius motionis, & finis alterius: in eo itaque necesse est mobile quiescere, & illam quietem terminari duobus instantibus ut prædiximus, quæ omnia in Textu sexagesimo quinto huius libri apud Aristotelem legere possumus. Tunc igitur interrupta est continuitas motus ob defectum vnitatis termini ad quem, & temporis. Hoc idem confirmatur per ea quæ ab Aristotele dicuntur de motu proiectorum in contextu octuagesimosecundo huius libri, vbi dicit proiectum moueri a diuersis partibus aeris, quarum una succedit alij in mouendo, & inde fieri, ut non sit unus continuus motus, licet esse uideatur. Patet igitur quod quando idem mouetur a pluribus motoribus succedentibus, quorum unus incipiat postquam alius desijt, is non est unius motus, non tamen ex defectu unitatis motoris, sed ex defectu unitatis termini ac temporis; quando autem mouetur a pluribus succedentibus, ita tamen, vt vnus incipiat mouere, antequam alius desinat, seruatur unius motus, si modo tres illæ conditiones seruentur, siquidem seruari optime possunt. Sed cum hæc ita sese habeant, restat ut uideamus quomodo ualida sit hæc Aristotelis consequentia, si ad unitatem motus motoris vnitas non requiritur. Dicendum puto non ex solo secundo consequente deduci tertium, nempè ex unitate motus vnitatem motoris, sed ex eo cum duobus coniunctis antecedentibus, uidelicet ex uno continuo æterno motu. Hæc enim est mens Aristotelis ut ex his tribus unum antecedens faciamus, ex quo deducatur vnitas motoris, idest, æternitas, non potest enim totus ille unus æternus motus ab uno motore solo fieri, quin ille motor sit æternus, quare patet Aristotelem sumere motorem vnum, prout distinguitur a pluribus succedentibus, cum dicat [si quoddam aliud, & aliud mouebit] Deductionem autem vltimi consequentis talem Aristoteles facit, nisi ab uno motore totus æternus motus fiat, sed a pluribus, quorum unus alij in motione succedat, sequetur oppositum antecedentis, totus enim motus non erit unus continuus, sed plures consequenter dispositi: at sumebatur vnus esse continuus æternus motus, non potest igitur nisi ab uno solo motore fieri. Sed dubia fortasse videbitur consequentia Aristotelis siquidem diximus vnum continuum motum fieri a pluribus motoribus succedentibus, dummodo posterior prius incipiat mouere, quam prior desinat; Sed dicendum est Aristotelem considerasse, quod plures tales motores succedentes non possunt esse nisi accidentaliter ordinati, idque quod est accidentaliter ordinatum, potest non esse, est igitur possibile, ut aliquis motor non incipiat prius quam alius desinat, immo ut etiam notabili interposito tempore incipiat, at possibili posito in esse nullum, sequi debet inconueniens, & impossibile, attamen si id ponatur in esse, quod unus motor post alium mouere incipiat, sequitur, quod totus motus non erit motus, sed consequenter dispositi plures motus, cuius oppositum iam demonstratum est. Ratio igitur Aristotelis

hoc

hoc fundamento nititur, iam declarato in contextu quadragesimosexto, quadragesimoseptimo quod ordinatio accidentalis infinitorum mouentium nullam habet necessitatem, nisi eam sumat ab aliquo priore uno æterno, a quo ea omnia contineantur, hoc igitur admisso iam habemus id, quod volumus, dari unum primum mouens æternum, hoc autem negato potest ordinatio illa non esse, cum sit accidentalis, & sic non fiet ab ijs motoribus motus vnus totus continuus: & rectè inquit [totus] idest totus ille vnus motus, qui æternus esse ponitur. nam pars eius aliqua posset esse motus vnus continuus, qui vnitum motorem haberet, at totus ille motus ęternus non potest esse vnus continuus. Considerandum restat primum illud antecedens ab Aristotele assumptum [ostensum enim est semper esse motum] de hoc enim dubitat Simplicius, quia Aristoteles se declarat dicens se intelligere vnum continuum, attamen hoc demonstratum nondum est, sed in principio libri ostensum est de solo motu in genere, quod per successionem ęternus est, dari autem vnum continuum motum ęternum ostendetur postea a contextu quinquagesimoquarto usque ad septuagesimumseptimum, quomodo igitur dicere nunc potest, hoc esse ostensum? Respondet Simplicius id reuera nondum esse ostensum, sed postea ostendendum esse, & in præsentia Aristotelem hoc supponere non ut demonstratum, sed ut paulo post demonstrandum, & in huius sententiæ confirmationem adducit verba Aristotelis in contextu sexagesimoprimo huius libri, ubi dicit, ex his manifestum fiet id, quod nunc, & prius supposuimus, quod contingit quendam motum continuum esse, & perpetuum. Hæc tamen Simplicij responsio ab ipsismet eiusdem sententiæ sectatoribus deseritur, cum hæc Aristoteles verba eam minime recipiant, nō enim dicit Aristoteles se id supponere sed dicit ostensum esse semper esse motum, declaratque non posse semper esse, nisi sit vnus continuus. Relicto igitur Simplicio ipsi aliter respondent, Aristotelem in principio libri ostendisse motum in genere diuersum esse, in contextu autem quadragesimosexto, & quadragesimoseptimo ex eo probasse unum motum continuum æternum, qui continet alios, itaque Aristotelem hic significare ostensum esse in quadragesimoseptimo, quod datur unus continuus motus æternus; Dicunt præterea Aristotelem hic non absolutè negare motum, qui est consequenter, ęternum esse, sed solum negare eum ex se esse æternum, siquidem eius æternitas pendet ex æternitate priore vnius motus continui. Sed nos iam in contexu quadragesimoseptimo illorum interpretationem reprobauimus, ibi namque Aristoteles ne verbum quidem fecit de æternitate siue motoris, siue motus, sed solum ostendit dari motum unum, qui alios contineat, nomine autem continentis significauit motorem, non motum, quare uanum est id, quod dicunt, ostensum ibi esse dari unum æternum motum: neque hic Aristoteles ea ratione negat motum, qui consequenter est, esse æternum, quia non ex se sit æternus, sed quia non est continuus, proinde est interruptus, negat igitur quod sit æternus formaliter, non tamen causaliter, ut illi dicunt. Alij vero dicunt Aristotelem hic dicentem ostensum esse motum æternum esse, intelligere æternitatem motuum successiuam quam probauit in initio libri, postea uerò quando subiungit, ergo continuus, & unus, ab ea transire ad probandum æternitatem motus cœli, ex qua statim probat æternitatem motoris. Sed neque hoc dici potest, quia Aristoteles non transit a motu in communi ad motum cæli, sed de eodem motu seipsum quasi declarans dicit, quod, si semper est, est continuus, & unus, oportet ergo ita ostensum esse motum semper esse, ut sit vnus continuus æternus. Præterea secundum hanc expositionem Aristoteles suam ipse rationem euerteret, nam ex eo quod motus semper est, nempè motus, qui est consequenter, probat unum motum continuum,

tinuum, postea uero ipsemet destruit suum antecedens, dum dicit motum, qui est consequenter, non semper esse. Sed aduersus hos omnes clarum est testimonium Aristotelis in contextu quadragesimoquinto, vbi accepit hoc idem antecedens tanquam probatum prius, nec potest intelligere æternum motum per successionem, quia dicit [& non intermitti] quod significat æternum continuum, præsertim quia non posset ex æterno motu per successionem ibi inferre motorem æternum immobilem, siquidem hic non infertur, nisi ex uno continuo æterno motu; indicat ergo probatum esse ante contextum quadragesimumquintum quod datur unus continuus motus æternus, non igitur probatur hic, neque in quadragesimoseptimo. Hęc omnia cognoscens Franciscus Vicomercatus ad aliam responsionem confugit, & dixit hunc contextum esse loco mouendum, & transferendum ad posteriorem partem, in qua ostendetur solum motum circularem esse æternum: hoc tamen ab eo gratis dicitur, & sine ullo antiqui codicis aut interpretis testimonio, ideo spernendum omnino est, cum præsertim sit omninò absonum rationi, hic enim contextus ita iunctus est alijs sequentibus, ut ab ijs diuelli non possit, oporteret ergo omnes transferre, qui sunt ab hoc usque ad quinquagesimumquartum, hoc autem fieri nullo modo potest, esset enim destruere totam methodum, & artificium Aristotelis, ut postea videbimus. [Ex his igitur crediderit aliquis esse quid primum immobile] possunt hæc verba nos in errorem ducere, ut credamus præcedentia ad probandam immobilitatem pertinuisse, cum tamen solam probauerint æternitatem; sed nunc transit Aristoteles ad probandum etiam immobilitatem, & inquit eam probari [ex his] idest ex æternitate hactenus demonstrata. Sed notandus est error in litera, nam Græca uerba hæc sunt ἔτι δὴ τούτων, quæ sunt ita vertenda, & ex his sanè, nam in latinis uerbis dictio coniunctiua prætermissa est, quæ respicit alteram coniunctiuam, quam postea Aristoteles ponit in principio contextu sequentis.

Contextus Quinquagesimus.

Et rursus cum respexerit ad principia mouentium. Esse igitur quadam entium, quæ aliquando quidem mouentur, aliquando verò quiescunt, manifestum est. Et per hoc factum fuit manifestum, quod neque omnia mouentur, neque omnia quiescunt, neque alia quidem semper quiescunt, alia vero semper mouentur, quæ namque ad ambo prona sunt, et potentiam habent, ut aliquando quidem mutantur, aliquando verò quiescant, demonstrant de ipsis. Quoniam autem huiuscemodi omnibus sunt maniesta, volumus autem demonstrare, & duorum utranque naturam, quod sunt alia quidem semper immobilia, alia autem quæ semper moueantur. Procedentes autem ad hoc, et ponentes omne quod mouetur, ab aliquo moueri: & hoc esse, aut immobile, aut quod mouetur, et quod mouetur aut a seipso, aut ab alio semper, processimus, vt accipiamus, quod eorum, quæ mouentur est, principium,

eorum

eorum quidem quæ mouentur id quod ipsum, seipsum mouet; omnium autem id, quod immobile est, videmus autem, & manifeste esse eiusmodi, quæ mouent ipsa seipsa vt animatorum, et animalium genus. Hæc igitur & opinionem præbebant, nè fortè contingat motum fieri, cum non esset omninò, propterea quod nos in his uidemus, hoc contingere, immobilia enim cum sint aliquando, mouentur rursus, ut uidetur.

DVOBVS argumentis probat Aristoteles primi motoris immobilitatem vnum ex æternitate sumitur, quod Aristoteles hic uerbis significat; alterum verò ex ordini mouentium quod explicabit in contextu sequente, rectè autem verba hæc uertit, & interpretatus est Vicomercatus cum alij plurimi in his maximè errauerint; est igitur series, ac sensus verborum Aristotelis talis, quantum attinet ad immobilitatem, ea tum ostenditur ex æternitate hactenus demonstrata; tum etiam ex ordine mouentium, sed quomodo probetur ex æternitate nondum declarat; sed id faciet in quinquagesimoprimo, & quinquagesimosecundo sequentibus; in hoc enim quinquagesimo explicat prius secundum argumentum continuationis gratia, cum enim duo proposuerit argumenta explicanda, & secundum dixerit sumi, [ex principijs mouentium] idest ex motoribus qui sunt motores aliorum motorum, hoc est ex ordine motorum essentiali, statim prosequitur secundum hoc argumeutum exponere, quando inquit [esse igitur quædam entium] quod etiam ideo facit quia secundum argumentum leuius est, & probat solam immobilitatem per se, alteram uerò probabit immobilitatem etiam per accidens, ideo ordine doctrinę fuit hoc illi postponendum. Aberrant autem plurimi in hac parte ab Aristotelis mente, qui in omnibus præcedentibus, & sequentibus contextibus idem probari dicunt, & confundunt æternitatem cum immobilitate, quas tamen patet ab Aristotele distinctè, ac seorsum tractari eo, quem diximus, ordine. Ratio autem Aristotelis clara est, & iam fuit longo discursu explicata ante contextum Quadragesimumquintum, quem discursum hic totum paucis commemorat Aristoteles, & eum applicans ad motum vniuerso ostendit esse necessario deueniendum ad primum mouens immobile, hac tamen ratione non cognoscimus nisi quod non sit per se mobilis, nil enim aliud hæc ratio probat, ut antea diximus; primum igitur inquit, se in contextu Vigesimo primo proposuisse multi membrem diuisionem, cuius demonstrandum erat postremum tantum membrum uerum esse, nempè quod tria sint entium genera semper mota, semper immobilia, & participantia quiete, & motu, hoc autem ita ostensum fuisse, quod quidem dentur res quiescentes, & motæ, per se manifestum omnibus est, quod autem dentur res semper motæ, & res semper quiescentes, inquit se aggressum esse probare, stabiliendo in primis hæc duo fundamenta, quicquid mouetur ab aliquo mouetur, & in ordine mouentium essentiali, necesse est tandem deuenire ad primum seipsum mouens, & ad primum immobile, quod quidem est principium absolutè primum, nam id, quod seipsum mouet, non est primum nisi inter mobilia, primum autem immobile est primum absolutè, innuit autem per hæc Aristoteles, ut illum discursum, quem ibi fecit vniuersalem, qui complectebatur animalia, & eorum animas, hic applicemus ad motum vniuersi, & colligamus etiam hunc resolui in primum seipsum mouens, & tandem in primum mouens immobile, quod

autem

autem discursus antea factus sit vniuersalis asserit clare Aristoteles, dum dicit manifestum esse dari entia, quæ mouent seipsa, siquidem animalia sunt eiusmodi, quod autem dicit [vt animatorum, & animalium genus] ita intelligendum est, vt declaret nomine animatorum non intelligere nisi animalia, nam videntur quidem, & plantæ ratione minutionis, & accretionis mouere seipsas, sed respectu motus localis non mouent se, ideo non est credendum Aristotelem qui præcipuè hunc motum respicit nomine animatorum comprehendere plantas; fuisset enim nugatio addere animalia, quia nomine animatorum etiam animalia comprehenduntur, sensus ergo est, ut animatorum, idest animalium genus. Sic igitur Aristoteles primo argumento usus est ad ostendendum primum motorem vniuersi esse immobilem, sed per hoc nil aliud ostendetur, nisi quod non est per se mobilis, quales sunt etiam animæ animalium, ideo Aristoteles, ut probet eum, nec per accidens esse mobilem ad differentiam animarum animalium; Sumit declarandum discrimen hoc, & ad ipsum declarādum sumit occasionem a dubio superius leuiter soluto in contextu Vigesimo, quo ostendebatur motum in Vniuerso mundo incipere, sicut incipit in animali, quod uocatur paruus mundus, quod dubium hic repetit, quando dicit [Hæc igitur, & opinionem præbebant] quoniam enim in animalibus videmus, quod [immobilia cum sint] idest cum penitus quiescant aliquando, postea mouentur, & ita omnino incipit in ijs motus postquam non fuit, ita dicendum videtur de uniuerso, ut iam dictum est in contextu Decimoseptimo, inquit autem [ut uidetur] sicuti etiam notauimus in contextu Vigesimo, quia videtur quidem, quod animalia moueri incipiunt, postquam omninò quiescebant, id tamen minimè verum est, vt in sequenti contextu in solutione dubij Aristoteles declarabit, & vt etiam dixit in vigesimo.

Contextus Quinquagesimusprimus.

Hoc autem oportet accipere, quod secundum vnum motum ipsa mouent, et quod secundum hunc non propriè; non enim ex ipsis est causa, sed insunt alij motus naturales animalibus, secundum quos non mouentur per seipsa, vt augmentatio, diminutio, respiratio, quibus mouetur animalium vnumquodque cum quiescit, & non mouetur secundum eum motum, qui est à seipso. Huius autem causa est continens, & multa ingredientium, vt quorundam alimentum: nam dum concoquitur dormiunt; dum autem disgregatur, excitantur, & mouent seipsa, cum primum principium ab externo sit, quapropter non semper mouentur continua à seipsis: aliud enim est mouens ipsum quod mouetur, & mutatur ad vnumquodque mouentium seipsa. In omnibus autem his mouetur primum mouens, & causa vt ipsum seipsum moueat à seipso, secundum accidens tamen: mutat enim locum corpus quare, & quod in corpore existit, & quod in vecte mouens seipsum.

PONIT

PONIT hic solutionem dubij, quam eandem etiam in contextu uigesimo habuimus, sed hic exquisitiorem, quàm ibi, sed ante omnia intelligẽdus est scopus Aristotelis in hac secunda huius dubij commemoratione, non enim dicendum est, ut aliqui dicunt, Aristotelis casu quodam incidisse nunc in huius dubij mentionem; neque quod intentio præcipua nunc sit perfectè soluere hoc dubium, ut alij; neque, ut alij, quod per hoc confirmare uelit id, quod in contextu quinquagesimo de animalibus dixit quod ipsa seipsa mouent, hæc enim aliena sunt à præsenti loco, in quo solus quæritur primus æternus motor immobilis, & ad hunc omnia sunt dirigenda. Nos igitur dicimus dubium hoc, & eius solutionem non propter se hic adduci, sed propter differentiam cognoscendam inter motorem uniuersi, & animas animalium, à quibus hoc dubium sumitur, cum enim iam in contextu quadragesimosexto, quadragesimoseptimo Aristoteles seiunxerit motorem uniuersi ab animabus animalium ratione æternitatis, de qua ibi loquebatur, hic uult eundem distinguere ab eisdem ratione immobilitatis, ut ex hoc differentiæ declaratione, cognoscamus ipsum non modo per se non esse mobilem, sed neque per accidens, proinde esse penitus immobilem; hæc una est Aristotelis intentio in hac parte, ut in progressu uidebimus. Solutio autem dubij eadem est, quæ etiam in uigesimo contextu, ideo eam paucis perstringemus; inquit Aristoteles animam non esse omninò primum motorem in animali, quia supponit alios externos motores, quod ita ostendit multi sunt motus in animali, quorum causa non est anima ut alterationes plures animalis, quæ fiunt tum in continente tum a cibis; anima igitur respectu horum motuum, neque est primus motor, neque omnino motor, unius autem tantummodo motus causa est anima. scilicet motus secundum locum, sed huius (inquit Aristoteles) [non propriè] idest, non ita ut non egeat alio motore priore, quare respectu huius motus non est anima omnino primus motor, pendet autem ratione huius motus anima a motore externo, quia non inciperet mouere nisi ab externo aliquo mouẽte, excitaretur quod apparet in somno, tunc enim anima non mouet animal loco, sed alteratur anima tunc a cibo dum concoquitur, postea vero in distributioni alimenti per corpus animal excitatur a somno, & incipit moueri loco, quia alij motus præcesserunt, sic quando ab aere frigido animal frigescit, excitatur anima admouendum animal ad quærendum calorem, quo fit ut primum principium motus localis animalis semper sit extra, nec per hoc labefactatur id, quod Aristoteles supra longo discursu ostendit, quod anima in animali est primum mouens, & quod animal seipsum mouet; utrumque enim verum est: uerum enim est quod anima est primum mouens respectu motus localis, secundum ordinem mouentium essentialem, quod ibi Aristotelis considerauit, uerum etiam est quod anima non est primum mouens, sed supponit motorem externum priorem secundum ordinem mouentium accidentalem, & hoc satis est in præsentia ad infringendum illud, quod in dubio assumebatur, motum in animali incipere omnino postquam animal vel non mouebatur, quia licèt incipiat animal loco moueri postquam eo motu non mouebatur, mouebatur tamen prius alijs motibus, ut dictum est, quare nec anima est omnino primum mouens respectu omnium motuum, nec incipit in animali motus omnino post totalem quietem. Hæc igitur omnia pertinent ad dubij solutionem, postea vero, quando Aristoteles inquit [quapropter non semper mouentur continuè a seipsis] infert ex dictis quandam conclusionem, quæ ipsi inseruiet ad declarandum propositum. Videlicet primi motoris vniuersi omnimodam immobilitatem, ex differentia, quam hic colligit inter ipsam, & animas animalium, colligit enim ex dictis,

quod

quod anima non potest mouere animal vno continuo motu, & consequentiam probat, quia si anima non mouet, nisi prius animal mutetur ab aliquo alio externo motore, & motor æternus ipse quoque mutabilis est, adeo ut modo moueat, modo non moueat, anima quoque non semper mouere animal potest uno motu continuo, mutatur autem mouens externum, tum simpliciter, tum respectu animalis, nam aer continens secundum se mutabilis est tum secundum locum, tum secundum qualitates, quare etiam respectu animalis, non est semper motiuus eodem modo, si etiam cibus ingrediens, cum ergo mouens externum non moueat semper animal eodem modo, cum non sit semper in eodem statu respectu animalis & anima non incipiat mouere, nisi excitata a motu externi motoris, manifestum est quod nec anima potest mouere animal semper uno continuo motu; hoc significat Aristoteles quando dicit [aliud enim est mouens ipsum quod mouetur] est enim mouens externum, quod secundum se mobile est vt aer & cibus [& mutatur ad unumquodque mouentium seipsa] & mutatur respectu animalis, quia nec semper est in eadem propinquitate, & cum eadem affectione respectu animalis; primus autem motor uniuersi facit unum continuum motum æternum, ut dictum est, quare differentia est manifesta; Hac igitur constituta uolens Aristoteles alteram differentiam quæ adhuc non est cognita, declarare, quæ est scopus præsentis speculationis, ideo quando dicit [in omnibus autem his] sumit aliam quandam conditionem animarum animalium satis per se manifestam, at leui egentem declaratione, ea autem est, quod anima, quæ in animali est primum mouens, licet antea sit vocata immobilis, quia non est per se mobilis, tamen mouetur per accidens ad motum corporis, & mouetur a semetipsa, ipsa enim mouet animal loco, fieri autem non potest quin mutante locum animali etiam anima locum mutet, mouet ergo seipsam per accidens; quia non in seipsa agit, sed in corpus primo, ad cuius motum postea etiam ipsa locum mutat; hoc autem declarat Aristoteles exemplo quando dicit, [& quod in uecte seipsum mouet] quæ tamen verba magnam interpretibus difficultatem fecere, est enim vectis instrumentum ferreum, quo mouentur pondera, vt vidimus etiam supra in Contextu trigesimoprimo, sed qualis sit ista Aristotelis comparatio dubium est, & apud expositores maximè controuersum; alij namque dicunt comparare animam vecti, qui in mouendo pondere dicatur mouere seipsa; alij vero dicunt animal potius comparari vecti; hominem uero, quo vectem mouet comparari animæ quæ mouet animal; sed decipiuntur omnes, & est in latinis verbis error manifestus, & miror quod Vicomercatus eum non uiderit; sed una cum alijs sit deceptus, nam vectis dicitur Græce μοχλὸς vt vidimus in Contextu trigesimoprimo, hic vero non habemus μοχλὸν, sed μοχλείαν est autem μοχλεία non vectis, sed commotio illa, quæ per vectem fit, non est igitur legendum, in vecte, quæ etiam inepta, & praua est locutio, quæ nullum habere potest idoneum sensum, sed, in commotione, neque ignorauit hoc Simplicius, qui manifestè hic distinguit hęc duo μοχλὸν & μοχλείαν sed errauit in declaranda hac Aristotelis cõparationem, nam putauit quidem Aristotelem comparare motum animalis commotioni factæ per vectem, sed rationem esse dixit, quoniam anima comparatur vecti, & tribus modis dixit intelligi posse, quod anima sit similis vecti, qui tamen omnes ab hoc loco alieni sunt, in nullo enim alio debet hæc similitudo consistere, nisi in hoc, quod sicuti anima mouendo corpus mouet se per accidens, ita in commotione aliquid fit, quod dicatur se per accidens mouere, hac tamen ipse dimissa similitudine alias considerat, quæ ad præsentem considerationem non attinent, nec minus errant alij, qui Simplicij sententiam refutantes

alia

alia contra eum vtuntur ratione, præter eam quam diximus, & legendo, in vecte, in longe deteriorem sententiam inciderunt dicentes Aristot. comparare vectem non animæ, sed animali, propterea quod anima vtitur corpore tanquam vecte, idest sicut homo vtitur vecte tanquam instrumento; at non declarant quidnam sit in vecte, quod seipsum moueat, quod tamen solum declarandum erat. Ego igitur dico μοχλεύειν significare quidem commotionem illam quæ per vectem fit, sed sumi etiam quandoque large pro quacunque commotione etiam si absque vecte fiat, quemadmodum etiam verbum μοχλεύω sumitur pro commouere siue cum vecte, siue sine vecte, sumendo igitur hic commotionem late pro omni commotionem per artem facta sensus verborum Arist. clarus est anima mouendo corpus mouet seipsam per accidens, sicuti etiam in commotione contingit, quandoque enim aliquis commouens, & quatiens aliquam rem, quatit etiam seipsum per accidens, ut si vecte, vel alio instrumento lapidem concutiat, cui ipse inhæreat simul, etiam & ipse concutitur, sic potest aliquis Instrumento aliquo domum, vel parietem concutere ita ut ipse quoque concutiatur, quare mouet ipse seipsum per accidens, quare igitur in artibus frequens est hoc ut aliquis commouens aliam rem se cum illa commoueat, recte Arist. comparat hanc commotionem cum motu animalis, quo dicitur anima mouere seipsam. In hoc igitur Contextu tria habuimus primum fuit solutio dubij, ex qua cognoscimus animam non esse motorem omnino primum in animalibus, sed supponere alium motorem priorem saltem secundum ordinem accidentalem, secundum quod anima non potest mouere semper animal uno continuo motu, intelligendo semper, idest per totam vitam animalis. Tertium quod anima non est motor omnino immobilis, quia saltem per accidens mouet se per corporis motum. primum horum habuimus etiam in Contextu vigesimo, sed alia duo hic adiecta sunt, propterea dubium soluitur hic euidentius, quam ibi quia hic cognoscimus differentiam inter animam animalis, & motorem uniuersi, quæ in duobus consistit in æternitate motionis, & in immobilitate mouentis, differentia in ęternitate iā fuit declarata, altera verò sumpta ex immobilitate colligitur in sequenti Contextu, ex fundamentis hic ab Arist. iactis.

Contextus Quinquagesimussecundus.

Ex quibus credere licet, quod si quid est immobilium quidem, mouentium autem, et ipsorum, quæ mouentur secundum accidens, impoßibile est continuo motu mouere. Quare si necesse est quidem continue esse motum esse quid oportet primum mouens immobile et non secundum accidens, si futurum est (vt diximus) in ijs quæ sunt, ut sit incessabilis quidam, & immortalis motus, & manere ens ipsum in seipso & in eodem; principio enim manente neceße, & omne manere, continuum existens ad principium. Non est autem idem moueri secundum accidens à seipso, & ab altero, moueri enim ab alio, & eorum, quæ sunt in cœlo, quibusdam principiis inest, quæ secundum plures feruntur lationes, alterum autem corruptibilibus solum.

HIC tandem colligit primi motoris totalem immobilitatem, qua differt ab animabus animalium eumque sumit ex altera differentia, quæ consistit in æternitate motionis; si quidem iam dixerat animas animalium non posse semper mouere vno continuo motu, primum autem motorem vniuersi producere unum continuũ æternum motum; tres sunt partes in hoc Contextu, in primam hanc rationem format; in secunda idem altero argumento confirmat, in tertia soluit tacitam obiectionem; in prima talem format rationem nullus motor immobilis, qui per accidens sit mobilis, potest mouere vno continuo, idest, perpetuo motu, at primus motor vniuersi mouet uno continuo motu æterno, ergo primus motor vniuersi est penitus immobilis, idest nec per se, nec per accidens est mobilis, maiorem ponit primis verbis, deinde minorem quando dicit [quare si necesse est] deinde conclusionem quando inquit [esse quid oportet primum &c.] postea vero quando dicit [si futurum est] reperit eandem minorem ad maiorem efficacitatem, & inquit [incessabilis quidam] quia iam dixerat in Textu quadragesimonono unum dari singularem motum æternum, unde intulit etiam motoris æternitatem, ideo minorem sumit ex eo Contextu quadragesimonono, & ex initio libri, ubi ostensum est æternum esse motum quem utrunque locum significat quando ait [ut diximus] maiorem autem propositionem inquit si sumere ex Contextu præcedente, cum dicat [ex quibus credere licet] eam autem colligit per inductionem ex fundamentis iactis in calce illius Contextus hoc pacto si per singulas discurramus animas animalium, quæ sunt mobiles per accidens, nulla earum potest mouere uno continuo perpetuo motu, ergo nullus motor immobilis, qui sit mobilis per accidens, potest mouere uno perpetuo motu; est autem hæc inductio perfecta quidem, quia non sumit omnia particularia demonstratiua tamen, quia est in materia necessaria, & habet essentialem terminum connexum, quod significauit Aristoteles dicens [impossibile est continuo motu mouere] quod autem termini sint essentialiter connexi facilè ostendemus, si inter se hos duos terminos conferamus, moueri per accidens, & non posse mouere perpetuo, nam materia quoque impossibilis dicitur necessaria, & sub demonstratione cadit, cum detur etiam negatiua demonstratio. Declaratur res hæc ab Auerroe hic, & in Commentario præcedente, & in hoc consistit, quod omnis motor immobilis est necessario incorporeus, quia si esset corporeus, esset per se mobilis, hic ergo si sit mobilis per accidens ad motum corporis, non potest esse nisi forma materialis, quæ fixa materiæ mutatur ad mutationem materiæ, hæc autem non potest mouere perpetuo, tum quia ex necessitate laborat, tum etiam quia pendet a motoribus externis, a quibus dum mutatur corpus, necesse est vt ipsa quoque patiatur, & excitetur ad mouendum loco ipsum animal, quare non potest uno continuo motu semper mouere animal propter varietatem mouentium externorum mutabilium, vt dixit Arist. in Contextu præcedente, manifestum igitur est, quod essentialem repugnantiã inter se habent hi duo termini, motorem motori per accidens a seipso ex motu corporis, & mouere vno continuo perpetuo motu; propterea necesse est, ut motor, qui æternum motum producat, sit forma separata a materia, sic.n. nec per se, nec per accidens mobilis est; sed Arist. hic id exprimere veritus est, quia est consideratio metaphysica, & satis habuit id confuse colligere ex cõparatione animarum animalium per inductionẽ præsentẽ, cuius cõclusionem in primis verbis huius textus ponit ut maiorem Syllogismi prędicti, ex ijs enim quę de animabus animaliũ dixerat, inquit credendam esse hãc uniuersalem, nullus motor immobilis, qui sit per accidens mobilis, potest mouere

uere

uere perpetuo; cognoscimus enim essentialem repugnantiam horum duorum terminorum, sed eius rationem adhuc ignoramus, quam hic Aristoteles exprimere noluit eã tamen declarabit in calce huius libri innuens per hoc eam esse alienam a scientia naturali, & transcendentem limites Physicos ut ego alias notaui in libro meo de regressu. Perpendenda sunt in Contextu illa verba [si futurum est (vt diximus) in ijs, quæ sunt, ut sit incessabilis quidam, & immortalis motus] non n. solum citat Contextum quadragesimum nonum, sed etiã initium libri, præcipuè vero primum Contextũ vbi his eisdem verbis vsus est dum dixit, [& hoc immortale & sine quiete in ijs inest, quę sunt] declarat ergo seipsum, & testatur se ibi quoque intellexisse unum singularem continuum motũ æternum, hunc igitur ibi proposuit, non motum in genere, vt alij dicunt; sic autem videtur Arist. coniungere finem suæ speculationis cum principio, & asserere se id absoluisse, quod in initio libri proposuerat, & quęstioni propositæ satisfecisse. [Et manere ens in seipso.] Alterum addit rationem Arist. ad probandum immobilitatem primi motoris, quæ talis est. Vniuersum manet semper immobile in eodem loco, ergo etiam primus motor debet esse immobilis, probat consequentiam, quia immobilitas primi principij est causa permanentiæ, & immobilitatis vniuersi, proinde hic vniuersi immobilitas est signũ immobilitatis vniuersi; necesse.n. est (inquit Themistius) ut in mundo materiali reluceant modo aliquo conditiones Mundi archetypi. hæ autem possunt in præsentia tres considerari, Mundus archetypus mouet, æternè mouet immobilis est; tres aliæ illis respondentes sunt in Mundo materiali, mouetur, ęternę mouetur, est immobilis, quia in eadem sede perpetuo manet, sed quia conditiones mundi materialis sunt manifestiores, ideo Arist. ex his procedit ad demonstrandas conditiones mundi archetypi tanquam ex effectu ad causam iam. n. ex motu æterno vniuersi demonstrauit dari motorem æternum immobilem, & nunc ex permanentia vniuersi probat eandem primi motoris immobilitatem. nomen [ens] hic non significat ens commune, sed aggregatum omnium entium, idest mundum totum, ens. n. commune non posset appellari immobile, falsum enim esset. & ab Arist. confutatur in primo libro, sed uniuersum dicitur immobile, quia totum in sua sede permanet, nec potest ab eo demoueri. Verba illa [in seipso, & in eodem] sunt idem significantia, & posteriora sunt declaratiua pręcedentiũ, nam manere in seipso est manere in eodẽ loco, & non mutare sedem, sic dicebat Arist. in Contex. 24. 1. lib. aquam in vase moueri in seipsa si vas non moueatur loco, sed aqua in eo circumuoluatur. quod vero dicit [continuũ existens ad principiũ] Auerroes intelligit de mundo hoc inferiore, qui est continuus, i. contiguus mundo cęlesti, ut dicitur 1. Meteorolog. cap. 2. sed hæc interpretatio non est conueniens, quia Arist. hic per principiũ non intelligit cęlum, sed primũ motorem immobilem; quare dicamus cum alijs continuum hic late sumi pro immediato, ut etiam in corporeis conuenire possit, effectus enim dicitur continuus causæ, quando ab illa immediatè producitur, sicuti mundus totus dicitur immediatè pendere a Deo, iure autẽ hoc dicit Aris. quia de effectu remoto nõ esset fortasse verũ, quod debeat esse immobilis, si principiũ est immobile, at de effectu immediato verum est, quod aliquã debeat præsefere immobilitatem, si causa est immobilis. Notandum hic quod cum oporteat mundum materialem, & moueri, & esse immobilem, hoc necesse est esse diuersis rationibus, Themistius inquit mundum moueri ratione partium, sed esse immobilẽ secundum se totum; sed hoc melius declaratur ab Auerroe 6. Phys. 85. 86. vbi dicit cęlum non modo ratione partium moueri, sed etiam secundum se totum, totum enim mouetur secundum formã, & est immobile, secundũ subiectũ, partes verò singulę mouentur, & secundum formã, & secundũ subiectũ; totum

enim cęlum dicitur immobile secundum subiectum, quia totum non transfertur ad alium locum; dicitur autem totum moueri secundum formam, quia simul omnes partes mouentur, nec vlla est, quæ quiescat, motis autem omnibus partibus verè dicimus totum cœlum moueri, siquidem nihil eius quiescit, & mutatur omnium situs, & habitudo ad nos. Auerroes igitur non vult dicere cœlum ratione tantùm partium moueri, illud enim dicitur moueri ratione partis, cuius aliqua pars sola mouetur, sed vult etiam totum secundum se totum moueri, cum omnes partes simul locum mutent. Themistius autem solum respicit motum illum quem dicit Auerroes esse secundum subiectum, & Aristoteles quoque de hoc loquitur hic dum dicit totum mundum esse immobilem; etenim de toto mundo dicere possumus id, quòd Auerroes de cœlo dicebat: optimè igitur respondent conditiones mundi conditionibus primi principij, oportuit enim mundum, & moueri, & esse immobilem, quæ vtraque diuersis rationibus vera sunt. Notandum præterea est, quod vtraque hæc ratio, qua demonstratur immobilitas primi motoris, est ab effectu ad causam, nam, & æternus motus, & permanentia æterna vniuersi sunt effectus a prima causa prodeuntes, sed ratio quæ ab æterno motu sumitur efficacior est, quam quæ ab immobilitate vniuersi, quia ad cognoscendas causas rerum naturalium efficacius medium est motus quàm quies, vt in contextu vigesimotertio huius libri dictum est, hic enim patet quòd nisi per motum æternum cognouissemus dari vnum primum motorem æternum, proinde, & immobilem, altera ratio sumpta ab immobilitate vniuersi parum roboris habuisset, non est enim clarum quòd non possit aliquid quiescere ex seipso, & ex natura propria, ideo dici poterat permanentiam vniuersi non prouenire ex alia causa, & mundum ex se immobilem esse, non sic de motu; nam ostensum est necessarium esse, ut in omnibus distinguatur motor, a moto, & vt in mouentibus perueniatur ad primũ, quamobrem ratio sumpta a motu fuit efficax, & necessaria, at ratio sumpta ab immobilitate vniuersi ipsa quidem per se nihil concluderet, sed ab Aristotele fuit illi alteri adiuncta ad confirmationem, ideo rectè dictum est ab interpretibus duas rationes propositas fuisse ab Aristotele ad probandam motoris immobilitatem in initio contextus quinquagesimi, non tres, quia hanc, vt distinctam rationem non connumerauit, quod etiam modus loquendi Arist. significat, & ibi, & hic, nã hanc non adducit, vt tertiam, & distinctam a secunda, sed una cum illa hanc adijcit, vt illius secundæ confirmationem. [Non est autem idem moueri per accidens a seipso, & ab alio,] soluit hic Arist. tacitam obiectionem, quæ tamen non codẽ modo ab interpretibus exponitur, Simplicius .n. quem Vicomercatus sequitur, ita interpretatur, dixerat Arist. nullum motorem, qui per accidens moueatur, posse motũ perpetuare, ideo poterat aliquis obijcere, ꝙ cęlestes orbes errantes seu eorum stellæ mouentur per accidens, tamen perpetuò mouent hæc inferiora, quod autem moueantur per accidens, patet, quia per se mouentur proprijs motibus, qui sunt ab occasu ad ortum, per accidens verò trahuntur a suprema sphęra ab ortu ad occasum motu diurno. Addit etiam Simplicius quod fortasse Arist. non distinguit moueri per accidens in duos modos, a se, & ab alio. Sed in vno membro ponit moueri per accidens a seipso, in altero autem moueri absolutè ab alio, non tamen per accidens; & rationem addit, quia hoc potest esse perpetuum; at id, quod est per accidens perfectum esse non potest; Alexander vero, referente Simplicio, & Auerroes, & Latini alio modo dubium hoc interpretantur, ipsum .n. referunt non ad orbem, sed ad astra, sed ad motores orbium erraticorum, qui sunt animæ ipsorum, cum .n. orbes erratici moueantur a suprema sphæra motu diurno, videntur etiam ipsorum erraticorum motrices animæ moueri quodammodo a motore supremi

orbis,

orbis, iam enim dictum est, quod animæ animalium mortalium dicuntur modo aliquo pati, & moueri, quatenus animalia ab eis mota mouentur a motoribus externis, eadem igitur ratione videntur etiam animæ erraticorum orbium pendere a motore supremi orbis, & modo quodam moueri ab ipso per accidens ratione suorum orbium; quomodo igitur possunt facere perpetuos motus si vnum est id, quòd antea dictum est, motorem, qui per accidēs moueatur, non posse facere vnũ continuum æternum motum? Solutio dubij eadem est secundum vtranque expositionem, inquit enim Aristoteles quod motor, qui mouetur per accidens a seipso, non potest mouere vno perpetuo motu, quod euenit motoribus animalium tantum corruptibilium, ac motor, qui mouetur per accidens ab alio, potest mouere perpetuo; quod quidem secundum priorem expositionem verum est de astris errantibus quæ mouent perpetuò hæc inferiora; secundum alteram verò de intelligentijs, quæ mouent erraticos orbes, nam pendentia illa, quam habent a prima intelligentia, non facit, quin suos orbes mouere possint perpetuò motu. Ego alias priorem sententiam tutatus sum, sed nunc coactus sum ea relicta alteram communiorem sequi, moueor autem duplici ratione; vna est, quia secundum opinionem Simplicij nullam reuera dubitandi occasionē habemus, nam astra mouent quidem hæc inferiora, non tamen vno continuo æterno motu, videbimus enim in contextu sequente, quod a motore mutabili non fit unus continuus æternus motus, sed plures, & uarij, quare nulla adest occasio dubitandi cōtra id; quòd dictum erat, motorem, qui per accidens moueatur, non posse uno æterno motu mouere; altera ratio est, quia non esset conueniens comparatio animæ animalis cum corpore cœlesti, sed potius cum anima corporis cœlestis, qualis reuera fuit in hac parte tota fuit Aristotelis comparatio, nam loquitur de motoribus illis tantùm, qui non sunt per se mobiles, & seiungit motores immobiles animalium a motore immobili vniuersi, cœlum autem est corpus per se mobile, & seipsum mouens, quare eius comparatio cum anima, non est ad propositum accommodata. Reliquum igitur est, vt alteram sententiā ab obiectionib. quib. vrgeri videtur, & quas ego alias solue re nequiui, vindicemus; hæ tres sunt, eæque non spernendæ. Primum quidem si intelligentia ratione sui orbis diceretur moueri, motu diurno, eadem ratione diceretur ratione sui orbis moueri proprio ipsius orbis motu; cum enim orbis duplici feratur motu, & unus redundare dicatur in intelligentiam, cur non etiam alter? hoc tamen dici non potest, quia tunc sequeretur, quod intelligentia moueretur per accidens: etiam a seipsa, quod Aristoteles negat, falsumquè per se est, nam ad motum orbis nullo modo intelligentia mutat locum, quia non est extensa ad extensionem illius corporis. Secundò ad sunt verba Aristotelis quæ videntur manifeste huic sententiæ repugnare, dubium enim esse dicit [de quibusdam principijs, quæ sunt in cœlo,] sed hæc postea declarans subiungit [quæ secundum plures feruntur lationes,] quod quidem de Astris verissimè dicitur, nam planetæ mouentur pluribus motibus; at de intelligentijs minimè uerum est, vt modo considerabamus, nam saltem proprius planetæ motus non redundat in intelligentiam. Tertio videntur aduersari ea, quæ dicta sunt ab Aristotele in contextu quadragesimooctauo ibi enim dixit, nunc non esse quærendum numerum æternorũ mouentium, sed unum sufficere, quomodo ergo nunc supponere potest plures in cœlo motores æternos immobiles? Ad horum primum dicimus, non ea ratione intelligentiam planetæ dici moueri, quatenus ex motu orbis ipsa moueatur, hoc enim falsum est de vtroque motu, neuter enim in eam redundat; sed solus quatenus pendet quodammodo a superiori motore, a quo suus orbis magis mouetur, quam ab ipsa, hoc autem non est moueri, sed pendere ab externo


motore ratione sui orbis, & simile videtur illi, quód de anima animalis dictũ est in cõtextu quinquagesimoprimo, quod pendet a motore priore, a quo patitur ipsũ corpus animalis, quæ similitudo fuit causa huius dubitationis. Ad secundum quod ego alias efficacissimum iudicaui, dico id reuera nullius esse roboris, vt nunc deprehendi ex Græcorum verborum consideratione, quando enim Aristoteles dixit, [quibusdam principijs,] non potest intelligere nisi animas cœlestes, nam in tota hac parte vocat principia illa tantum quæ sunt immobilia per se, quare corpora hic non vocaret principia, sed postea quando dicit, [quæ secundum plures feruntur lationes,] non debemus intelligere quæ principia, si quidem Græcè habemus ἀρχαῖς in genere fœminino deinde ὅσα in genere neutro, quare non potest esse sensus alius, quàm iste, in quibusdam, quæ in cœlo sunt, principijs mouentibus corpora quæcunque pluribus mouentur motibus. Ad tertium dicimus nil aliud haberi in textu quadragesimooctauo nisi quòd in hoc libro non est agendum nisi ad uno primo motore quia, vt ego ibi consideraui, alij ad hunc librum non pertinuerunt, sed non ob id prohibet, quin suspicemur plures esse motores æternos, cum plures in cœlo sint orbes, qui uarijs mouentur motibus; supponit enim Aristoteles lectores instructos Mathematicis disciplinis, & callentes Astrologiam quare non absque ratione fuit præsens dubitatio, nec ab re eius solutio; siquidem ex his, quæ hic tractantur existimare possumus plures esse in cœlo motores æternos immobiles, & de his dubitare, licèt ij, in hoc libro non quærantur. Falsus est Simplicius in eo; quod dixit, Aristotelem non diuidere moueri per accidens in duos modos, quia nisi ab alio moueri intelligamus per accidens præsens dubitatio est omninò præter rem, dubium enim non oritur nisi ex eo, quod dictum est motorem, qui mouetur per accidens non posse mouere perpetuo, quare si principia, quæ sunt in cęlo ipse intelligat moueri ab alio, non tamen per accidens nullum de ijs dubium hic oriri potest: friuola est etiam ratio, qua Simplicius ad hoc probandum vtitur, siquidem non esse per accidens est eiusmodi, vt possit non esse, sed datur per accidens, quod est necessarium, & perpetuari potest, propterea quòd non oppugnat id, quod est per se, & ipsam rei naturam; talis est motus totius ignis in orbem, vt alias ostendimus in primo libro de cęlo, is enim non alia ratione dicitur per accidens, nisi quia non prouenit ab ipsa cęli natura, sed a causa superiore, non oppugnat tamen naturam cęli, sed eam potius conseruat, ideo potest perpetuari.

Contextus Quinquagesimustertius.

At verò, si aliquid est semper huiusmodi, mouens quidem, immobile autem, & ipsum perpetuum, necesse est, & ipsum primum, quod ab hoc mouetur, perpetuum esse. Est autem hoc manifestũ quidem, et ex eo quod non aliter esset generatio, & corruptio, et mutatio in alijs nisi aliquid moueat id quod mouetur, immobile enim eodem, & vno motu semper mouebit eodem modo, tãquàm nihil ipsum mutetur ad id, quod mouetur, quod autem mouetur, ab eo quidem quod mouetur, ab immobili autem mouetur iam, propterea quod aliter, ac aliter se habet ad res ipsas, non eiusdem motus erit

causa

causa, sed propterea, quod in contrarijs est locis; aut formis, contrariè præstabit ut moueatur unumquodque aliorum, & aliquando quidem quiescat, aliquando autem moueatur. Manifestum igitur factum est ex dictis, & quod in principio dubitabamus, cur nam non omnia, aut mouentur, aut quiescuut, aut alia quidem mouentur semper, alia vero quiescunt; sed quædam aliquando quidem, aliquando autem non. Huius enim causa manifesta nunc est quod alia quidem ab immobili sempiterno mouentur. quapropter semper mutantur alia vero ab eo, quod mouetur, & mutatur; quare & ipsa necessarium est mutari. Immobile autem, vt dictum est, tanquam simpliciter, & eodem modo, & in eodem permanens secundum unum, & simplicem mouebit motum.



N hoc contextu Aristoteles vult finem imponere contemplationi propositæ in initio libri, & a primo motore æterno immobili regressum facere ad demonstrandum æternum motum demonstratione propter quid, & per eam soluere quæstionem propositam in vigesimoprimo, quæ erat, cur non omnia, vel semper moueant, vel semper quiescant, vel aliqua semper moueantur, & aliqua semper quiescant, sed dentur aliqua semper immobilia, aliqua semper mota, & aliqua quæ modo mouentur, modo quiescunt; causa enim est, quoniam iam ostensum est, necessarium esse vt sit aliquod primum mouens æternum, penitus immobile, ab hoc autem immediatè productus motus non potest esse nisi vnus, & idem continuus æternus nam mouens æternum immutabile non potest immediate producere uarios motus, sed unum, qui semper idem perseueret in aliquo corpore naturali semper moto, quare necesse est dari aliquod semper motum; ab hoc autem necesse est produci uarios motus, & quietes in reliquis rebus, quia motor mutabilis cum non eundem semper habeat respectum ad mobile, non eundem semper producit motum, sed modo unum motum, modo alium, unde fit ut quæ a tali motore mouentur modo moueantur, modo quiescant; hic est sensus totius huius contextus, quare patet Aristotelem duas formare demonstrationes a priori, quarum utraque est propter quid, cum enim sint illi tres rerum gradus, primus est causa secundi, & secundus est causa tertij, nam a motore æterno immobili necesse est, ut id, quod immediate mouetur, uno & eodem perpetuo motu moueatur, quia agens immutabile non potest producere immediatè varietatem effectuum, hoc autem mobile æternum est mouens respectu aliarum rerum, quod facit eas modo mouere, modo quiescere, quia motor mutabilis non eundem semper producit effectum, sed uarios, patet enim cœlum ita se habere ad hæc inferiora corpora, ab Astris enim, & potissimum a sole alterantur hæc inferiora corporea, sed non semper eodem modo; Sol enim non semper est in eodem situ respectu omnium, sed in die adest, in nocte abest in æstatæ propinquus est puncto uerticali nostro in hieme autem est ab eo remotus, ideo inferiora corpora modo calefiunt modo non calefiunt. Sed frigescunt, & causa huius varietatis est quoniam mouentur a motore mutabili, ratio ergo patet cur necesse sit dari illa tria entium genera,

nera, & simul manifesta est causa cur detur in aliquo naturali corpore unus æternus motus, causa enim est, quia fit immediate ab uno primo motore æterno immobili. Quod ad uerba attinet Aristoteles volens demonstrationem propositi quæsiti extruere, ante omnia statuit duo fundamenta ipsius demonstrationis, nempè medium terminum, & minus extremũ, quę debet ante demonstrationem esse præcognita; medius terminus est motor æternus immobilis, minus extremum est corpus naturale, quod ab illo mouetur immediatè, idque manifestum est esse cœleste corpus, utrumque iam intulit Aristoteles in Contextu quadragesimonono ex æterno motu, tanquam ex effectu, quando dixit si unus est continuus æternus motus, ergo ab uno motore, & vnius mobilis, hæc enim omnia se consequuntur, ideo nunc ex eo quod datur primum mouens ęternum immobile, infert necesse esse ut illud corpus, quod ab eo mouetur immediate sit & ipsum æternum, quia si esset corruptibile tolleretur vnitas mobilis, quare non posset esse motus unus; hæc autem Aristotelis consequentia non ad id tendit ut probetur dari cœlum, sed ut probetur eius æternitas, tanquam corporis quod immediate mouetur a motore æterno, immobili iam inuento ex eo, quod datur vnus continuus motus æternus; innotescit enim utrumque ex æterno motu, ideo quãdo Aristoteles dicit [& ipsum primum] sumit primũ pro immediato, nam illud, quod remote mouetur a motore æterno immobili potest esse corruptibile, at illud quod immediatè ab eo mouetur, non potest esse nisi æternum, stante æternitate motionis, & vnitate. Sic igitur Aristoteles ante omnia stabiliens hæc duo fundamenta demonstrationis medium, & subiectum virtute quadam proponit his verbis demonstrationem propter quid, quam postea expressè etiam proferet in hoc ipso contextu, ea autem est, id, quod immediatè mouetur a motore æterno immobili, uno æterno motu mouetur, at datur corpus naturale quod immediatè mouetur a motore æterno immobili, ergo datur corpus naturale, quod uno æterno motu mouetur, ex hoc autem corpore lato semper vno perpetuo motu probat varietatem motuum ab eo productorum in alijs corporibus naturalibus, ut denotet motum illum esse quidem unum singularem, sed continere sua virtute omnes motus, & ita eius considerationem in hoc libro esse uniuersalem, quatenus is est omnium rerum motus; quare patet Aristotelem considerare æternitatem aggregari omnium motuum, sed tamen præcipuè respicere caput huius æternitatis & radicem omnium motuum, nempe motum Cœli, qui omnia continet, id igitur totum confusum, quod demonstrauit in principio libri nunc distinguit, dum secernit motum cœli æternum a motibus corporum inferiorum. Postea verò quando subiungit. [Est autem manifestum & ex eo] confirmat illud idem argumento sumpto a posteriori, nempe secundum ex tertio, quod enim necessarium sit dari unum aliquod mobile æternum probat ex uarietate, & successioni mutationum, quæ fiunt in hoc mundo, inferiori; videmus enim multa generari, quæ prius non erant, & multa quæ prius erant, corrumpi, & ita perseuerare varias mutationes in hoc mundo inferiore, quod non esset, nisi hæc mouerentur a motore mobili, & mutabili, per quam non semper eodem modo se habeat ad mobilia hæc, ideo non eodem modo, ea semper mouet. Est autem in latinis verbis error quæ sic legenda sunt, [nisi aliquid quod moueatur moueat] idest, nisi hæc moueantur a motore qui moueatur. Deinde quando dicit [immobile enim eodem, & uno] rationem reddit omnium, quæ dixerat, & duas formas demonstrationes propter quid rationem adducens secundi ex primo, & tertij ex secundo, hoc enim facit proponens duas maiores propositiones duarum demonstrationum, qui-

bus

bus si minores addiderimus, integri fiunt Syllogismi; una maior hæc est, mouens immobile non potest mouere, nisi uno, & eodem motu, quia nunquam mutatur eius habitudo ad mobile, sed semper eodem modo se habet; sic igitur exprimitur demonstratio, quam implicitè protulerat primis verbis huius Contextus, nam si hanc minorem adijciamus, datur naturale corpus quod immediate mouetur a motore æterno, & pœnitus immobili tunc conclusio sequitur, quæ est ultimus, ac præcipuus scopus in hoc octauo libro, ergo datur corpus naturale quod mouetur vno continuo æterno motu; deinde quando dicit, [quod autem mouetur,] ponit alteram maiorem alterius demonstrationis quæ est hæc, id quod mouetur a motore mobili, & moto ab immobili, non eodem semper motu mouetur, sed alio, & alio, & hanc similiter declarat, vt alteram, dicens, cum enim motor ille sit mobilis, nec semper in eodem loco permaneat, proinde non semper æque adsit rebus ipsis mobilibus, ideo non potest producere semper vnum, vel eundem motum, sed varios, & contrarios, immo & facit vt quandoque moueantur res, quandoque etiam quiescunt, quia singulam rem non semper mouet, quare dum ab ea recedit, desinit mouere, & illa quiescit. inquit autem, [contrarijs locis,] significans partem Orientalem, & partem Occidentalem, quæ modo quodam sunt contrariæ, sic locus meridiei habet oppositum in inferiori hemisphærio, sed quia non est verè contrarietas in his locis, ideo quasi corrigens, seu declarans subiungit, [aut formis,] formas intelligens varios situs, & respectus cœlestium corporum ad nos vnde oriuntur apud nos effectus contrarij; absolutè enim nulla est locorum contrarietas in cœlo, sed respectu nostri verior ibi dicitur contrarietas, quatenus contrarij inde effectus apud nos producuntur. Sol enim supra terram existens calorem generat, eo autem sub terra existente fit frigus, ideo licèt loci illi cœlestes non habeant inter se aliquam contrarietatem absolutè considerari, habent tamen respectu nostri, quatenus contrarias qualitates, & contrarias formas apud nos producunt: huic igitur maiori si minorem hãc adiungamus at corpora inferiora mouētur a cęlo semper moto a motore immobili, altera sequetur conclusio, ergo corpora inferiora contrarijs mouentur motibus, & modo mouentur, modo quiescunt; in qua conclusione notare debemus Aristotelem non eam ideo inferre, vt putet se concludere æternitatem horum motuum successiuam immò ne vocat quidem æternitatem, sed potius dicit hæc modo mouere, modo quiescere, hæc autem non est motus æternitas, sed solum concludit uarietatem horum motuum pendentem ab illo æterno cœli motu, vt per hoc denotet se illum sumere, vt motum uniuersalem, quem alij omnes motus insequuntur: In verbis obscuritas quædam est; dicere enim videtur Aristoteles cęlum moueri a motore mobili, qui ab alio immobili mouetur, ideo Simplicius ita interpretatur, [quod autem mouetur,] idest orbes erratici. hi enim mouentur a supremo orbe, qui mouetur a primo motore immobili, sed quia hæc orbium, ac motuum cęlestium distinctio ad presentem contemplationem non pertinet, ideo dubia uidetur hæc Simplicij interpretatio. Vicomercatus putat mendum esse in uerbis, ita vt deletis superuacaneis, ita legendum sit [quod autem mouetur ab immobili mouetur iam,] secundum quam lectionem clarus esset verborum sensus, & omni careret difficultate; attamen cum ipse nullo fretus antiqui Codicis, aut interpretis testimonio id asserat, hæc quoque interpretatio satis firma esse non potest. Dicere fortasse possumus verba illa, [quod autem mouetur,] non significare cęlum, sed inferiora corpora, cætera verò omnia sequentia de cęlo proferri licèt duriuscula constructio verborum esse uideatur; Sic autem sensus esset, inferiora corpora, quæ mouentur a motore, qui mouetur ab immobili,


propterea

propterea quod ille aliter, atque aliter ad ipsa se habet, nec eiusdem motus est eis causa, ideo varietatem habent motuum, & quietum, ille namque motor cum sit in varijs locis, ac sitibus præstabit eis vt contrarijs motibus moueantur, & vt quandoque quiescant, quandoque moueantur. Sed cum de sensu verborum nulla sit controuersia, clarum enim omnibus est quid per hoc significare Aristoteles velit, non magni momenti est de verborum lectione disputatio, ideò accipiant alij, quam maluerint interpretationem, [Manifestum igitur factum est,] In hac secunda huius contextus parte Aristoteles ex factis modo demonstrationibus, quas etiam integras repetit soluit dubitationem in contextu vigesimoprimo propositam; perfecta enim ac demonstratiua cognitio omnes in re Orientes quęstiones dissoluit, quæstio autem illa fuit, cur non vnius tantum conditionis sint res omnes, nempè, vt semper quiescant, vel semper moueantur; uel saltem duarum, vt aliæ semper moueantur, aliæ semper quiescant, sed trium, ita ut præter hęc duo detur etiam tertium genus, quod videmus, eorum quæ, & moueri, & quiescere apta sunt; hoc enim ibi fuit postremum diuisionis membrum, cuius veritas demonstranda erat, inquit igitur Aristotelis causam huius esse nunc manifestam, postquàm rem demonstratiuè cognoscimus, causa namque est, quoniam aliqua a motore immobili æterno mouentur, igitur semper mouentur, aliqua uerò a motore mobili, quare mutantur de motu in quietem, & de quiete in motum, negari certè non potest Aristotelem hic duas formare demonstrationes propter quid, vanum enim est id, quod nonnulli dicunt, Aristotelem non demonstrare, sed potius adducere solutionem dubiorum alias adductorum, etenim idem discursus vtranque simul operam præstat, idque omninò necessarium est, nō possunt enim plenè solue dubia, quæ in re contingunt, nisi ex perfecta ipsius rei demonstratione quod hic Aristoteles facit, & ad eo clara est ipsa demonstratio, vt nimia sit pertinacia ipsam negare, quando enim dicit [alia quidem ab immobili sempiterno mouentur,] manifestum est hanc esse minorem prioris demonstrationis, deinde quando dicit, [quapropter semper mouentur,] manifestissimum est hanc esse cōclusionem, qua colligitur æternus motus in aliquo naturali corpore, maiorem, autem vidimus supra, sed in postremis verbis iam Aristoteles repetet, quando dicit, [immobile autem,] & addit, [vt dictum est,] quia in prima parte huius contextus iterum eam protulerat, quando autem dicit [alia uerò ab eo quod mouetur, & mutatur,] manifestum est hanc esse minorem secundæ demonstrationis, deinde quando dicit, [quare, & ipsa necessarium est mutari,] manifestum est hāc esse eiusdem conclusionem, in qua id notandum est, verbum, [mutari] non significare hic moueri, sed mutari de motu in quietem, & de quiete in motum, hæc .n. est conclusio posterioris demonstrationis, huius autem maior iam posita fuit superius. Sed & alia Aristotelis uerba hanc veritatem declarant, dixit enim [cur nam non omnia, aut mouentur aut quiescunt] significans quæri propter quid postea uero apertè dixit, [huius enim causa manifesta nunc est:] causam igitur affert, & causam satisfacientem quæstioni propter quid; Videtur autem Aristoteles non sine artificio maiorem prioris demonstrationis ad finem contextus reiecisse, ut finem suæ contemplationis cum principio coniungeret, & a quo æterno motu librum exorsus est, in eodem suum hunc discursum terminaret, & cum causæ expressione, causa enim est motor penitus immobilis qui simplicissimus cum sit, & eodem semper modo sese habeat, & in eodem esse permaneat, non potest nisi uno, ac simplici semper mouere motu, simplicem enim uocat Aristoteles ad exclusionem varietatis, ac deformitatis, quam dixit esse in motibus inferiorum corporum, nam & motorem hunc adducere uidetur ad differentiam significandum

dum inter motorem mobilem, de quo prius loquebatur, sicut enim motor mutabilis varios facit motus, & quietes; ita motor immutabilis necesse est, vt uno, & eodem semper moueat motu. Cum autem manifestum sit Aristotelem in hoc contextu vsum esse demonstratione propter quid, & ex æterno motore immobili demonstrasse vnum continuum æternum motum in corpore naturali negari non potest, Aristotelem in hoc libro fecisse regressum, vt alias declaraui in libro logico de regressu, ideo nunc prius eum declarare satis erit, tres sunt partes in regressu vna est demonstratio a posteriori, qua ex effectu confusè noto ostenditur existentia causæ: secunda est negotiatio intellectus in ipsa causa iam inuenta, vt cognoscamus etiam aliquam eius conditionem essentialem, per quam pateat ratio, cur sit necessarium, vt ab eo ille effectus emanet, & ita tertia demum pars illa est, qua a causa etiam distinctè cognita progrediamur ad effectum distinctè cognoscendum demonstratione propter quid; has omnes partes habemus hic manifestissimas, nam in contextu quadragesimo nono habemus demonstrationem a posteriori, qua ex æterno motu ostendetur dari vnum æternum motorem; secundam verò partem habuimus in contextu quinquagesimo, quinquagesimoprimo, quinquagesimosecundo; vbi Aristoteles declarauit hanc primi motoris conditionem quod est penitus immobilis, hoc enim non fuit ostendere existentiam causæ, sed inuenire essentialem quandam conditionem, ex qua sequitur, vt non possit nisi immediatè producere vnum, & eundem æternum motum: ideo in contextu quadragesimoquinto Aristoteles ex æterno motu prius intulit, esse necessarium dari æternũ motorem, postea vero seorsum dixit, [& eum esse immobilem] quia hæc erat negotiatio intellectus, quæ sequi debebat demonstrationem a posteriori tandem verò in contenxtu quinquagesimotertio habuimus tertiam partem ita manifestam, vt vanum sit eam negare velle, ibi enim Aristoteles ex eo quod datur primus æternus motor penitus immobilis, ostendit produci ab eo vnum, & eundem continuũ æternum motum, & apertè dixit causam huius esse immobilitatem motoris, res igitur clara est, vt pluribus verbis non indigeat.

Contextus Quinquagesimusquartus.

At verò, & alio facto principio magis erit de his manifestum, considerandum enim est utrum aliquem motum contingat esse continuum, an non, & si contingit quis est hic, et quis prius est motuum. Manifestum enim est, quod si necessarium quidem est semper motum esse, primus autem hic, & continuus est, quod primum mouens mouet secundum hunc motum quem necessarium est vnũ, et eundem esse, et continuum, & primum.



VID agat Aristoteles in sequenti parte ipsemet testatur in initio libri de communi animalium motu, ibi enim asserit, se hic declarasse quod detur motus sempiternus, & quis nam sit, cum verò catenus per causam demonstrauerit dari in natura vnum continuum æternum motum, nunc vult ostendere quisnam ille sit, quod idem proponit apertè Aristoteles in hoc contextu; hoc autem præstabit ab hoc loco vsque ad contextum septuagesimũseptimum, in cuius calce legimus

mus Epilogum totius tractationis, de æterno motu, in qua parte ostendet nullum motum posse vnum numero perpetuari, nisi localem, & inter locales nullum, nisi circularem. Huius consilij rationem idoneam hic Auerroes adducit dicens Aristotelem per hoc ostendere velle rationem conuenire cum sensu, & ita id quod ratione demonstrauit, confirmare testimonio sensus, postquam enim per causam demonstrauit necessarium esse dari vnum æternum motum, id firmius cognoscemus, si nouerimus quisnam sit ille motus, & cur possit perpetuari. Euenit autem in scientia naturali id quod Aristoteles alias in primo libro posteriorum docuit euenire in duabus distinctis disciplinis, vt firmiorem reddant cognitionem eiusdẽ rei, dum vna demonstrat eam per causam, altera verò adducit testimonium sensus, at scientia naturalis potest vtrumque simul prestare de eadem re, cum enim sit demonstratiua, potest causam adducere, & cum sit de rebus materialibus, & sensilibus potest etiam habere testimonium sensus; hoc significat Aristoteles dum inquit, [alio facto principio magis erit de his manifestum,] aliud enim principium significat aliud principium considerationis, quam in sequenti contextu exordietur, inquit autem magis fore hoc manifestum quia certiorem fidem habebimus, si præter rationem quam antea nouimus habeamus etiam testimonium sensus, & noscamus quisnam sit in rebus naturalibus iste motus, qui aptus est vnus numero perpetuari, nam dictio quis, ostensionem significat, qua rem per sensum cognoscimus, ideò declarans ipse Aristoteles subdit esse considerandum an sit possibile aliquem motum esse, [continuum,] idest, perpetuum, & si est possibile, quisnam ille sit, addit autem, [& quis primus est motuum,] quia eadem erit contemplatio æternitatis, & primitatis motus, cum hæ se mutuò consequantur, illum enim motum, qui vnus numero æternus est, necesse est primum omnium esse, & illum qui sit omnium primus necesse est æternum esse, quia sit immediatè a primo motore immobili, & sempiterno, quod quidem Aristoteles ipse declarat quando inquit [Manifestum enim est, quod si,] & simul denotat cognitionis perfectionem, quæ fiet ex coniunctione sensus cum ratione, affertque rationem consilij sui in hoc sequenti tractatu, & eum mirabiliter conuenit cum præcedente; consilium enim est adducere testimonium sensus, ut ante dixit, ut maior fides hac de rę fiat, & scientia exquisitior, nam (inquit) ostensum iam est ratione motuum esse æternum, & cõtinunum, eumque non posse esse nisi primum omnium, quare si nunc per omnes species motus discurrendo cognouerimus aliquem solum posse æternum esse, & dici omnium primum, manifestum erit, quod is est ille motus, quem diximus, fieri immediatè a primo æterno motore immobili. Notanda sunt verba illa, [magis erit de his manifestum,] quæ confirmant id, quod in initio libri diximus, non esse scopum Aristotelis in hoc libro agere de æterno motore, sed de æterno motu, totus enim sequens tractatus, qui est vsque ad Epilogum in calce textus septuagesimi septimi est de motu æterno sine vlla mentione æterni motoris ergo etiam pręcedens tractatio fuit de solo æterno motu, cum Aristoteles hic dicat fore magis manifestum de his eisdem de quibus hactenus actum est, nempe de æterno motu, vt ipsemet declarat.

Contextus Septuagesimusoctauus.

Quod autem hoc necesse est impartibile esse, et nullam habere magnitudinem, nunc dicamus: primum de prioribus ipso determinantes.

Horum

Horum autem vnum quidem est, quod impossibile est, ullum finitum mouere infinito tempore. Tria enim sunt, quod mouetur, & mouens, et tertium, in quo scilicet tempus, hæc autem aut omnia infinita sunt, aut omnia finita, aut aliqua, aut duo, aut vnum. Sit igitur A. mouens, quod autem mouetur B. tempus infinitum in quo D. ipsum igitur D. moueat aliquam partem ipsius B. quæ sit in quo E. Non igitur in æquali ipsi C. in maiore enim maius, quare non est infinitum tempus illud, quod est ipsius F. sic itaque ipsi D. addendo consumam ipsum A. & ipsi E. ipsum B. tempus autem non consumam, semper remouens æquale, infinitum enim est. Quare totum A. totum B. mouebit in tempore finito ipsius C. Non ergo possibile est a finito moueri aliquid secundum infinitum motum. Quod igitur non contingit finitum infinito tempore, manifestum est.

PROPOSITVM Aristotelis in hoc postremo capitulo est ostendere primum motorem vniuersi esse impartibilem, idest ab omni materia abstractum, cuius consilij rationem iam declarauimus in libro de regressu. Ea autem est, quia in contextu quinquagesimo secundo, Aristoteles satis rudem fecit illam negotiationem intellectus, quæ pro regressu facienda necessaria erat; quoniam enim primi motoris conditiones considerare ad Physicum non pertinebat, ideo satis habuit ibi Aristoteles leuiter tangere conditionem illam, quod est omnino immobilis, idest, nec per se, nec per accidens mobilis, ex hoc enim cognito cognoscebatur causa, cur fiat ab eo vnus continuus motus æternus. Nunc igitur Aristoteles statuit illam negotiationem facere pleniorem, nec enim illa contentus, nec uolens transcendere limites naturales, remisit hanc diligentiorem ad calcem libri, & post Epilogum tanquam minus naturalem considerationem, tamen conferentem ad firmius cognoscendam æterni motus causam. Hoc igitur hic præstat ostendens primum motorem esse abstractum a materia, cur enim non debeat esse saltem per accidens mobilis, cognoscere firmiter non poteramus, nisi nouissimus, quod sit penitus a materia abiunctus, sic enim fit, vt nulla passio in eum redundet ratione materiæ, & ita nullo afficiatur labore, & mouere perpetuo motu possit. Ideo notandum est, quod hæc duo se mutuo consequuntur, immobile penitus, & a materia abstractum, sed magis cognoscimus causam æterni motus, & magis acquiescimus, dum cognoscimus esse abstractum, quàm dum solum cognoscimus esse immobilem. Ratio enim immobilitatis sumitur ab ipsa abstractione, non sunt autem duo quæsita ab Aristotele proposita, [impartibile, & nullam habens magnitudinem,] sed vnum, & idem: illud enim quod abstractum sit ab omni magnitudine non potest diuidi ad diuisionem magnitudinis, & id quod ita diuidi non potest, est absque dubio ab omni magnitudine abiunctum: ideo ponitur ab Aristotele secundum, vt declaratiuum prioris. Voluit autem non sine artificio Aristoteles caput hoc ponere post Epilogum totius libri, quia cognouit hanc considerationem esse Metaphysicam, vt in prædicto libro notauimus, sic enim quodammo-

do nos admonuit, se id non ignorasse. Est etiam controuersia quædam inter Græcos, & Auerroem, quid Aristoteles intelligat pro magnitudine carens: Græci dicunt Aristotelem ostendere velle primum motorem non habere magnitudinem, idest non esse corporeum, qualia videmus esse hæc mouentia inferiora; Auerroes autem vult ostendi non esse virtutem naturalem, idest formam immersam materiæ. Quam sententiam esse potiorem puto, nam quod primus motor non sit corpus, iam manifestum est ex eo, quod est, immobilis, nam ostensum est, omne motum reduci ad motorem immobilem, at si esset corpus, esset per se mobilis, quare non esset primus motor, sed ab alio moueretur. Quoniam ergo Aristoteles in calce præcedentis contextus dixerat, [primum mobile immobile esse,] & nunc sermonem de illo prosequens dicit, [quod autem hoc esse impartibile, & nullam habere magnitudinem,] supponit absque dubio quod non sit corpus, & quamuis probatio sequens sit vniuersalis, & probet quod non sit corpus, nec forma corporalis, tamen dirigit eam Aristoteles præcipuè ad ostendendum, quod non sit forma corporalis, quia per hoc habebitur ratio, cur neque per accidens sit mobilis, quod quidem obscurius erat, & in contextu quinquagesimo secundo leuiter declaratum. Videtur autem Aristoteles cum artificio reiecisse verba illa in finem Epilogi, cum enim in illo Epilogo solum nominasset æternum motum, voluit in calce Epilogi nominare etiam motorem immobilem, vt per ea verba connecteret hoc postremum caput cum parte præcedente. Quod vero hic dicit Aristoteles, [de prioribus ipso determinantes,] significat se prius ostendere uelle quasdam propositiones, quæ conferunt ad propositi quæsiti demonstrationem, hæ autem erunt duæ præcipue, quarum vna est, quod nulla virtus finita potest mouere perpetuò, quam probat in hoc contextu; altera vero quod nulla virtus infinita potest esse materialis, quam probabit in contextu sequente. In his autem est difficultas maxima, tum in ipsarum intelligentia, tum in ijs dirigendis ad propositum ostendendum, & ad faciendam totam Aristotelis demonstrationem. Nam Sanctus Thomas, & cum eo alij multi, volunt has duas propositiones ostendi, vt duas maiores propositiones duorum Syllogismorum, quorum vno probetur quod primus motor habet virtutem infinitam, altero autem quod sit abstractus a materia; Prior Syllogismus talis est, nulla virtus finita potest mouere perpetuò, at primus motor mouet perpetuò, ergo primus motor non est virtus finita, ergo infinita; minor propositio iam fuit ostensa superius; maior verò probatur ab Aristotele in hoc contextu; Alterum syllogismum faciet Aristoteles in sequenti contextu talem, nulla virtus finita potest esse materialis, at primus motor est virtus infinita, ergo non est materialis; maior probatur in eodem contextu; minor verò fuit conclusio prioris Syllogismi. Isti igitur putant Aristotelem hic vti infinita virtute, vt medio ad ostendendum, quod primus motor non est materialis, sed a materia abstractus, infinitam autem virtutem dicunt hic significare potentiam infinitam intensiuè, quæ vocatur infinitus vigor; propterea dicunt primum motorem esse infiniti vigoris intensiuè, adeo, vt posset mouere infinitos mundos; posset mouere corpus infinitum, si daretur; & posset moueri cœlum in instanti, mouet tamen ipsum in tempore, quia licet uim actiuam habeat infinitum, quæ ipsum reddit omnipotentem, eam tamen limitat per suam voluntatem, nec vult agere id totum, quod agere posset. Sed S. Thomas, & alij eius sententiæ sectatores, non sunt assecuti mentem Arist. qui ad demonstrandam primi motoris immaterialitatem non vtitur pro medio infirmitate vigoris, quod manifeste uidebimus, cum veram demonstrationis Arist. formationem intellexerimus, sed hac quoque ratione hic

ne hic error ostenditur, quoniam hęc eadem impartibilitas, & abstractio, quę hic demonstratur de primo motore, competit non soli Deo, sed omnibus alijs intelligentijs, quibus omnibus applicat Aristoteles in duodecimo Metaphysicorum illa omnia, quæ hic de vna prima demonstrauerat, cum enim illæ omnes sint æterni motores, nec per se, nec per accidens mobiles, de illis pari modo ostenderetur ex æterno motu, quod sunt virtutis infinitæ, quod dicit Sanctus Thomas ostendi in præsenti contextu; attamen, & apud ipsum, & apud omnes falsum est, quod inferiores intelligentiæ sint infiniti uigoris intensiuè, ergo demonstratio Aristotelis non est illa, quam Sanctus Thomas, & alij multi imaginati sunt. Sed mirum est, quomodo in hunc errorem inciderint, cum Aristoteles ipse in vltimo contextu applicet hæc omnia fundamenta ad propositum, & formet demonstrationem clarissimam, qua ostendit primum motorem esse impartibilem, & abiunctum ab omni materia. Ratio igitur Arist. formanda est, non ostensiua, sed ad impossibile ducens, si primus motor est in magnitudine, vel est in magnitudine finita, vel in infinita, at neutrum dici potest, ergo nullo modo est in magnitudine: non est.n.in magnitudine infinita, quia hæc non datur, vt in tertio libro ostensum est: non etiam in magnitudine finita, quia ipse, vel habet potentiam finitam, vel infinitam: at neutrum horum dici potest, ergo nullo modo est in magnitudine finita: quod quidem non possit habere potentiam finitam, ostenditur in hoc contextu: quod verò nec infinitam, ostendetur in sequente. Non igitur absolutè sumit Aristoteles, quod primus motor sit uirtutis infinitæ, sed sumit quod sit forma materialis, & volens ad impossibile ducere ostendit, quod positus materialis, nec potest habere finitam potentiam, quia sic non posset mouere perpetuo; nec infinitam, quia sic moueretur in instanti, nullo igitur modo potest esse forma materialis, ergo abstracta. Hæc est Aristotelis demonstratio, vt patet in vltimo contextu huius libri; quare aliena est ab hoc loco consideratio, an Deus sit uigoris finiti, an infiniti, quia Aristoteles non alia ratione hic considerat eius potentiam finitam, vel infinitam, quam statuendo eum esse formam materialem, vt ad impossibile ducat, vtrum autem supposito eo abstracto a materia, sit dicendus uirtutis finitæ intensiuè, an infinitæ, Aristoteles non considerat in hac parte, quia hæc consideratio ad rem non pertinet. Nos uerò postea ostendemus, quod dum ponitur abstractus à materia, potest perpetuo mouere, etiamsi ponatur finiti vigoris; quare ad probandam eius abstractionem a materia non est opus confugere ad infinitatem vigoris; cum præsertim inter omnes constet, quod aliæ inferiores intelligentiæ sunt æterni motores, & a materia abiuncti, sunt tamen finiti uigoris. Quid autem in hac demonstratione intelligat Aristoteles per potentiam finitam vel infinitam, postea considerabimus, nunc declaremus priores propositionis probationem, quæ in hoc contextu habetur. Volens igitur probare Aristoteles, quod si primus motor ponatur materialis, non potest esse finitæ potentiæ, inquit tria nunc in considerationem uenire, mouens, & mobile, & tempus, quo fit motus, eaq; esse omnia infinita, vel omnia finita, vel duo infinita, & vnum finitum, vel vnum infinitum, & duo finita, idque varijs modis iuxta varias harum complicationes, quas facile vtique est enumerare, non enim eas omnes enumerat Aristoteles, cum non sit eius consilium vnius membri veritatem colligere ex aliorum reprobatione, sed omnia putet falsa esse, & impossibilia. Alia igitur dimittit tanquam manifestè falsa, alia verò ut magis dubia refellit in hoc contextu, & in alijs sequentibus. Certum enim est falsa esse omnia membra, in quibus sumatur mobile infinitum, quia iam in tertio libro ostensum est non dari ma-

gnitudinem infinitam, ita omnia illa, in quibus sumatur tempus finitum, siquidẽ, iam ostensum est tempus durationis motus esse infinitum, quare Aristot. accipit pro cõstanti quod mobile sit finitum, & tempus ipsius motus sit infinitum, ita ut sola potentia motiua relinquatur, quam sumere possit, & vt finitam, & vt infinitam: hoc enim minus erat manifestum. Hanc igitur, ut finitam sumit in hoc contextu, & ostendit esse impossibile ut potentia materialis finita moueat mobile finitum infinito tempore. Postea in contextu sequente accipiet etiam potentiam motiuam infinitam, & eius quoque membri impossibilitatem demonstrabit. Hæc autem Aristotelis ratio talis est, sumit A. pro potentia motiua materiali finita, & B. pro mobili finito, & C. pro tempore motus infinito, & supponit hoc fundamentum, quod maior potentia mouet maiori tempore, hoc est, diutius perseuerat in mouendo; minor autem potentia minori tempore, quia citius fatigatur, maior autem potentia iudicatur ex maiore materia in qua est, supponitur enim esse potentia materialis, vt in igne maiori maior est urendi potentia, quam in minore, etiam si idem sit in vtroque gradus caloris intensiuè: His constitutis inquit Aristoteles, diuidatur potentia motiua (diuidua enim est cum sit materialis,) & sumatur eius pars vocata D. quæ moueat partem ipsius B. mobilis vocatam E. non igitur mouebit eam tempore æquali toti C. quod est tempus infinitum, sed minore, siquidem supponitur minus potentiæ minori tempore mouere, finito igitur tempore mouebit, quod sit F. tunc si ipsi D. addam aliam partem ipsius potentiæ, tandem consumam totum A. potentiam; totum enim finitum consumitur tandem ex continua acceptione partis: sic etiam consumam simul totum B. mobile, addendo ipsi E. aliam, & aliam partem; In ipsa autem accretione potentiæ motiuæ, necesse est etiam fieri temporis additionem, ita tamen, vt ipsi F. parti finitæ addatur pars finita: sed ex multis numero finitis, & quantitate finitis non fit nisi vnum finitum, quare consumpta tota A. potentia non consumam totum C. tempus, cum sit infinitum, proinde per continuam acceptionem partis non consummatur, quare tota potentia A. mouebit totum B. mobile tempore finito, quod ipsius C. pars est, non autem toto C. infinito. Sic igitur patet (inquit Aristoteles) non posse potentiam materialem finitam mouere aliquid motu infinito, idest durante infinitum tempus, quia tali potentia constituta semper hoc argumento ostendetur eum finito tantum tempore mouere. Hæc est ratio Aristotelis, in qua manifestum est, potentiam motiuam finitam sumi, vt materialem, secus enim non possit considerari ipsius diuisio in partes, idque postea asseret ipse Aristoteles in postremo contextu colligens totam argumentationem. Hoc etiam significauit in initio huius contextus, dum pro eodem accepit impartibile, & magnitudine carens, quod enim est extra omnem magnitudinem, non est extensum, quare nullam recipit partitionem. Sed considerandum est, quomodo accipiat Aristoteles potentiam motiuam finitam, vel infinitam, certum est enim, quod si dicamus sumi finitam, & infinitam ratione durationis in mouendo, nugatio erit manifesta in conclusione Aristotelis, dicere enim finitam potentiam non posse mouere tempore infinito, est dicere potentiam mouendi tempore tantum finito non posse mouere tempore infinito. Necesse est igitur, ut per potentiam finitam, vel infinitam intelligamus aliquid non fluens, sed totum simul collectum, quod vt simul existens possit in ipso motore considerari, hoc autem non uidetur melius, & accommodatius significari posse, quàm nomine vigoris, ita vt potentia finita, vel infinita motoris nihil sit aliud, nisi finitus vel infinitus vigor mouendi, sed quia nomen uigoris dicit quandam relationem ad extra, vigor enim mouendi respicit mobi-

mobilia; ens autem respectiuum non potest dici finitum vel infinitum, nisi ratione alicuius absoluti, a quo emanet, seu in quo fundetur, ideò finitudo, & infinitudo vigoris notat infinitatem alicuius absoluti, vel finitatem, quæ non potest esse nisi duplex, aut intensiua, aut extensiua, intensiuam voco finitatem, vel infinitatem propriæ perfectionis q̃ singulares hẽt, ut si diceremus in aliquo igne esse calorem intensiuè infinitum, necesse esset, vt uigorem quoque calefaciendi haberet infinitum, extensiua verò eum quæ sumitur ab extensione materiæ, nam si poneremus dari ignem mole infinitum, necesse esset, vt calor eius, cum sit virtus materialis esset similiter infinitus, id est, extensus per materiam infinitam, licet intensione finitus esset, vnde sequeretur infinitus agendi vigor, quoniam (vt Aristoteles in contextu supponit) in maiori magnitudine est maior agendi uigor; vtrouis igitur modo statuatur infinitus vigor, certum est quod nil tali agenti nil posset resistere, quia vinceret omnem resistentiam patientis, neque minui vnquam, neque fatigari posset, proinde limitatum nec tempus haberet, nec modum suæ actionis; sed potentia motiua materialis, quæ & intensiuè, & extẽsiuè sit finita necesse est, ut limitatũ habeat actionis modum, atq; finitũ, ita vt a resistẽtia ipsius mobilis minuatur, & fatigetur, propterea q necesse est, ut rõne materiæ, in qua est repatiatur, & debilitetur, quare necesse est, vt finitum habeat etiam tẽpus suæ actionis; quare non potest mouere perpetuo. Sumpsit igitur Aristoteles in hoc contextu potentiam motiuam finitam, idest motorem materialem habentem vigorem mouendi fintum, & ex eius diuisione in partes ostendit non posse ab eo quippiam moueri tempore infinito, & ita nulla fit nugatio, quia ex finitate vigoris motiui, quæ consideratur, ut simul tota collecta, ostendit non posse prodire infinitam durationem motus, quæ est infinitudo fluens. Dubitatur hic quia uidetur Aristoteles sibimet aduersari, nam in calce septimi Physicorum dicit maiorem potentiam minori tempore mouere, quam minorem potentiam, eodem enim spatio constituto, maior potentia motiua ad finem perueniet minori tempore minor autem potentia maiori tempore. hic uerò dicit maiorem potentiam mouere maiori tempore minorem autem minori præterea altera esse uidetur in dictis Aristotelis contradictio, nam ibidem docuit, quod æquali tempore mouet tota potentia totum mobile, & pars potentiæ partem proportionalem illius mobilis hic verò dicit facta diuisione, & potentiæ, & mobilis totam potentiam mouere maiori tempore quam minorem. Hæ difficultates traxerunt Simplicium ad prauam huius contextus interpretationem; & ab Aristotele alienissimã; volens enim ita locum hunc interpretari, ac consentire ijs quæ in calce septimi libri dicuntur, non animaduertit suã expositionem huic loco, & uerbis Aristotelis non congruere. Dimissis igitur ijs, quæ dicuntur a Simplicio, & ea cõstituta rationis Aristotelis interpretatione quã exposuimus, nos ad pridrem difficultatem dicimus uera esse illa quæ in septimo libro dicuntur, & illa, quæ hic varijs tamen considerationibus; quod Simplicius ignorauit; aliud enim est considerare maiorem, uel minorem velocitatem motus per determinatum spatium, quæ est consideratio Aristotelis in septimo Physicorum; Et aliud est considerare maiorem, vel minorem vigorem mouendi, unde proueniat maior, uel minor perseuerantia in motu, quæ est Aristotelis consideratio in presenti loco, nam constituto spatio mille passuum, certum est, quod maior uirtus motiua velocius mouebit proinde minore tempore ad finem eius spatij perueniet, quàm virtus minor, ideo uerum est, id quod dicitur in calce septimi, ubi etiam maior, & minor virtus motiua non iudicatur secundũ se solũ, sed secundũ, sed secũdũ maiorẽ rationem, uel minorem excessus ad mobile, ibi enim potentia, ut 10. respectu mobilis resistentes, vt 8. iudicatur minor quàm potentia, vt 6. respectu mo-

bilis reſiſtentis, ut 3. quia hic eſt exceſſus per duplum ille uero per ſeſquiquartam rationem, ideo potentia illa, ut 6. mouebit minori tempore per illud ſpatium, quàm altera. hic uero Ariſtoteles non conſiderat maiorem, vel minorem potentiam ratione exceſſus ad mobile, neque reſpectu ſpatij, ſed ſecundum ſe, & abſolutè, quare hic omnem potentiam actiuam, ut decem, uocat maiorem potentia actiua, ut ſex, dum enim has ſecundum ſe, & abſque ullo reſpectu conſideramus, certū eſt, quod maior potentia maiorem habet actiuitatem, & uigorem, proinde diutius perſeuerabit in motu, quia tardius fatigabitur, ideo nec uelocitatem, uel tarditatem motus hic conſiderat Ariſtoteles, ſed ſolum maiorem, uel minorem perſeuerantiam in mouendo hac igitur ratione uerum dicit, quod tota magnitudo habet maiorem potentiam motiuam quam pars, ideo maiori tempore perſeuerabit mouendo; Ad alteram uero contraditionem, quæ uidetur eſſe difficilior, ſimiliter dicendum eſt Ariſtotelem potentiam totius, & potentiam partis abſolutè conſiderare, non autem ſecundum proportionem, quamuis enim eadem ſit ratio totius potentiæ ad totum mobiles, & partis ad partem mobilis proportionalem, & idē exceſſus, tamen abſolutè loquendo negari non poteſt maiorem eſſe potentiam totius, quàm potentiam partis; loquimur enim de potentia motiua materiali, quæ eſt extenſa ad extenſionem materiæ, quare neceſſe eſt maiorem extenſione, & quantitate eſſe potentiam in tota materia quam in partem, proinde eſſe maiorem eius actiuitatem, & uigorem ad perſeuerandum in mouendo quare licet tantus ſit exceſſus totius potentiæ ad totum mobile, quanta quartæ partis potētiæ ad quartam partem mobilis, ita ut eadem fiat velocitas motus; tamen tota potentia maiori tempore mouebit, quia diutius perſeuerabit in motu; adde quod minor materiæ minus reſiſtit alterantibus, & corrumpentibus externis ideo in patiendo ab eis patitur, etiam ac læditur ipſius uirtus motiua, quæ ſupponitur materialis, proinde debilitatur, ut magis reſiſtit aqua totius fluuij calori Solis corrumpenti, quam aqua uaſis, & hæc magis, quam gutta, quare conſtituta etiam eadem ratione aquæ uaſis ad aliquod patiens, & guttæ ad aliud patiens minus, diutius tamen in agendo perſeuerabit tota aqua uaſis, quàm gutta, quia illa minus debilitabitur, & diutius ſeruabitur, gutta uerò breui interimetur, ideo aduertere debemus conſiderationem quæ habetur in ſeptimo, & alij in præcedentibus libris fuiſſe uniuerſaliorem, & abſtractiorem, hanc uerò, quæ in hoc octauo habetur eſſe magis particularem, & materiæ applicatam; dum enim ſolam conſideramus proportionem inter potentiam motiuam, & potentiam mobilis reſiſtitiuam, & ſpatium, & tempus, ueræ ſunt illæ regulæ, quas tradit Ariſtoteles in ſeptimo libro; ſed applicatæ rebus, & materiæ multam recipiunt a materia uarietatem ob prædictas cauſas; Dubitatur etiam hic de cœlo, cui non uidetur aptari poſſe hæc Ariſtotelis demonſtratio ſiquidem cœlum non poteſt in partes diuidi; Soluit Auerroes dubium ſic, cœlum mouetur a motore, qui ſecundum poſitionem aduerſarij eſt forma materialis, & extenſa ad extenſionem materiæ, quo fit, ut ille motor ſit forma cœli informans materiam; cœlum igitur reuera non eſt diuiſibile; ſed ſuppoſita hic poſitione improbanda, quod eius motor ſit forma materialis cœlum eſt diuiſibile, quia conſtat ex materia, & forma, omne enim tale corpus habet potentiam extenſam, & quantam, proinde diſtinctam potentiam totius a potentia partis. Aliter ſoluit Sanctus Thomas dicens non poſſe cœlum quidem diuidi reali diuiſione, ſed poſſe tamen diuidi ſecundum mentalem deſignationem, quæ ei competit, quatenus eſt corpus, & potentiæ illius, quatenus eſt extenſa in materia, ſiquidem multa competunt cœlo, quatenus eſt corpus, quæ ei repugnant, quatenus tali corpus, ut ait Auerroes quinto Phyſicorum quadrageſimoquinto, & ſexto Phyſicorum quintodecimo, &

ſeptimo

septimo Physicorum secundo, possumus igitur secundum mentalem designationem considerare in cœlo partes, absque reali diuisione, & dicere potentiam totius esse maiorem potentia partis, & ita optimè formare rationem Aristotelis ad ostendendum, quod tota illa potentia non potest nisi finito tempore mouere, uidetur itaque perfectè dubium solui, si simul utraque solutio coniungatur, nam optima est Sancti Thomæ solutio, sed non possumus mente designare partitionem potentiæ, nisi dum ponimus eam materialem; hoc igitur posito cœlum cum ipsius potentia diuidi potest in partes secundum mentalem designationem.

Contextus Septuagesimusnonus.

Quod autem non contingit omninò in magnitudine finita, infinitam esse potentiam ex his manifestum est. Sit enim maior potentia semper quæ æquale in minori tempore facit, ut quæ calefacit, aut dulce facit, aut proijcit, & omnino mouet. Necesse est ergo, & a finito quidem, infinitam autem habente potentiam, pati aliquid patiens, & plus quàm ab alio, maior enim est infinita potentia. At uero tempus quidem non contingit esse ullum. Si enim sit in quo A. tempus, in quo infinita uis calefacit, aut pepulit A. B. autem, in quo finita quædam ad hanc, maiorem semper accipiendo, finitum perueniam aliquando ad id, quod est, in A. tempore mouisse, ad finitum enim semper addens excedam omne determinatum, et auferens semper deficere faciam similiter, in æquali ergo tempore mouebunt finita ac infinita: hoc autem est impoßibile: nullum itaque finitum contingit infinitam potentiam habere.

IN hoc contextu Aristoteles probat alteram propositionem, quæ erat necessaria ad propositum concludendum, hæc autem est, non posse in magnitudine finita infinitam esse potentiam, sumendo infinitam in eodem sensu, in quo diximus acceptam fuisse in contextu præcedente finitam potentiam, & ratio Aristotelis talis est, si in magnitudine finita inesset infinita potentia motiua, sequeretur alterum duorum, vel quod moueret in uno tempore, idest, in instanti, quod est impossibile, quia omnis motus fit in tempore, vel quod æquali tempore potentia finita, & potentia infinita agerent eandem actionem, quod similiter est impossibile constituto eo fundamento quod Aristoteles in initio facit, quod maior virtus agit eandem actionem minori tempore, quàm minor, quod quidem in sexto libro ostensum fuit, in quo supposito non considerat amplius Aristotelis maiorem, vel minorem perseuerantiam in mouendo quòd in præcedente contextu fecerat, sed maiorem, vel minorem velocitatem super determinato spatio, ad diuersa enim probanda diuersis nititur fundamentis, & diuersis considerationibus; consequentiam igitur ita probat Aristoteles. Sit A. determinatum tempus quo virtus infinita certam aliquam actionem, seu motum fecit, nempe per tantum spatium; sit alterum tempus maius vocatum A B. in quo virtus finita faciat, eundem motum,

tum, nam virtus finita, cum sit minor, quàm infinita, plus temporis postulabit ad peragendum eundem actionem, hæc autem finita virtus si augeatur, necesse est minui tempus, quo peraget aucta eandem actionem, ergo si pergat incrementum uirtutis, perget etiam imminutio temporis, quare necesse est tandem ad id peruenire auctionem virtutis, ut in tempore A. peragat eandem actionem, cum enim, & A, & A B. sint determinata, & finita tempora, necesse est, ut per continuam ablationem partis finitum ab ipso A B. tandem relinquatur A. quia finiti ad finitum finita est distantia, sic igitur sequetur ut virtus finita peragat eandem actionem in eodem tempore, in quo infinita virtus quod impossibile est, supponitur enim maiorem virtutem facere eandem actionem in minori tempore, & infinitam esse maiorem quacunque finita, vel in alterum absurdum incidemus, videlicet quod virtus infinita faciet eam actionem in non tempore, hoc est in instanti, quod similiter est impossibile, nam motus, de quo loquimur est verus motus, continuus, & in tempore factus, in alterum igitur absurdum incidere necesse est, dicendo primum motorem esse materialem & esse virtutis infinitæ, atqui nec dici potest virtutis finitæ, quia (ut dictum est in contextu præcedente) non posit mouere perpetuo tempore, ergo nullo modo potest primus motor esse virtus materialis, est ergo abstractus a materia, & impartibilis; hæc est reuera demonstratio Aristotelis, ut ipse eam manifeste concludet in postremo contextu, quem ego puto annectendum esse huic septuagesimo nono, vel saltem octuagesimoprimo, quoniam in eo nil aliud habemus, nisi absolutionem præsentis demonstrationis, quæ non uidetur quatuor alijs intermedijs contextibus esse interrumpenda; Verba autem illa postrema, [nullum finitum contingit infinitam, habere potentiam,] significant nullam finitam magnitudinem posse habere infinitam motiuam potentiam, nam supponebatur non dari infinitam magnitudinem, quare hæc est conclusio secundæ propositionis in hoc textu probatæ tanquam necessariæ ad prædictam Aristotelis demonstrationem, qua ostendatur abstractio primi motoris. Infinita autem mouendi uirtus hic ita intelligenda est, ut in contextu præcedente fuit sumpta uirtus finita, nempe pro vigore mouendi, seu actiuitate infinita; ex quo colligimus errorem Alexandri, qui (ut Simplicius refert) dixit Aristotelem potuisse alia breuiori ratione demonstrare hanc propositionem, in nulla magnitudine finita potest inesse infinita potentia, absque acceptione alicuius determinatæ actionis, & absque comparatione cum potentia infinita, solum enim considerando infinitam potentiam in magnitudine finita. Alexander ita rationem formabat, diuidatur illa magnitudo in partes numero finitas in harum singula inerit infinita potentia, nam si diceremus infinitam, sequeretur partem esse æqualem toti, nam potentia est extensa ad extensionem materiæ, quare potentia partis, est pars potentiæ totius necesse igitur est, ut pars quælibet habeat finitam potentiam, si hæ omnes partis componantur fiet ex ijs omnibus una tota potentia finita, quia aggregatum ex pluribus finitis, est ex necessitate finitum, ut habetur sexto Physicorum sexagesimo, sexagesimoprimo, est igitur necessarium, ut in magnitudine finita sit finita potentia; Recentiores aliqui dicunt reuera rationem hanc esse faciliorem, sed Aristotelem maluisse alia ratione uti ad impossibile ducente, quæ uidetur esse efficacior propter magnam impossibilitatem, ad quam ducit. Sed in errore sunt quia ratio Alexandri est prorsus inefficax quia illa uirtus quam in magnitudine finita ponatur inesse, non potest dici infinita secundum extensionem, siquidem extensio finita est, quare si est infinita, non potest nisi intensiuè esse finita, quo fit, ut etiam diuisa magnitudine pars quælibet habeat potentiam similiter infinitam; quod uero dixit Alexander, pars debet esse minor toto, uerum libero

 modo

modo, quo est pars, facta autem est in partes diuisio secundum extensionem & quantitatem, ideo secundum extensionem etiam pars potentiæ est minor, quàm potentia tota: at intensiuè nulla est facta diuisio in gradus: quare in parte magnitudinis inest tota intensio, quæ est in tota, ideo etiam in parte inest infinita potentia intensiue. Quod si etiam per possibile, vel impossibile concederemus infinitatem illius potentiæ esse extensiuam, & diuisionem fieri in partes secundum extensionem, adhuc est vana Alexandri ratio, quia non erit finita quælibet pars sed oportebit aliquam esse potentiæ partem infinitam, quemadmodum si vniuersum tempus diuideremus in quatuor partes, possemus quidem tres sumere finitas, & mille annorum singulam, sed reliqua, quæ totum reliquum tempus continebit, erit infinita, & æqualis toti, nempe æqualitate quadam impropriè dicta, & priuatiua, quæ nil aliud denotat, quam carentiam termini. Axioma autem illud, totum est sua parte maius, est verum de toto respectu partis finitæ. Rectè igitur Aristoteles fecit non vtens tali probatione, quæ fuisset prorsus inualida. Voluerunt etiam aliqui labefactare hanc Aristotelis rationem, dicentes non sequi quod si potentia infinita poneretur in materia, moueret in instanti, siquidem hoc repugnaret naturæ ipsius corporis, quod mouetur, corpus enim non pateretur se moueri in instanti, quia non potest simul esse in initio spatij & in medio, & in fine. Sed hi decipiuntur, quia si id admitteretur, omnis tolleretur ratio argumentandi ad impossibile, omnis enim talis ratio ducit ad aliquid ut impossibile, omne autem impossibile habet aliquam repugnantiam in natura, & causam aliquam suæ impossibilitatis; itaque si liceret dicere, non sequitur, quia est impossibile propter talem repugnantiam, non possemus unquam argumentari ad impossibile, dicimus igitur aliud esse falsitatem consequentis, aliud falsitatem consequentiæ, quo fit ut ex impossibilitate consequentis non liceat inferre falsitatem consequentiæ, sed solum antecedentis, ex quo fuit illatum; impossibile igitur esse ut corpus mutet locum in instanti, etiam Aristoteles fatetur, immo hoc infert ut impossibile: ualida tamen est ipsius illatio, nam dicere possum uirtutem motiuam infinitam superare per infinitum omnem repugnantiam quæ sit in corpore moto, proinde hanc illi non posse resistere, quin moueat in instanti. Sed reuera hoc non infert Aristoteles, sed infert alternatiuè, & inquit alterum duorum sequi, aut illam potentiam mouere in instanti, aut æquali tempore infinitam ac finitum facere eundem motum, quæ illatio est necessaria & manifesta, licet vtrumque sit impossibile. Dubitat hic Auerroes aduersus hanc secundam Aristotelis propositionem, nam potentia cœli est materialis, tamen est infinita, quia habet vim durandi perpetuo, non est igitur uerum quod magnitudo finita non possit habere infinitam potentiam. Auicenna (vt inquit Auerroes) Alexandri sententiam in hoc secutus, dixit cœlum secundum se esse durationis finitæ, & corruptibile, sed perpetuari ab alio, nempe a Deo, & ita duplex esse necessarium, unum ex se & ex propria natura, quo pacto sunt necessariæ omnes intelligentiæ motrices cœlorum; alterum vero quod cum ex se sit possibile, & potest non esse, perpetuatur tamen ab alio, ut cœleste corpus, sic igitur soluitur dubitatio, potentia enim cœli cum sit materialis, est secundum se durationis finitæ. Hæc sententia reprobatur ab Auerroe hic, & in Commentario centesimo vigesimoquarto primi libri de Cœlo, ostendit enim eam in se continere contradictionem, cum enim tale possibile, dicatur possibile potentia naturali, necesse est eo posito inesse ut nullum sequatur impossibile: at posito cœlo corrupto sequitur impossibile, nempe quod Deus non potuerit, uel non uoluerit ipsum perpetuare, ergo impossibile est id quoque, ex quo sequitur nempe quod cœlum ex se sit possibile corrumpi:

est

est igitur simul possibile, & impossibile; quod si non potest poni inesse, non est ergo possibile, quæ similiter est contradictio. Propterea frustra in natura est illa potentia, quæ non possit dari ad actum, & nihil debet esse frustra in natura, non est igitur in aliquo ponenda potentia naturalis ad interitum, nisi aliquid etiã detur agens potens illud interimere ita ut aliquando sit interiturum. Sed hac de re multa dicuntur ab Auerroe in dicto loco, & multa etiam hic a Simplicio, quæ referenda non sunt. Responsio Auerrois melior est, quæ magis etiam declaratur a Simplicio, quod Aristoteles non de alia potentia loquitur, quàm de sola actiua, hæc enim non potest esse infinita in magnitudine finita, infinitum intelligendo (vt ait Simplicius) infinitate tota simul collecta, quam ego dixi esse actiuitatẽ infinitam, seu vigorem mouendi infinitum, ex quo sequitur infinitudo extensiua, quæ est duratio actionis tempore infinito; infinitus enim vigor nullam patitur fatigationẽ. Hoc idem dicit Auerroes in commentario centesimo primi libri de Cœlo, dum inquit figuram sphæricam non esse causam completam æternitatis motus, quia si esset causa completa, sequeretur quod in corpore finito inesset uirtus actiua infinita; sed potentia, quam habet cœlum durandi in infinitum non est potentia actiua, sed potius passiua; quæ non est quod totum simul collectum infinitum, sic enim nulla datur infinita potentia, nec actiua, nec passiua, ut Auerroes, & Simplicius dicunt, non enim datur uigor actiuus infinitus intensiuè, nec potẽtia passiua infinita intensiue, sed cęlum, cum sit corpus, habet determinatum gradum suæ perfectionis, quę tamen sua natura æterna est, nec potest corrũpi, sed durat in infinitum, quare licet ponamus in cœlo durationem infinitam, non ob id ponimus infinitatem talem, quæ simul tota existat, quoniam ipsa Cœli natura est intesiue finita, æterna tamen extensiue, potentia quoque passiua cœli finita est intensiuè, quia non est aptum recipere nisi tantum motum, idque Auerroes comprobat ex dicto Aristotelis in contextu septuagesimo primo secundi libri de cœlo. Si enim in aliquo orbe unum astrum adderetur, uel astrum quod in orbe est, fieret maius, non sine labore moueretur orbis, uel tardius moueretur, finita igitur est potentia passiua cœli intensiue, sed infinita extensiuè, quia est aptum moueri in infinitum, talem autem esse etiam potentiam passiuam primæ materiæ manifestum est. Potentia igitur actiua materialis infinita nullo modo datur, nec intensiue, nec extensiue, quia si intensiue, non est infinita sed finita, necesse ut fatigetur, & minuatur, quare non potest mouere perpetuo, & de hac loquitur hic Aristoteles. At potentia passiua infinita intensiuè quidem non datur, sed datur extensiue, licèt sit potentia materialis, cuiusmodi est potentia cœli respectu æterni motus, talem etiam dicere possumus esse potentiam eius ad durandum tempore infinito, actiua enim certè non est, sed potius passiua, quia est quodammodo potentia non patiendi aliquam læsionem ab aliquo, quę reducitur ad potentiam passiuam, de qua Aristoteles hic non loquitur: propriè tamen loquendo hęc neque actiua, neque passiua dici potest. Sed rursus obijciet aliquis, nam cœlum agit in hęc inferiora infinito tempore per lumen & motum ergo datur potentia actiua materialis infinita. Dicendum est potentiam Cœli esse finitam intensiue, quia futuri sunt termini actionis, quam edere potest in hoc mundo inferiore, extensiue autem est infinita, sed huius infinitatis causa & radix non est in illa materia cęlesti, sed est motor abstractus immobilis, a quo mouetur cęlum. Ratio autem hęc Aristotelis locum habet de potentia materiali, nam de immateriali aliud est dicendum, & loquitur de potentia motiua principali, non de instrumentali, cęlum autem respectu inferiorum non est agens principale, sed potius instrumentale. Ratio autem eius, quam modo dicebamus, differentiæ

inter

inter potentiam actiuam & passiuam, est quia potentia passiua materialis esse potest in re simplici, ideo duratione potest esse infinita; at potentia actiua materialis dicit necessario compositionem materiæ cum forma, ideo ęterna esse non potest, quia omne constans ex materia, & forma, est corruptibile.

Contextus Octuagesimus.

Neque igitur nec in infinito finitam, attamen contingit in minori magnitudine maiorem potentiam esse, sed adhuc magis in maiori maiorem. Sit igitur in quo A. B. infinitum, pars igitur B.C. habet potentiam aliquam, quæ in aliquo tempore mouit D. in tempore scilicet in quo E. F. si igitur ipsius B. C. duplum accipiam, in dimidio mouebit tempore ipsius E. F. Sit enim hæc proportio. Quare in F. H. mouebit. Ergo sic accipiendo semper, ipsum A. B. nunquam transibo, tempore autem dato semper minus accipiam. Infinita ergo potentia erit, omnem enim finitam potentiam excedit. Omnis autem finitæ potentiæ necesse est finitum esse, & tempus. Si enim in quodam tanta, maior in minori quidem, sed determinato mouebit tempore secundum conuersionem proportionis. Infinita autem omnis potentia est, ut & multitudo et magnitudo, quæ excedit omnem finitam.

HVIUS conuersæ propositionis nullam fecit mentionem Themistius, sed hos duos contex. penitus omisit. Cum autem in contextu præcedente demonstrasset Arist. hanc propositionem, in nulla finita magnitudine potest esse potentia actiua infinita, nunc vult eius conuersam probare, quæ est, in nulla magnitudine infinita (si daretur) potest esse finita potentia. Hanc probat duplici argumēto in hoc contextu, & in octuagesimoprimo seq. Notandum autem, quod hæc conuersa propositio nō est necessaria ad concludendum Aristot. demonstrationem impossibilitatis primi motoris ut patet in ultimo contextu, in quo Aristoteles totam demonstrationem concludit, sed Aristoteles ad doctrinæ abundantiam (vt ait Simplicius) hanc quoque probare uoluit, eatenus enim confert ad propositam demonstrationem, quatenus per hanc stabilitur hoc fundamentum, quod finitudo, & infinitudo potentiæ, insequitur finitudinem, & infinitudinem magnitudinis, ita ut in magnitudine finita necesse sit inesse finitam potentiam, & in infinita infinitam. Nam si magnitudo sit infinita, necesse est potentiam extensam per illam augeri in infinitum, & ita habere actiuitatem infinitam; si uero finita sit magnitudo, necesse est etiam potentiam esse actiuitatis finitæ, quia nec extensionem habet infinitam, nec infinita intensio esse potest in aliqua virtute materiali, siquidem omne materiale est ex necessitate finitæ naturæ. Quoniam autem ad hanc propositionem probandam utetur Aristoteles illo fundamento iam in pręcedentibus constituto, quod in maiori magnitudine maior virtus inest, ideo antequam priorem rationem adducat, soluit dubium, quod illi fundamento officere videbatur. Nam

dicere

dicere aliquis poterat, maior inest vis calefactiua in paruo igne, quàm in magno acte, ergo in minori corpore est maior virtus, quàm in maiore. Soluit Aristoteles dicens, verum quidem hoc esse, sed tamē in maiore igne adhuc maiorem inesse potentiam, quàm in minore, volens per hoc significare comparationem esse faciēdam eorum, quæ sunt eiusdem speciei, & naturæ, supposita enim æqualitate intensionis necesse est plus esse virtutis actiuæ in magna magnitudine, quàm in parua. Hoc dubio soluto Arist. in hoc contextu facit primum argumentum quod tale est. Sit magnitudo infinita A B. in qua dicatur inesse finita potentia, sumatur eius magnitudinis pars aliqua dicta B C. quæ per suppositum habebit minorem potentiam, & erit magnitudo finita; hæc igitur potentia prius B C. moueat mobile vocatum D. in aliquo tempore, quod sit E F. Si igitur duplicetur magnitudo B C. eius quoque potentia duplicabitur, sed tempus minuetur per dimidium, duplicata enim cum magnitudine virtus motiua mouebit ipsum D. in tēporis dimidio, quod sit F H. Illa vero interposita verba [Sit enim hæc proportio,] hunc sensum habent, sumatur, exempli gratia, perpetuo dupla, poterat enim quæcunque alia sumi, vnde poterat etiam triplicari B C. & quadruplicari. Affert quidem Vicomercatus aliam horum verborum interpretationem, sed ea accipienda non videtur. Sic itaque si procedamus duplicando magnitudinem & potentiam, ad id nunquā perueniemus vt totam magnitudinem A B. absumamus, cum sit infinita, duplicatio igitur procedet in infinitum, quare etiam potentia augebitur in infinitum, non est igitur potentia finita, sed infinita, & simul cum eius incremento fiet imminutio temporis in infinitum. Patet autem hoc per definitionem infiniti, infinitum enim est quod quocunque dato est maius, & quod quocunque dato est minus; Patet igitur in magnitudine infinita (si daretur) non posse potentiam inesse nisi infinitam. Dubitatur, cur Aristoteles hic temporis mentionem fecerit, cum etiam absque ipso potuerit hanc rationem concludere, aucta enim parte magnitudinis in infinitum, necesse est potētiam simul augeri, & ita esse infinitum. Ad hoc dicendum est, non posse hoc negari, attamen Aristoteles ut ratio efficacior, & manifestior esset, temporis quoque considerationem facere voluisse; nam manifestior uidetur diuisio temporis in infinitum, cum continuum diuisibile sit in infinitum, quàm magnitudinis infinitum cremētum quod non datur. Quomodo igitur se mutuo consequuntur auctio magnitudinis cum potentia, & imminutio temporis coassumere voluit Arist. considerationem temporis ad maiorem euidentiam rationis. Quod autem dicit [secundum conuersionem proportionis] significat contrariam infinitudinem magnitudinis, ac temporis, non enim maiori magnitudini maius tempus respondet, sed minus, ideo proportio non accipitur secundum æqualitatem, sed econuerso, si quidem in augendo vno, alterum imminuitur. Hoc igitur priore argumento ostensum est, non posse potentiam finitam inesse cum magnitudine infinita.

Contextus Octuagesimusprimus.

Est autem & sic demonstrare hoc, accipiemus enim quandam potentiam eandem genere ei, quæ est in infinita magnitudine, in magnitudine finita existentem, quæ mensurabit eam; quæ in infinita est, finitam potentiam. Quod igitur non infinitam contingit esse potentiam in finita magnitudine, neque finitam in infinita, ex his palam est.


AL-



LTERO argumento confirmat Aristoteles eandem propositionem, quod tale est, si sit finita potentia in magnitudine infinita, sequetur quod duæ magnitudines eiusdem generis, idest, eiusdem naturæ specificę, vna finita, altera infinita æqualem habeant potentiam actiuam, consequens est falsum, quia aduersatur fundamento, quo suppositum fuit maiorem semper esse potentiam in maiore eiusdem generis magnitudine. Cõsequentia, ita deducitur, sumatur altera magnitudo finita eiusdem generis qua necesse est minorem esse altera infinita, proinde, & minorem habere potentiam per fundamentum prædictum, hæc autem minor potentia metietur alteram maiorem, quam habet magnitudo infinita, quia finiti ad finitum eiusdem generis finita est distantia; aucta enim finita magnitudine per additionem partis finitæ etiam potentia augebitur, vt aliquando æquetur alteri potentiæ maiori, & erit in magnitudine finita, quia finitum, per additionem partium numero, & motę finitarum necessario est finitũ, in magnitudine igitur finita inerit potẽtia finita æqualis illi potẽtiæ finitæ, quæ est in magnitudine infinita eiusdem generis, quod est impossibile. Postremis verbis facit Aristoteles conclusionem communem omnibus his trib. contextibus septuagesimo nono, octuagesimo, octuagesimo primo, concludit enim ostensum esse vtramque conuersam propositionem in magnitudine finita non posse infinitam inesse actiuam potentiam, & in magnitudine infinita non posse inesse potentiam finitam, patet igitur, ita esse coniunctos hos tres contextus, vt nihil possit interponi. Quoniam autem ex his fundamentis iactis Aristoteles in ultimo contextu concludit, & absoluit suam demonstrationem, qua demonstrat primum motorem esse ab omni magnitudine abiunctum, & impartibilem, habet nunc ad doctrinæ facilitatem vltimum illum contextum statim interpretari.

Contextus Octuagesimus sextus.

Determinatis autem his manifestum est, quod impoßibile est primum mouens, & immobile habere aliquam magnitudinem. Si.n. magnitudinem habet, necesse est, aut finitam ipsam esse, aut infinitam. Quod igitur infinitam non contingat magnitudinem esse, ostensum est prius in Physicis. Quod autem finitam impoßibile est habere infinitam potentiam, & quod impoßibile est ad finita moueri aliquid infinito tempore, demonstratum est nunc, primum autem mouens perpetuo mouet motu, et infinito tempore, manifestum, itaque est, quod indiuisibile est, & impartibile, et nullã habens magnitudinẽ.



E hoc contextu Themistius in fine libri nihil dicit, sed huius sentẽtiam cõmiscuit cõm. septuagesimooctauo, & septuagesimonono. Hic autem Aristoteles totam demonstrationem absoluit, & ita eam format, qualem in textu septuagesimo octauo, nos formandam esse diximus, & ita loquitur, ut significare videatur contextũ hunc esse statim adiungendũ contextui octuagesimoprimo: nam inquit. [Determinatis aũt his,] i. demonstratis his propositionib. quas in contextib. septuagesimo octauo, septuagesimonono, octuagesimo, octuagesimoprimo, demõstrauit, sequitur conclusio principalis, q̃ in initio septuagesimi octaui proposuimus, ꝙ primus

motor immobilis non pōt aliq̄ habere magnitudinē. sed oīno esse a magnitudine separatus, deinde conclusionē hanc ita ex fundamentis deducit. Si primus motor immobilis habet aliquā magnitudinē, hoc est si est corpus, vel forma materialis, necesse est vel finitam, vel infinitam eam magnitudinem esse, at infinitū non dari iā ostensum est, (inquit) [prius in Physicis] idest in 3. lib. quem cur Physicum vocet ad differentiā eius octaui, legas supra in interpretatione Tex. 4. huius libri. Si vero dicatur habere finitā magnitudinem, necesse est ipsum primū motorem vel habere potentiam finitam vel infinitā, quorum neutrū dici potest, nam quod non possit in magnitudine finita inesse infinita potentia, iam ostensum est in 79. Contextu, quare dicere non possimus eum habere potentiam infinitam; sed neque finitam, siquidem in septuagesimooctauo ostendimus potentiam finitam materialē non posse mouere perpetuo, at primum mouens immobile mouet perpetuo motu, & infinito tempore, ergo finitam non habet potentiam, quare tandem concludit eam nullo modo posse habere magnitudinem & ita indiuisibilē & impossibilem esse, & ab omni materia abstractam. Hæc est Arist. demonstratio, dicere igitur possumus Contextum hunc per errorē hunc esse translatum, sed post octuagesimū primum esse collocandum vt tota demonstratio continuato sermone formetur, cum ea, quæ in alijs cōtextibus dicuntur, ad eam concludendā nihil conferant. Dicere etiam possumus quod quamuis hæc vera sint, uoluit Arist. hunc Contextum ad vltimum locum remittere, ut finē excelsum & sublimē huic libro imponeret, concludendo totam suam contemplationem impartibilitate & abstractione primi motoris a materia, & vt hac eadem conclusione caput hoc terminaret, a qua hoc idem caput exorsus est; utcunque sit facilius ratio Arist. exponitur, & melius intelligitur, si statim post 81. hic Contextus declaretur. Ex hac Arist. demonstratione difficultas magna oritur, quę plurimis negotiū facessit, quęrit. n. Auerroes, & alij cum eo, an ratio Arist. ita valeat de potentia motiua immateriali, ut ualida est de potentia materiali, nisi enim sit valida, assignanda est aliqua ratio diuersitatis, quam assignare non est facile, si vero sit valida, per eam ostenditur primum motorem nec materialem nec abstractū a materia esse posse, proinde tollitur omnino primus motor, sic enim argumentabor: Si primus motor est ab omni magnitudine separatus, vel est finitæ potentiæ, vel infinitæ; non finitæ, quia non posset mouere perpetuo, non infinitæ, quia mouebit in instanti, vel si mouebit in tempore aliquo, inuenietur etiam virtus finita, quæ eundem motum peragat in eodem tempore, quæ omnia sunt impossibilia, primus igitur motor nec in materia esse potest, nec abiunctus a materia. Hanc difficultatem interpretes varijs modis euitare nixi sunt. aliqui dixere primum motorem esse quidem infiniti vigoris, non tamen sequi quod moueat in instanti, etenim non mouet ut efficiens sed solum ut finis, quare hi ponunt supremum orbem duos habere motores, vnum, quē eius animam vocant, a qua ut ab efficiente mouetur; alterum vero qui nullum orbem effectiuè mouet, sed solum ut finis mouet alios orbium motores, hic Deus est, qui est infiniti vigoris, nec tamen mouet in instanti, quia nullum orbem mouet ut efficiens. Hæc fuit Alexandri sententia, quam hic sequitur Vicomercatus, nec non Ioannes Gandauensis, qui tamen in hoc dissentit, quod dicit primum motorem nec finitum, nec infinitum dici posse, quod quidem ex Auerroe sumit, ut mox considerabo. Sed hæc sententia de duplici motore primi Orbis, tum secundum se falsa est, tum ab hoc loco alienissima, & difficultatem non tollit: falsa quidem est, quoniam secundum eam plures essent intelligentiæ, nempe vna plures quam orbes, quod aduersatur Arist. in duodecimo Metaphysicorum, vbi dicit tot in cęlo esse motores, quot orbes, nec aliquid dicit, vnde colligi possit dari præter

intel-

intelligentias orbium motrices aliam supremam, quæ nullum orbem moueat; hæc tamen disputatio aliena est a sciẽtia naturali, & est penitus Metaphysica, ideo dimittatur, satis est ostendere difficultatem per hoc non tolli, nam certum est Philosophum naturalem nullã habere notitiam mouẽtis primo in genere causæ finalis, hic.n.motus Metaphoricus est, nec ad Physicum pertinet, nec illũ respexit unquã Arist. in hoc octauo libro, sed solum respexit verum motum, & motorem primum qui effectiuè moueat. Quare etiã si hæc sententia admitteretur, tamen difficultas integra esset. Quia Arist. hic de illo sole motore primo loquitur, qui moueat, vt efficiens, de illo autem, qui solum vt finis moueat, etiam si detur, nihil dicit, isti ergo difficultatem soluere debent de primo motore qui effectiuè moueat, & dicere an hic sit virtutis infinitæ, an finitæ, cum neutrum dici posse uideatur. Pugnat etiam hæc sententia cum seipsa, dum dicunt primum absolutè motorem esse infiniti uigoris, nec tamen effectiuè mouere, nil.n.aliud est uigor, quamuis actiua, quare si nihil agit, vt efficiens, nullus ei potest attribui vigor. Sanctus Thomas (vt in contextu septuagesimo octauo diximus) non vult ratione Arist. ita formari, vt supponatur uis motiua in materia, & ostendatur eam, nec finitam esse posse, nec infinitam; sed vult demonstrari in septuagesimo nono, quod primus motor cum sit vis infinitę, non potest esse in materia; infinitam.n.esse uim in septuagesimo octauo, ostensum erat; Ponendo igitur uim infinitam in materia dicit sequi, quod in instanti moueret, at non sequi si ponatur abiuncta a materia, & hanc affert rationem huius diuersitatis, quia motor abiunctus a materia mouet per volũtatem, & est agens liberum, ideo limitat, ac restringit sua uoluntate suã potentiam, nec tantum agit quantum potest, sed tantum quantum vult, posset.n.mouere infinitos mundos; & infinitam molem, si darentur, posset mouere cęlum in instanti, sed non uult. Quæ Sancti Thomæ sententia absolutè loquendo uera est, sic.n.seruatur Dei omnipotẽtia: Qua potest facere etiam illa, quæ naturis rerum repugnant, & quæ nobis uidentur impossibilia; Sed in Philosophia Aristotelis admitti non potest. Quod hęc S.Thomæ sententia Arist. repugnet patet, quia secundum eam rueret eius demonstratio in contextu septuagesimonono, quia idem demostrat de potentia infinita materiali, uidelicet, quod limitat sua uoluntate suam potentiam, ideo non mouet in instãti; sic igitur poneretur primum motorẽ materialẽ esse, qui in perpetuo moueret, cũ sit infiniti uigoris, & agat per uoluntatem, sic.n.etiam anima intellectiua secundũ S.Tho. dat esse homini, tamen mouet per uoluntatem, itaq; non posset ostendi primum motorem esse a materia abstractum, nisi ostendatur ratio aliqua huius discriminis, & cur id, quod S. Tho. dicit habeat locum in motore abstracto non in materiali. Aristoteles.n.non concederet Deum agens, ita liberum, ut nolit ea facere quę potest, agere quidem per voluntatẽ concedit, ita tamen, ut ęqua sit uoluntati potẽtia, & tantũ possit quantũ vult, & tantũ uelit, quantum potest, quare ita est agens voluntarium, ut sit ẽt necessarium; hoc significant uerba Arist. in contextũ trigesimo secundo, tertij Physicorum, quando inquit non differre in æternis esse, & posse; quod.n.esse potest, id necessario est, quare quantũ agere Deus potest, tantũ agit ex necessitate. Dubium igitur non est solutum, sed adhuc uiget, nam si Deus est infiniti uigoris, ergo potest mouere cęlum in instanti, ergo necessario mouet in instanti, quod tamen falsum est. Hæc deberent considerare illi, qui secundum Aristotelem tuentur Deum esse infiniti uigoris, nil.n.aliud est infinitus uigor, quã actiua potentia infinita intensiue, quæ apud Aristotelem absque dubio non datur.

Alij dixerunt Arist. in hac sua argumentatione non accepisse finitatem, & infinitatẽ uigoris, sed durationis tantũ, & ita nõ sequi, quod uis motiua immaterialis infinita moueret in instanti. Hanc tamen interpretationem argumentatio Aristo-

telis non recipit, nam nugationem committeret in contextu septuagesimo octauo, dum probat, vim finitam non posse mouere perpetuo, esset enim dicere potentiam durationis finitæ non posse perpetuo mouere, quod quidem probatione non indigebat, quis.n.nescit potentiam finitam non esse infinitam? neque etiam sequeretur id, quod Aristoteles infert in septuagesimo nono, quod potentia infinita moueret in instanti, infinitudo.n.durationis non potest esse causa, vt moueat in instanti, sed sola infinitudo actiuitatis. Non est etiã inconueniens illud, quod Aristoteles ibidem habet pro absurdo, quod virtus finita, & virtus infinita faciant eandẽ actionem in eodem tempore, immò, ideo necessarium est, si vtraque statuatur habere vigorem finitum, & æqualem, vt consideranti patet. Auerroes hic difficultatem hãc, ita soluit, finitudo, & infinitudo pertinent ad quantitatem, potentia igitur actiua, dum ponitur in magnitudine, potest dici finita, vel infinita, sed si ponatur abiuncta ab omni magnitudine, non potest dici finita, nec infinita: quare nulla est difficultas. Sed hæc Auerrois sententia mihi probare non potest, quod enim dicit verum est de illo finito, & infinito, quod consistit in extensione, siue temporis, siue magnitudinis, illud.n.est de ratione quanti, nec potest attribui rebus abiunctis penitus a magnitudine, neq; etiam vigor agendi infinitus, vel finitus, qui proueniat ex extensione ipsius virtutis in materia finita, vel infinita, sed vigor mouendi, qui solam insequatur intensionem perfectionis secundum gradus, non uideo cur non possit dici finitus, vel infinitus etiam in abstractis a magnitudine. Hanc autem distinctionem finiti, & infiniti ponit ipsemet Auerroes in Commentario septuagesimo primo, secundi libri de cęlo, vbi dicit, quod in cęlestibus actio, & passio est finita in qualitate, sed infinita in duratione, & in Commentario trigesimo octauo eiusdem libri aperte confitetur motores cęlorum esse finitos in uigore, & hac ipsa ratione probat non esse infiniti vigoris, quia mouerent in instanti, quoniam superarent omnem proportionem cũ potẽtia passiua orbiũ. Cum ergo ibi Auerroes aperte dicat motores cęlorum mouere perpetuo, & habere uigorẽ finitum, non video, quo hic dicere possit eos, nec finitos, nec infinitos dici posse, quod non sint quanti, siquidem datur apud ipsum finitudo, & infinitudo, quæ non est quantitatis, & q̃ ipsemet attribuit abstractis a materia. Ego dicendum puto Deum apud Arist. esse vigoris finiti, quoniam, & perfectionis finitæ, licet fortasse a nobis incomprehensibilis. Ad propositam autem difficultatem dico, q ratio Arist. in contextu septuagesimo nono æquè probat de virtute materiali, & de immateriali, q non possit esse infinita; sed ratio quæ habetur in septuagesimo octauo, de sola probat virtute materiali, & de immateriali non probat, quare omne dubium tollitur. Vtrumque ostendo, si perpendamus vim rationis, quæ est in septuagesimo nono, ea certè æquè probat de virtute immateriali: vt notatur clare ab Auerroe in Commentario trigesimo octauo, secundi libri de cęlo, nam si dicatur mouere in aliquo tempore, inuenietur alia potentia finita, quæ in eodem tempore faciẽt eandem actionem, quod quidem dici non potest, quia minor potentia non potest eandem actionem facere, nisi in maiori tempore, necesse est igitur, vt in nullo tempore, idest in instanti moueat, idque rationi consonum, ac necessarium est, quia cum sit infinita, superat omnem proportionem respectu mobilis, in quo nulla esse potest resistentia ad motorem actiuitatis infinitæ, si quã .n. habet, ea efficitur nulla respectu uirtutis motiuæ infinitæ: hæc igitur cũ sit agens necessariũ, & voluntariũ simul, q totum agit, quantum potest, & tantum vult, quãtum potest, necesse est, vt moueat in instanti, nullũ igitur adduci, & ne fingi quidem discrimen potest, quin posito motore abiuncto a materia, & infinitæ uirtutis, sequatur illud idẽ qđ sequebatur posito eodẽ materiali, & infinito. At si ponatur virtutis finitę, nullũ sequitur absurdum, neq; in eo locũ

habet

habet ratio Arist. in contextu septuagesimo octauo, nam ponendo motorē esse materialem, & finitæ virtutis, Aristoteles argumentatur a diuisione ipsius magnitudinis, in qua inesse dicitur, vnde sequebatur etiam diuisio potentiæ motiuæ, quæ cum sit extensa ad extensionem magnitudinis, necessario partibilis est, ideo inferebat, quod illa potentia mouet tempore finito, non infinito. Sed dum potentia motiua ponitur abiuncta a materia, non est amplius partibilis, quare non potest amplius ratio illa formari. Negabo enim diuidi posse illam potentiam, cum sit immaterialis, poterit ergo virtus finita immaterialis mouere perpetuo, quod non potest virtus finita materialis: causa autem est, quam Aristoteles tangit in sequentibus, quoniam potentia materialis finita fatigatur necessario, quia esse in materia est causa, vt patiatur, & continuò minuatur a resistentia patientis, quæ virtutis imminutio labor est, vt declarat Auerroes in Commentario septuagesimo primo, secundi libri de cœlo: eaque manifesta est in motibus animalium mortalium, corpora enim contrariam habent propensionem, cum sint grauia, ideo cedunt quidem animæ præualenti, dum mouentur ab ea, sed resistendo debilitant virtutem motiuam, ita vt tandem, ita sit fatigata, ut mouere non possit. Sed potentia motiua abiuncta a materia caret omni labore, quia cum non sit in materia, non est patibilis, & cum non patiatur non imminuitur, potest igitur mouens a materia abiunctum, etiam si sit finitæ virtutis intensiuæ, mouere perpetuo, quia eius virtus nunquam imminuitur, & hoc est, quod dicit Auerroes secundo de cœlo trigesimo octauo, quod motores cœlestes sunt finiti in vigore mouendi: possunt enim singuli facere determinatum motum, non maiorem, sed sunt infiniti in duratione, & tempore, quia nulla fatigatione minuuntur potentiæ ipsorum, cum sint abiuncti a materia, quare id, quod nunc possunt, semper possunt. Sed quæreret aliquis posset, cum omnis continuitas in motu proueniat ex aliquo proportionali excessu potentiæ motricis ad mobile, & sit cum aliqua ipsius mobilis resistentia, quomodo hoc se habeat in motu cœli, nam si mobile resistit, necesse est esse in eo aliquam contrarietatem respectu motoris, resistentia enim fit ex contraria propensione, itaque sequetur motum esse violentum corpore cęlesti, proinde non posse esse perpetuum; Si vero nulla est resistentia, quomodo fit continuus motus? Solutio huius quæstionis sumenda est ex Auerroe in Commentario trigesimo quinto, septimi Physicorum, & in trigesimo octauo, secundi de cœlo, ubi dicit omnem motum fieri ex quadam proportione motoris cum mobili, hanc autem non eandem esse in motibus inferiorum corporum, & in motu cœli, nam in inferioribus fit ex proportione, quæ est inter potentiam motiuam motoris, & resistentiam patientis, at in motu cœli nulla est resistentia, orbis etiam non resistit motori, sed proportio ibi adest ratione conuenientiæ, & consensus motoris cum mobili, orbis enim habet propensionem, vt statuto motu moueatur, non tardiore, neque uelotiore, & ei data est intelligentia pariter finitæ virtutis, quæ tantundem potest mouere, quantum potest orbis, moueri, quo fit, cum in eadem proportione seruetur intelligentia, & orbis, motus ille sit omnino regularis, nec intendi vnquam, aut remitti possit, & omninò etiam naturalis absque vlla violentia, quia absque vlla resistentia, sed cum summa obedientia mobilis ad motorem. Ideo considerat ibi Auerrois dictum illud vulgatum, quod sumitur ex Aristotele septuagesimo primo, secundi libri de cęlo, si in aliquo orbe astrum fieret maius, uel aliud astrum adderetur, cum labore moueretur, & ita tardius moueretur, vel non moueretur prorsus. Ratio enim est, quoniam destrueretur illa proportio, & conuenientia, quæ est inter motorem, & mobile, alia namque velocitate posset motor mouere, alia posset mouere ipsum mobile. Nō intelligit autem Auerroes laborem

talem, qui faceret potentiam motoris minui, ea enim cum sit immaterialis, nihil pati potest, sed solum quod non fineret intelligentiam mouere, uel non tanto motu mouere, quanto ipsa est apta mouere, siquidem ipsa est virtutis motiuæ finitæ intensiuè, licet (vt ibi notat Auerroes) differant intelligentiæ, prout alia habeo maiorem vigorem, alia minorem, omnes tamen habent vigorem finitum, quare, etiam prima intelligentia, quæ totum cęlum mouet, finitum habet vigorem mouendi, licet maximum omnium, & mouet motu velocissimo omnium, & æternè mouet, quia est abstracta, & seruat perpetuo eundem mouendi vigorem sine vlla imminutione.

Contextus Octuagesimus secundus.

De iis autem quæ feruntur bene se habet dubitare, quandam dubitationem primum. Si enim omne, quod mouetur, mouetur ab aliquo, quacunque non ipsa seipsa mouent, quomodo mouent aliqua continuè non tangente eo, quod mouet, vt proiecta. Si autem simul mouent, & aliud, quod is, qui mouit, ut aerem, qui cum mouetur, mouet, similiter impoßibile est, primo non tangente, neque mouente moueri, sed simul omnia, et moueri, & quiescere, cum id, quod primum mouet, cessauerit, et si facit, quemadmodum lapis, veluti si mouet id, quod mouet. Necesse autem est, hoc quidem dicere, quod primum mouens facit, vt poßit mouere, aut aer hic, aut aqua, aut aliud quid huiusmodi, quod aptum natura est mouere, et moueri, sed non simul cessat mouere, et moueri, sed moueri quidem simul, cum mouens cessauerit moueri, mouens autem adhuc est, qua propter mouetur quid alij contiguum, & in hoc eadem ratio est. Cessat autem, cum ipso contiguo minor fuerit virtus, quam, vt moueat, tandem autem cessat, cum non amplius fecerit prius mouens, sed motum patiens. Solum, hæc autem necesse est, simul cessare, hoc quidem mouere, hoc autem moueri, & totam motionem. Hic igitur in iis, quæ possunt aliquando quidem moueri, aliquando autem quiescere, fit motus, et non continuus, sed videtur, aut enim existentium consequenter est, aut se tangentium: non enim vnum mouens est, sed contigua ad inuicem sunt. Quapropter, & in aere, & in aqua fit huiusmodi motus, quem dicunt quidam circum obsistentiam esse. Impoßibile est autem aliter dubitata soluere, nisi dicto modo. Circumobsistentia autem simul omnia mouere facit, & mouere, quare, et cessant, nunc autem videtur vnum aliquid continuè moueri ab aliquo igitur, non enim ab eodem.

SOLVI

SOLVI in hoc contextu dubium de motu proiectorum manifestum, sed huius considerationis rationem, & Aistotelis scopum cognoscere oportet, uidetur quidem ipse Aristoteles hoc declarare in principio huius contextus dicens, soluendum esse hoc dubium, propterea quod officit illi propositioni antea demonstratæ, omne, quod mouetur, ab aliquo mouetur, sed hoc dicere non satis est, cum quærere non absque ratione possumus, cur non antea hoc dubium soluerit, quando de ipsa propositione loquebatur. Cum igitur nullus huius rationem assignet ego ita dicendum arbitror, Aristoteles hactenus demonstrauit primum æternum motorem ab omni materia abiunctum, & impartibilem esse, hoc demonstrato iam stabilita est demonstratio æterni motus, totusque regressus, quem Aristoteles absoluit in Quinquagesimotertio contextu. Volens igitur Aristoteles in hac sequenti libri parte postrema totum illum discursum, atque regressum paucis verbis colligere, & aliqua etiam addere, quæ ad plenam huiusce rei intelligentiam pertinent, soluere in primis uoluit dubium hoc de motu proiectorum corporum, quod officere uidebatur illi propositioni, quicquid mouetur, ab aliquo mouetur qua totus hic discursus innititur, & qua sublata totus corruit, sed clarius etiam post huius contextus interpretationem uidebimus quomodo, dubium hoc, & ipsius solutio conferat ad sequentia. Dubium igitur proponitur ab Aristotele tale, non uidetur uerum, quod quicquid mouetur, moueatur ab aliquo, nam lapis sursum proiectus a nullo uidetur moueri, a seipso enim non mouetur, cum sit inanimatus, non etiam a proijciente, nam mouens debet simul esse cum moto, & ipsum tangere, at lapis perseuerat continuè moueri, etiam postquam a manu dimissus est, nec amplius ab ea tangitur, itaque a nullo uidetur moueri. Affert primum Aristoteles huius dubij solutionem imperfectam, & eam carpit ut insufficientem, ut postea inde sumpta occasione perfectam solutionem adducat. Solutio est quod lapis proiectus mouetur ab aere moto, aer enim cum sit elementum medium, quod particeps est grauitatis & leuitatis, & facile mobile, & in suo loco facillimè agitabile, huc illuc mouetur a proijciente magis quàm lapis, & ita defert lapidem, nam motus lapidis est penitus violentus, at motus aeris est quodammodo naturalis, ut inquit Aristoteles in quarto libro de cœlo, quia est aptus natura pelli versus omnes partes. Sed hæc solutio (inquit Aristoteles) non tollit difficultatem, sed eam transfert a lapide ad aerem, nam quærendum est a quorum motore moueatur aer quiescente manu, tunc enim adhuc fertur lapis, si ergo ab aere mouetur, aer ipse a quonam tunc mouetur? non enim a manu, quia manus quiescit. Quamuis igitur dicatur aer mouere lapidem, dubium tamen non tollitur, quia tota illa motio debet pendere a primo mouente, quæ est manus, qua quiescente, debent omnia quiescere, ita ut simul moueantur, & simul etiam quiescant manus, & aer, & lapis. Deinde Aristoteles quando dicit [Necesse autem est] perfectam dubij solutionem adducit, quæ in hoc consistit, quod proiectum mouetur quidem ab aere moto a manu proijcientis, ut in illa solutione dicebatur, dat enim manus aeri, & moueri & mouere, mouet enim ipsum, & dat eidē vim mouendi aliud, sed non simul desinit aer mouere, & moueri: moueri quidem desinit, desinente manu mouere, at mouere non desinit; Exemplo res manifestior fiet, proijciatur lapis per aerem A.B.C.D. ita ut primo loco feratur per partem aeris uocatā A. deinde per partem B. donec in D. moueri desinat. In primis igitur manus per lapidē mouet A, & dat ei uim mouendi partē sequentē, quę est B, sic B. dat parti C. & moueri, & mouere partē D. sed D. mouetur solūmodo, non mouet amplius aliā sequentē partem, quare in D. tandē cessat motus lapidis per oēs illas par

tes la-

tes lati. Et huius ratio est, quia semper motus illarũ partiũ debilitatur, nam manus dat ipsi A. vim mouendi, sed minorem, quam habeat ipsa, sic A. dat ipsi B. vim mouendi C. sed debiliorem, tanto enim debilius mouent, quanto plus distant a primo principio a manu, quare datur ultima pars mouens, quæ est C. & vltima mota, quæ est D. sed non simul mouentur hæ omnes partes, quia quælibet non simul desinit moueri a præcedente, & mouere aliam sequentem, moueri quidem desinit A, cum desinit manus mouere, simul enim necesse est desinere, & mobile moueri, & mouens mouere, sed non simul desinit A. mouere B. desinit enim in ipso A. moueri, sed nondum desinit mouere, quare post motum A. mouet B. & post B. mouetur C. & post C. mouetur D. sic igitur patet nunquam deesse lapidi motorem, fertur enim a partibus aeris, quæ mouentur una post aliam, & cum hoc stat quod simul desinat motor mouere, & mobile moueri, necesse enim est ut simul desinat passio patientis cum actione agentis, sed non simul in passo desinit uis agendi in aliud, quæ est illi impressa ab agente. Hæc est Aristotelis solutio, quæ sumitur a natura aeris, & aquæ, quæ sunt elementa media, & in sua sphęra habent simul grauitatem, & leuitatem, ut habemus in quarto libro de Cęlo quo fit ut cum ab aliquo externo acceperint initium motionis, facillime in omnes partes moueantur, quã proiecta corpora, quæ omnino uiolenter mouẽt, & ita deferunt illa ut dictum est. Hic autem multa ab Auerroe dicuntur de natura horum duorum elementorum humidorum, alijsque similibus corporibus, in quibus satis contingere potest id, quod Aristoteles dixit, quoniam facillimè agitantur, & mouentur in suo loco, ut videmus in casu lapilli in aquam, fiunt enim illi circuli unus post alium, quia partes aquæ per successionem mouentur una post aliam eadem ratione, quam Aristoteles considerauit in partem aeris. Notat etiam Auerroes necessarium esse ut in tali motu aeris, & aquæ fiat aliqua penetratio corporum, licet non sit uera penetratio, una pars aeris non penetrat aliam re uera, sed constringuntur, & condensantur quodammodo illæ partes, ideo uidetur esse penetratio quædam, idque nisi fieret, oporteret in proiectione lapidis in aere, uel in aqua facta mundum totum pelli, & commoueri, nisi enim fieret aliqua constrictio partium aeris uel aquæ, deberet ad cęlum vsque illa pulsio peruenire. Habent igitur duo hæc elementa naturam talem, ut tum dilatari & calefieri aliquantulũ, tum etiam constringi, & densari possint, absque nulla alteratione, & inde fit ut continuata partium pulsio cesset aliquando in aliqua parte mota, quæ nullam aliã pellit, sed constringitur ea, quæ est apparens illa penetratio, quam Auerroes considerat. Hinc colligitur nullum posse fieri motum elementi in uacuo, sed necessarium esse corpus medium, nam nisi spatium sit plenum, nullus potest fieri per ipsum motus uiolentus, quia nihil adest, quod rẽ proiectam deferat, sed neque naturalis, quia sublata omni resistentia necesse est transitum fieri in instanti, qui non potest dici motus, sed hac de re diximus in quæstione de motu grauium, & leuium. Sumitur etiam ex hoc loco argumentum efficacissimum ad probandum grauia, & leuia moueri a sua forma, sicut enim in proiectis Aristoteles non satis habuit primo proijciente, a quo totus ille motus fieri dicatur, sed necessarium esse existimauit motorem tangentem, & coniunctum, a quo moueatur lapis usque ad finem motus; ita de motu naturali necessarium est confiteri, non.n. sufficit generans aut remouens impedimentum, hoc.n. deserit elementum neque ipsum amplius tangit, sed solum dedit initium motionis, postea igitur necesse est elementum a sua forma moueri: sin minus, totus ille motus carebit motore. Deinde Aristoteles quando dicit. [Hic igitur in ijs quæ possunt aliquando moueri] concludit talẽ esse rerum proiectarum motum, cumque in his solis inferioribus


rioribus corporibus contingere, quæ moueri aliquando, & aliquando quiescere, & ait eum non esse continuum licet videatur, sed potius successiuum, sunt enim plures motus consequenter dispositi, uel se tangentes, sed non unus motus continuus, unus enim continuus motus esse non potest nisi a motore uno, vt dictum est in contextu quadragesimo nono, sed hic motus proiecti fit a pluribus motoribus, vt a diuersis partibus aeris, quæ vna post aliam mouet eundem lapidem: non est igitur vnus continuus motus, quia vnus motor incipit mouere, post quàm alius desijt, necesse est igitur, vt sit intermedium tempus quietis, quia simul tempore est, mouere aeris, & moueri, tum lapidis, tum sequentis partis aeris, quamuis igitur uideatur esse unus continuus motus, non tamen est, quia partes aeris sibi succedunt in mouendo, neque una aliqua est, quæ ab initio ad finem moueat. Tandem colligit Aristoteles non posse alio modo solui propositam difficultatem de motu proiecti, & refutat solutionem a Platone adductam, qui soluebat confugiendo ad ἀντιπερίστασιν quæ facit, ut proiectum, & aer, seu aqua commutent locum inuicem, lapis enim pellit propinquam aeris partem, cui cum circum obsistat vndique alius aer, ne vlterius feratur, ideo cogitur reuerti in locum, quem lapis deseruit, & ita commutat locum cum lapide, & ita deinceps pellit lapis aliam sequentem aeris partem, & propter circumobsistentiam commutat locum cum illa. Sed per hæc (inquit Arist.) non soluitur dubium, quia illa ἀντιπερίστασις facit, vt simul moueantur, & simul quiescant lapis, & prima aeris pars, quæ cum eo locum commutauit. Dicendum igitur est a quo motore pergat moueri lapis, & secundam partem impellere, & cum ea quoque locum commutare, a manu enim non amplius mouetur, quia res non tangitur tunc ab ea, itaque nisi alius detur motor, lapis desinet moueri, & mouere, quare non pellet secundam aeris partem, neque eius locum vsurpabit, attamen videmus lapidem aliquandiu perseuerare in motu, per plures aeris partes succedentes, dubium ergo a Platone non soluitur, quare non alio modo solui potest, quam eo, qui iam declaratus est, nisi enim a partibus aeris dicamus moueri proiectum lapidem, nullus relinquitur ei motor a quo dicatur moueri. Hic non defuere, qui sententiam Aristotelis de motu proiectorum non receperint, hoc vtentes argumento, quod aer habet potius rationem moti, quam mouentis, res enim videtur esse per se manifesta, quod lapis proiectus aerem pellit, ac mouet, non aer lapidem. Præterea omne mouens corporeum in mouendo mouetur, quomodo ergo potest una pars aeris mouere aliam postquam ipsa desiit moueri? sed necessarium uidetur, vt eodem tempore moueatur, quo mouet. hoc autẽ ita constituto non affertur idonea ratio continuati motus rei proiectæ, reddit enim primã illã causam, quam Aristoteles reiecit, ut insufficientem. Ipsi igitur dixerunt causam illius motus non esse aliam, quam uim quandam uiolentam impressam a manu in lapidem, per quam & mouetur lapis, & redditur motius aeris subsequentis, quæ uis continuè debilitatur, & imminuitur, prout magis recedit lapis a primo principio, ideo tandem cessat. Hæc opinio licet magnam habeat probabilitatem, ac ueritatis speciem, eique sensus adstipulari uideatur, tamen si bene perpendatur, magnis urgetur difficultatibus, nec credendum est, Aristotelem, id non uidisse, quod hac in re significare nobis sensus uidetur, sed potius putandum est ipsum cognouisse sensum decipi in iudicandis rerum causis, & si non ita facile decipitur in discernendo, quod res sint, nam considerandum est, quidnam sit illa uis motiua uiolenta impressa a manu in lapide proiecto, ea namque si debet fungi officio mouentis, debet esse aliquid, quod sit actu, sed non video, quid nam esse possit, siquidem nulla imprimitur qualitas, sed sensus nil ostendit imprimi nisi motum solum, mouet igitur lapis aerem, quia ipse mouetur, ac nullus motus est,

sine motore, a quonam igitur mouetur? a manu quidem mouetur in principio, sed postea a manu dimissus, a quonam mouetur? necessarium igitur esse dixit Aristoteles ad aerem confugere, idque cognouit tamen minoribus difficultatibus esse coniunctum, quæ etiam facile tolluntur, si rem benè consideremus, est enim consideranda natura aeris, & aquæ, quæ sunt elementa humida, & proprijs terminis carentia, & participantia grauitate, & leuitate, hinc enim fit, vt sint maxime mobilia ad omnes partes, dum sint in sua sphæra adeo, vt ille motus si non est omnino naturalis, fit enim semper a motore externo, sit tamen proximus naturali ob maximam propensionem naturalem ad talē motum, motus autem lapidis proiecti est mere violentus, quare facilius, ac magis mouetur aer quam lapis proiectus, in ipsa igitur proiectione pellitur, & lapis, & aer, sed rationabile est magis pelli aerem, & eius motum præuenire motum lapidis in sequentibus aeris partibus, quare cum ad eas peruenit lapis fertur per aerem motum, credendum igitur est ab aere lapidem, quàm a lapide aerem mouere, & ita tollitur prima difficultas, quam illi contra Aristotelem adduxerunt, nam in principio mouetur quidem a manu lapis, & aer per lapidem, sed vlterius fertur aer ob dictam rationem, licet contrarium videatur, quamuis inuisibilis sit aer, lapis autem visibilis, ideo clarius est in aqua, quam in aere. Ad alteram quoque rationem patet responsio ex ijs, quæ diximus, quod enim non omnes partes simul moueantur, & moueāt, nec simul desinant moueri, & mouere, manifestum est in motu circulorū ex casu lapilli in aquam, non enim simul tempore fit omnium partium pulsio, sed prius vna pellit aliam, deinde illa aliam, tamen si oporteret unam eodem tempore moueri, quo aliam mouet, eodem etiam tempore mouerentur omnes. Quod igitur res ita sese habeat, dubitandum non est, sed causam tantum habere oportet quæ non aliunde sumitur quàm ex eorum duorum elementorum natura, quam diximus, videntur enim modo quodam accedere ad naturam spiritalem, cum in ijs detur penetratio quædam, non est tamen vera penetratio, sed potius constrictio, & laxatio, seu densatio, & rarefactio, vnde fit quod una pars moueri posset quiescentibus alijs, nisi enim densarentur, & rarefierent, oporteret vna pulsa totum simul aerem, vel totam aquam commouere: inde igitur etiam fit, vt singula prius moueatur quam moueat aliam, quia dum ipsa mouetur, facit aliam constringi postea vero moueri, itaque mouetur vna post aliam. Quod autem dicitur omne mouens corporeum in mouendo moueri, sic est intelligendum, ut vel eodem prorsus tempore, quo mouet, moueatur, vel saltem proximè præcedente, quod euenit ob dictam causam: satis igitur est si altero duorum modorūm seruetur veritas illius propositionis, nullum corporeum potest mouere, nisi moueatur. Notandum autem est, quod hæc solutio dubij de motu proiectorum potest ad sequentia conferre non tantum eo, quem diximus modo, sed etiam alio, vt quibusdam placuit, nam motus proiectorum officere poterat vnitati primi motoris, de qua Aristoteles mox locuturus est, postquam enim esset ostensum, quod proiectum mouetur aduersis partibus aeris sibi succedētibus in mouendo, credere poteramus posse vnum continuum fieri a pluribus succedentibus motoribus, quia uidetur motus proiectorum esse vnus continuus, hoc autem dato non possemus amplius ex continuitate unius æterni motus colligere vnitatem motoris, quod faciet Aristoteles in textu sequenti, ideo uoluit hic prius loqui de motu proiectorum, vt doceret tum ipsa moueri semper ab aliquo, nec carere motore, tum ipsorum motum non esse vnum continuum, licet esse videatur.

Con-

Contextus Octuagesimustertius.

Quoniam autem in ijs, quæ sunt necesse est semper motum esse continuum hic autem unus est, necesse autem est vnum, & magnitudinis alicuius esse, non enim mouetur quod magnitudine caret, & vnius, & ab vno, non enim esset continuus, sed contiguus alter alteri, & diuisus, mouens igitur si vnum est, aut subiens motum mouet aut immobile existens. Si igitur motum subiens consequi oportebit, & mutari ipsum, simul autem moueri ab aliquo, quare stabit, & perueniet ad id, quod est moueri ab immobili, hoc enim non necesse est simul mutari, sed semper poterit aliquid mouere, nam sine labore est sic mouere. Et regularis hic motus, aut solus, aut maximè, non enim habet mutationem vllam id quod mouet, oportet autem id, quod mouetur ab illo, non habere mutationem vt similis sit motus.



OSTQVAM Aristoteles in prima parte huius partis absoluit illam negotiationem intellectus quæ est medius processus in regressu & ostendit primum motorem esse ab omni materia abstractum, nunc videtur in hoc contextu breuiter colligere suum discursum de æterno motu factum ab initio libri vsque ad quinquagesimumtertium contextum, & paucis verbis nobis integrum regressum proponere, quod quidem indicat præcessisse iam contextum Octuagesimumsextum, in quo negotiatio illa concluditur, quæ in hoc contextu videtur præsupponi. Primo enim loco ponit demonstrationem illam a posteriori, quam eandem in contextu quadragesimonono habuimus, nam ex æterno motu in initio libri demonstrato, quem dicit vnum esse & continuum infert, & vnum mobile, & unum motorem, vt etiam fecit in illo quadragesimonono, & inquit mobile habere necessario magnitudinem, & esse corpus, quia nihil mouetur per se, quod non sit corpus, vt in sexto libro ostensum est. Rationem autem cur motor debeat esse vnus, eandem adducit, quam in quadragesimonono, ita ut hic quoque motoris vnitas nil aliud significet, quàm æternitatem. Est autem ratio, quoniam nisi unius illius motus motor sit unus, non posset vnus, & continuus esse ille motus, sed interruptus, & multi motus consequenter dispositi, [& contiguus alter alteri,] non dicitur autem motus contiguus moueri proprie loquendo, quia contactus non est nisi magnitudinum, sed impropriè sumitur contiguum pro eo, quod est consequenter, nam in quadragesimonono hanc eandem rationem referens dixit non continuus totus motus, sed consequens erit, hic vero eundem sensum referens dicit contiguus erit vnus motus alij motui. Hactenus ergo repetita est demonstratio a posteriori, postea verò quando dicit [mouens autem si vnum est] refert negotiationem intellectus, quæ dirigitur ad declaran-


dam primi æterni motoris immobilitatem, & inquit, si hic motor vnus est idest, æternus, vel ita mouet, ut ipse quoque moueatur, vel immobilis est, sed etiam si dicatur moueri, necesse erit ipsum moueri ab aliquo, ita ut tandem perueniatur ad primum immobile, ut antea longo discursu ostensum est, intelligit autem immobilem penitus, idest nec per se, nec per accidens mobilem, ut dictum est in contextu quinquagesimosecundo. Immo, & notam causam supponit huius perfectæ immobilitatis, est enim causa quoniam est a materia abiunctus ut in præcedentibus ostensum, sic enim nullam patitur mutationem ex mutatione materiæ. Quod autem hanc causam notam supponat Aristoteles, manifestum est in verbis sequentibus, quibus refert tandem tertium processum quando dicit [hoc enim non necesse est simul mutari sed semper poterit aliquid mouere] hæc enim est demonstratio propter quid, qua redditur causa, cur a motore immobili fiat vnus æternus motus, causa enim cur motor ille possit semper mouere est, quia est penitus immobilis, nec mutatur ad vllam corporis mutationem: hoc autem quomodo sit, comprehendi non potest nisi prius sit notum ipsum non esse in materia, sic enim omnis motus, ac omnis passionis expers est. Quod autem motor immobilis possit semper mouere, declarat Aristoteles quando dicit [nam sine labore est sic mouere] cum enim motus fiat ab excessu potentiæ actiuæ supra potentiam resistitiuam patientis, nec fiat sine aliqua repassione ab ipsomet patiente, necesse est mouens, licet in initio uiuens, & mouens, tamen continuè debilitari & eius uirtutem minui, quæ uirtutis actiuæ imminutio labor est, quod cum crescat continuè per imminutionem virtutis actiuæ, tandem desinit motio, quando totus potentiæ excessus sublatus est, ideo motor materialis non potest mouere perpetuò, quia eius virtus motiua est materialis, & patitur ratione materiæ, & imminuitur, ita ut tandem consumpta sit, hoc autem non eueniret in uirtute motrice immateriali, impatibilis enim est, cum omnis passio sit propter materiam, igitur nunquam imminuitur: nunquam laborat, sed suum mouendi uigorem semper seruat illæsum, & eundem semper habet, quare perpetuo mouet. Hoc igitur est quod Aristoteles dicit sine labore esse sic mouere, idest mouere ita vt motor ipse nullo modo moueatur, propterea quod est abiunctus a materia, est moueri sine vllo labore, quo fit ut motus ille perpetuetur. Patet autem non posse intelligi, quomodo ille motor non laboret, & quomodo sit penitus immobilis, nisi cognitum supponatur, quod est abiunctus a materia, quod non est plenè demonstratum nisi in Textu ultimo, hæc enim est ratio cur nullo modo sit mobilis, nullo modo patibilis, proinde nullius laboris capax, igitur possumus coniectare postremum illum Contextum locandum esse post octuagesimum primum ut ante diximus. Notare autem hic possumus Aristotelem declarantem cur primus motor possit semper mouere, non eam reddere rationem quia sit infiniti laboris, sed quia non laborat, patet igitur ad præsentem demonstrationem non pertinere infinitatem vigoris, quia dummodo uis motiua non minuatur, nec fatigetur, certum est, quod perpetuò apta est mouere, non fatigatur autem, si sit abstracta a materia etiam si sit uigoris infiniti, quia hic non imminuitur unquam, si sit immaterialis. [Et regularis hic motus aut solus, aut maximè] Ex primo motore æterno immobili non solum affertur causa cur sit unus ęternus motus, sed etiam cur necesse sit illum esse penitus regularem, est autem regularitas æqualitas totius motus ut in omnibus suis partibus eandem semper habeat uelocitatem, talem autem esse necesse est illum motum, qui immediate producitur a motore immobili. Nunc igitur ad ab-

solluendum

soluendum demonstrationem, propter quid. Colligit Aristoteles ex immobilitate primi motoris regularitatem motus cœlestis, qui ab eo immediatè producitur, & est illatio necessaria: ex motore enim penitus immutabili non potest vlla prouenire varietas in partibus motus, sicut enim motor impatibilis omnino est, & infatigabilis; ita motum necesse est semper eundem esse, & in omnibus suis partibus æquè velocem, dummodo hæc (quàm apponit Aristoteles) conditio seruetur, quod etiam mobile sit immutabile, hoc est incorruptibile, & nullius corruptiuæ alterationis capax. Duæ namque conditiones requiruntur ad regularitatem motus, vt docet Aristoteles in Contextu Trigesimosexto secundi libri de Cœlo, una ut mouens sit penitus immobile, altera ut mobile sit loco tantum mobile, alijs autem mutationibus prorsus immutabile, quale esse cœleste corpus docet Aristoteles in primo libro de Cœlo. Sed hic leuiter hanc conditionem tangit ut ibi postea declarandam ut formam, & perpetuo veram faciat esse conclusionem illatam quod æternus ille motus est penitus regularis, est enim vera si hanc conditionem statuamus quod mobile non mutetur, patet enim talem mobilis mutationem posse impedire regularitatem motus, ut si diceremus mobile augeri, sic enim tardius moueretur. Sic igitur perfectam colligit Aristoteles conclusionem, quam tota in Contextu quinquagesimotertio collegerat, ex eo enim quod primus motor est æternus, & immobilis, infertur quod primus motus est æternus, & unus, continuus, regularis, perseuerans in infinitum, dummodo mobile non mutetur, vt in præsentia supponitur. Hanc autem regularitatem tetigit Aristoteles in calce illius quinquagesimitertij contextus, quando primum motum uocauit simplicem, quia motus irregularis videtur modo quodam esse compositus, & constare ex partibus diuersarum conditionum, quatenus una est velocior, alia tardior, sed nunc clarius exprimit conditiones illius æterni motoris, & perfectam conclusionem demonstrationis propter quid, quia ulterior facta est illa negotiatio intellectus, ex qua manifestius colligitur necessarium esse ut sit in aliquo naturali corpore unus continuus naturalis motus, totus æqualis & regularis, & ita patet Aristotelem in hoc contextu repetiuisse totum regressum, & omnes eius partes. Quod autem dicit [autem solus autem maximè] ad cautelam dictum est, ut ait Sinplicius, quamuis enim reuera solus cœlestis motus sit regularis, & sit impossibile aliquem in hoc mundo inferiori fieri regularem motum: tamen non vult Aristoteles hac de re hic disputare, & satis habet dicere, quod vel ille solus est regularis, uel saltem maxime omnium, qui fit a motore immobili, nam motus a mobili motore factus non uidetur esse posse ita exquisite regularis, si modo concedamus eum esse posse, aut dici regularem. Possumus etiam dicere Aristotelem ita loqui quia solum respicit motum diurnum, quem etiam & contextu sequente vocabit motum totius, is igitur non est solus regularis, cum etiam planetarum motus sint regulares, sed magis est regularis, quàm illi, quoniam simplex est, illi vero videntur habere quandam compositionem, cum planetæ moueantur pluribus motibus & ipsorum motores videantur modo quodam moueri a primo omnium motore ut in Contextu quinquagesimosecundo dictum est; primus igitur motus vel solus est regularis, uel maximè omnium.

Contextus Octuagesimus quartus.

Necesse est autem, aut in medio, aut in circulo esse. hæc enim principia sunt, sed celerrimè mouentur, quæ proxima sunt mouenti, huiusmodi autem est ipsius totius motus, illic ergo ipsum mouens.




VM hactenus causam æterni motus Aristoteles exposuerit, quæ est æternus motor immobilis; ad plenam huiusce rei intelligentiam duo demum declarare vult, unum quisnam sit locus in quo ille motor residet, alterum quod in sequenti contextu declarabitur, quisnam sit modus motionis eius; de loco nunc dicit, non quod sit verè ac propriè in loco, cum enim sit incorporeus, nullo circumscribitur loco, ideo latini dicere solent Deum, & res immateriales non esse in loco circumscriptiuè, sed esse tamen in loco definitiue, ibi enim esse præfiniuntur, vbi earum operationes apparent, at Deus vbiq; operatur, proinde vbique reuera est, tamen solet ei ab hominibus cœlum pro loco assignari, quoniam illa præstantissima vniuersi pars, in qua etiam præstantissima exercetur operatio, qua totus mundus regitur, quæ est motus circularis, cum igitur locum primo motori assignat Aristoteles ratione huius operationis, de qua in hoc libro sermo est, & ad hoc declarandum hac utitur methodo. Iam dictum est motum æternum esse non posse nisi circularem, proinde, & sphærici corporis: in ea igitur circuli, seu sphæræ parte debet primus motor residere, quæ sit præcipua, & principium dici possit, at qui duo uidentur principia in sphæra notari posse, centrum, & circumferentia, nam in vtrolibet videntur incipere lineæ, quæ a centro ad circumferentiam ducuntur, vel ab ipsa circumferentia ad centrum, hac igitur ratione Mathematica uidentur ambo dici posse principia; at verò etiam ratione naturali, centrum enim est illud immobile super quo fit motus, nam omne quod mouetur, indiget aliquo quiescente, ut docet Aristoteles in libro de motu animalium, uidetur itaque centrum habere rationem principij, circumferentia uerò dici potest principium quatenus in ea fit motus, duorum igitur locorum, alter primo motori assignandus est, Pythagoręis quidem placuit centrũ potius Dei locum esse, quasi immobile in immobili congruè collocaretur, & indiuisibile in indiuisibile, & apto maximè ad oĩa inspicienda, & ad custodiã vniuersi. Sed principijs Aristotelis magis consentaneum est dicere circumferentiam esse primi motoris locum, ipse enim putauit motorem debere tangere rem motam, vel illi saltem esse coniunctam: cum ergo hic de Deo loquatur, ut de motore cęlestis globi, a quo remotum est centrum, quod omnino est immobile, non potest nisi in cęlo primum motorẽ collocare, & in ea cęli quiete, in qua maximus fit motus, ea .n. habet maximè rationem principij. Hac igitur ratione hic vtitur Aristoteles ad probandum, quod circumferentia sit locus primi motoris, in omnibus quæ ab alio mouentur, videmus quod ea tantum uelocius mouentur, quanto sunt propinquiora principio motiuo, at in circũferentia circuli uelocissimus fit motus, in alijs autem circuli partib. eo fit tardior, qui plus distent a circumferentia, hæc ergo est pars omniũ proxima principio momenti, in ea ergo residet primus motor. Syllogismũ totũ in cõtextu habemus, sed in minore notãdũ est eã dupliciter legi,

plures

plures enim codices habent τοιαύτη δ' ἡ τοῦ κύκλου κίνησις talis autem est circuli motus, sumit enim circulum pro circumferentia, prout distinguitur a centro, & ab alijs circuli partibus, in quibusdam uerò legitur ἡ τοῦ ὅλου vt in nostris codicibus habemus, sic autem significatur motus diurnus, qui est motus uniuersi, de quo reuera sermo est, sic autem videtur Aristotelem significare supremam sphæram, illa enim omnia continet, & illius motus, & omnium rerum motus, quam lectionem Themistius accepit, alteram uerò Simplicius, sed vtraque in eundem sensum cadit. Auerroes hic dicit Aristotelem significare, quod primus motor est in circulo æquinotialis, per quem maximus, & velocissimus, fit motus, eandemque Eudemi sententiam fuisse Simplicius ait, nam si ibi locandus est primus motor, vbi maximus fit motus, locandus igitur est in suprema sphæra, & quia in ea fit motus velocissimus in extrema superficie, in hac potius est collocandus, & rursus, quia non in tota illa superficie fit velocissimus motus, sed in medio circulo, qui æquinotialis dicitur, ideo in hoc potissimum est collocandus primus motor. Sed inquit Simplicius Alexandrum hanc Eudemi sententiam non recepisse, eo ductum argumento, quod cœlum mouetur secundum partes, at secundum totum non mutat locum, quo fit, vt si in aliqua parte locetur primus motor, ipse quoque saltem per accidens dicatur moueri, quod quidem absurdum est; ob id censuit Alexander melius esse in tota extima superficie locare primum motorem, tota enim immobilis est, quare id absurdum non sequitur. Sed reuera inanis fuit hic scrupulus Alexandri, vt etiam Simplicius considerat, nam primus motor non ita assignatur alicui parti cœli, vt dicatur esse forma corporis, sic enim vtique moueretur per accidens, nec minus etiam si in tota sphæra collocaretur, quo enim modo tota moueri dicitur, & diceretur ipse quoque moueri per accidens: sed ipse reuera nullum occupat locum vbique est, & nullibi, dicitur tamen ibi potissimum esse, ubi præstantissima eius operatio apparet, proinde in medio circulo extimæ superficiei supremę sphæræ, non quod illi sit addictus, & illi propriè inhæreat, sed quod in ea fieri videtur primus eius conatus, cum motus ibi sit velocissimus, quare nulla ipsum motio attingit, immo, inquit Simplicius, hoc quod ab Aristoteli dicitur, accipiendum est, secundum quandam apparentiam, & similitudinem aliarum rerum, quas mouimus, non secundum vnitatem, id enim, quod in aliquo est, continetur ab illo, Deus autem in nulla est mundi parte, neque in mundo toto, quia non continetur a mundo, sed potius dicendum est mundum totum esse in Deo, quia sua infinita potentia omnia continet. Aristoteles autem hic loquitur secundum modum nostrum loquendi, & intelligendi res naturales, & nil aliud respicit nisi coniunctionem motoris cum moto; vnde iudicauit esse ibi potissimè locandum primum motorem, ubi maximus fit motus, idque considerandum est, maximum illum circulum non esse mobilem, immo nunquam mutare locum, quare etiam si in eo locemus primum motorem, non ob id mouetur ad locum illius circuli, sed corpora, quæ per illum circulum feruntur, seu illas cœli partes, quæ sunt in illo circulo, dicimus uelocissimè moueri. Est autem credendum Aristotelem ad hæc dicenda motum esse ob sententiam Pythagorєorum, qui in centro Deum locabant, quamuis enim reuera ipse nullibi ipse propriè sit, tamen si aliquis ei proprius locus est assignandus, is potius debet esse circulus, idest circumferentia, quam centrum, quoniam ibi dicendum est, residere motorem, ubi fit motus, & ibi potissimè, ubi maximus fit motus.

Contextus octuagesimus quintus.

Habet autem dubitationem, si contingat aliquid. quod mouetur, mouere continuè, sed non vt id, quod pellit, iterum, et iterum, & eo, quod consequenter sit continuè, aut enim ipsum oportet pellere, aut trahere, vel vtrumque, aut alterum aliquid excipiens aliud ab alio, sicut dudum dictum est in iis, quæ proiiciuntur, si cum diuisibilis sit aer, aut aqua, mouet, sed vt qui semper mouetur vtique autem modo non poßibile est vnum esse, sed contiguum. Solus itaque is continuus est, quo ipsum immobile mouet, semper enim similiter se habens, & ad id, quod mouetur similiter se habebit, & continuè.



PROPONIT hic, & soluit Aristoteles quæstionem, an motor immobilis possit facere perpetuum motum. Quorsum autem tendat hæc quæstio, non est clarum. Aliqui enim sicco pede locum hunc percurrentes, nil aliud dicunt, quàm solui hanc occurrentem quæstionem; Alij vero plures rem diligentius considerantes, dicunt Aristotelem per hanc solutionem quæstionis, velle separare motores omnes corporeos a motore immobili vniuersi, qui incorporeus, & abstractus est, sic enim per exclusionem oppositi firmius ostenditur propositum, videlicet, quod primus motor æternus immobilis est abstractus a materia, ex hoc quod nullus motor corporeus potest facere perpetuum motum. Sed hæc omnia mihi videntur esse tam manifesta, & iam ab Aristotele in hoc eodem libro longo discursu declarata, vt ea repetere superuacaneum esse videatur, cum Aristoteles ostenderit, neipsas quidem animalium animas, quas vocauerat motores immobiles, perpetuum motum efficere posse. Ego igitur puto Aristotelem velle quidem hanc separationem facere, sed ut aliud quiddam declaretur ad plenam æterni motus notitiam conferens, nempe, quisnam sit modus, quo motor immobilis mouet, de hoc enim dubitare, ac quærere aliquis potuisset, hunc igitur declarat, vt declarari poterat a Philosopho naturali per solam negationem omnium modorum, quibus mouere solent mouentia corporea, hoc autem fuit sumpta occasione a quæstione, quam proponit, an motor, qui mouetur, possit facere continuum motum, intelligendo vere continuum, & cum perpetuitate, & sine interruptione, quod declarat excludens contrarium sensum, & dicens intelligo continuitate propriè dicta, non autem illa continuitate impropriè dicta, ut quando aliquid pellit iterum atque iterum, ita ut sint plures motus consequenter dispositi, nec facientes vnum continuum motum, nisi impropriè sumendo continuum pro contiguo, & consequenti. Respondet Aristoteles, quando dicit, [aut enim ipsum oportet pellere,] & enumerat omnes modos, quibus mouent motores corporei, quorum nullum dicit esse uere continuum, duo enim sunt modi, quorum unum subdiuidit in tres; Vnus est modus, quando idem est mouens, quod est totius motus cau-

tus causa, idque est, quando non separatur a moto, sed ipsum tangit ab initio vsque ad finem; Alter vero est, quando non est idem mouens, sed plura eandem rem mouentia vnum post aliud; prior modus diuiditur in tres: mouens enim corporeum, vel pellendo mouet, uel trahendo, uel motu misto ex pulsu, & tractu, cuiusmodi est volutatio, & uectio: Simplices enim respectu aliorum sunt pulsus, & tractus, alij uerò ex his constantes, ut Aristoteles docuit in contextu decimo, septimi libri, ubi omnem motum a corporeo mouente factum diuidit in pulsum, tractum, uectionem, & uertiginem, sed omnes dicit reduci ad pulsum, uel ad tractum; alter uero modus, quo unus motor alij succedit, & excipit quodammodo ab illo motionem, qua mouent unam aliquam rem, est (inquit Aristoteles) ut motus rei proiectæ, de quo antea loquebamur, lapis enim proiectus non ab uno motore mouetur, sed a pluribus aeris partibus, una post aliam, propterea, quod aer, & aqua sunt elementis facile diuisibilia, & agitabilia, & eorum una pars facillimè disiungitur ab alia, ita ut una moueri possit non mota alia propinqua; Verba autem illa, [sed ut qui semper mouentur,] non significant ueram sempiternitatem, sed sensus est, aqua, uel aer per distinctas partes mouet rem proiectam, sed ita mouet, ut omnes illæ partes in mouendo moueantur, non enim mouerent, nisi mouerentur, sicut in contextu octuagesimo secundo dictum est, quare illa dictio, [semper,] non significat temporis vniuersitatem, sed rei, idest omnium partium mouentium. His igitur duobus modis expositis subdit Aristoteles neutro modo possibile esse unum fieri continuum motum, sed esse plures contiguos, nam de pulsione facta rei proiectæ a pluribus partibus aeris, uel aquæ, iam dictum est eam non posse esse unum continuum motum, cum fiat a pluribus motoribus, quod idem contingeret si plures, ita succedentes motores eandem rem traherēt, uel circumuoluerēt unus post alium. Si uerò ab eodem motore aliquem horum motuum fieri consideremus, similiter est impossibile aliquam rem uno continuo motu semper pelli, ab eodem motore, uel trahi, uel uolutari, nam si pergat moueri, necesse est, ut ille motus constet ex pluribus pulsib. uel tractibus, uel uolutationib. cū medijs quietibus interrumpentibus, nulla igitur res est, quæ possit aliquo horum motuum uno continuo perpetuo moueri, seu ab uno, seu a pluribus mouentibus, cum præsertim motores corporei in mouendo laborent, proinde non nisi interpolate moueant. Ab his igitur omnibus motibus, ac modis motuum separat Aristoteles motum a primo immobili motore factum, dicit illum solum esse continuum æternum, quem (ut in contextu quinquagesimotertio dictum est) motor immobilis eodem modo semper se habet non absolute, tum respectu mobilis, ideo pergit similiter continuè mouere in infinitum; per hoc autem Aristoteles uidetur omnia præstare, tum enim separat motum factum ab immobili motore a motibus factis a motoribus corporeis, tanquam illum, qui solus potest esse continuus æternus, tum magis confirmat impartibilitatem, & abstractionem primi mouentis per exclusionem oppositi, cum enim motores materiales non possint facere unum continuum æternum motum, necesse est, ut primus motor, qui unius æterni motus est causa, sit abiunctus a materia, tum denique innuit modum, quo primus immobilis motor mouet, non tamen plenè hunc declarat, quia hoc fieri non poterat, nisi declarando, quod sit intelligens, & mouens vt finis: quæ considerare ad solum Metaphysicum pertinet, sed contentus est illa declaratione per negationem omnium modorum, quibus motores isti corporei mouere solent, neque enim pellendo, neque trahendo mouet, neque modo alio

do alio

do alio ex his misto, sed modo quodam diuerso ob his omnibus, quem declarare ad scientiam hanc non pertinet. Videtur autem sic Aristoteles conuenientem finē huic libro imponere, cum.n.exorsus esset ab æterno motu, quem inquirendum proposuit, eundem his postremis uerbis concludit per suam causam demonstratum, nempè per æternum motorem immobilem, cuius etiam, & locum, & motionis modum declarauit, quantum in Philosophia naturali declarare poterat. Simplicius dicit Alexandrum dubitasse de motu errantium diurno, mouentur enim inferiores sphæræ a prima sphera uno continuo æterno motu, ergo potest aliquid moueri continuè a motore mobili, quod Aristoteles negauit. Soluit Alexander dupliciter, primo dicens Aristotelem hanc quæstionem poposuisse, eamque non plenè solutam dimisisse. Secundò dicens sphæras planetarum non moueri a suprema sphæra, sed totum cœlestem globum tanquam vnum mobile moueri a primo motore immobile, ideoque motum diurnum uocari motum totius. Quam responsionem Simplicius approbat, & eandem sententiam optimè declarat Auerroes, secundo de cœlo Commentario septuagesimo primo, vbi dicit totum cœlum esse animal quoddam magnum, sphæras uerò esse ut membra illius animalis, ideoque motum diurnum esse, ut motum totius animalis, proprios autem planetarum motus, esse tanquam proprios motus mēbrorum animalis, unde colligere possumus motum diurnum non esse planetis præter naturam, sed naturalem toti cœlesti globo, cuius illi partes sunt.

FINIS.

